BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
4 G
6

14·4·g·6

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI, COMITIS ET IVRISCONSVLTI,
SIXTI V. PONT. MAX. CVBICVLARII INTIMI,
IN P. CORNELII TACITI
ANNALES, ET HISTORIAS COMMENTARII

Ad Politicam, & Aulicam rationem præcipue ſpectantes.

QVIBVS ADIECTA SVNT RELIQVA CORNELII TACITI OPERA
Cum Indice rerum inſigniorum.

AD S. D. N. SIXTVM V. PONT. OPT. MAX.



ROMÆ,

Apud Bartholomæum Graſsium. M. D. Lxxxix.

SVPERIORVM PERMISSV.

BEATISSIMO PATRI SIXTO QVINTO PONT. MAX.

ANNIBAL SCOTVS.

ETSI quæ de Catholicæ fidei diſciplina et bonis moribus a Te decernuntur, diuino ſuggerente ſpiritu, & dirigi, & haud poſſe a recta via deflectere, nemo eſt, qui credere non debeat, PATER BEATISSIME; tantam tamen ceteræ omnes, quæ a te in Catholicæ Eccleſiæ gubernatione prodeunt actiones, præ ſe ferunt & conſilij præſtantiã, & præclarũ in excogitando ingenij acumen palam oſtendunt: vt non alio modo poſſe Orbem hunc terrarum ſcite regi & probe gubernari Politicis rationibus prudentes omnes, & intueantur, & ſimul clare fateantur. Quapropter ego, qui animi tui heroicam magnitudinẽ, antequam ad ſummũ Pontificatus gradum eueherèris, ſummopere admirari ſolebam, nec minus omniũ tuorum, poſteaquam ad tantum faſtigium aſcendiſti, geſtorum obſeruantiſsimus fui: ea ad amuſsim cum ijs verioribus, quæ a peritiſsimis Politiæ profeſſoribus, & magiſtris traduntur, axiomatibus, & regulis conuenire cognoui; adeo vt nihil concinnius, nihil aptius, nihil congruum magis dici poſsit. Nonne ſtatim in Pontificatus tui initio ſola nominis auctoritate Vrbem, Latium, ac totam Italiam latronibus ac ſicarijs omnibus purgaſti? Reges, Reſpublicas, ac Principes omnes in officio ac fide continuiſti? Et ſi qui claudicabant, ad debitum huic ſanctæ Sedi obſequium præſtandum ſtatim reduxiſti? Cumq. duobus vinculis, pœna

ſcilicet, ac præmio omnis perfecta Reſpublica contineatur, in his tu applicandis tanta veteris & prudentia, & moderatione, vt hactenus nemo aduerſus improbos ſeueriorem vindicem, erga bonos largiorem Mecœnatem deſiderari poſſe affirmet? Tu enim illius veſtigijs, cuius in terris vicem geris, inhærens, ita iudicas magnum, vt puſillum: nec vllam admittis perſonarum acceptionem. Et ad virtutes alendas tuam animi miram propenſionem præter cetera teſtantur clariſsime & Gymnaſia publica Romana honoribus, ac priuilegijs aucta ac decorata; & præclara ingenia, quæ, dummodo tibi nota ſint, eximia liberalitate foues, auges, & honoribus cohoneſtas. Omitto nunc (ne modum Epiſtolæ excedam) quàm prudenti conſilio, & ſumma prouidentia intra ſeſquianni curriculum Vicies centena millia & amplius aureorum in Aerarium publicum contuleris: probe ſciens, hinc etiam exiſtimationem maximam principatui accedere & Principi, ſi illum pollere pecunia omnes intelligant; quæ quidem (vt ille aiebat) ornamentum eſt pacis, & belli neruus, ac rerum agendarum ſubſidium. Quid referam quanto ſtudio, quanta diligentia Vrbem hanc exornaueris, & exornare in dies amplius pergas? partim Templa erigendo; partim Vias nouas ad publicam vtilitatem aperiendo; partim Aquas longinquas ad Vrbem maximo ſumptu ducendo, vt loca Vrbis ſalubritate inſignia, celebri etiam habitantium frequentia colantur; & quod tam admirabile omnibus viſum eſt, & fruſtra alijs Pontificibus expetitum, Obeliſcum illum memorabilem in Vaticano deliteſcentem, transferendo: & in publicum ad CHRISTI noſtri SALVATORIS laudem, & eius CRVCIS ſubſtentationem erigendo? Hæc omnia, & multa alia, quæ in præſentia conſulto prætereo, BEATISSIME PATER, ſicut nunc orbis terrarum celebrat: ita nulla vmquam delebit obliuio. Immo Scriptoribus, & Hiſtoricis, ac Poetis omnibus lati campi ſe quotidie aperiẽt, in quibus libere ſpatiari, atque ingenij præſtantiam exercere,

tua

tua facta immortalitati commendantes, poterunt. Et, vt in Epiſtolæ huius initio dixi, clare teſtabuntur neminem vmquam ex vetuſtioribus ſeu Philoſophis, ſeu Imperatoribus tam perfectam, & exactam regendi doctrinam reliquiſſe, quin multo melius Tu eam in Pontificatu tuo & exercueris hactenus, & quotidie exerceas. Verum inter hos, qui artem bene regendi Reſpublicas, & docuerunt præceptis, & exemplis illuſtrarunt, vt omittam Platonem, Ariſtotelem, Xenophontem, & alios, qui potius ideas finxerunt recti Principatus, quàm illas reipſa expreſſerint: mirum eſt, PATER BEATISSIME, quantum omnes antecellat & valde emineat P. Cornelius Tacitus, ſummus Romanæ hiſtoriæ, & grauiſsimus ſcriptor. Cuius de laudibus cetera, quæ dici poſſent, prætermittendo, hoc tantum in præſenti dicam: illius ſcripta a grauiſsimis, ac ſapientiſsimis Principibus tanti habita, & æſtimata fuiſſe: vt paucos dies inter grauiſsimas etiam Regiminis curas præterire ſinerent, quin illum ſtudioſe legerent, & in rerum ſuarum vſum conuerterent; adnotationibus, obſeruationibus manu etiam ſua inſigniores eius Auctoris locos illuſtrando, ac ſibi ſeponendo. Hac de cauſa ego adductus, dierum canicularium proxime elapſorum horis ſubciſiuis, quibus grauiora ſtudia intermittere vetus eſt etiam in Gymnaſijs conſuetudo: in ipſius Auctoris (quem ſemper ego plurimi feci, & quàm accuratiſsime peruolutaui) Annales, & Hiſtorias, hos breues Commentarios confeci: quos nunc humiliter BEATITVDINI TVAE dono ac dedico: vt ſi quando a laborioſiſsimis tuis curis, quibus hanc Vniuerſi faciem temperas, ac cuſtodis, tempus ſuperſit; in his breuibus Auctoris huius celeberrimi, ac prudentiſsimi floſculis, tuam intueri, velut in vero ac proprio ſpeculo, prudentiam poſsis, ac recte gubernandi ſcientiam. Fateor equidem, hoc Tibi, cui a DEO maior ſapiētia infunditur, ſuperuacaneū eſſe; & me forſan temeritatis, & imprudētiæ nomine accuſari poſſe, nō inficias eo. Tua tamen ſumma animi magnitudo & me ab

hoc

hoc timore tutum reddit; vt quæ non rem datam, ſed animum dantis æſtimare ſolet; & eiuſdem etiam animi tui benignitas hoc Tibi acceptum fore munus autumat:haud aliter Te mihi lætum promittens, quòd in his anguſtis notis, immenſa tua ſapientia deſcribatur, ac figuretur, quàm Summus ille, cuius in hoc inferiori globo munia ſuſtines, omnium opifex DEVS, in lignea tabella & quidem exigua, aut vili cera, diuinam effigiem ſuam fingi, ac palam oſtendi non illibenter e cælo intuetur. Seruet interim ad multos annos Te incolumem idem DEVS OPT. MAX. quem etiam Eccleſiæ ſuæ tam difficili ac periculoſo tempore præeſſe voluit ac diſpoſuit.

AD LECTOREM.

P*AVCIS tecum agam, amice Lector, tum vt mei conſilij cauſſam rationemq. cognoſcas: tum vero huius ſuſcepti operis ordinem facili negotio intelligas. Cum ab ineunte ętate permagno ſemper liberalium ſtudiorum amore flagrarem, omne id tempus, quod mihi a Iuriſprudentię ac Philoſophię ſtudijs ſupererat, quibus finem feci vigeſimum annum agens, Hiſtoricis legendis tranſmittendum curaui: atque inter Hiſtoricos tam Gręcos, quàm Latinos;* P. Cornelium Tacitum *mirum in modum probaui. Et quamquam experientia vel minima pollerem, nam quę eſſe poterat in adoleſcente, vigeſimum adhuc annum agente? adeo tamen tanti Auctoris lectione capiebar, vt quo magis eum legebam, eo maiori legendi cupiditate incitarer. Ex illo enim non modo doctrinam, quę vnicuique iucundiſsima eſſe ſolet: ſed etiam viuendi quandam rationem, animiq. conſtantiam percipere videbar, qua poſſem aduerſus quoſcumque caſus imminentes pręmuniri. Curriculo tandem ſtudiorum abſoluto, domum redij: vbi, etſi nullo vmquam tempore ſtudia intermitterem, honeſto tamen otio fruebar. Verum OCTAVIVS FARNESIVS Placentię & Parmę Dux sereniſsimus, cuius humanitas, & amor in meam familiam, ac pręcipue in me fuit ſemper eximius, eo tempore mea opera vſus eſt non parum. Quare quinque annis, quos domi conſumpſi, cum ab eo modo ad hunc, modo ad illum Principem mitterer: maximam nactus ſum occaſionem plures Principum Aulas tam Italorum, quàm exterorum videndi, illorumq. obſeruandi vitę, ac regiminis rationem. Quę omnia ad noſtrum Tacitum conferebam, eiusq. pręcepta ad vſum & conſuetudinem noſtrę ętatis omnino deducere conabar: eo tamen conſilio, vt huiuſmodi obſeruationes mihi tantum vſui eſſent, & numquam ederentur in lucem. Vt vero Romam veni, cum in numerum Cubiculariorum intimorum SIXTI V. adſcriptus eſſem, atque experientia rerum magiſtra in dies magis edoctus, multa alia cœpi animaduertere: ex quo maiorem annotationum ſiluam comparaui. Quarum cum multi magno deſiderio tenerentur, eas tandem in animum induxi prodere, vt eorum ſeruirem voluntati, alijsq. ſtudioſis qualemcumque vtilitatem afferrem. Compendioſa autem via in hoc opere vſus ſum: totus enim in eo fui, vt Principes, & Aulicos pręcipue, alloquerer: pręſertim cum Auctor id maxime ſpectaſſe videatur. Quare ex Tacito tantum ea hauſi, quę ad Politicam & Aulas vt plurimum*

rimum conferunt, ceteris fere omiſsis, quæ ad Grammaticam, vel Hiſtoriarum ſeriem referuntur. In eo tamen elaboraui, vt iſta, quando occaſio ſeſe offerebat, exemplis Virorum inſignium illuſtrarem: quæ non ſolum ex veteribus peterentur, verum etiam ex ijs, qui noſtra tempeſtate & doctrina, & morum probitate, vel denique peculiari aliquo virtutum genere floruerunt. Quæ omnia boni æquiq. conſulas, oro. Vale.

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI
IN P. CORNELII TACITI
Annales Commentarij.

AD BEATISSIMVM

D. N. SIXTVM V.

PONT. OPT. MAX.

Ex Lib. I. Annal. P. Cornelij Taciti.

VRBEM Romam, *Vrbium & ciuitatum nomine continentur communiones ciuium, teſte Ariſt. 5. Polit. & differunt ciuitas & domus inter ſe non ſolum multitudine, & paucitate, ſed etiam ſpecie: vt eſt apud eundem ibidem. Porro ciuitates ædificantur, aut ab indigenis, aut ab aduenis. Ab indigenis, quando habitatoribus in varias partes diſperſis ſatius videtur in vnum coire, & ſic ſecuritati conſulere. vt Athenis antiquitus euenit, & temporibus recentioribus Venetijs. Ab aduenis duplici modo ædificantur: nam hi ſunt liberi, aut ab alijs pendentes, vt ſunt Coloniæ, quæ a Principe, vel Republica deducuntur: quo in caſu magnos progreſſus facere ciuitati non licet, eo quòd principium liberum non habeat. Secus ſi aduenæ liberi homines ſunt, qui proprios agros deſerere coguntur, aut fame, aut peſte, aut bello, aut alia de cauſa. Qui duobus modis poſſunt alibi habitare, aut vrbes nouas condendo; aut veteres incolendo. Et in caſu condendæ nouæ vrbis perſpicitur virtus condentis, vnde vrbis fœlicitas, duabus in rebus: in ſitus videlicet electione, & legum ordinatione. Et quò ad electionem loci, præſtat locum fertilem, & ſalubris aëris eligere: ſecundum Platonem: ſed ne otio, & affluentia Incolæ corrumpantur, coërcendi ſunt optimis legibus. Nunc ad Romam veniendo; ſeu Æneam, ſeu Romulum conditores ſpectes, ipſa habuit libera principia: nam ſi ab Ænea, ab aduenis liberis: ſi a Romulo, ab indigenis, & ipſis liberis condita fuit. Situm ſortita eſt feliciſſimum, cum maris & fluuij nauigabilis commoditate: inſuper optimis fuit cuſtodita ſemper legibus; vnde nil mirum, ſi late longeq. fines Imperij extendit, diuq. in libertate permanſit.*

a principio Reges habuere;

R*EGVM origo, ſecundum Ariſt. in 5. Polit. introducta fuit, ad opem ferendam probis viris contra plebem. Conſtituebaturq. in ſui initio Rex ex ordine proborum virorum ob excellentiam virtutis, ſiue actionum, quæ a virtute proficiſcuntur, ſiue ob aliam ſimilem excellentiam; Et eſt Regnum imago quædam optimatum. Et a Rege requiritur, vt ſit cuſtos, & prouideat ne aliquid mali locupletes ab infima plebe patiantur. Et inter ceteras differentias, quæ inter Regem, & ty-*

-rannum extant, hęc eſt pręcipua, quod Rex volentibus imperat, tyrannus autem inuitis. Inſuper Reges ſunt vere Paſtores populorum; vt eſt apud Xenophontem lib. 8. de Pædia Cyri; & ſic eos Homerus appellat. Vnde ſicut Paſtores gregis ſui curam pręcipuam debent gerere, & ab eo lupos arcere; ſic & Regem opus in eo verſari debet, vt populorum ſaluti conſulat, & hoſtes ab eis repellat. Et quamdiu Reges Romani tales ſe praſtitere, ipſi ſalutem & gloriam, Populus vero Romanus felicitatem mximam eſt conſecutus. Sed poſtquam Tarquinius ſuperbus vna cum filijs in tyrannicos mores prolapſus eſt, ipſe eiectus eſt, & Regnum in aliam formam Principatus conuerſum eſt.

Libertatem, & Conſulatum L. Brutus inſtituit: Dictaturæ ad tempus ſumebantur:

D*ICTATVRAE dignitas in maximis Reipublicæ anguſtijs inuenta eſt teſte Dionyſio, Liuio, & ceteris hiſtoricis: vt qui eam haberent, omnia ſuo iure, & ſumma auctoritate agere poſſent, nec ab ea dabatur appellatio, nec Tribunis plebis aduerſus eam interceſſio erat: & multa alia priuilegia obtinebat, quæ apud prædictos hiſtoricos videri poſſunt. Periculo vero ceſſante, mos erat dictatorum, dictatura ſe abdicare: ne ſuſpicionem in animis ciuium libertatis vſurpandæ generarent. Sed quia hoc nomine Dictatoris Iulius Cæſar, qui rempub. inuaſit, vſus eſt in opprimenda libertate: volunt nonnulli pernicioſam fuiſſe huius dignitatis inuentionem: quaſi abſque ea Cæſar nullum modum honeſtandæ & prætexendæ tyrannidis ſuæ habuiſſet. Sed in maximo errore verſantur: nam ſi hunc titulum non habuiſſet Cæſar, alium inueniſſet, cum iam in animo haberet quoquo modo opprimere libertatem. Immo docuit experientia, ex ea auctoritate ſecundum leges exercita, maxima emolumenta Reipublicæ Romanæ eueniſſe. Vnde concludendum eſt, quod ciuili ſtatui pernicioſæ ſunt dignitates, quas propria auctoritate ciues ſibi vſurpant, non quæ iure, & legitimis ſuffragijs illis conceduntur.*

neque decemuiralis poteſtas vltra biennium,

A*PVD Liuium, & Dionyſium, & Pomponium Iuris conſultum, in l. 2. ff. de orig. Iuris abunde habetur origo Decemuiratus: nempe vt leges Athenis relatæ in duodecim tabulas reducerentur, & eæ a Decemuiris ſancirentur. Et quia ſtatutum fuit, vt anno elapſo primi Decemuiri e magiſtratu abirent, & noui crearentur; Appius Claudius, ſub hac ſpecie Regnum affectans, ſe Decemuirum anni ſecundi inaudito exemplo nominauit. Et eo Romanam rem redegerat, vt de libertate oppreſſa dubitaretur. Verum cum præter multa alia flagitia, Virginiam a marito abducere conaretur, vt ea abuteretur ad libidinem ſuam, Virginius pater eam cultro lanij interfecit, & ad arma Populum contra decemuiros concitauit: & finis Decemuiratui ſic eſt impoſitus. Vide apud præfatos Auctores hiſtoriæ totius ſeriem elegantiſſimam.*

neque Tribunorum militum conſulare ius diu valuit. Non Cinnæ, non Syllæ longa dominatio.

E*ST vetus ſententia: Nihil violentum eſſe durabile, Cum ergo tyrannis ſit dominatio violenta, quid mirum, ſi Syllæ, Cinnæ, & ſimilium tyrannorum non fuit longum Imperium?*

Et Pompei, Craſſiq. potentia cito in Cæſarem: Lepidi atque Antonij arma in Auguſtum ceſſere, qui cuncta diſcordijs ciuilibus feſſa, nomine Principis, ſub Imperium accepit. Sed veteris Pop. Roma. proſpera vel aduerſa claris ſcriptoribus memorata ſunt: temporibusq. Auguſti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliſcente adulatione deterrerentur.

C*VM lex hiſtoriæ ſit, vt veritas ante oculos habeatur, gratia, atq. odio poſtpoſitis: præſtat; ſi non fert ratio temporum vt ea ſeruetur; ab Hiſtoria ſcribenda abſtinere, quàm eam turpiter adulando maculare. Si enim magiſtra eſt vitæ humanæ hiſtoria, & prudentiæ mater; quid turpius dici poteſt, quàm eam oblique tractando, ſeipſum debita laude, poſteros vero vberrimo fructu defraudare? Non agant Principes, niſi laudabilia. Fruſtra enim ſperant, ſcelera, & mala conſilia occultatum iri; nam niſi temporibus eorum ſcribentur, ſuccedent aliorum ſæculis, qui facta eorum, qualiacumque ſint, memoriæ mandabunt. Ideo ſic viuant tamquam omnia eorum dicta & facta in publico conſpectu appareant.*

Tiberij

Tiberij, Caijque & Claudij, ac Neronis res, florentibus ipſis ob metum falſæ, poſtquam occiderant, recentibus odijs compoſitæ ſunt.

RES Principum, quæ ſcribuntur ipſis florentibus, plerumque narrantur falſa ob metum: poſtquam occiderunt, recentibus odijs componuntur: & merito hi duo affectus ſic habent locum. Primus enim, metus inquam, impendentia mala reſpicit: teſte Philoſopho in 2. Rhetorices. Secundus vero, de odio intelligo, aduerſus genera perſonarum, & abſentes perſonas etiam refertur. Adeo vt concludendum ſit, tempora oportuna huic negotio numquam eſſe.

Inde conſilium mihi pauca de Auguſto, & extrema tradere: mox Tiberij principatum, & cetera ſine ira, & ſtudio, quorum cauſas procul habeo. Poſtquam Bruto, & Caſſio cæſis, nulla iam publica arma Pompeius apud Siciliam oppreſſus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus, niſi Cæſar Dux reliquus, poſito Triumuiri nomine, Conſulem ſeferens,

AVGVSTVS merito nomen Triumuiri depoſuit, & reliqua nomina odioſa, vt Regis, & Principis reſpuit, Exemplum enim parentis ob hos tyrannicos titulos interfecti ante oculos habebat. Ideo noui Principes imitentur ipſum: ſpecies enim, quæ nihil ad vim dominationis faciunt, ſed tantum odium, & inuidiam conflant, ſunt fugiendæ: contra amplectenda omnia, quæ principatum reuera firmant, vt fecit Auguſtus.

& ad tuendam plebem

STVDERE debet ſemper is, qui nouo Principatu durare vult, ſe caput ac defenſorem profiteri partis illius, quæ in Ciuitate eſt validiſſima: ac eam omnibus modis demereri. Duo enim genera hominum in omni Ciuitate inueniuntur nobilium, & plebeiorum. Nobilium ſemper finis eſt plebem opprimere: plebeiorum, ſe ne opprimantur, defendere. Vnde ſemper inter illos ſuſpiciones, & diſcordia. Porro ſi Princeps vtriſque ad vnguem ſatisfacere non poteſt, illi ſaltem ſatiſfaciat, quæ potentior eſt: id quod recte obſeruauit Auguſtus, & obſeruant omnes Principes prudentes.

Tribunitio iure contentum:

AVGVSTVS antequam firmaret Imperium, reſpuit inſignia Imperij: vnde documentum omni Principi, qui Rempub. occupauit, dedit, vt quamdiu adoleuerit Principatus, his titulis & appellationibus ſit contentus, quæ populares, & grata ſint.

vbi militem donis,

PRAETER duo illa hominum genera, quæ ſupra dixi nobilium, inquam & plebis: quibus omnes Principes ſatisfacere debent, adhoc vt quieti his imperent: inuenitur aliud tertium genus in aliquibus Principatibus: quod eſt militum. Qui temporibus Romanorum Imperatorum adeo validi erant, vt ipſi creare Imperatorem, & abrogare poſſent: vt hodie etiam Turcarum Imperatoribus euenit. Huic ergo generi hominum neceſſe habet Imperator ante omnia ſe gratum reddere: quod eis donatiua largiendo, optime efficiet, vt hic legitur de Auguſto.

populum annona,

OMNI parti Ciuitatis, ſecundum ipſius conditionem ſatisfaciendum eſt: nam non omnia omnibus congruunt. Ideo prudenter Auguſtus militem ſibi donis deuinxit; populum annona, nouos homines, & honorum cupidos honoribus, ad rem attentos opibus, & diuitijs extulit: ac ciuitati in vniuerſum pacem, & concordiam peperit. Ideo omnis Princeps hanc rationem ſequendo, ſemper tutus regnabit. Et quo ad annonam, mirum dictu quantum ipſius cura debeat eſſe Principis præcipua. Sic infra Tacitus lib. 3. Hiſtor. de Veſpaſiano loquens, inquit: Vix Imperium adepto Veſpaſiano præcipua annonæ cura fuit. Quod noſtris temporibus egregie, vt omnia munia veri Principis & Paſtoris, SIXTVS. V. Dominus noſter adimpleuit: in ſui Pontificatus initio; propria eaq. maxima impenſa, annonæ caritatem ſubleuando; eamq. Populo Romano abunde in maxima penuria ſuppeditando.

cunctos dulcedine otij pellexit,

OTII dulcedo adeo pellicit humanos animos, vt niſi illo recte vtantur, ad parua primo, deinde ad magna ſcelera tranſeant, & in totum corrumpantur. In bene ergo inſtituta Republica

antiquitus Gymnaſia, & ludi, & artes exercebantur ad honeſte fruendam hanc otij dulcedinem. De huius effectu, ac proprietate multa apud auctores, vt Senecam, Plutarchum, & Platonem præcipue. Et Poetarum etiam carmina, eius damna patefaciunt, & deteſtantur.

Inſurgere paulatim, munia Senatus, Magiſtratuum, legum in ſe trahere, nullo aduerſante: cum ferociſſimi per acies, aut proſcriptione cecidiſſent: ceteri nobilium, quanto quis ſeruitio promptior opibus, & honoribus extollerentur.

OBSEQVIVM, & humilitas ſubditorum omnibus dominantibus placet: & ideo qui ſub aliquo Principe magnos volũt facere progreſſus, vt præcipue Aulici Romani, conẽtur ſeruitio promptiſſimos ſe exhibere: hoc enim modo tractu temporis honoribus, & opibus extolluntur. Abrupta enim contumacia non ſolum progreſſus Aulici remoratur; ſed eos penitus tollit, & frangit.

Ac nouis ex rebus aucti tuta, & præſentia, quàm vetera, & periculoſa mallent.

QVI ſapit, ſemper veteribus, & periculoſis anteponit tuta, & præſentia, dummodo ab honeſtate non ſint diſiuncta.

Neque Prouinciæ illum rerum ſtatum abnuebant, ſuſpecto Senatus, populique imperio, ob certamina potentium, & auaritiam Magiſtratuum, inualido legum auxilio; quæ vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur.

QVANDO Reſpublica ad id redacta eſt, vt potentes inuicem certent, magiſtratibus auaritia dominetur, leges nihil auxilientur: ſed contra vi, ambitu, ac pecunia omnia turbentur; tunc proculdubio præſagiri poteſt illius interitus. Vt enim ſublato fundamẽto corruit ædificium, quod illi innitebatur: ſic Reſpublica deficientibus cauſis illius ſtatus, euertitur, & ad nihilum reducitur.

Ceterum Auguſtus ſubſidia dominationi Claudium Marcellum ſororis filium admodum adoleſcentem, Pontificatu, & curuli ædilitate Marcum Agrippam, ignobilem loco, bonum militiæ, & victoriæ ſocium, geminatis conſulatibus extulit: mox, defuncto Marcello, generum ſumpſit.

QVI ope aliquorum virorum, & miniſterio ad principatum nuper euecti ſunt; ante omnia ſtudeant illos beneficijs proſequi, & eis grati eſſe; vt illis tamquam dominationis ſubſidijs vti poſſint. Sed ſæpe accidit, vt illis pro eorum voto ſatisfacere non valeant: cum multi eorum maiora præmia animo conceperint, quàm par ſit eis dare: vt Veſpaſiano euenit cum Muciano. Quo in caſu prudens Princeps ſi eorum ambitionem immoderatam conſpiciet, vt ab illis tutum ſe reddat, paulatim, & ſenſim eos imminuet: alia interea dominationi ſubſidia præparando, quæ ſemper neceſſaria ſunt. Quorum optima ſunt liberorum multitudo; affinium, & ſanguine coniunctorum, & amicorum nouorum numerus: vt grauiſſime in perſona Titi lib. IV. Hiſtor. Tacitus noſter affirmat. Et ab Auguſto qui Agrippam, etſi ignobilem loco, attamen ob ſua merita extulit ad honores ſummos, docentur Principes, quòd vbi virtus enitet in viro aliquo; huic non debet obeſſe generis ignobilitas.

Tiberium Neronem, & Claudium Druſum priuignos imperatorijs nominibus auxit, integra etiamdum domo ſua, nam genitos Agrippa, Caium, ac Lucium in familiam Cæſarum induxerat, necdum poſita puerili prætexta principes iuuentutis appellari, deſtinare conſules, ſpecie recuſantis, flagrantiſſime cupiuerat.

ARS hæc eſt aliquorum, qui maxime aliquid cupiunt; vt ſpeciem recuſantium induant, quò enixius rogentur id accipere, quod flagrantiſſime cupiunt. Aulici Romani obſeruant hoc præceptum; mirifice enim conducere credunt.

Vt Agrippa vita conceſſit, L. Cæſarem euntem ad Hiſpanienſes exercitus, Caium remeantem Armenia, & vulnere inualidum mors fato propera, vel nouercæ Liuiæ dolus abſtulit, Druſoq. pridem extincto, Nero ſolus e priuignis erat, illuc cuncta vergere, filius, collega imperij, conſors tribunitiæ poteſtatis adſumitur, omniſque per exercitus oſtentatur.

PRVDENTER Auguſtus in dubio non reliquit ſucceſſorem, aſſumendo collegam Imperij Tiberium: hoc enim modo Principes prauas aliorum ſpes coercent, &, dum in incerto ſucceſſorẽ non

non relinquunt, ſibi certum fundant Principatum. Galba, vt infrà videbimus, hac de cauſa Piſonem adoptauit. Hodie conſueuerunt etiam Principes prudentes, etſi ſano corpore, & animo, tamen ſucceſſores in partem curarum vocare, vt aſſueſcant regimini populorum, vt prudentiſsime fecit Octauius Far. Plac. & Parmæ Dux cum Rainutio filij filio, & eos etiam per ſingulas Imperij ſui Prouincias circumducunt, vt populi eum in dominum agnoſcant, ac in eius verba Sacramento adigantur. Sic Carolus. V. Philippum Sereniſsimum Hiſpan Reg. filium ire per omnes ſuæ Monarchiæ regiones, ipſo viuente, curauit.

Non obſcuris, vt antea, matris artibus, ſed palam hortatu. Nam ſenem Auguſtum deuinxerat adeò, vti nepotem vnicum Agrippam Poſthumum in inſulam Planaſiam proijceret,

A*B Artibus mulierum quis ſe defendere profitebitur, cum Auguſtus Princeps tanta prudentia & experientia adeò deuinctus ab ijs fuerit, vt filium proprium relegaret, Priuignum verò ſibi ſucceſſorem deſtinaret? Hinc cerni poteſt quantum imperium vxores in viros aliquando nanciſcantur: ſenes præſertim, qui ob imbecillitatem, quæ teſte Ariſt. in 2. Rhet. eſt illius ætatis propria, haud difficulter illecebris & blanditijs capiuntur.*

Rudem ſane bonarum artium, & robore corporis ſtolide ferocem, nullius tamen flagitij compertum.

R*VDES bonarum artium, & ſtolidè feroces, etſi vituperio digni ſunt; attamen ſi nullius flagitij ſunt comperti, excuſatione & venia ſunt proſequendi. Nam patientia, & longa diſciplina, in melius mutari eos poſſe ſperandum eſt. Ideo ſemper inter errata hominum diſtinguendum eſt a Principe; ne acrioribus remedijs quàm par ſit, delicta puniantur: vt infra lib. 3. Annal. de Pompeio inquit Auctor.*

At hercule Germanicum Druſo ortum octo apud Rhenum legionibus impoſuit, adſcirique per adoptionem à Tiberio iuſſit; quamquam eſſet in domo Tiberij filius iuuenis, ſed quo pluribus munimentis inſiſteret.

E*TSI Auguſtus ex Tiberio habebat nepotem iuuenem; tamen iubendo Tiberio, vt Germanicum adoptet, oſtendit Principibus, numquam tanta poſſe eſſe munimenta imperij, quin plura requirantur, quibus tuto inſiſtere poſsint: & vt vulgò dicitur, ſub eorum humeris quieſcere. Nam nec legiones, nec claſſes, vt infra lib. 4. Hiſt. inquit Auctor in perſona Titi, perinde ſunt firma imperij munimenta, quàm numerus liberorum. Sic etiam lib. 13. Annal. de Pallante loquens, inquit, ſtimulabat Claudium, conſuleret Reipub. pueritiam Britannici robore circundaret.*

Bellum ea tempeſtate nullum, niſi aduerſus Germanos ſupererat, abolendæ magis infamiæ, ob amiſſum cum Quintilio Varo exercitum, quàm cupidine proferendi imperij, aut dignum ob præmium.

N*ON ſemper cupidine proferendi imperij, aut ob præmium victoriæ, bella ſuſcipiuntur à Principibus: ſed ad abolendam infamiam ſæpe: quale fuit illud Auguſti aduerſus Germanos, ob amiſſum cum Quintilio Varo exercitum. Tale etiam fuit recentioribus ſæculis illud, quod Selymus Imp. Turcarum cum Aladuli geſsit, poſt deuictos Aegypti Mamaluchos: qui Aladuli eum in ea expeditione infeſtauerant per ſuos montes gradientem. Vide Iouium in Hiſt. & tunc infamiam ſuſcipere, poteſt cenſeri Princeps, cum Cladem accipit ab illo, qui nec fama, nec copijs, nec opibus ſecum comparari poteſt.*

Domi res tranquillæ, eadem magiſtratuum vocabula.

T*VNC vere poteſt dici aureũ ſæculũ, cum foris Bellũ eſt nullum, & domi res ſunt tranquillæ: nã ſæpe, vt domi tranquillitas ſeruaretur, neceſſe fuit prudẽtibus Principibus bella externa ſerere, in quibus animus procerũ ſubditorum occupando, eos à tumultibus in ciuitate concitandis auerteret: ſicut fecerunt antiquitus Conſules Romani ſæpius, vt eſt apud Liuium Dec. e & Dionyſium, & alios: & temporibus recentioribus Ferdinandus Caſtellæ Rex catholicus, quo Hiſpaniæ Primates à nouis*

rebus remoueret, eos continuo aduerſus Mauros bello implicuit. Vnde ipſi ſecuritas, & gloria, ſubditis occaſio otio benè vtendi parta eſt. Quod ſemper obſeruandum eſt cautis Principibus.

Iuniores poſt Actiacam victoriam, etiam ſenes pleriq; inter bella ciuium nati, quotuſquiſque reliquus, qui Remp. vidiſſet? Igitur verſo ciuitatis ſtatu, nihil vſquam priſci, & integri moris: omnis, exuta æqualitate, iuſſa Principis aſpectare, nulla in præſens formidine, dum Auguſtus ætate validus, ſeque, & domum, & pacem ſuſtentauit.

AETATIS validitas in Principe multum prodeſt ad ſuſtentandum ſe, domum, & pacem. Sicut è conuerſo inualidus Princeps propè eſt, vt contemnatur: nam fermè ſemper ab alijs per obſequij ſpeciem regitur. Sic infra lib. 1. Hiſt. de Galba idem Auctor noſter: inualidum ſenem Titus Vinius, & Cornelius Laco regebant.

Poſtquam prouecta iam ſenectus ægro & corpore fatigabatur, aderatq; finis, & ſpes nouæ, pauci bona libertatis incaſſum diſſerere, plures bellum paueſcere, alij cupere: pars multò maxima imminenteis dominos varijs rumoribus diſſerebant,

HAEC ſemper ſequuntur in exitu Principis noui: vt ſubditorum aliqui bona libertatis incaſſum diſſerant, plures bellum paueſcant, alij id cupiant, pars maxima imminentes dominos varijs rumoribus diſſerat: & ſequatur illud Virgilij pulcherrimum 2. Aeneid.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Secus eſt in Principatu antiquo. Nam ibi, etſi Princeps moritur, ſuccedentibus eius proximioribus; nihil, quoad faciem dominationis immutatur, nec alteratio vlla ſequitur.

trucem Agrippam, & ignominia accenſum, non ætate, neque rerum experientia tantæ moli parem.

AD capeſſendam Imperij molem, requiritur præcipuè ætas conſiſtens, & rerum experientia. hoc enim modo Princeps regit, & non regitur. Væ tibi terra, cui Rex puer eſt, canunt ſacræ literæ. Et noſtris temporibus quantum hoc referat, ſenſerunt aliquæ prouinciæ: quæ ſi Reges iuſtæ ætatis & experientiæ habuiſſent, haud profectò tanto malorum incendio conflagraſſent. Sic infrà lib. 13. Annal. Auctor de Nerone loquens. Igitur in vrbe ſermonum auida, quemadmodum Princeps, vix ſeptemdecim annos egreſſus, propulſare, & quæ ſequuntur. Reperiuntur tamen aliqui tanta vi ingenij præditi Principes, vt ſupra ætatem regere, & gubernare valeant: inter quos iure meritò annumerari potuit Carolus Emanuel Sereniſſimus Sabaudiæ Dux, hodie viuens: tunc cum defuncto patri adoleſcens admodum in regimine ſucceſſit.

Tiberium Neronem maturum annis, ſpectatum bello:

IS, in quo præter annorum maturitatem, virtus bellica ſpectata eſt, meritò par regendo imperio haberi poteſt. Tale iudicium tutò hodie fieri poſſet de Sereniſſimo Alexandro Farneſio Placentiæ & Parmæ Duce: in quo hæc duo optimè concurrunt, quæ hic in Tiberio obſeruat Auctor noſter; annorum nempè maturitas, & virtus bellica.

ſed vetere, atque inſita Claudiæ familiæ ſuperbia:

FERE fit ſemper, vt in vnaquaq; Vrbe magna, aliquæ familiæ reperiantur, peculiaribus inſignitæ virtutibus ſeu vitijs: & eandem naturam ſeruent continuata ſerie. Sic Romæ in Appijs obſeruatum fuit eos ſemper ambitioſos fuiſſe, Valerios populares, Brutos conſtantes, Fabios patriæ amatores, Scipiones bellicoſos, & Claudios (quos hic tangit Auctor noſter) ſuperbos. Vnde hoc eueniat, variæ rationes reddi poſſunt. Sed præcipua eſt illa, quòd, cum familiarum fundatores à principio varij ſint naturæ; eos deinceps ſucceſſores ſemper æmulantur in infinitum; ſiue bonum ſit, ſiue malum: & quiſque ſuis anteceſſoribus ſe ſimilem efficere ſtudet. ob quandam naturalem reuerentiam, quæ illis haberi ſolet à poſteris.

multaque indicia ſæuitiæ, quamquam præmantur, erumpere.

NATVRAM expellas furca, tamen vſq; recurret, inquit grauiſſimus Poëta Horatius: quia indicia morum, & affectuum noſtrorum, quamuis premantur hoc eſt occultentur, erumpunt tandem, & ſe produnt.

Hunc & prima ab infantia eductum in domo regnatrice, congeſtos iuueni conſulatus, triumphos,

SI vir probè inſtitutus & rectè educatus in mediocri fortuna, poſtquam ad Principatum aſcendit, difficulter ſe moderari poteſt, quin vis dominationis eum conuellat, & in ſuperbiam efferat: quid iudicandum erit de illo, qui eductus fuerit in domo regnatrice; cuiq; in iuuentute congeſti fuerint omnes eximij honores?

ne ijs quidem annis, quibus Rhodi, ſpecie ſeceſſus, exulem egerit, aliquid, quàm iram, & ſimulationem, & ſecretas libidines meditatum:

MAGNIS viris ſeceſſus ſæpè aguntur, & frequentantur, quò intentiùs iram, ſimulationem, & ſecretos animi motus exerceant, ac meditentur; & in altitudinem ſe condant. Occaſione poſtea oblata promunt, quæ in illa ſolitudine concoxerunt. Certè Scipio Africanus aiebat numquam minus ſolum ſe eſſe, quàm cum ſolus; nec minus otioſum, quàm cum otioſus eſſet. Acuuntur enim magna ingenia duabus his rebus, quibus ceteri homines in languorem declinare ſolent. Cicero in principio 3. Offic.

accedere matrem muliebri impotentia:

PROPRIVM eſt mulierum vitium, impotentia. Atq; id ob fragilitatem ſexus euenit, quia non ſinit eas dominari affectibus proprijs, & eos ſuperare; qua victoria nulla eſt maior. Nam in ceteris, quæ armis parantur, partem ſibi vendicant milites, partem temporum accidentia, partem alij: hæc tota vnius Victoris eſt, animi inquam fortis, qui iram, timorem, odium, & reliquos rationis noſtræ hoſtes, comprimere, & ſuperare queat.

ſeruiendum feminæ,

QVID miſerius excogitari poteſt, quàm ſeruire feminæ viros? hoc eſt, liberos ſeruis; qui ad imperandum nati ſunt, ijs qui ad parendum? Hinc iure, miſera Anglia, deſleri ſtatus tuus poteſt; quæ tam peruerſæ ac impiæ mulieri Iezabeli inſeruis; & ei ſubiecta durißimam tyrannidem toleras, qualem luculentiſſimè ante oculos ponis Nicolaus Sanderus in Hiſt. ſua de ſchiſmate Anglicano. Sed, ni fallor, tempus propè eſt, quo miſericors Deus te è tàm duro iugo ſeruitutis, mediante Sanctiſſimi ſui Vicarij SIXT. V. ope, eripere ſtatuit.

duobuſque inſuper adoleſcentibus, qui Rempublicam interim premant, quandoque diſtrahant.

INHABILES adregendum, cum imperant, potius premere, & diſtrahere Rempublicam; quàm eam gubernare verè dici poſſunt.

Hæc atque talia agitantibus, graueſcere valitudo Auguſti. & quidam ſcelus vxoris ſuſpectabant.

MAXIMORVM ſcelerum miniſtra, & mater eſt ambitio, & dominandi cupido. Ruit per fas & nefas, iura humana, & diuina confundit, vincula ſanguinis obliuiſcitur, & leges naturæ conculcat. Hinc vxor in virum, frater in fratrem, filius in patrem, vſq; ad necem crudeliſſimè graſſantur, vt omnium Hiſtoriarum volumina ſunt exemplis plena, quæ hic recenſere nimis longum eſſet. Certè quod hic Liuia Auguſto Marito fecit, idem de Agrippina cum Claudio infra Tacitus narrat Lib. Annal. 12. in fine. Vnde cerni poteſt, quàm ſint infortunati Principes, quorum vita ſæpenumero, à quibus maximè cuſtodiri, ac protegi deberet, ab ijs ingratiſſimè aufertur; nec cui fidere poſſint, Principatus ambitio, vllum penè hominem illis relinquit. Hinc ſtudeant, eos, qui perſonæ ſuæ aſſiſtent, omnibus modis demereri, vt hoc modo vitam in tutò ponant, & conſeruent. Et huius rei pulcherrimum præceptum Cyrus magnus Perſarum Rex Principibus omnibus reliquit, cum ſpadones ſibi parauit, qui eius cuſtodiam haberent, rationibus illis efficacibus adductus, quæ habentur apud Xenoph. in eius Pæd. 7. lib. ad quem Lect. remitto.

Quippe

Quippe rumor inceſſerat, paucos ante menſes Auguſtum, electis conſcijs, & comite vno Fabio Maximo, Planaſiam vectum, ad viſendum Agrippam. multas illinc vtrinque lacrymas, & ſigna charitatis; ſpemq; ex eo fore, vt iuuenis penatibus aui redderetur.

ETSI inter proximos grauiſſimæ ſimultates aliquando oboriuntur; tamen proceſſu temporis, ſigna charitatis, quæ vi naturæ erumpunt, adeò ſunt valida, vt illas penitus tollant. Exemplum eſt hoc Auguſti cum Agrippa filio: & validius exemplum etiam habemus in 2. Reg. 18. de Dauide Rege, & Propheta. Qui etſi ab Abſalone filio hoſtiliter petitus fuiſſet, vt Regno, & vita ſpoliaretur; tamen ad nuncium mortis eius, quem dedit illi Chuſai, contriſtatus eſt, & fleuit ſic loquendo: fili mi Abſalon, Abſalon fili mi. Quis mihi hoc tribuat, vt ego moriar pro te Abſalon fili mi, fili mi Abſalon?

Quod Maximum vxori Martiæ aperuiſſe,

MVLTVM, & multum inſpiciat Princeps, cui arcanum committat: nam ſæpe garrulitate vnius, cui arcanum Principis eſt creditum, multa & grauia Principi ſequuntur damna. Ideò periculoſiſsima res eſt, arcana Principis cognoſcere. De quo vide pulcherrimum Plutarchi tractatum de garrulitate.

illam Liuiæ, C. Nauum id Cæſari.

TAMETSI obſequentiſsimam habeas vxorem, tamen ne illi vmquam arcanum vllum committas; quod patefactum tibi aliquod præiudicium afferre poſsit. Nam luce clarius eſt, mulieres nihil arcani retinere poſſe. Coniurationes plures hac de cauſa patefactæ fuere, vt Catilinaria apud Salluſt. Piſoniana infra in XV. Annal. Auctoris noſtri. Et de hoc toto ſucceſſu vide Plutarch. in præalleg. Opuſc. de garrulitate.

Neque multo poſt, extincto Maximo (dubium an quæſita morte) auditos in funere eius Martiæ gemitus ſemet incuſantis, quòd cauſa exitij marito fuiſſet.

FRVSTRA ſe incuſat, qui cauſa exitij alicui fuit: nam mors reparari non poteſt. Sed antequam res inchoentur, diligenter penſitandum eſt, an inde aliquid iactura noſtris amicis, aut dilectis euenire poſsit. Huc pertinet illud,

Quicquid agas, prudenter agas, & reſpice finem.

Vtcunque ſe ea res habuit, vix dum ingreſſus Illyricum Tiberius properis matris literis accitur. Neque ſatis compertum eſt, ſpirantem adhuc Auguſtum apud vrbem Nolam, an exanimem repererit. acribus namque cuſtodijs domum, & vias ſepſerat Liuia;

SIC in lib. 12. Annal. de Neronis matre loquẽs Auctor inquit: & cunctos aditus cuſtodijs clauſerat. Et mire hic locus, & ille, congruunt in facti ſimilitudine.

lætique interdum nuntij vulgabantur; donec prouiſis, quæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem fama eadem tulit.

QVICVNQVE magnum aliquod facinus aggreditur, vnde in alios ſeu damnum, ſeu pernicies timeri poteſt: antequam illud euulgetur, omnia ad id neceſſaria præparata habeat; vt ſimul ac ſuum animum oſtendat, etiamſi aliqui ſe vellent ſibi opponere, nequeant. Id in bello inferendo alicui Principi, vel Prouinciæ, maxime cauere debent Principes. Certè Liuia acribus cuſtodijs domũ, & vias ſepſit; nec ante vulgari mortem Auguſti permiſit, quàm prouiſis, quæ tempus monebat, vno, eodemque tempore filius rerum potiretur, & Auguſti mors vulgaretur. Simile huic facinori fuit egregium illud Mahometis primi Viſiris, qui in Pannonia per octo dies mira arte celauit Solymani Ottomani Turcarum Imperatoris mortem; donec Selymus filius tute in ſolio poneretur Regio.

Primum facinus noui principatus fuit Poſthumi Agrippæ cædes.

ALIQVORVM falſa eſt opinio, quòd vt calx ædificia compaginat, quæ aliter conſiſtere nequirent: ſic ſanguis priorum dominorum noui Principis dominationem conſolidet: nec ſine illorum nece tutus eſſe vmquam poſsit. Nam ſemper, qui ſe malè cum illo haberent, ad alium recurrerent, & illius inſtrumenti ope res nouas auderent, ac illum eijcerent. Hinc Tiberius Agrippam interfici iuſsit, Auguſti filium; hinc Germanicum tolli de medio curauit. Hinc Turcarum Principes

nec

nec proprijs fratribus parcunt. Intelligendum ergo eſt de Tyranno, & principe nouo: nam in legitimo, & antiquo Principe id tantum abeſt, vt proſit; quòd potius multa damna inferat; cum ei neceſſaria, & optima ſit regni firmatrix Clementia. De qua vide, quæ Seneca in pulcherrimo ad Neronem tractatu ſcripſit. Ergo cum noui Principes ſic exigentibus improborum hominum flagitijs, neceſſe habeant ſanguinem effundere, quod per ſe odium ipſis apud ceteros parit; cautius agent, ſi ante in mente ſua conſideratis ijs omnibus, quos ſuo dominatui, paci, & quieti aduerſos eſſe putauerint, eos omnes pro vna vice tantum de medio tollent, ne illis opus ſit ſæpius ſanguinem effundere, & nomen ſæuitiæ ſibi cum odio recenti apud ſubditos comparare. Inter offenſiones enim, & beneficia hoc intereſt; quòd illas ſemel expedire conuenit, ne irritentur animi hominum ex earum iteratione: beneficia verò ſenſim, & ſæpius ſunt conferenda, & in plures vices compartienda; quo homines magis ea percipere guſtu, & delectatione cum amore erga conferentem poſſint.

quem ignarum, inermumq. quamuis firmatus animo, centurio ægre confecit.

E*TSI Agrippa erat valido corpore, & ideo obniti potuiſſet, & difficultatem Centurioni præbere ad ſe interficiendum; tamen alia ratio præter hanc Centurionem retinebat: maieſtas nempe, quæ in vultu Principum elucet, quæ quoſcumque feroces, & ſanguinarios deterret, & ab inferenda ipſis morte remouet. Certe exemplum pulcherrimum eſt Marius, ad quem, vt eſt apud Valerium Max. Plut. & alios, in palude iacentem cum Cimber miles quidam ferox, & vltionis in eum cupidus interficiendi cauſſa acceſſiſſet, tanto pauore in eius aſpectu, & voce exterritus eſt, vt retro fugiens clamaret: non poſſum Marium interficere. Simile legitur temporibus Auorum noſtrorum de Alphonſo Eſtenſi. I. Duce Ferrarienſi, quem cum ſæpe in manu ſua coniurati habuiſſent, & poſſent eum occidere; tamen, vt poſteà confitebantur, vultu eius exterriti nec manus, nec cor validum retinebant; idque vſque eo proceſſit, donec ipſi ab Hyppolito Eſtenſi fratre Ducis proditi tandem facinoris concepti, & non patrati pœnas dederunt. Et plura ſimilia exempla poſſent adduci, quæ in præſens omitto.*

Nihil de ea re Tiberius apud ſenatum diſſeruit.

P*RVDENS Princeps omnia ea, quæ illi odium, aut ſaltem nullam gratiam conflare poſſunt, numquam ſuo nomine geri imperet, & ſi reuera geruntur, ſimulet non geri, vt odium, quantum in ſe eſt, declinet, quod eſt vnum e duobus potentiſſimis Principatuum venenis. Quæ vero ad gratiam conferendam, & beneficia impertienda pertinent, ipſe ſolus ſemper exequatur, & nomine ſuo euulget; vt Amorem, Principatus omnis fundamentum in ſubditis inſerat.*

Patris iuſſa ſimulabat, quibus præſcripſiſſet tribuno cuſtodiæ adpoſito, ne cunctaretur Agrippam morte adficere, quandocumque ipſe ſupremum diem expleuiſſet. Mulra ſine dubio, ſæuaque Auguſtus de moribus adoleſcentis queſtus, vt exilium eius Senatus conſulto ſanciretur, perfecerat. ceterum in nullius vmquam ſuorum necem durauit:

P*AVCI admodum reperiuntur, qui in necem ſuorum durent: ab humanitate enim abhorret.*

neque mortem nepoti pro ſecuritate priuigni inlatam credibile erat.

N*ON eſt credibile, te proximiorem velle interficere, vt remotiorem in tuto colloces.*

propius vero Tiberium, ac Liuiam, illum metu, hanc nouercalibus odijs ſuſpecti, & inuiſi iuuenis cædem feſtinauiſſe.

M*ETVS eſt ſecundum Ariſt. in 2. Rhet. moleſtia quædam, aut perturbatio ex phanthaſia futuri mali, aut interimendi vim habentis, aut moleſti. Odium autem affectio, qua volumus euenire alicui ea quæ mala arbitramur illius cauſa, non autem noſtri, eaque pro viribus efficere ſtudemus. Horum ergo duorum affectuum, iure prior cadebat in Tiberium ab Agrippa, videlicet ne ille ſibi Imperium eriperet: ſecundus vero in Liuiam; quæ, vt nouercarum proprium eſt, oderat priuignum Agrippam; eo quod proprio filio Tiberio incommodum, ſi viueret, allaturus eſſet. Quæ incommodatio præcipua eſt cauſa odij, & iræ, teſte eodem Philoſopho ibidem. Porro intenſius nihil eſſe nouercali odio, nemo ignorat.*

Nuntianti centurioni, vt mos militiæ, factum eſſe quod imperaſſet, neque imperaſſe ſeſe, & rationem facti reddendam apud Senatum reſpondit.

PRINCEPS numquam probare aperte & fateri debet res improbas, etſi ipſi conducit, vt commiſſa ſint, ne praui nomen adipiſcatur. Immo praſtat ſe extrinſecus clementem, benignum, affabilem, manſuctum, & ſimilia praſeferre. Quoties vero ipſi aliter conducit agere, id caute, & quaſi coactus agere videatur. Denique ſuo exemplo ſtudeat docere homines, nihil haberi vtile, quod idem honeſtum non ſit. Sic in lib. 1. Hiſt. de Galba, inquit, Auctor: Obuius in Palatio Iulius Atticus ſpiculator, cruentum gladium oſtentans, occiſum a ſe Othonem clamauit: & Galba, commilito, inquit, quis iuſſit?

Quod poſtquam Salluſtius Criſpus particeps ſecretorum, is ad tribunum miſerat codicillos, comperit, metuens ne reus ſubderetur, iuxta periculoſo, ficta ſeu vera promeret, monuit Liuiam, ne arcana domus, ne conſilia amicorum, miniſteria militum vulgarentur, neue Tiberius vim principatus reſolueret, cuncta ad Senatum vocando:

HAVD dubie reſoluitur vis Principatus, cum arcana domus, conſilia amicorum, miniſteria militum vulgantur, & cuncta ad ſenatum vocantur. Et in hoc potiſſimum. prudentia Principis cognoſcitur: recondere nempe, qua arcana eſſe debent amicorum fidis, & prudentibus conſilys aures adhibere: eorumq. miniſteria, quibus neceſſario indiget, numquam vulgare.

eam conditionem eſſe imperandi, vt non aliter ratio conſtet, quàm ſi vni reddatur.

RATIO hac eſt illius ſententia, quam ſupra protulit; nam non aliter conſtat ratio imperandi, quàm ſi vni tantum reddatur. Cum enim pluribus redditur ratio, e Principatu, in alium ſtatum Reſpub. conuertitur. Sed tunc vim ſuam obtinet Principatus, cum niſi vni Principi, omnium qua aguntur, ratio non redditur.

At Romæ ruere in ſeruitium Conſules, Patres, Equites, quanto quis inluſtrior, tanto magis falſi ac feſtinantes,

QVO quis eſt illuſtrior in Ciuitate, eo plus debet ſe obſequentem Principi exhibere, vt illius fidem ſibi comparet, & amorem acquirat; metum ſui ipſius ab illo amoueat; res ſuas conſeruet. Illuſtres enim viri, ferme ſemper magnitudine animi pollent, qua ſeruire dedignatur: nam ex elatione ſpirituum, ſe ſuperiores, non inferiores exiſtimant, & cenſent. Inde ſuſpicio Principi erga eos oritur. Quos, ſi affectum ſuum neſcinerint ſimulare, facile necabit.

vultuq. compoſito, ne læti exceſſu Principis, neu triſtiores primordio, lacrymas, gaudium, queſtus, adulationes miſcebant.

IN mutatione Principis nimia triſtitia & nimia latitia obeſt. Prima ne nouus Princeps te mœrere ob illius Principatum exiſtimet. Secunda ne latari te exceſſu Pradeceſſoris arbitretur. Quarum opinionum vtraque a te illum alienabit. Expedit ergo vultu compoſito eſſe: &, dum ſalua fide, & decore poſſis, appoſite lacrymas, gaudium, queſtus, & obſequia miſcere.

Sextus Pompeius, & Sext. Apuleius Coſſ. Primi in verba Tiberij Cæſaris iurauere, apudq. eos Seius Strabo, & C. Turranius, ille prætoriarum cohortium Præfectus, hic annonæ. mox Senatus, mileſq., & populus.

IN verba noui Principis prius iurare debent, qui ceteris pracellent dignitate: ſucceſſiue qui ſequuntur, ſeruato cuiuſque ordine, vt hic erga Tiberium eueniſſe obſeruare licet; cui prius Conſules, deinde Prafecti pratory, & annona; mox Senatus, deinde miles; poſtremo Populus iuramentum praſtitere. Et hoc curare debet omni ſtudio nouus Princeps, vt ij, quibus publica munia mandata ſunt, plane intelligant, in Republica nihil poſſe agi, quod ad eum referri non oporteat. Principis enim perſona, ac maieſtate continetur publica ſalus.

Nam Tiberius cuncta per Conſules incipiebat, tamquam vetere Republica & ambiguus imperandi. ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, niſi tribunitiæ poteſtatis præſcriptione poſuit ſub Auguſto acceptæ.

ANTEQVAM nouus Princeps pedem in ſolio firme fixerit, retineat ſemper veterem formam regiminis, & ſe oſtendat ambiguum imperandi: etſi id flagrantiſſime cupiat. Poſtea

ſenſim

ſenſim vim Principatus ſibi ſtabiliat, & cuncta in ſe trahat: ſic enim a principio, nemine illi aduerſante, voti ſui compos euadet.

Verba edicti fuere pauca, & ſenſu permodeſto:

PAVCA debent ſemper eſſe verba, quibus Princeps edicit, ac præcipit aliquid, hoc enim eſt proprium dignitatis Principatus. Demetrius Phalereus lib. 1. de Elocut. Adde, quòd multorum verborum interpretatio, pro ſingulorum voluntate & ingenio, huc illuc trahi poteſt. Vide Senecam Epiſt. 95. qui irridet leges cum prologis.

de honoribus parentis conſulturum.

SVCCESSOR Principis, ante omnia agat de honoribus prædeceſſoris.

neque abſcedere a corpore, idq. vnum ex publicis muneribus vſurpare

PARS eſt publici muneris, non abſcedere à corpore mortui Principis, & illius cuſtodiam ſeruare.

ſed defuncto Auguſto ſignum prætorijs cohortibus, vt Imperator dederat. excubiæ, arma, cetera aulæ: miles in forum, miles in curiam comitabatur.

QVAE ad vim Principatus retinendam pertinent, ea ſtatim arripere debet nouus Princeps: qualia ſunt, dare ſignum militibus, excubia, arma, ſtipatio militum, literæ ad exercitus, & ſimilia. Sed quæ ſolum ad inanem ſpeciem, eamq. odioſam ſubditis conducunt; ea omnino fugiat; vt ſunt titulus regius, diadema, corona, & ſimilia: quod præceptum non ſeruatum, necem Cæſari Dictatori peperit: ſeruatum, incolumitatem Auguſto, & Tiberio comparauit.

literas ad exercitus, tamquam adepto principatu, miſit, nuſquam cunctabundus, niſi cum in ſenatu loqueretur.

IN ſermone ſuo, & literis cum ſubditis debet Princeps & loqui & agere, vt Princeps. Sic infra lib. 4. Hiſt. de Veſpaſiano loquens Auctor, inquit; ceterum, vt princeps, loquebatur.

Cauſa præcipua ex formidine, ne Germanicus, in cuius manu tot legiones, immenſa ſociorum auxilia, mirus apud populum fauor, habere imperium: quàm expectare mallet.

QVI poſſunt, ſi velint, tibi obeſſe, iure timentur: & cum tam vaſta ſit in homine dominandi cupiditas; præſumendum eſt ſemper, quod vir excelſus & illuſtris, in cuius manu ſint exercitus, ſociorum auxilia, quique mirum habeat populi fauorem; malit habere, quàm expectare imperium. Cum, ſecundum Accurſium Gloſſat. Melius ſit vnum tene, tene quàm centum cape cape.

dabat & famæ, vt vocatus, electuſq. potius a Republica videretur, quàm per vxorium ambitum, & ſenili adoptione inrepſiſſe.

HOC præceptum non ſolum Principibus, ſed Aulicis omnibus ad exiſtimationem augendam, multum ſalubre eſſe creditur: nempe ſi aliquam dignitatem a Principe nactus fueris, quamuis illam ambitu, induſtria, & medijs a te venientibus adeptus fueris; tamen dandam ſemper famæ, vt vocatus, electuſque a Principe ad id muneris capeſſendum acceſſeris. Romani Aulici id recte obſeruant. Sed ſæpe leuitatem hominum patefacit: cum mendacium tractu temporis redarguitur.

Poſtea cognitum eſt, ad introſpiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem.

MAXIMAM ſemper Princeps nouus adhibet diligentiam, vt voluntates Procerum introſpiciat: nempe an eius dominatione ſint contenti; actiones, geſtus, & vitam eorum intimam examinat; & per eorum familiares exquirit. & cum eis loquendo varios ſermones inducit, ad eorum ſenſus aperiendos. Et ferme ſemper vultus, ſermones, & verba, & facta in crimen detorquet. Remedium huic rei optimum eſt, tibi in animo proponere, ſemper cum Principe eſſe, & cum eo colloqui etiamſi cum intimis tuis agas; & ſemper verba dirigere in ſenſum talem, qui non poſſit dubie a Principe intelligi, & in peius detorqueri.

Nam verba, vultus in crimen detorquens recondebat.

CONSONAT huic, quod infra lib. 4. Hiſt. in perſona Marcelli Epry cum Heluidio Priſco diſceptantis, inquit Auctor: Id magis vitandum, ne pernicacia quorundam irritaretur animus nouo principatu ſuſpenſus, & vultus quoque, ac ſermones omnium circumſpectans.

Nihil primo ſenatus die agi paſſus, niſi de ſupremis Auguſti, cuius teſtamentum inlatum per virgines Veſtæ Tiberium, & Liuiam heredes habuit. Liuia in familiam Iuliam, nomenq. Auguſtæ adſumebatur. In ſpem ſecundam nepotes, pronepoteſque: tertio gradu primores ciuitatis ſcripſerat, pleroſq. inuiſos ſibi, ſed iactantia, gloriaq. ad poſteros.

NON ſemper is, cui benefacimus, nobis charus eſt: nam plerumque gloria & iactantia cauſa apud poſteros, iis benefacimus, quos inuiſos habemus, vt hic Auguſtus egit: Primores ciuitatis heredes ſcribendo. Sic faciunt multi aulici, qui pompæ & faſtus gratia tantum, multis munera impertiuntur, quos ſecreto inuiſos habent.

Legata non vltra ciuilem modum, niſi quod populo & plebi ccccxxxv. prætoriarum cohortium militibus ſingula nummûm millia, legionarijs autem cohortibus ciuium Romanorum trecenos nummos viritim dedit. Tum conſultatum de honoribus. Ex quîs maxime inſignes viſi: vt porta triumphali duceretur funus, Gallus Aſinius, vt legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius cenſuere:

IVRE merito inter præcipuos honores, qui Principi defuncto tribuuntur, hoc eſt, vt legum latarum tituli, & victarum ab eo gentium vocabula anteferantur. Duo enim tempora habet Princeps, pacis, & belli. Tempus pacis recte gubernatur, cum per legales ad inuentiones calumniatorum iniquitates expelluntur. Tempus belli, cum fuſis congreſſu hoſtibus nomen ſibi Princeps comparat: inde, & ius conſtituendo, & de hoſtibus triumphando, efficitur venerabilis. Iuſtinianus in proœmio Inſtit. Ciuil.

addebat Meſſala Valerius renouandum per annos ſacramentum in nomen Tiberij, interrogatusq. a Tiberio, num ſe mandante eam ſententiam prompſiſſet, ſponte dixiſſe reſpondit: neque in ijs quæ ad Remp. pertinerent, conſilio niſi ſuo vſurum,

PRVDENTIS & cordati Senatoris, & ciuis amantis patriæ, eſt, in iis, quæ ad Remp. & ad patriam pertinent, non vti conſilio, niſi ſuo, vel cum periculo offenſionis.

vel cum periculo offenſionis.

NOTA deterrimum adulationis genus: ſic infra lib. iy. Annal. de Ateio Capitone, inquit auctor: Palam aſpernante Ateio Capitone, quaſi per libertatem. Non enim debere eripi patribus vim ſtatuendi. & quæ ſequuntur.

Ea ſola ſpecies adulandi ſupererat.

SVB tyranno qui non minus apertas adulationes, quam abruptas contumacias odit, ſola ſpecies adulandi ſupereſt, morem gerere illi ſpecie aduerſandi: vt hic in Meſſala erga Tiberium annotare licet.

Conclamant patres, corpus ad rogum humeris ſenatorum ferendum.

ETIAM hodie hic mos ſeruatur; vt primariorum hominum humeris, corpus Principis efferatur. Et eſt inter ſolemnes, & debitas funeris ceremonias.

Remiſit Cæſar adroganti moderatione,

MODERATIO non ſemper a virtute proficiſcitur; ſed ſæpe ab arrogantia. Nempe cum tu ſolus ſententiæ plurium & prudentium modum imponere vis; vt hic Tiberius erga Senatū.

populumq. edicto monuit,

MONENT aliquando non ſemper imperant edicta, & Senatus conſulta. Sic infra lib. iiij. Hiſt. de Senenſium plebe loquens. Auctor inquit: Additumque Senatus conſultum, quo Senen-

ſium

ſium plebs modeſtia admoneretur. Facit ad hoc illud Seneca: in epiſt. xcv. Quadam leges non tantum imperant, ſed docent.

ne, vt quondam, nimijs ſtudijs funus diui Iulij turbaſſent, ita Auguſtum in foro potius, quàm in campo Martis, ſede deſtinata, cremari vellent.

EST veriſsimum, ſæpe nimijs ſtudijs turbari, & impediri res amicorum, & dilectorum. Et experientia cognitum eſt, ob nimium ſtudium prouehendi amicos ad maximas dignitates, quoſdam viros penitus res eorum turbaſſe, & funditus euertiſſe.

Die funeris milites velut præſidio ſtetere: multum irridentibus, qui ipſi viderant, quique a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc ſeruitij, & libertatis improſpere repetitæ.

OMNIBVS in negotijs aggrediendis tempus, & occaſio ſpectari, & attendi debet. Hodie verbi gratia, feliciter conducitur ad exitum negotium, quod cras impoſsibile reddetur: & ſic econuerſo. Id in libertate repetenda, maxime refert: nam ſi opportune repetitur proſpere res cedunt, vt Romæ euenit ſub Regibus. Sin parum idoneo tempore, improſpere adeo cedit res, vt te multo grauiori iugo ſubdas, quod eiſdem Romanis ſub Caſare dictatore euenit.

cum occiſus dictator Cæſar, alijs peſſimum, alijs pulcherrimum facinus videretur.

MAGNA, & celebria facinora hoc conſequuntur, vt ſemper in ferendo de illis iudicio, alijs peſsima, alijs pulcherrima videantur: Hoc maxime cernitur in ciuitatibus, vbi magnæ vigent factiones, quæ non pro rei veritate, ſed proprio affectu impulſa plerumque iudicant: vt Romæ eueniebat antiquitus, & nunc etiam accidere ſolet.

nunc ſenem Principem longa potentia, prouiſis etiam heredum in Remp. opibus, auxilio, ſcilicet, militari tuendum, vt ſepultura eius quieta foret.

RIDICVLVM eſt, vereri, ne ſepultura tuta ſit illius Principis, qui ſenex, longa potentia, opes etiam heredum in Remp. prouiderit.

Multus hinc ipſo de Auguſto ſermo, plerisque vana mirantibus, quod idem dies accepit quondam imperij Princeps, & vitæ ſupremus: quod Nolæ in domo & cubiculo, in quo pater eius Octauius, vitam finiuiſſet. numerus etiam conſulatuum celebrabatur, quo Valerium Coruinum, & C. Marium ſimul æquauerat: continuata per ſeptem, & triginta annos tribunitia poteſtas; nomen Imperatoris ſemel atque vicies partum, aliaq. honorũ multiplicata, aut noua. At apud prudẽtes vita eius varie extollebatur, arguebaturue.

NVLLVS Princeps adeo exacte iuſtus aut bonus exiſtit, vt apud prudentes vita eius varie argui non poſsit: quorum eſt proprium ſcire, & extollere & reprehendere illorum vitas. Verum in æſtimando, & ponderando eius vitam, vana relinqui debent. vt eſt illud, inſigne aliquod facinus certis locis ac diebus, ijsq. recidiuis accidere: & ſimilia, quæ hic enumerat auctor noſter.

Hi pietate erga parentem, & neceſſitudine Reipub. in qua nullus tunc legibus locus, ad arma ciuilia actum, quæ neque parari poſſent, neque haberi per bonas artes.

ARMA ciuilia, neque parari, neque haberi poſſunt per bonas artes: hoc eſt: Nefas eſt concire bellum ciuile, adeo vt boni ciues ſæpe exilium voluntarium potius ſuſceperint, quam ad arma veniendo, inimicis ſuis reſiſtere voluerint: vt COSMVM MEDICEM Magnum appellatum, feciſſe Florentiæ legitur.

Multa Antonio, vt interfectores patris vlciſceretur, multa Lepido conceſſiſſe:

SI in mortalium animis vindicta deſiderium accenditur, ad hanc conſequendam quid non committitur? ea eſt enim eius dulcedo, ſecundum Philoſophum, vt per fas & nefas tranſuerſos hominum affectus rapiat, & concitet. Certe quod hic de Auguſto traditur, id noſtris temporibus in aliquibus Principibus vidimus: qui vt proprias iniurias vlciſcerentur, illicita multa conceſſerunt aliquibus nefarijs ſubditis, qui ſe id patraturos pollicebantur.

poſtquam hic ſocordia ſenuerit, ille per libidines peſſum datus ſit;

CVM amuli tui aut ſocordia ſeneſcunt, aut per libidines peſſundantur; tunc tibi aulice, optima offertur occaſio res tuas prouehendi, & illos deprimendi. Proinde occulatus ſemper eſto: vt ea occaſione bene vtaris: citra proximi tamen incommodum.

non aliud diſcordantis patriæ remedium fuiſſe, quàm vt ab vno regeretur.

QVANDO inter plures animos diſcordes regimen Reip. eſt incertum, non aliud melius inueniri poteſt remedium, quàm ab vno regi.

Non regno tamen, neque dictatura, ſed principis nomine conſtitutam Rempub. mari Oceano, aut amnibus longinquis ſeptum imperium:

QVI nuper in ciuitate libera principatum occupauit; ſi tutus eſſe velit, & maximus princeps, euadere hac, aut ſimilia obſeruet: odioſis populo titulis abſtineat, longinquis finibus ſepiat imperium, legiones, prouincias, claſſes, cuncta inter ſe connectat, Ius apud ciues, modeſtiam apud ſocios ſeruet, vrbem ipſam magnifico ornatu illuſtret, pauca admodum vi tractet, quo ceteris quies ſit.

Legiones, prouincias, claſſes, cuncta inter ſe connexa: ius apud ciues, modeſtiam apud ſocios,

VNIO fortis eſt, diuiſio fragilis: & huc pertinet hiſtoria de Sciluro illo Scitha, qui faſciculum virgarum, ſeu iaculorum, moriens, ad ſe iuſſit afferri filijs, quos octoginta numero habebat, imponens, vt eum rumpere tentarent. Id quum ſinguli recuſaſſent, eo quod videretur impoſſibile, ipſe ſingula iacula exemit, atque ita facile confregit omnia: filios admonens his verbis, ſi concordes eritis, validi inuictique manebitis: contra, ſi diſsidijs & ſeditione diſtrahemini, imbecilles eritis & expugnatu faciles.

vrbem ipſam magnifico ornatu:

NON eſt ſilenda hoc loco eximia laus SIXT. V. Pont. Max. qui intra annum, & obeliſcum e loco humili, in celebrem transferendo; & aquas e longinquis partibus ad Vrbem ducendo: & vias opportunas, & inſignes aperiendo, magnifico ornatu Romam, vt hactenus illuſtrauit, ſic indies illuſtrare pergit. Et tale eſt conſilium, quod in pulcherrima oratione Mæcenas dat Auguſto apud Dionem lib. lij.

pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies eſſet.

HOC etiam leges iubent: vt pauca vi tractentur, quo ceteris quies ſit, praſertim ſi ea ſint tempora, in quibus nefariorum hominum graſſetur audacia. Et hoc etiam eximie vt cetera, adimpleuit praedictus Pontifex SIXT. V. in Pontificatus ſui initio. Nam cum Prouincias omnes Eccleſia diſſolutas, & inquiete agentes offendiſſet, aliquorum ſceleratorum ſeuero ſupplicio, ceteris omnibus quietem reſtituit.

Dicebatur contra, pietatem erga parentem, & tempora Reipublicæ obtentui ſumpta:

AD iniuſta facinora exequenda, ſemper obtentui ſumuntur iuſta cauſſa: vt hoc colore gentes libentius te & tua facta approbent.

ceterum cupidine dominandi concitos per largitionem veteranos; paratum ab adoleſcente priuato exercitum; corruptas conſulis legiones,

DEVS auertat, vt in aliquo cupido dominandi inſideat: nam poſtquam inſederit, nihil pro illicito ducet, fortunarum & ſanguinis alieni nullam habebit rationem: & omne ius violare pro nihilo ducet, ſecundum Tragicam ſententiam Etheoclis.

ſimulatam Pompeianarum gratiam partium:

SIMVLARE, & diſsimulare adeo proprium Principum exiſtimatur; vt qui has partes exercere neſcierit, illum nec ad regnandum aptum eſſe multi opinentur. Sed id nec eſt omnino verum; & admodum iudicioſe fieri conuenit.

mox

mox vbi decreto patrum, faſces, & ius prætoris inuaſerit, cæſis Hircio & Panſa, ſiue hoſtis illos, ſeu Panſam venenum vulneri adfuſum, ſiue milites Hircium, & machinator doli Cæſar abſtulerat, vtriuſque copias occupauiſſe:

AB vna ad alteram naturam deſcendere abſque opportunis & requiſitis medijs eſt inutile, & ſæpiſſime pernicioſum: Sed in hoc Auguſtum imitari oportet: qui quoad ſine auctoritate, & viribus fuit, ſe alium ſimulauit ad hoſtes debellandos: verum, poſtquam viribus & auctoritate auctus eſt, ſuam repente naturam inducendo, eos aggreſſus eſt, & e medio ſuſtulit.

extortum inuito ſenatu conſulatum; armaq. quæ in Antonium acceperit, contra Remp. verſa; proſcriptionem ciuium, diuiſiones agrorum, ne ipſis quidem qui fecere, laudatas.

ADEO inuiſa ſunt omnibus ſcelera: vt ne ipſi quidem, qui ea admittunt, laudare illa, in animum inducere poſſint.

ſane Caſſij & Brutorum exitus paternis inimicitijs datos, quamquàm fas ſit priuata odia publicis vtilitatibus remittere,

EST boni & prudentis ciuis, priuata odia publicis vtilitatibus remittere.

ſed Pompeium imagine pacis, ſed Lepidum ſpecie amicitiæ deceptos.

NVLLA re melius hoſtes decipiuntur, quàm imagine pacis, & ſpecie amicitiæ, ſed ſemper fugienda eſt hæc de hoſtibus victoria.

poſt Antonium Tarentino Brunduſinoq. fœdere, & nuptijs ſororis in lectum ſubdolæ adfinitatis pœnas morte exoluiſſe.

SAEPE tyranni, quos hoſtes alia ratione tollere non poſſunt, eos nuptijs propinquarum alliciunt; & ſic ſubdola affinitate peruertunt. Id malum & ſceleſtum admodum iudicari debet. Quod conſiderans Federicus Aragonius Neap. Rex, noluit filiam in matrimonium dare Cæſari Borgiæ; quem ſciebat nulla alia de cauſſa illam capere velle, quàm vt commodius illi Regnum eripere poſſet: & ſic maluit hoſtiliter Regno ab Inimicis ſpoliari, quàm ſub dolæ affinitatis pœnas luere. Franciſcus Guicciardinus lib. Hiſt. Italic. iiij.

pacem ſine dubio poſt hæc, verum cruentam, Lollianas, Varianasq. clades, interfectos Romæ Varrones, Egnatios, Iulos.

PAX cruenta peior eſt bello: in hoc enim ab inimicis, in illa ab amicis lædimur.

Nec domeſticis abſtinebatur: abducta Neroni vxor, & conſulti per ludibrium Pontifices, an concepto, necdum edito partu rite nuberet: qui Atedij & Vedij Pollionis luxus: poſtremo Liuia grauis in Remp. mater, grauis domui Cæſarum nouerca:

VIVANT ſic ſemper Principes, tamquam vniuerſus orbis eos conſpiciat. Nam omnia eorum domeſtica facta innoteſcunt; cum omnium oculi, & cura, ad illorum ſecretam vitam inquirendam ſint directa: & nihil eorum quæ agunt, ob illorum excelſiorem ſtatum poſſit occultari, ſunt enim lux mundi: Et non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Matth. 5. Proinde luceat lux illorum coram hominibus: vt videant opera ipſorum bona, & glorificent patrem, qui in cælis eſt. Matth. ibid.

nihil deorum honoribus relictum, cum ſe templis & effigie numinum per flamines, & ſacerdotes coli vellet.

RELIGIO, & Dei honor ante omnia cordi Principi eſſe debet.

ne Tiberium quidem charitate, aut Reip. cura ſucceſſorem adſcitum, ſed quoniam adrogantiã ſæuitiamq. eius introſpexerit, comparatione deterrima ſibi gloriam quæſiuiſſe.

QVAERERE ſibi gloriam comparatione deterrima, numquam eſt laudandum: vt Auguſtus in relinquendo Tiberio ſucceſſore inſimulatus eſt.

Etenim Auguſtus paucis ante annis, cum Tiberio tribunitiam poteſtatem a Patribus rurſum poſtularet, quamquam honora oratione, quædam de habitu cultuque, & inſtitutis eius iecerat, quæ velut excuſando exprobraret.

ARTIFICIOSA ſpecies exprobrandi vitia alicui eſt, cum quaſi eum excuſes, loqueris. Sicut etiam quando accuſas,& videris laudare. Aulicis Romæ multum peculiaria vtraque ſunt.

Ceterum ſepultura more perfecta, templum & cæleſtes religiones decernuntur. Verſæ inde ad Tiberium preces. & ille varie diſſerebat, de magnitudine imperij, ſua modeſtia: ſolam diui Auguſti mentem tantæ molis capacem,

AD recte gubernandum Imperium, mente opus eſt magnæ molis capaci.

ſe in partem curarum ab illo vocatum experiendo didiciſſe,

ID vere ſcitur, quod experientia diſcitur: quæ ſola eſt rerum magiſtra.

quàm arduum, quàm ſubiectum fortunæ regendi cuncta onus:

VTINAM ſemper Principes in animo hanc auream ſententiam haberent, nempe: quòd arduum & caſibus ſubiectum eſt cuncta regendi onus, nam a multis abſtinerent illicitis. Huc pertinet illius Regis ſcitum apophtegma: o nobilem magis,quàm felicem Pannum, de Regio inſigni diademate loquendo, ſed quem nemo humi iacentem tollere vellet, ſi penitus cognoſceret, quàm multis ſolicitudinibus, & periculis, & miſerijs ſit refertus. Valerius Maximus lib. vij. cap. ij.

proinde in ciuitate tot illuſtribus viris ſubnixa, non ad vnum omnia deferrent: plures facilius munia Reip. ſociatis laboribus executuros.

MVNIA ciuitatis commodius per plures ſociatis laboribus exequuntur, quàm ſi ad vnum omnia deferantur.

Plus in oratione tali dignitatis, quàm fidei erat.

SAEPISSIME in Principum orationibus plus dignitatis, quàm fidei ineſt.

Tiberioq. etiam in rebus quas non occuleret, ſeu natura, ſiue adſuetudine, ſuſpenſa ſemper & obſcura verba. tunc vero nitenti, vt ſenſus ſuos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur.

QVANTO plus quis in ſermone nititur, vt ſenſus ſuos penitus abdat; in incertum, & ambiguum magis implicatur.

At patres quibus vnus metus, ſi intelligere viderentur, in queſtus, lacrymas, vota effundi, ad Deos, ad effigiem Auguſti, ad genua ipſius manus tendere,

PERICVLOSVM eſt credi a Principe, te illius mentem, quando ipſe nolit intelligere. Ideo prudens aulicus hanc ſuſpicionem a Principe, cum quo rem habebit, ſi huius erit natura, ſtudioſe auertat. Secus enim ſibi malum quæret. In hunc modum loquitur auctor noſter ſæpe. Sic infra lib. xiiij. Annal. de Agrippina, inquit: Simul ſuum vulnus aſpiciens, ſolum inſidiarum remedium eſſe, ſi non intelligerentur, & quæ ſequuntur. Et lib. iiij. Hiſt. inquit: Intelligebantur artes, ſed pars obſequij in eo, ne deprehenderentur. Et infra lib. ij. Annal. de Archelao Cappadocia Rege loquendo, inquit: Ille ignarus doli, vel ſi intelligere crederetur, vim metuens. & quæ ſequuntur.

cum proferri libellum, recitariq. iuſſit. Opes publicæ continebantur, quantum ciuium, ſociorumq. in armis, quot claſſes, regna, prouinciæ, tributa, aut vectigalia, & neceſſitates, ac largitiones. Quæ cuncta ſua manu perſcripſerat Auguſtus,

PRINCEPS ante omnia ſemper manu ſua conſcribat, quanta ſint opes publicæ; quantum ciuium ſociorumque in armis; quot claſſes, regna, prouinciæ, tributa, aut vectigalia, & neceſſitates ac largitiones: vt ad omnem occaſionem, in promptu ſit. Talem libellum feciſſe diligentiſſime dicitur COSMVM MEDICEM HET. M. DVCEM SERENISSIMVM quem FRANCISCVS filius hodie regnans ſemper in ſcrinio tenet, ac legit, exemplo omnium Principum, qui ſuccedunt alteri: vt hic Tiberius cum libello Auguſti fecit.

addideratq.

addideratq. conſilium, coercēdi intra terminos imperij, incertum metu an per inuidiam.

CALLIDVS Princeps, qui recenter principatum adeptus eſt, & timet iure, & ſæpe inuidet. Timet ob id, ne ſua culpa de imperio aliqua diminutio fiat, idq. ſibi adſcribatur; vnde illi infamia. Inuidet porro ſtrenuis ac fortibus viris, quorum opera magnis in rebus vti neceſſario deberet. Hinc fit, vt plerumque. abſtineat bellis externis, & incurioſus propagandi imperij ſit, eam vt illius infamia periculum declinet: quàm ne his in manu det validos exercitus, vnde ipſum depellere e Principatu poſsint: Vt in ſequentium Imperatorum temporibus non ſemel accidit.

Inter quæ ſenatu ad infimas obteſtationes procumbente, dixit forte Tiberius: ſe, vt non toti Reip. parem, ita quæcumq. pars ſibi mandaretur, eius tutelam ſuſcepturum.

MEMORABILIS eſt illa Agaſiclis Lacedæmoniorum Regis reſponſio. Qui interrogatus a quopiam, quo modo poſſet aliquis tuto imperare nullo ſtipatus ſatellitio? dixit: ſi ſic imperet ſubditis ſuis, quemadmodum pater imperat liberis. Et ex hoc Tiberij dicto diſcere debent Principes, ſe tutores, non dominos ſubditorum eſſe. Nam ſi tutori, exacto tutelæ tempore, reddenda eſt ratio adminiſtrationis ipſi minori: Princeps ipſe exacto vitæ ſuæ tempore tenetur illam reddere Domino DEO, qui iudicij vniuerſalis tempore ſanguinem ſubditorum, qui ex malo negligentium, & ſui officij immemorum Principum regimine, peribunt; de manibus eorum ſeuere requiret & vindicabit. In hanc ſententiam infra lib. xy. Annal. Claudius Meherdatem alloquendo, & dando ei præcepta, admonuit: vt non dominationem & ſeruos, ſed Rectorem & Ciues cogitaret.

Tum Aſinius Gallus, interrogo, inquit, Cæſar quam partem Reip. mandari tibi velis?

IMPRVDENTIS eſt ſcandere velle ſuper Principem, vt hic Aſinius Gallus cum Tiberio.

Perculſus improuiſa interrogatione paulum reticuit.

ETIAM callidos, & verſutos viros improuiſæ interrogationes percellunt, ac elingues reddunt.

dein collecto animo reſpondit: Nequaquam decorum pudori ſuo, legere aliquid, aut euitare, ex eo, cui in vniuerſum excuſari mallet.

LEGERE, aut euitare aliquid ex eo, cui in vniuerſum excuſari mauis, indecorum eſt pudori.

Rurſum Gallus, etenim vultu offenſionem coniectauerat,

HEV quàm difficile eſt, crimen non prodere vultu? inquit ille. Sic ſupra: Multa indicia ſæuitia quamquam premantur, erumpere, de eodem loquens.

non idcirco interrogatum ait,

SIMVLAC prudens aulicus cognoſcit ſe in offenſionem Principis inaduertenter incidiſſe; nil moretur, eum quoquo modo lenire; recondunt enim alte offenſas Principes, quas ſuo tempore multo grauius expromunt.

vt diuideret, quæ ſeparari nequirent:

QVAE ſeparari nequeunt, non ſunt diuidenda: plus eſt enim diuidere, quàm ſeparare.

ſed vt ſua confeſſione argueretur, vnum eſſe Reip. corpus, atque vnius animo regēdum.

RESPVBLICA eſt vnum corpus, atque vnius animo regi debet. Sapientiorum ſententiæ huc inclinant: inter omnia dominationum genera, eligendum, vt potiorem, vnius dominatum. Et ratio eſt in promptu: nam facilius vnus bonus inuenitur, quàm multi. Vide Plut. in tract. de vnius dominatu.

Addidit laudem de Auguſto, Tiberiumq. ipſum victoriarum ſuarum, quæque in toga per tot annos egregie feciſſet, admonuit.

SAEPE geruntur in toga res, quæ victorijs bello partis non ſolum æquantur, ſed præferuntur. Nam, vt ait Cicero. j. Offic. Non minorem vtilitatem afferunt, qui togati præſunt publice, quam qui bellum gerunt.. Itaque eorum conſilio ſæpe, aut ſuſcepta, aut confecta bella ſunt, & quæ ſequuntur. Et in Catone Maiore inquit: Dux ille Græciæ numquam optat,

 vt Aiacis

vt Aiacis ſimiles decem habeat, ſed vt Neſtoris: quodſi acciderit, non dubitat, quàm Troia ſit breui peritura.

Nec ideo iram eius leniuit

IRA Principis difficulter lenitur, quando altius egit radices. Nam ſecundum Homerum: Ira magna eſt diuorum Regum: ac etiam poſtea idem: Iram ſeruat, donec efficiat. Ratio adducitur ab Ariſt. 2. Rhet. nam propter excellentiam moleſte ferunt, ſe non magni fieri.

pridem inuiſus, tamquam ducta in matrimonium Vipſania M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberij vxor fuerat, pluſquam ciuilia agitaret,

VIRI priuati qui cum mulieribus quondam Principum vxoribus vel Principum affinibus, matrimonium contrahunt, pluſquam ciuilia agitare præſumuntur. Recte ideo COSMVS MAGNVS MEDICES, qui primus Sereniſſimæ huic familiæ amplitudinem peperit, vt ciues ſuos a tali ſuſpicione liberaret quibus alioquin, vt Princeps eminebat; filiarum, quas habebat, nullam in matrimonio Principi alicui, quamuis rogatus, dedit: & ſimiliter filio vxorem in ciuitate ſua honeſto loco natam copulare voluit, externorum Principum filias, quæ illi offerebantur, reſpuendo.

Pollioniſq. Aſinij patris ferociam retineret.

RARO fit, vt cum bonis fortuna, etiam multas animi qualitates filij a patribus non retineant, præſertim ex illis, quæ potius mala quàm bona ſunt.

Poſt quæ L. Arruntius haud multum diſcrepans a Galli oratione perinde offendit, quamquam Tiberio nulla vetus in Arrunrium ira; ſed diuitem, promptum artibus egregijs, & pari fama publice ſuſpectabat.

TYRANNIS, & Principibus nouis ſemper ſuſpecti ſunt diuites viri, prompti artibus egregijs, & pari fama publice.

Quippe Auguſtus ſupremis ſermonibus cum tractaret, qui nam adipiſci principem locum, ſuffecturi abnuerent, aut impares. vellent, vel idem poſſent cuperentque,

SOLENT ſæpe Principes in priuatis ſermonibus tractando, ſuper futuro Succeſſore differere: præſertim quando non hereditatis iure, ſed electionis, illi ſubrogantur. Sic GREGORIVM XIII. paucis ante mortem menſibus cum priuato amico diſſerentem, ferunt, Succeſſorem ſibi Cardinalem Illuſt. de MONTALTO, qui nunc eſt SIXT. V. in quantum humana coniectura aſſequi poterat, certo futurum prædixiſſe, cum de nonnullis alijs prudenter, id non eſſe ſperandum, cenſuiſſet.

M. Lepidum dixerat capacem, ſed aſpernantem, Gallum Aſinium auidum & minorem, L. Arruntium non indignum, & ſi caſus daretur, auſurum.

INTER homines tria eorum genera, quo ad dignitates gerendas, reperiuntur. Aliqui ſunt capaces, ſed aſpernantes: alij auidi, ſed minores: tertij non indigni, & ſi occaſio daretur, auſuri. Primum genus eſt optimum, quale fuit Abbatis illius Galli Claraualls: cui cum PIVS. V. purpureum galerum Cardinalitiæ dignitatis inſigne, ob eximias illius virtutes, miſiſſet, ille aſpernatus eſt: ſed poſtea obedientiæ virtute coactus eſt illum accipere. Secundum genus eſt peſſimum, ambitionis plenum: cuius generis multos quotidie Romæ cernere licet, qui per malas artes ad virtutis debitos honores prouehi ſtudent, & conantur. Tertium eſt bonum: & prudentis eſt aulici id officium; ſe quidem reddere non indignum: ſed niſi detur occaſio, numquam aggredi, nec audere. Infructuoſe enim laborando, exiſtimatio penitus amittitur.

De prioribus conſentitur. pro Arruntio quidam Cn. Piſonem tradidere. omneſque, præter Lepidum, varijs mox criminibus, ſtruente Tiberio, circumuenti ſunt.

STVDEAT quicumq. ſub tyranno viuit, illi gratus eſſe, & illius bonam opinionem adipiſci. Nam ſecus, quamuis non pecces, ipſi numquam deerit occaſio varia crimina ſtruendi, & te circumueniendi etiam ſuum odium priuatum obtegendo.

Etiam

Etiam Q. Haterius & Mamercus Scaurus ſuſpicacem animum perſtrinxere:

P*AVCI inueniuntur Principes, qui animum ſuſpicacem non habeant: vnde, niſi aduerteris, in ſermone, tuo cum damno perſtringuntur.*

Haterius cum dixiſſet: quouſq. patieris Cæſar non adeſſe caput Reipublicæ? Scaurus quia dixerat: ſpem eſſe ex eo, non irritas fore Senatus preces, quod relationi conſulum, iure tribunitiæ poteſtatis, non interceſſiſſet, In Haterium ſtatim inuectus eſt. Scaurum, cui implacabilius iraſcebatur, ſilentio tramiſit.

I*RAE implacabilis hoc eſt proprium, vt verba omittat, ſed tempus & occaſionem grauiter lædendi expectet. Ariſt. ij. Ret. Sic infra lib. iij. Hiſt. Auctor inquit: Inde graues ſimultates, quas Antonius ſimplicius, Mucianus callide, eoq. implacabilius nutriebat.*

Feſſuſque clamore omnium, ex poſtulatione ſingulorum, flexit paulatim, non vt fateretur ſuſcipi a ſe imperium, ſed vt negare, & rogari deſineret. Conſtat Haterium, cum deprecandi cauſa palatium introiſſet, ambulantiſq. Tiberij genua aduolueretur, prope a militibus interfectum, quia Tiberius caſu, an manibus eius impeditus, prociderat. Neque tamen periculo talis viri mitigatus eſt, donec Haterius Auguſtam oraret, eiuſque accuratiſſimis precibus protegeretur.

P*RECES mulierum Principis affinium, vt matris, ſororis, filiæ, & ſimilium, plurimum efficaciæ apud ipſum ſemper habent. Ideo prudens aulicus earum ſemper patrocinium habere ſtudeat, honeſtis medijs in hoc vtens.*

Multa patrum & in Auguſtam adulatio, alij parentem, alij matrem patriæ appellandam, plerique vt nomini Cæſaris adſcriberetur, Iuliæ filius, cenſebant.

A*DVLATIO, quæ ineunte Principatu immoderatiſſima eſſe ſolet, non modo Principis ſolam perſonam, verum eos omnes, qui apud ipſum plurimum poſſe creduntur, complectitur. Sic infra Annal. lib. vi. in oratione Terentij Varronis: Spectamus porro quæ coram habentur, cui ex te opes, honores; quis plurima iuuandi, nocendiue potentia: quæ Seiano fuiſſe, nemo negauerit. Et paulo inferius in eadem oratione: Etiam Sutrium atq. Pomponium venerabamur libertis quoque, ac ianitoribus eius noteſcere pro magnifico accipiebatur.*

Ille moderandos feminarum honorem dictitans,

C*VM feminæ natura mobiles, & vanæ ſint, honores earum moderandi ſunt.*

eademq. ſe temperantia vſurum in his, quæ ſibi tribuerentur,

N*OVO Principi conuenit ad ſecuritatem propriam vti magna temperantia in ijs honoribus, qui ſibi tribuuntur. Magnam enim per ſe recens principatus inuidiam illi conflat; quam augere malum, declinare vero vtile illi ſemper erit. Huc pertinent, quæ apud Dionem lib. lij. dicit Mæcenas Auguſto: Iam quod ad te ipſum attinet nihil inſolens, aut ſuperbum admittere debes, tibi vel ab alijs, vel a Senatu verbis aut re oblatum: & quæ ſequuntur.*

ceterum anxius inuidia, & muliebre faſtigium in diminutionem ſui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni paſſus eſt: aramq. adoptionis, & alia huiuſcemodi prohibuit.

P*RINCEPS ne patiatur aliquem etiam ſibi maxime propinquum, nimijs honoribus decorari: nam aliorum faſtigium in ſui diminutionem vertitur: ſed quaſi aliud agat, id perficiat: ne internum timorem oſtendat: vt Tiberius erga matrem.*

At Germanico Cæſari proconſulare imperium Petiuit;

C*LAROS Viros, & optime de ſe & Rep. meritos numquam Princeps debitis honoribus fraudet: periculoſum eſt enim, viris bonis occaſionem dare innouandi: quæ haud dubie datur, cum meritis honores eis adimuntur.*

miſſiq.

miſſiq. legati qui deferrent,

SERVATVR etiam hodie mos mittendi per legatos abſentibus dignitates: vt Pontifices Maximi ſolent cum nouis Cardinalibus abſentibus, illis purpureum pileum per internuncios mittendo.

ſimul mæſtitiam eius, ob exceſſum Auguſti, ſolarentur:

VSITATVM eſt, cum Princeps moritur, vt ceteri Principes mittant, ad eius propinquiores, legatos, qui eorum mæſtitiam ob Principis obitum ſolentur. Paſſim a Principibus hodiernis retinetur hæc conſuetudo.

quominus idem pro Druſo poſtularetur, ea cauſa, quòd deſignatus conſul Druſus, præſensq. erat. Candidatos præturæ duodecim nominauit, numerum ab Auguſto traditum: & hortante ſenatu, vt augeret, iureiurando obſtrinxit, ſe non exceſſurum.

NISI magna vtilitatis ratio euidens appareat, numquam Princeps decreta & ordines anteceſſoris immutet, vel reſcindat. Ad exiſtimationem enim Principatus pertinet, ſeruari, quæ Princeps ſtatuit: & hoc trahitur in exemplum apud ſucceſſores. Sic Tiberius erga Auguſtum ſe geſſit.

Tum primum e campo comitia ad patres tranſlata ſunt. Nam ad eam diem, etſi potiſſima arbitrio principis, quædam tamen ſtudijs tribuum fiebant.

PRINCEPS nouus, vt ſupra dictum eſt, non ſtatim faciem priſci ſtatus inuertere debet: ſed coalita eius poteſtate, paulatim ad ſe præcipua trahendo, ius populi imminuere ſolet, absque tumultus periculo.

Neque populus ademptum ius quæſtus eſt, niſi inani rumore:

RARO accidit, vt querelæ populi non ſint inanes, & eius rumores ſpernendi: quibus Principem commoueri non decet; etſi illius conſenſum ſpernere non debeat.

& ſenatus largitionibus ac precibus ſordidis exolutus, libens tenuit, moderante Tiberio, ne plures, quàm quatuor candidatos commendaret, ſine repulſa & ambitu deſignandos. Inter quæ tribuni plebei petiuere, vt proprio ſumptu ederent ludos, qui de nomine Auguſti Faſtis additi Auguſtales vocarentur, ſed decreta pecunia ex ærario, vtq. per circum triumphali veſte vterentur, curru vehi haud permiſſum. Mox celebratio annua ad prætorem tranſlata, cui inter ciues, & peregrinos iuriſdictio eueniſſet. Hic rerum vrbanarum ſtatus erat, cum Pannonicas legiones ſeditio inceſſit, nullis nouis cauſis, niſi quòd mutatus princeps licentiam turbarum,

HOC ſemper ſequitur mutationem Principis; licentia turbarum apud milites. Idq. præcipue euenire ſolet, cum principatus nondum eſt adultus & confirmatus.

& ex ciuili bello ſpem præmiorum oſtendebat:

SPES præmiorum etſi ex omnibus bellis oſtendatur, præcipue tamen id ex ciuilibus euenit: qua ſpe ſolent inter ceteras artes illi, qui bella ciuilia commouent, in ſuas partes trahere multitudinem, & factionem augere.

Caſtris æſtiuis tres ſimul legiones habebantur, præſidente Iunio Blæſo, qui fine Auguſti, & initijs Tiberij auditis, ob iuſtitiam, aut gaudium intermiſerat ſolita munia.

NVMQVAM intermittat ſolita munia, qui regimen aliquod habet ſiue Rex, ſiue Princeps, ſiue exercituum dux: nam eo principio ſubditi laſciuiunt. Idem præceptum vtile erit marito erga vxorem, patri familias erga ſeruos, & ſimiles.

Eo principio laſciuire miles, diſcordare, peſſimi cuiusq. ſermonibus præbere aures, denique luxum & otium cupere, diſciplinam & laborem aſpernari.

HI ſunt gradus ſeditionum in exercitu: laſciuit miles, diſcordat, peſſimo cuique præbet aures, denique luxum & otium cupit; labores & diſciplinam aſpernatur.

Erat

Erat in caſtris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles,

SEDITIONIBVS concitandis opportuni ſunt vrbani milites: id eſt qui ex vrbe ad militiam ſcribuntur, lingua procaces, & miſcendis cœtibus aſſueti: præſertim cum malis moribus, & infames vitæ ſunt, quales eſſe hiſtriones, & qui artem ludicram profitentur; abunde docent Iuriſconſulti in tit. ff. de his qui not. infam.

procax lingua, & miſcere cœtus hiſtrionali ſtudio doctus.

FERME ſemper procacitas linguæ, malos mores arguit.

Is imperitos animos, & quænam poſt Auguſtum militiæ conditio ambigentes, impellere paulatim nocturnis conloquijs,

HAVD difficulter a verſuto & facundo homine impelluntur imperitorum animi; qui ob inopiam indicij, recta a prauis, vera a falſis neſciunt diſtinguere.

aut flexo in veſperam die, & dilapſis meliotibus, deterrimum quemque congregare.

TENEBRAE aptiſsima ſunt ad concitandas ſeditiones: & ideo earum auctores ſemper noctu eas aggrediuntur: eo enim tempore meliores, quorum pudore detinerentur, dilapſi ſunt.

Poſtremo promptis iam & alijs ſeditionis miniſtris, velut concionabundus interrogabat, cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis, in modum ſeruorum obedirent?

CONFERENDA eſt hæc Percennij concio cum Manliana illa ad plebem Romanam, quæ habetur apud Liuium lib. vi. Hiſt. Dec. j. ferme enim eadem eſt.

quando auſuros expoſcere remedia, niſi nouum, & nutantem adhuc principem precibus, vel armis adirent?

MVLTA facilius impetrantur a nouo, & nutanti Principe, quàm ab antiquo, & confirmato. Initia enim omnia principatuum, gratiarum plena ſunt. Et qui nondum ſtabilitus in ſolio eſt, omnium animos demereri ſtudet, nihil alicui negando.

ſatis per tot annos ignauia peccatum, quòd tricena, aut quadragena ſtipendia ſenes, & plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent.

ERVBESCENDA militibus ſunt maxime peccata, quæ per ignauiam committuntur. Propria enim illorum virtus eſt, fortitudo.

ne dimiſſis quidem finem eſſe militiæ, ſed apud vexillum retentos, alio vocabulo, eoſdem labores perferre:

PRVDENS Princeps immutando aliter vocabula, facile efficiet, vt ſubditi ſui eoſdem labores tolerent, & idem ſeruitium præſtent.

ac ſi quis tot caſus vita ſuperauerit, trahi adhuc diuerſas in terras, vbi per nomen agrorum vligines paludum, vel inculta montium accipiant.

PALVDVM vligines, vel montium inculta nomine agrorum non veniunt. Et ſic loquitur Auctor infra lib. xy. Annal. inquiens: An vt æmulationis ſuſpectos per nomen obſidum amoueret.

Enim vero militiam ipſam grauem, infructuoſam: denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari: hinc veſtem, arma, tentoria, hinc ſæuitiam centurionum, & vacationes munerum redimi. at hercule verbera, & vulnera, duram hiemem, exercitas æſtates, bellum atrox, aut ſterilem pacem, ſempiterna:

ELEGANTER hic effingitur militiæ onus. Eſt grauis, infructuoſa: leui ſtipendio in diem anima, & corpus militis æſtimatur: hinc veſtis, arma, tentoria: hinc ſeruitia Centurionum, & vacatio munerū redimitur. Sed verbera, vulnera, dura hiemes, exercita æſtates, bellum atrox, aut pax ſterilis ſunt ſempiterna. Sic infra li. j. Hiſt. inquit: diuque infructuoſam et aſperā militiā tolerauerat.

nec

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nec aliud leuamentum, quàm ſi certis ſub legibus militia iniretur; vt ſingulos denarios mererent; ſextuſdecimus ſtipendij annus finem adferret; ne vltra ſub vexillis tenerentur, ſed ijſdem in caſtris præmium pecunia ſolueretur. An prætorias cohortes, quæ binos denarios acceperint, quæ poſt ſexdecim annos penatibus ſuis reddantur, plus periculorum ſuſcipere? non obtrectari a ſe vrbanas excubias, ſibi tamen apud horridas gentes e contubernijs hoſtem aſpici. Adſtrepebat vulgus diuerſis incitamentis; hi verberum notas, illi caniciem, plurimi detrita tegmina, & nudum corpus exprobrantes.

FACILE vulgus diuerſis incitamentis commouetur: & ad deterrima quaque ſe libenter adplicat.

Poſtremo eo furoris venere: vt tres legiones miſcere in vnam agitauerint.

SICVT eniti ſolet ille, qui alterum perdere ſtudet, vt illius vires, quantum poteſt, diſgreget & diſpergat: ita qui magnum aliquod & arduum facinus aggreditur, quicquid habet roboris & virium, in vnum corpus redigere debet, ne perrumpi poſſit, & infringi.

Depulſi æmulatione, quia ſuæ quiſque legioni eum honorem quærebant, alio vertunt, atque vna tres aquilas, & ſigna cohortium locant, ſimul congerunt ceſpites, extruunt tribunal, quo magis conſpicua ſedes foret.

AD leuandas diſcordias, conducit ſæpe æmulatio: quæ plus vtique poteſt, quàm ſeditio, & furor: vt hic in legionibus Pannonicis euenit. Et ideo prudenter, etſi alia de cauſſa, Mæcenas Auguſtum conſulit, vt duos Præfectos prætorij ſibi conſtituat: vt ſi vnus inſidias tendere velit, alter æmulus Principem cuſtodiat, & illum in fide contineat. Dio. lib. lij. Hiſt.

Properantibus Blæſus aduenit, increpabatque, ac retinebat ſingulos, clamitans, mea potius cæde imbuite manus: leuiore flagitio legatum interficietis; quàm ab imperatore deſciſcitis:

AB Imperatore deſciſcere, grauius eſt flagitium, quàm legatum eius interficere. Vnde arguitur, quòd læſio maieſtatis Principis, quæ haud dubie a deficientibus ab ipſo committitur, omnia atrociſsima crimina exuperat. Vide Iuris conſultos in tit. Ad leg. Iul. maieſt. per totum.

aut incolumis fidem legionum retinebo, aut iugulatus pœnitentiam adcelerabo. Aggerebatur nihilominus ceſpes. iamq. pectori vſque adcreuerat, cum tandem peruicacia victi incœptum omiſere.

OMNES difficultates in negotijs ferme ſuperat ſemper viri peruicacia: quæ a pertinacia in hoc differt: quòd illa ſæpe eſt bonarum rerum perſeuerantia: quomodo eam nunc intelligit Tacitus; hæc vero ſemper malarum.

Blæſus multa dicendi arte,

ET quis dubitat, Duci exercituum maxime neceſſariam eſſe eloquentiam? Certe, ſi veteres magnos exercituum duces memoria repetamus, eos omnes eloquentiſsimos fuiſſe inueniemus.

non per ſeditionem & turbas deſideria militum ad Cæſarem ferenda ait: neque veteres ab imperatoribus priſcis, neque ipſos a diuo Auguſto tam noua petiuiſſe,

DESIDERIA militum, & ſubditorum ad Principem non ſunt ferenda per turbas & ſeditionem: inferius enim eſt eius maieſtate, ea ſic adimplere Principem, quaſi coactus ſit. ſed preces, & obteſtationes ſubditorum ſupplices, vtriuſque conditioni conueniunt: illis, vt reuerentiam debitam exhibeant: huic, vt cum ſui decore illis ſatisfaciat.

& parum in tempore, incipientes principis curas onerari.

PARVM in tempore, incipientes curæ Principis onerantur: quo præcepto vtentes prudentes aulici Romani, non ſtatim ac Pontifex Maximus nouus creatus eſt, illi negotia, & res ſuas communicant. Sed aliquantulum temporis interlabi ſinunt, quo ille quaſi a graui labore quietus, placide & grate eos audire, ac morem gerere illis poſſit. Qui ſecus faciet, is hercle numquam res ſuas ad finem optatum perducet.

Si tamen

Si tamen tenderent in pace tentare, quæ ne ciuilium quidem bellorum victores expoſtulauerint, cur contra morem obſequij, contra fas diſciplinæ vim meditentur?

VIM meditari, eſt contra morem obſequij, & fas diſciplinæ: & ſicut Principis maieſtas nititur ſubiectorum obſequio, ac Reſpub. ſecuritas; ita fundamentum diſciplinæ militaris in militum obſequio conſiſtit: quo ſublato, dubium non eſt, quin intercidat, & militia & imperium.

decernerent legatos, ſeq. coram mandata darent.

DISCIPLINAE militaris ius requirit, vt nihil ab exercitu agatur, niſi coram & præſente Imperatore: Immo etiam auctore.

Adclamauere vt filius Blæſi tribunus legatione ea fungeretur, peteretq. militibus miſſionem ab ſexdecim annis: cetera mandaturos vbi prima proueniſſent.

QVI multa a Principe concedi deſiderat, non omnia ſimul petat: ſed partem illorum: quaſi prouenerint, cetera peti ſemper poterunt. Nam omnia petendo, facile eueniet, vt Princeps ea concedere grauetur; & ſic nihil impetrabit.

Profecto iuuene modicum otium: ſed ſuperbire miles, quòd filius legati orator publicæ cauſæ, ſatis oſtenderet, neceſſitate expreſſa, quæ per modeſtiam non obtinuiſſent.

PRAVORVM ingeniorum hoc eſt: vt quod illis datur benignitate & munere dantis, id ſibi deberi præſumant: & hinc ſuperbiant.

Interea manipuli ante cœptam ſeditionem Nauportum miſſi, ob itinera, & pontes, & alios vſus poſtquam turbatum in caſtris, accepere, vexilla conuellunt, direptiſq. proximis vicis, ipſoq. Nauporto, quod municipij inſtar erat, retinentis centuriones inriſu & contumelijs, poſtremo verberibus inſectantur, præcipua in Aufidienum Rufum præfectum caſtrorum ira, quem direptum vehiculo ſarcinis grauant, aguntq. primo in agmine, per ludibrium rogitantes, an tam immenſa onera; tam longa itinera libenter ferret?

DIFFICILE eſt dictu, quàm multos ſectatores habeant mala exempla: contrarium in bonis accidere perſpicitur. & notandi ſunt hi gradus iniuriarum, quos enumerat auctor noſter ordine: Inriſus, contumelia, & verbera. Vide Iuriſconſultos de his omnibus fuſe in tit. ff. de Iniurijs: per totum.

Quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox caſtris præfectus, antiquam, duramq. militiam reuocabat, inuictus operis ac laboris,

IS eſt optimus Dux & Princeps, qui ad dignitatem non alicuius dono, aut ſucceſſionis iure peruenit: ſed qui per omnes laborum gradus vitam ſuam tranſigendo, ad id faſtigium tandem euectus eſt. Prius enim obtemperando, quàm imperando, didicit quid ſit & imperare, & obtemperare. Et tales Principes vere ſunt inuicti laboris & operis. In PONT. MAX. SIXT. V. hoc exemplum comprobatur: qui primo monachus, exinde hæreticæ prauitatis Inquiſitor, poſtea Miniſter Generalis, inde Epiſcopus, ſucceſſiue Cardinalis, poſtremo Pont. Maximus ob ſuas eximias virtutes creatus fuit.

& eo immitior quia tolerauerat.

DVX qui ante priuatus miles, militiæ labores & pericula tolerauit, eo eſt in ſeruanda erga exercitum diſciplina immitior. Experientia enim cognouit, quantum iactura inferat corruptio in exercitum: & contra, quàm proſit ſeucritas, & rigor diſciplinæ.

Horum aduentu redintegratur ſeditio, & vagi circumiecta populabantur. Blæſus paucos maxime præda onuſtos ad terrorem ceterorum adfici verberibus, claudi carcere iubet.

IN ſeditione magna, vbi multi deliquerunt, expedit paucos, & eos ſeditionis principes ad terrorem aliorum plectere: idque, ſi fieri poteſt, in fragranti crimine: ne apud furentes ipſos ſeditioſos etiam excuſatio reperiri poſſit, quum aduerſus diſciplinam militarem peccatum ſit.

Nam

Nam etiam tum legato a centurionibus, & optimo quoque manipulatium parebatur. Illi obniti trahentibus, prenſare circumſtantium genua, ciere modo nomina ſingulorum, modo centuriam quiſque cuius manipularis erat, cohortem, legionem,

NVLLVS eſt melior eloquentia magiſter, quàm neceſsitas. Quæ imperitiſsimis etiam hominibus argumenta, & rationes perſuadendi efficaciſsimas ſuppeditare poteſt. Vt obſeruari in his gregarijs militibus ex auctore noſtro licet.

eadem omnibus imminere clamitantes:

SI cauſſæ tuæ aliquem conſociare velis, id nulla ratione melius aſſequi poteris, quàm illi tecum commune omne periculum oſtendendo. Adeo eſt enim fallax humanarum rerum conditio, vt cariſsimi etiam amici, qui tibi multis nominibus obſtricti ſint, in periculo tuo te deſerant: aut ſaltem de illis parum tibi polliceri poſsis: ſemper autem remaneant, qui tecum bonum & malum coniunctum habent: & tecum commune habeant intereſſe, vt vulgo dicitur.

ſimul probra in legatum cumulant, cœlum, ac deos obteſtantur; nihil reliqui faciunt, quo minus inuidiam, miſericordiam, metum, & iras permouerent.

QVATVOR affectuum genera, quibus mire homines commouentur, ſunt, odium, miſericordia, metus, & ira, Odium, quod hic pro inuidia intelligitur, commouebant hi milites contra præfectum, ipſos nimis ſeuere regentem: miſericordiam erga ſeipſos, indigne patientes: metum in ſocijs, ne ſimilia paterentur: iram in præfectum, propinquos, & ſocios lædentem. Ariſt. 2. Reth. de his fuſius.

Adcurritur ab vniuerſis; & carcere effracto, ſoluunt vincula: deſertoreſque, ac rerum capitalium damnatos ſibi iam miſcent.

SEMPER fere contingit, vt mala facilius perſuadeantur, quàm bona ob naturam noſtram, quæ ſponte ſua ad illa magis inclinat, & fertur.

Flagrantior inde vis, plures ſeditioni duces.

IN ſeditionibus hoc contingere ſolet, vt niſi illæ ab initio compeſcantur, adeo exardeſcant, vt vnius ducis vice, multi exurgant.

& Vibulenus quidam gregarius miles, ante tribunal Blæſi adleuatus circumſtantium humeris apud turbatos, & quid pararet intentos;

PRAETER multa alia mala, quæ e ſeditionibus proueniunt, hoc eſt miſerrimum, & a bonis deplorandum: quod in manu cuiuſque ſceleſtiſsimi ac deſpectiſsimi homuncionis eſt necem & perniciem clariſsimis viris, & Ducibus parare: vt Vibulenus hic Blæſo parum abfuit, quin eam parauerit.

vos quidem, inquit, his innocentibus, & miſerrimis lucem & ſpiritum reddidiſtis, ſed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit?

ARDENS, & efficax oratio eſt hæc Vibuleni ad commouendos ſeditioſos militum animos: & adeo ſpirituum plena, vt mirandum ſit ſub falſa materia talem extitiſſe.

quem miſſum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima iugulauit per gladiatores ſuos, quos in exitium militum habet atque armat?

NVMQVAM in bello Dux vtatur opera aliorum, quàm militum, ſi fieri poteſt: & neceſsitas illum non cogit. Gladiatores equidem arceri debent. De quibus lib. ij. Hiſt. de exercitu Othonis loquendo, inquit: Ac deforme inſuper auxilium, duo millia gladiatorum, ſed per ciuilia arma etiam ſeueris ducibus vſurpatum.

Reſponde, Blæſe, vbi cadauer abieceris; ne hoſtes quidem ſepulturam inuident.

SEPVLTVRAE honos numquam inuideri debet, nec negari hoſti ab hoſte. Exempla antiquorum habemus, Achillis erga Hectorem apud Homerum, & Creontis erga Polynicem inſepultum apud Sophoclem, deteſtanda improbatur inhumanitas in Tragœdia Antigone.

cum

cum oſculis, cum lacrymis dolorem meum impleuero,

ETSI lacrymæ, planctus, oſcula, & ſimilia nihil ad reparandam vitam defunctorum valent: tamen fragilitate humanæ naturæ adeo mortales conſolantur, vt illis pene dolor animi magnus impleatur.

me quoque trucidari iube, dum, interfectos nullum ob ſcelus, ſed quia vtilitati legionum conſulebamus, ij ſepeliant.

GLORIOSA eſt illorum mors, qui non ob propria ſcelera, ſed quia aliorum vtilitati conſulebant, interficiuntur. Hinc ſententia illa Periclis celeberrima in oratione ſua apud Tucydidem lib. ij. pro ijs qui Marathone occubuerant. Et huc pertinet reſponſio illa ſapiens Socratis Xantippæ vxori, quæ inter fletum, & lamentationem querebatur, quòd innocens perimeretur: Quid ergo? inquit: Nocenti mihi mori ſatius eſſe duxiſti? Val. Max. lib. vij. cap. ij.

Incendebat hæc fletu, & pectus atque os manibus verberans: mox disiectis, quorum per humeros ſuſtinebatur, præceps, & ſingulorum pedibus aduolutus, tantum conſternationis inuidiæq. conciuit, vt pars militum, gladiatores qui e ſeruitio Blæſi erant, pars ceteram eiuſdem familiam vincirent; alij ad quærendum corpus effunderentur; ac ni propere neque corpus vllum reperiri, & ſeruos, adhibitis cruciatibus, abnuere cædem, neque illi fuiſſe vmquam fratrem pernotuiſſet, haud multum ab exitio legati aberant.

QVAE ſub falſis fundamentis innituntur, diu ſubſiſtere non poſſunt: veritas enim proceſſu temporis aperiendo ambages, omnes machinationes disijcit. vt in his falſis calumnijs a Vibuleno Blæſo datis euenit: vnde notandum, quòd quanto vtiles ſunt in omni Republica accuſationes ad prauorum improbitatem detegendam, & puniendam: ita tanto exitioſæ ſunt calumniæ, quæ ſemper bonis & innocentibus pernicies ſtruunt.

Tribunos tamen, ac profectum caſtrorum extruſere. Sarcinæ fugientium direptæ. & centurio Lucillius interficitur, cui militaribus facetijs vocabulum, cedo alteram, indiderant: quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rurſus aliam poſcebat. Ceteros latebræ texere, vno retento Clemente Iulio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus, ob promptum ingenium.

ADEO in exiſtimatione apud omnes ſunt præclaræ animi dotes, vt ſæpe ob eas aliquis ab hoſtibus ſalutem inuenerit, qui alias interfectus fuiſſet. Vt huic Clementi euenit qui ob promptitudinem ingenij inter tantos qui interfecti fuerunt, ſolus viuus ſeruatus eſt. Hinc poteſt elici veriſſima concluſio, quòd ad demerendos Principum, vel Rerumpub. animos, oportet talibus præditum eſſe dotibus, qualium Princeps, ſiue Reſpub. tempore aliquo egere poſſit: & ex quibus aliquam vtilitatem capere valeat. Cum experientia doceat, nullum tam certum eſſe apud aliquem Principem pro te interceſſorem: quàm neceſſitatem, quæ illi de te incumbit. Hæc enim vrget, & obſtringit illum ad te ornandum, prouehendum, & augendum: quo maiori ſtudio illi operam tuam impendas.

Quin ipſæ inter ſe legiones octaua & quintadecuma ferrum parabant, dum centurionem cognomento Sirpicum, illa morti depoſcit, quintadecumani tuentur, ni miles Nonanus preces, & aduerſum aſpernantis minas interiecíſſet.

SAEPE quod preces non poſſunt, minæ operantur. Et ſic ſe gerere debent, qui lites, & rixas inter aliquos, cum arma ſumpſerunt, componere ſtudent: primum preces adhibere erga vtramque partem, ſi vero altera eas aſpernetur, minas intendere. Sic enim contumaces deterriti, ferociam ponent, & pacem amplectentur.

Hæc audita, quamquam abſtruſum, & triſtiſſima quæque maxime occultantem Tiberium perpulere,

PRINCEPS debet eſſe abſtruſus, & triſtiſſima quæque occultare: iuxta illud virgilianum.

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

vt Druſum filium cum primoribus ciuitatis, duabus. prætorijs cohortibus mitteret, nullis ſatis certis mandatis, ex re conſulturum.

QVANDO res abſentes ſunt dubiæ & incertæ, & periculum eſt in mora, tunc Princeps quantocius ad eas componendas debet mittere Primores vrbis, qui ex re, nullis ſatis certis mandatis, conſulant: & hi prudentia, & fide maxime inſignes eſſe debent: illa, vt calleant: hac, vt velint conſilia Principi maxime profutura, in arena, vt dicitur, capere.

& cohortes delecto milite ſupra ſolitum firmatæ. Additur magna pars prætoriani equitis, & robora Germanorum, qui tum cuſtodes Imperatori aderant: ſimul prætorij præfectus Aelius Seianus collega Straboni patri ſuo datus, magna apud Tiberium auctoritate, rector iuueni,

PRINCIPES debent dare filijs iuuenibus, præſertim foras euntibus, virum aliquem, experientia & auctoritate maxime inſignem, qui iuuentutẽ eorum regat & inſtruat. Sic PIVS V. PONT. MAX. Michaeli Cardinali Alexandrino nepoti, cum eum legatum a latere ad tres potentiſsimos Chriſtianos Reges mitteret; grauiſsimos ei, & e tota Aula Romana lectiſsimos aliquos viros adiunxit, qui eum conſilijs firmarent, ac regerent.

& ceteris periculorum, præmiorumq. oſtentator.

QVI Principem regit, debet eſſe ceteris oſtentator periculorum, præmiorumque: id eſt talis, qui ob multa pericula ante pro Principis ſeruitio tranſacta magna ſit aſſecutus præmia: vnde eius exemplo ceteri omnes in fide, & officio erga Principem magis accendantur.

Druſo propinquanti quaſi per officium obuiæ fuere legiones, non lætæ, vt adſolet, neque inſignibus fulgentes, ſed inluuie deformi & vultu, quamquam mœſtitiam imitarentur, contumaciæ propiores.

VVLTVS triſtitia, ſæpe contumaciæ magis, quàm mœſtitiæ ſignum præfert. Simile iudicauit de Romanorum demiſſo vultu, fixiſq. in terram oculis Ofilius Calauj Ouij Campani filius; vt eſt apud Liu. lib. ix. Hiſtor. Dec. j. Sic infra lib. j. Hiſt. auctor inquit: Rarus per vias populus, mœſta plebs, deiecti in terram militum vultus; ac plus triſtitia quàm pœnitentia: & lib. iiij. Hiſt. idem: Nemo ſupplici vultu, ſed triſtes, & truces: & quæ ſequuntur.

Poſtquam vallum introijt, portas ſtationibus firmant: globos armatorum certis caſtrorum locis opperiri iubent:

HOC agere ſolent omnes, qui in ſua poteſtate locum aliquem retinere volunt; portas ſtationibus firmant, & globos armatorum certis locis diſponunt.

ceteri tribunal ingenti agmine circumueniunt. Stabat Druſus, ſilentium manu poſcens. illi quoties oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis ſtrepere.

AVGET ſpiritus, & animos Duci ſeditionis, aſpectus multitudinis ferocis & contumacis. Ab illa enim opem & auxilium furori ſuo ſperat. Huc pertinet, quod Velleius Paterculus lib. ij. Hiſt. inquit: accidit plerumque, vt exercitus contemplatus frequentiam ſuam a diſciplina deſciſcat; & quod cogere ſe putat poſſe, rogare non ſuſtineat: Sic lib. i. Hiſt. auctor noſter inquit: Plurima ad fingendum credendumq. materies in ipſis caſtris, odio, metu, & vbi vires ſuas reſpexerant, ſecuritate.

rurſum viſo Cæſare, trepidare.

NON eſt nouum, Principis ſolum aſpectum, ſeditioſiſsimum & ferociſsimum quemque terrere. Sic infra in oratione Germanici, inquit auctor: Diuus Auguſtus vultu, & aſpectu Actiacas legiones exterruit.

murmur incertum, atrox clamor, & repente quies,

IN exprimenda multitudinis, & populi, & vulgi natura, mirus eſt auctor noſter: vt a nobis obſeruatur mille in locis. Inq. hoc loco annotare licet, eam eſſe multitudinis diſſonantiam, vt ex ea murmur incertum, atrox clamor, & repente quies exeat,

diuerſis animorum motibus pauebant terrebantque.

TVNC maxime agitatur animus, cum diuerſis motibus, & terret, & pauet. Sicut enim pelagus tunc maxime ſæuire ſolet, cum in eo duo validi, & contrarij venti interſe pugnant, & ex aduerſo illis incumbunt: ſic de animo noſtro a duobus contrarijs affectuum flatibus perculſo aſſerendum eſt. Et hoc euenire multitudini ſæpiſsime ſolet, vt inquieta, & turbulentiarum plenæ.

Tandem interrupto tumulru literas patris recitar, in quîs perſcriptum erat, præcipuam ipſi fortiſſimarum legionum curam, quibuſcum plurima bella tolerauiſſet.

PRINCEPS in literis quas publice exercitui ſcribit, debitam laudem eius in principio ſemper apponat: vt hoc modo eum ſibi magis conciliet.

Vbi primum a luctu requieſcet animus, acturum apud patres de poſtulatis eorum, miſiſſe interim filium, vt ſine cunctatione concederet quæ ſtarim tribui poſſent:

MVLTA petuntur ſæpe ab exercitu, quæ omnia concedi non poſſunt. Tunc ergo Princeps earum partem ſine cunctatione concedat, quæ ſtatim tribui poſſunt: cetera differat, & aperte non neget: ſed aliquo colore milites inter ſpem & metum illis fruſtretur.

cetera ſenatui ſeruanda, quem neque grariæ, neque ſeueritatis expertem haberi par eſſet. Reſponſum eſt a concione, mandara Clementi centurioni quæ præferret: is orditur de miſſione a ſexdecim annis, de præmijs finitæ militiæ: vt denarius diurnum ſtipendium foret: ne veterani ſub vexillo haberentur. Ad ea Druſus cum arbitrium ſenatus & patris obtenderet,

SVB obtentu conſulendi Principem, poſſunt omnes Principum miniſtri, quibus magna negotia ſunt commiſſa, fruſtrari illos, quibuſcum agunt. Et hac ars hodiernis temporibus mirifice exerceri ſolet.

clamore turbatur: cur veniſſet, neque augendis militum ſtipendijs, neque adleuandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia. At hercule verbera, & necem cunctis permirti.

INIQVVM eſt in aliquem verbera & necem exercere poſſe: illi vero benefaciendi nullam licentiam habere.

Tiberium olim, nomine Auguſti, deſideria legionum fruſtrari ſolitum. eaſdem artes Druſum retuliſſe. numquamne niſi ad ſe filios familiarum venturos? nouum id plane, quod Imperaror ſola miliris commoda ad ſenarum reijciar: eundem ergo ſenarum conſulendum quoties ſupplicia, aur prælia indicantur. an præmia ſub dominis pœnas ſine arbitrio eſſe?

MAle agitur cum ſubditis, quando præmia eorum ſunt ſub dominis, pœna autem ſine arbitrio.

Poſtremo deſerunt tribunal, vt quis prætorianorum militum, amicorumue Cæſaris occurreret, manus inrentantes, cauſam diſcordiæ, & initium armorum, maxime infenſi Cneo Lentulo, quòd is ante alios ætate & gloria belli, firmare Druſum credebatur, & illa militiæ flagitia primus aſpernari.

QVI ante alios ætate & gloria belli eminet: is maxime firmare debet conſilijs Principem, & talis vir primus flagitia militum aſpernari. Et ijs viris præcipue ſunt infenſi nequam homines & ſeditioſi: In eorumq. perniciem mira audacia ac ferocia ruere ſolent.

Nec mulro poſt digredientem cum Cæſare, ac prouiſu periculi hiberna caſtra repetentem circumſiſtunr rogitantes, quo pergeret? ad imperarorem, an ad patres? vt illic quoque commodis legionum aduerſaretur? ſimul ingruunt, ſaxa iaciunt.

POPVLI, & multitudinis furor nemini, quamuis Illuſtri & claro viro parcit; & ſæpius in eos, qui maxime auctoritate pollent, accenditur.

Iamq. lapidis ictu cruenrus, & exirij certus, adcurſu mulritudinis, quæ cum Druſo aduenerat, protectus eſt. Noctem minacem, & in ſcelus erupturam fors leniuit.

AD magna ſcelera patranda numquam non tenebræ noctis diliguntur:

Nam Luna clariore pene cœlo viſa langueſcere.

SAEPE ex inſperato accidenti magna rerum mutatio orta eſt: vt in hac ſeditione, defectus Lunæ fortuitus, pacem & concordiam exercitus peperit.

Id miles rationis ignarus omen præſentium accepit, ac ſuis laboribus defectionem ſideris adſimulans, proſpereq. ceſſura quæ pergerẽt, ſi fulgor & claritudo deæ redderetur.

RATIONIS rerum ignari ferme ſemper, quæ caſu eueniunt, omen præſentium accipiunt; ac ſuo commodo adſimulant.

Igitur æris ſono, tubarum, cornuumq. concentu ſtrepere, prout ſplendidior, obſcuriorue lætari aut mœrere: & poſtquam ortæ nubes offecere viſui, creditumq. conditam tenebris, vt ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes, ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora auerſari deos lamentantur.

PERCVLSAE ſemel mentes, ad ſuperſtitionem ſunt mobiles. De qua ſuperſtitione, vide doctiſsimum Plutarchi tractatum, in opuſculis ſuis.

Vtendum inclinatione ea Cæſar, & quæ caſus obtulerat in ſapientiam vertenda ratus, circumiri tentoria iubet.

SEMPER prudens debet ea, quæ caſus offert, in ſapientiam vertere: & ex malo bonum capere: vt docte Plutarchus docet in tractatu de tranquillitate animi.

Accitur centurio Clemens, & ſiqui alij bonis artibus grati in vulgus,

AD ſedandos tumultus aptiſsimi ſunt illi, qui bonis artibus grati in vulgus ſunt, qui quidem ſemper rari ſunt: cum ſæpius per malas artes acquiratur popularis fauor. Nam cum tribus de cauſis, ſecundum Philoſophum, in ij. Ret. maxime alicui credatur; prudentia, probitate, & beneuolentia: hinc fit, vt quos nobis beneuolos eſſe opinamur, ijs nos aures adhibeamus. Simile huic infra Tacitus lib. j. Hiſt. inquit: militum fauorem, vt largitione & ambitu male acquiri, ita per bonas artes haud ſpernendum.

in vigilijs, ſtationibus, cuſtodijs portarum ſe inſerunt, ſpem offerunt, metum intendũt.

QVI alicui maxime perſuadere volet, is vt optime vim affectuum notam habeat, opus eſt. Cum ſæpe eidem contrarios affectus, prout res poſtulabit, ſpem, & metum imprimere oporteat. Quorum qui vim optime perſpectam non habebit, is nihil aget: more imperiti medici, qui medicamentorum proprietatem ignorando, numquam ægroto ſalutem pariet.

Quouſque filium imperatoris obſidebimus? quis certaminum finis? Percennione & Vibuleno ſacramentum dicturi ſumus? Percennius & Vibulenus ſtipendia militibus, agros emeritis largientur? denique pro Neronibus & Druſis imperium populi Roma. capeſſent?

SIMILE infra lib. iiij. Hiſt. in perſona Voculæ ad milites ſeditioſos, cum inquit: tutori Treuero agentur excubiæ? ſignum belli Batauus dabit? & quæ ſequuntur.

quin potius vt nouiſſimi in culpam, ita primi ad pœnitentiam ſumus?

IVRE merito illis eſt ignoſcendum, qui vt nouiſsimi fuerunt in culpam, ſic primi ſunt ad pœnitentiam.

Tarda ſunt quæ in commune expoſtulantur, priuatam gratiam ſtatim mereare, ſtatim recipias.

TARDA ſunt, quæ in commune id eſt reip. aut corporis alicuius gratia poſtulantur: priuatam gratiam ſtatim mereare; ſtatim recipias: hoc eſt, ſatius eſt priuatam gratiam mereri, quàm publicã, quæ plerumq. eſt tarda. Et ideo qui ad populi alicuius commodũ labores & incommoda ſuſcipit, parum ſperet de illo, in ſuo diſcrimine, ob beneficij memoriam. Non tamen ſpernenda occaſio populis ſubueniendi eſt, quando offertur: quamuis enim ab illis gratitudo debita non exhibeatur, benefaciens tamen optimam acquirit famam; quod eſt humanorum laborum præclarus fructus: & ſi non quantum deberet, aliquid tamen operatur, beneficia dantis exiſtimatio: quæ loco & tempore multum prodeſſe tibi poteſt.

Commotis

Commotis per hæc mentibus, & inter ſe ſuſpectis, tyronem a veterano, legionem a legione diſſociant.

QVI multitudinem tumultuantem componere vult: eam imprimis & ante omnia diſgreget; & Tyronem a veterano, legionem a legione diſſociet.

Tum redire paulatim amor obſequij; omittunt portas, ſigna vnum in locum principio ſeditionis congregata ſuas in ſedes referunt: Druſus orto die, & vocata concione, quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita, incuſat priora, probat præſentia:

PRINCIPI, etſi rudi dicendi, tamen nobilitas eſt pro facundia: & quæ loquitur, magnum apud audientes pondus habent. Sic infra lib. xv. Annal. inquit: auctoritas pro facundia.

negat ſe terrore, & minis vinci: flexos ad modeſtiam ſi videat, ſi ſupplices audiat, ſcripturum patri, vt placatus legionum preces exciperet.

PRINCEPS terrore, & minis numquam vinci debet, ſed flexis ad modeſtiam & ſupplicibus indulgere. vnde ſcitum illud Maronis:

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

orantibus, rurſum idem Blæſus & L. Apronius eques Romanus e cohorte Druſi, Iuſtusq. Catonius primi ordinis centurio ad Tiberium mittuntur. Certatum inde ſententijs, cum alij opperiendos legatos, atque interim comitate permulcendum militem cenſerent, alij fortioribus remedijs agendum: nihil in vulgo modicum: terrere, ni paueant. vbi pertimuerint, impune contemni:

VERISSIMVM eſt, in vulgo nihil eſſe modicum: terret, ni paueat: vbi pertimuerit, impune contemnitur. Et hac ratione aliqui permoti cenſuerunt vtilius eſſe Principi, quòd timeatur, quam quòd ametur a populis. Illud enim in Principis manu poſitum eſt, & ideo certius & tutius fundamentum, quàm hoc, quod in manu ſubditorum poſitum eſt, & ab illorum voluntate dependet: qui cum ſæpe ingrati, volubiles, & acceptorum beneficiorum immemores ſint; non bene agi cum illo Principe aſſerunt, qui totus alieno ſubſidio, nempe populorum amore innititur. Ego ſic concluderem: aut timorem abſque odio conſequi poſſum, vel non: primo caſu, præſtat timeri ſecundo caſu neutiquam. Si enim priori valido per ſe ſatis affectui, timori inquam, adieceris ſecundum multo validiorem, odium ſcilicet: impoſſibile fere eſt, quin corruas: inde illud Senecæ: colant potius, quam timeant: ſatius eſt obſeruari a Principe, quàm illud Tragicum: Oderint, dum metuant.

dum ſuperſtitio vrgeat, adijciendos ex duce metus,

VT primum ſeditioſi pauere incipiunt, tunc noui inſuper adijciendi ſunt metus; quo celerius in fidem redeant. Et hi metus ex Duce maxime, & Principe veniunt. Sic infra idem lib. xi. Annal. inquit: Metus ex Imperatore: & in vita Agricolæ: ex proprio legato metus.

ſublatis ſeditionis auctoribus.

QVI vult compeſcere ſeditionem, is quàm celerrime tollat e medio capita eius. Sic enim ceteris quies & obſequium redibit.

Promptum ad aſperiora ingenium Druſo erat.

AD tollendas ſeditiones requiruntur ingenia Ducum, prompta ad aſperiora; & non manſueta, & mitia. Hinc Fabius Maximus incuſauit Scipionem in Senatu, quòd nimia ſua facilitate exercitus Romani diſciplinam corrumperet. Liuius.

vocatos Vibulenum & Percennium interfici iubet.

NVLLA mora adhiberi debet a Duce vel Principe, quin ſtatim ac ſeditio langueſcit, illa omnibus acrioribus remedijs extinguat.

Tradunt pleriq. intra tabernaculum ducis obrutos; alij corpora extra vallum abiecta oſtentui. Tum vt quiſque præcipuus turbator, conquiſiti: & pars extra caſtra palantes a centurionibus, aut prætorianarum cohortium militibus cæſi: quoſdam ipſi manipuli documentum fidei tradidere.

ILLI qui in ſocios, & commilitones proprios ſæuiunt, vt operam fidelem Principi ſuo præſtent; clarum dant fidei ſuæ documentum.

Auxerat militum curas præmatura hiems imbribus continuis, adeoq. ſæuis, vt non egredi tentoria, congregari inter ſe, vix tutari ſigna poſſent, quæ turbine atque vnda raptabantur.

SIC infra lib. iiij. Hiſt. inquit: Apud imperitos prodigij loco accipiebatur ipſa aquarum penuria; tamquam nos omnes quoque, & vetera imperij munimenta desererent.

durabat & formido cæleſtis iræ, nec fruſtra aduerſus impios hebeſcere ſidera, ruere tempeſtates: non aliud malorum leuamentum, quàm ſi linquerent caſtra, infauſta temerataque, & ſoluti piaculo ſuis quiſque hibernis redderentur. primum octaua, dein quintadecuma legio rediere. Nonanus opperiendas Tiberij epiſtolas clamitauerat. mox deſolatus aliorum diſceſſione imminentem neceſſitatem ſponte præuenit.

SPONTE eſt praeuenienda imminens neceſsitas: vt hic a legione nona factum eſt: & infra Hiſt. lib. v. Ciuilis fecit cum Ceriali. Huc pertinet illud adagium Italicum: Quod vendi non poteſt, donandum.

& Druſus non expectato legatorum regreſſu, quia præſentia ſatis conſederant, in vrbem redijt. Iiſdem ferme diebus, ijſdem cauſis Germanicæ legiones turbatæ, quanto plures, tanto violentius.

VIOLENTIAM a multitudine recipit omnis ſeditio, & tumultus.

& magna ſpe fore, vt Germanicus Cæſar imperium alterius pati nequiret, daretque ſe legionibus, vi ſua cuncta tracturus.

HAVD immerito de magno viro præſumitur, quòd imperium alterius pati nequeat: Magnanimitas enim a ſeruili conditione abhorret, & imperare ſemper contendit, prout ſe dignam cenſet, & cognoſcit. Ariſt. in iiij. Eth. de Magnanimitate. Et huc quadrat gradatio illa pulcherrima in oratione Agrippæ ad Auguſtum, apud Dionem lib. lij. quæ ſic habet: Neque enim vir egregius vllus ſine magno animo naſcitur, neque ea magnanimitas ex ſeruili vitæ ratione oritur: neque fieri poteſt, quin animo ſublimi & ſpiritibus altis præditus, libertatis cupiditate ducatur, dominumq. omnem oderit.

Duo apud ripam Rheni exercitus erant; cui nomen ſuperiori ſub C. Silio legato inferiorem A. Cæcinna curabat. Regimen ſummæ rei penes Germanicum, agendo Galliarum cenſui tum intentum. Sed quibus Silius moderabatur, mente ambigua, fortunam ſeditionis alienæ ſpeculabantur.

AMBIGVI mente, & vt vulgo dicitur, irreſolutis ſemper actionis alienæ exitum ſpeculantur, antequam aliquid deliberent. In Principe vituperandum eſt, & contemptum parit, quòd irreſolutus teneatur: immo ſemper in ſuis actionibus præſeferre debet firmas & conſtãtes deliberationes.

Inferioris exercitus miles in rabiem prolapſus eſt, orto ab vndeuiceſimanis quintaniſque initio, & tractis prima quoque, ac viceſima legionibus. nam ijſdem æſtiuis in finibus Vbiorum habebantur per otium, aut leuia munia.

QVI ab exercitu ſuo ſeditiones arcere vult, is numquam eum in otio eſſe ſinat, aut leuibus munijs exerceri. Sed laboribus & grauibus exercitationibus illum occupet. Sic infra de Corbulone: lib. xj. Annal. Auctor noſter inquit: Ne tamen miles otium exerceret, inter Moſam Rhenumque, trium & viginti millium ſpatio foſſam produxit, qua incerta Oceani vetarentur.

Igitur audito fine Auguſti, vernacula multitudo nuper acto in vrbe delectu, laſciuiæ ſueta, laborum intolerans, implere ceterorum rudes animos:

SVPRA etiam annotaui, peſsimum eſſe militem, qui exacto in vrbe delectu conſcribitur: nam eſt laſciuiæ ſuetus, & laborum intolerans: & ſemper ceterorum rudes animos implet: & veriſſima eſt Senecæ ſententia in epiſt. lj. fortior eſt miles, qui ex confragroſo venit. Segnis eſt urbanus, & verna. & quod ſequitur.

veniſſe

veniſſe tempus quo veterani maturam miſſionem, iuuenes largiora ſtipendiã, cuncti modum miſeriarum expoſcerent, ſæuitiamq. centurionum vlciſcerentur.

SIC ſolent ſe gerere contumaces: illos, quibus obtemperare eos conuenit, vt hoſtes perſequi, vel ad ſupplicium, vt reos vocare. Idem infra lib. iiij. Hiſt. de militibus Vocula.

Non vnus hæc vt Pannonicas inter legiones Percennius, nec apud trepidas militum aures alios validiores exercitus reſpicientium, ſed multa ſeditionis ora, vocesque: ſuã in manu ſitam rem Romanam, ſuis victorijs augeri Remp. in ſuum cognomentum adſciſci imperatores.

EXTIMESCENDA maxime eſt ſeditio, cum non pauci verba ſeditioſa in vulgus iaciunt apud trepidas audientium aures: ſed cum multa ſunt ſeditionis ora, vocesque in exercitu adeo validas, vt norit in ſua manu victoriam non tantum eſſe, ſed etiam Rempublicam, & Imperatoris dignitatem, & ſalutem.

Nec Legatus obuiam ibat, quippe plurium vecordia conſtantiam exemerat,

SAEPE plurium vecordia eximere ſolet conſtantiam a Duce. Quod adeo periculoſum eſt, vt ſi ſeditioſi id cognoſcant, vix poſtea vllum furori, aut contumaciæ modum imponant.

repente lymphati diſtrictis gladijs in centuriones inuadunt

SIC infra Auctor lib. j. Hiſt. inquit: lymphatis cæco pauore animis.

ea vetuſtiſſima militaribus odijs materies, & ſæuiendi principium

MILITIBVS deſciſcentibus principium ſæuiendi, & materia odiorum eſt in ſuos centuriones: cum ab illis punitum iri ſuam perfidiam timeant: vt ſupra proxime annotauimus.

proſtratos verberibus multant, ſexageni ſingulos, vt numerum centurionum adæquarent. Tum conuulſos laniatosque, & partim exanimos ante vallum, aut in amnem Rhenum proijciunt. Septimius cum perfugiſſet ad tribunal, pedibusq. Cæcinnæ aduolueretur, eo vſque flagitatus eſt, donec ad exitium dederetur. Caſſius Chærea, mox cæde C. Cæſaris memoriam apud poſteros adeptus, tum adoleſcens, & animi ferox,

QVI in matura ætate clarus vir euadere debet, is in adoleſcentia, maxima huius rei indicia profert. Simile vide apud Guicciar. lib. xiiij. Hiſt. de Ioanne Medice adoleſcente, qui equo inſidens inter medios hoſtes, Abduam amnem, qua erat profundior, traiecit.

inter obſtantes & armatos ferro viam patefecit.

FORTITVDO, & animi ferocia, inter obſtantes & armatos ferro [illegible] patefacit. Inde illud: Audentes fortuna iuuat.

Non tribunus vltra, non caſtrorum præfectus ius obtinuit: vigilias, ſtationes, & ſi qua alia præſens vſus indixerat, ipſi partiebantur. Id militares animos altius coniectantibus præcipuum indicium magni atque implacabilis motus, quòd neque diſiecti, nil paucorum inſtinctu, ſed pariter ardeſcerent, pariter ſilerent,

TVNC vere eſt magnus & implacabilis in exercitu motus, cum milites non diſiecti, non paucorum inſtinctu, ſed pariter ardeſcunt, pariter ſilent: Ratio eſt, quia ſpes non eſt ſublatis paucis aliquibus ſeditionis auctoribus, eam ſedari poſſe, vt in nouis tumultibus euenire ſolet. Sed nullum aliud remedium adhiberi poteſt, niſi ſingulis pariter ſatisfaciendo. Quod & flagitioſiſſimum, & periculorum plenum eſſet.

tanta æqualitate & conſtantia, vt regi crederes.

BONVM regimen in ſubiectis æqualitatem, & conſtantiam gignit. Inde poteſt argumentum ſumi, ex ciuitate tumultuum, & diſcordiarum plena: quòd bonum illi deeſt regimen. Hincque obſeruare poſſumus, deterrimam eſſe illam ſeditionem, quæ ijſdem artibus fouetur, quibus præclara quæque imperia gubernantur.

Interea Germanico per Gallias, vt diximus, cenſus accipienti, exceſſiſſe Auguſtum adfertur. Neptem eius Agrippinam in matrimonio, pluresq. ex ea liberos habebat. Ipſe Druſo fratre Tiberij genitus, Auguſtæ nepos; ſed anxius occultis in ſe patrui auiæq. odijs,

MERITO angitur vir probus & innocens occultis proximorum in ſe odijs. Nam cum bonum merendo, malum ſibi reddi cernat; qui fieri poteſt, vt non doleat?

quorum cauſæ acriores, quia iniquæ:

ODIORVM cauſſæ, quo iniqua, eo ſunt acriores. Ideo prudens aulicus, qui ſibi odium & inuidiam haberi videt, ob bonarum artium ſuarum apud Principem fauorem: caueat amulos; quorum odia, quo iniqua, eo ſentiet acriora.

quippe Druſi magna apud populum Roma. memoria. credebaturq. ſi rerum potitus foret, libertatem redditurus.

VT odio proſequi ſolet populus illos, qui libertatem ipſi eripere ſtudent, ſic & amore & gratia complectitur illos, qui eam reſtituunt.

vnde in Germanicum fauor, & ſpes eadem.

PROPENSIO Populi erga virum aliquem celebrem, ferme ſemper ad eius poſteros tranſit. Quos ſperat, vt opum, & facultatum; ſic & virtutum heredes fore.

Nam iuueni ciuile ingenium, mira comitas, & diuerſa a Tiberij ſermone, vultu, adrogantibus & obſcuris.

QVI ſtudia populi poſſidere deſiderat, is ante omnia ingenium ciuile, & comitatem miram præſeferre debet: idque præſertim, ſi praceſſor ſuus ob adrogantiam, & ſuperbiam inuiſus fuerit.

Accedebant muliebres offenſiones, nouercalibus Liuiæ in Agrippinam ſtimulis;

MVLIERVM offenſiones, ſape maritos inter ſe proximos, accendunt & alienant. Sed cum hoc euenit, fatendum eſt culpam eſſe in viris; qui curam adhibere debent, ne femina modum excedant. vt infra lib. 3. Annal. in perſona Meſſalini inquit Auctor.

atque ipſa Agrippina paulo commotior, niſi quod caſtitate, & mariti amore, quamuis indomitum animum in bonum vertebat.

CASTITAS & mariti amor, quæ duæ res ferme ſemper in muliere ſociantur, ſemper in bonum vertunt vxoris animum, quamuis indomitum.

Sed Germanicus quanto ſummæ ſpei propior, tanto impenſius pro Tiberio niti:

QVI poſt Principem præſentem ſucceſſor proxime deſignatur; quanto ſumma ſpei eſt proprior, tanto impenſius pro eo niti debet.

Sequanos proximos, & Belgarum ciuitates in verba eius adigit.

ANTE omnia Princeps nouus, adigat in verba ſua populos, & ſubditos: præſertim dubio rerum ſtatu. Hodie vulgo dicitur: Iurare fidelitatem, & præſtare homagium.

Dehinc audito legionum tumultu, raptim profectus,

OMNIA alia negotia omittere debet Dux, etſi maxima, quando tumultum exercitus audit, & raptim ad eum ſedandum proficiſci. Vetus enim eſt ſententia.

Principijs obſta: ſero medicina paratur:
Cum mala per longas inualuere moras.

obuias extra caſtra habuit, deiectis in terram oculis, velut pœnitentia.

SIGNVM pœnitentia in flagitioſo homine ferme ſemper eſt deiectio oculorum in terram. Pudor enim flagitiorum ingrediens eius animum, eos attollere prohibet.

Poſtquam

Poſtquam vallum iniit, diſſoni queſtus audiri cœpere. & quidam prehenſa manu eius per ſpeciem exoſculandi inſerunt digitos, vt vacue dentibus ora contingeret. alij curuata ſenio membra oſtendebant. Adſiſtentem concionem, quia permiſta videbatur, diſcedere in manipulos iubet: ſic melius adituros reſponſum: vexilla præferri, vt id ſaltem diſcerneret cohortes.

EST e dignitate Ducis, & Principis, & diſciplina militari conuenit: vt ad exercitum verba faciendo, eum in ſuos ordines, manipulos, & vexillos diſtinguat: nec ſinat confuſum & permixtum degere.

tarde obtemperauere. Tunc a veneratione Auguſti orſus, flexit ad victorias triumphosq. Tiberij, præcipuis laudibus celebrans, quæ apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima feciſſet.

QVI ad officium, aliquem reuocare vult; is eum rerum ante ab illo egregie geſtarum admoneat: vt hoc modo verecundiam illi inducendo, deſiderium ſuum aſſequatur.

Italiæ inde conſenſum, Galliarum fidem extollit; nil vſquam turbidum, aut diſcors:

PVDOR maxime improbo alicui perfunditur, cum commemorationem virtutis & probitatis, in alio extolli audit.

ſilentio hæc, vel murmure modico audita ſunt.

PERSTRINGVNT animos hominum ſeditioſorum ea, quæ illis vere obiectantur: adeo vt neſciant reſponſum dare.

Vt ſeditionem attigit, vbi modeſtia militaris? vbi veteris diſciplinæ decus? quonam tribunos? quo centuriones exegiſſent, rogitans: nudant vniuerſi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobant: mox indiſcretis vocibus, pretia vacationum, anguſtias ſtipendij, duritiam operum, ac proprijs nominibus incuſant, vallum, foſſas: pabuli materiæ, lignorum adgeſtus, & ſi qua alia ex neceſſitate, aut aduerſus otium caſtrorum quærunt.

DEBET miles, non ſolum, quando neceſſitas ingruit extruere vallum, & foſſas, & ſimilia agere, quæ illi conducunt; ſed etiam ad vitandum otium ea omnia agere, eſt e militari diſciplina.

Atrociſſimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena, aut ſupra ſtipendia numerantes, mederetur feſſis, neu mortem in iiſdem laboribus, ſed finem tam exercitæ militiæ, neque inopem requiem orabant. fuere etiam, qui legatam a diuo Auguſto pecuniã repoſcerent, fauſtis in Germanicum ominibus: &, ſi vellet imperium, promptos oſtentauere. Tum vero quaſi ſcelere cotaminatetur, præceps tribunali deſiluit.

VIR bonus, antequam ſcelere contaminetur, mortem eligere mauult. Et hoc eſt vere regium: nolle regnare, cum poſſis: vt eſt apud Senecam. lib. iij. de Benef. cap. xxxvi.

oppoſuerunt abeunti arma, minitantes, ni regrederetur. At ille moriturum potius, quàm fidem exueret, clamitans, ferrum a latere diripuit, elatumq. deferebat in pectus, ni proximi præhenſam dextram vi attinuiſſent.

SATIVS eſt mori, quam fidem exuere. Vnde illud iuriſconſul. Graue eſt fidem fallere. & illud Ferdinandi. II. Aragonÿ Regis Neapolitani: Malo mori, quàm fœdari. Et hoc eſt generoſi animi proprium, perfidia mortem anteponere.

extrema & conglobata inter ſe pars concionis, ac vix credibile dictu, quidam ſinguli propius incedentes, feriret, horrabantur: & miles nomine Caluſidius ſtrictum obtulit gladium, addito, acutiorem eſſe. Sæuum id maliq. moris etiam furentibus viſum.

VERE eſt illud ſanum, & mali moris, quod etiam ab ipſis ſceleris ſocÿs tale æſtimatur. Et ſi pro ſano, & atroci haberetur, ſubditum, & militem a proprio Principe non arcere mortem, cum poſſit: quanto ſanius, & atrocius erit, offerri illi gladium, quo ſe interimat, & adiutorem, & miniſtrum ſe illius exitÿ praſtare? vt hic furens miles cum Germanico fecit.

ac ſpatium fuit, quo Cæſar ab amicis in tabernaculum raperetur. conſultatum ibi de remedio. etenim nuntiabatur parari legatos, qui ſuperiorem exercitum ad cauſam eãdẽ traherent; deſtinatum excidio Vbiorum oppidum, imbutaſq præda manus in direptionem Galliarum erupturas. Augebat metum gnarus Romanæ ſeditionis, & ſi omitteretur ripa, inuaſurus hoſtis. at ſi auxilia, & ſocij aduerſum abſcendentis legiones armarentur, ciuile bellum ſuſcipi; periculoſa ſeueritas, flagitioſa largitio; ſeu nihil militi, ſeu omnia concederentur, in ancipiti Rep.

ADVERSVS milites tumultuantes in valido exercitu, & concordi periculoſa eſt ſeueritas: flagitioſa largitio. Prima quidẽ: quia illi qui ſuas vires norunt, & omnem dignitatem & vim Imperatoris in ſua manu eſſe: obſequium exuendo, omne robur Imperatori adiment, & illum exinanibunt. Secunda vero: quia precibus, & meritis impetrare a Duce decet milites quæ volunt: non vi & ſcelere ea extorquere.

Igitur volutatis inter ſe rationibus, placitum vt epiſtolæ nomine principis ſcriberentur; miſſionem dari vicena ſtipendia meritis; exauctorari qui ſenadena feciſſent, ac retineri ſub vexillo, ceterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis: legata, quæ petiuerant exolui, duplicarique.

QVANDO in ancipiti eſt res, volutatis inter ſe rationibus, expedit aliqua in tempus confingere, & tumultuantium animos ſedare. Et talem moderationem hac in re conuenit adhibere Imperatorem, vt nec miles queri poſſit nihil ſibi eſſe tributum: vnde contumacior fiat: nec quicquid ſibi libuerit, extorſiſſe ſe, inſolenter gloriari poſſit: vnde petulantior euadat. Et tali in caſu poteſt Imperator, polliceri ſe duplum etiam militi daturum illarum rerum, quas petit. Hoc enim modo ille acquieſcet: ſeditio miteſcet: & Imperator tempus colligendi ſe, & acriora, & ſecuriora remedia adhibendi nanciſcetur, & acquiret.

Senſit miles in tempus conficta, ſtatimq. flagitauit.

SOLENT illi, qui de obſeruatione promiſſi alicuius dubitant, ſtatim id perſolui curare: & in hoc maxime importuni eſſe.

miſſio per tribunos maturatur; largitio differebatũr. in hiberna cuiuſquã non abſceſſere quintani, vndeuiceſimanique, donec iiſdem in æſtiuis contracta ex viatico amicorum, ipſiuſq. Cęſaris pecunia perſolueretur. Primam ac viceſimam legiones Cæcinna legatus in ciuitatem Vbiorum reduxit turpi agmine, cum fiſci de imperatore rapti inter ſigna, interq. Aquilas veherentur. Germanicus ſuperiorem ad exercitum profectus, ſecundam & tertiam decumam & ſextam decumam legiones nihil cunctatus ſacramento adigit.

ANTE omnia nouus Principis ſucceſſor, ſiue qui eius vices gerit, ſacramento adigat exercitus. In illis enim robur principatus exiſtit. Eoque magis id agere debet quàm celerrime, cum ſuſpecta eſt ipſi illorum fides.

Quartadecumani paulum dubitauerunt. Pecunia & miſſio, quamuis non flagitantibus oblata eſt.

DVX prudens, cum illi periculum impendet, ne miles valide tumultuans vim adhibendo illi aliquid extorqueat: ea vltro offerre illi debet, etſi non flagitat. Sic enim & maieſtatem ſuã retinet; furorem illorum mitigat, & lenit.

At in Chaucis cœptauere ſeditionem, præſidium agitantes vexillarij diſcordium legionum: & præſenti duorum militum ſupplicio paulum repreſſi ſunt.

SEDITIOSORVM animi reprimuntur ſupplicio conſortium. Quod optimum ſemper erit infligere, ſi in paucos illud exercendo, compeſcuntur reliqui.

Iuſſerat id Mennius caſtrorum præfectus, bono magis exemplo, quàm conceſſo iure

ID dicitur agi bono magis exemplo, quàm conceſſo iure: cum aliquis ſumit ſibi poteſtatem aliquam in Principis vel Reip. beneficium, quæ illi conceſſa iure non erat. Et hoc ingruente & vrgenti neceſſitate fieri debet.

deinde

deinde intumeſcente motu profugus, repertusque, poſtquam intutæ latebræ, præſidium ab audacia mutuatur;

QVANDO in ceteris nihil eſt auxilij, præſtat ab audacia præſidium mutuari. Nam ſæpe hoc modo aduerſarios noſtros perterrefacimus: & hoc magno ſpiritu, & animi magnitudine: eſt agendum.

Non præfectum ab ijs, ſed Germanicum ducem, ſed Tiberium imperatorem violari

VIOLAT Principem, & Imperatorem, qui illius miniſtrum, & magiſtratum iniuria afficit. Et tali in caſu, prudentis miniſtri eſt, omnem huius rei inuidiam in Principem reycere: vt hoc modo furentes ſubditos, ſeu milites a ſcelere remoueat, & exterreat.

ſimul exterritis, qui obſtiterant, raptum vexillum ad ripam vertit, & ſi quis agmine deceſſiſſet pro deſertore fore clamitans, reduxit in hiberna turbidos, & nihil auſos.

HINC cerni poteſt, quanta ſit fortitudinis vis & efficacia: quæ ſola ſæpe in miniſtro conſpecta, ſeditionem comprimere, & ſeditioſos eo redigere, vt nihil audeant, etſi poſſunt, valeat.

Interea legati ab ſenatu regreſſum iam apud aram Vbiorum Germanicum adeunt. Duæ ibi legiones prima atque viceſima, veteraniq. nuper miſſi ſub vexillo hiemabant. Pauidos, & conſcientia vecordes intrat metus,

CONSCIENTIAM maculoſam ſemper comitatur metus, indeq. vecordia.

veniſſe patrum iuſſu, qui irrita faceret quæ per ſeditionem expreſſerant.

PRINCIPIS exiſtimationi conducit irrita facere, quæ per ſeditionem expreſſa ſunt. Immo etiam nec priuati poſſunt cogi ad ea præſtanda, quæ vi extorquentur. De qua materia, vide apud Iuriſconſultos in materia Interdictorum: Quod vi: vnde vi, & de vi & vi armata.

vtque mos vulgo, quamuis falſis reum ſubdere,

SEMPER eſt mos vulgo, quamuis falſis reum ſubdere: hoc eſt in aliquem culpam conferre earum rerum, quæ etiam ſunt falſa.

Munatium Plancum conſulatu functum, principem legationis, auctorem ſenatuſconſulti incuſant: & nocte concubia vexillum in domo Germanici ſitum flagitare occipiunt; concurſuq. ad ianuam facto, moliuntur fores: extractum cubili Cæſarem, tradere vexillum, intento mortis metu, ſubigunt: mox vagi per vias obuios habuere legatos, audita conſternatione, ad Germanicum tendentes:

PRIMORES ciuitatis ſiue exercitus, audita conſternatione populi, ſiue exercitus, ſemper ad Principem tendere debent: vt illius lateri aſſiſtant, & illum tueantur.

ingerunt contumelias cædem parant, Planco, maxime, quem dignitas fuga impediuerat

CVM ſeditio plerumq. ſedari ſoleat, ſola viri alicuius auctoritate: tunc vere dedecet in tali caſu, virum inſignem, & magnæ dignitatis, fugam arripere, & ſaluti cum dedecore conſulere. Adde quod etiam his viris fuga eſt difficilis in tumultibus: ob dignitatem ipſam, quæ ipſos latere non ſinit.

Neque aliud periclitanti ſubſidium, quàm caſtra primæ legionis. illic ſigna, & aquilam amplexus, religione ſeſe tutabatur.

VIOLARE in exercitu illos, qui ſigna militaria amplectuntur, nefas eſt.

ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuiſſet, rarum etiam inter hoſtes, legatus populi Romani, Romanis in caſtris ſanguine ſuo altaria deûm commaculauiſſet.

IVS legatorum apud omnes, etiam hoſtes, inuiolatum eſſe debet. Quod ſi quando violatur, res æſtimanda eſt atrociſſima. Tale ſcelus admiſit Teuca Illyriorum Regina aduerſus iuniorem ex duobus legatis Romanorum, qui ipſi libere, & ferociter nimis locutus fuerat. Poſtquam enim ambo ab illa diſceſſerunt, facinoroſos aliquos immiſit, qui illum interficerent in itinere, vt eſt apud

Polybium lib. ij. Et ſimilem formam loquendi habes apud auctorem infra lib. iij. Hiſt. vbi inquit: Et ni dato a Duce præſidio defenſi forent, ſacrum etiam inter exteras gentes legatorum ius, ante ipſa patria mœnia ciuilis rabies vſque in exitium temeraſſet.

Luce demum, poſtquam dux, & miles & facta noſcebantur, ingreſſus caſtra Germanicus perduci ad ſe Plancum imperat, recipitq. in tribunal. Tum fatalem increpans rabiem, neque militum, ſed deûm ira reſurgere, cur venerint legati aperit: ius legationis, atque ipſius Planci grauem, & immeritum caſum; ſimul quantum dedecoris adierit legio, facunde miſeratur:

DVX, cum apud ſeditioſos verba facit, non tam in ipſos culpam conferre debet, ne ſcilicet eos in deſperationem adigat, quàm in temporum ſiniſtram conditionem: vt ſic miſerando eorum delicta, illis ruborem cum caritate erga ipſum perfundat, & ad officium reuocet.

attonitaq. magis, quàm quieta concione, legatos præſidio auxiliarium equitum dimittit. Eo in metu arguere Germanicum omnes, quòd non ad ſuperiorem exercitum pergeret, vbi obſequia, & contra rebellis auxilium. Satis ſuperq. miſſione & pecunia, & mollibus conſultis peccatum: vel, ſi vilis ipſi ſalus, cur filium paruulum, cur grauidam coniugem inter furentes, & omnis humani iuris violatores haberet?

AB omnibus caſibus & tumultibus, ſi Princeps perſonam ſuam ſubtrahere ſalua dignitate non poteſt: filios paruulos ſaltem, & coniugem grauidam in tuto collocare debet.

illos ſaltem auo, & Reip. redderet.

SI in quolibet homine priuato veriſſima eſt illa Platonis ſententia, quòd non ſolum ſibi natus eſt, verum partem ipſius patria, partem parentes, partem amici vendicant: quanto magis hoc in viro Principe eſt aſſeuerandum? qui & caput, & mens eſt totius Reipub. & cui innititur publica ſalus.

Diu cunctatus, aſpernantem vxorem, cum ſe diuo Auguſto ortam, neque degenerem ad pericula teſtaretur,

RARO euenit, vt clariſſimis parentibus geniti, magnos ſpiritus, quaſi hereditarie, non gerant ac retineant. Et hoc eſt illis maxime cauendum, ne ab illa ſumma virtute, qua maiores ſuos extulit, degenerent. Si hoc enim accidit, quanto vita illorum fuit præclarior, tanto horum ſocordia eſt flagitioſior: cum, vt grauiſſime Marius apud Salluſtium inquit: Maiorum gloria, poſteris, quaſi lumen ſit: quod neque bona eorum, neque mala in occulto patitur.

poſtremo vterum eius, & communem filium multo cum fletu complexus, vt abiret, perpulit.

LIBERORVM perſonam Princeps ſemper in tuto collocare debet, ne ſi aliquid ſibi calamitoſe ingruit, Reſpublica omni ſua ſtirpis adminiculo orbetur. Hac de cauſa Priamus Troianorum Rex Polydorum filium; furtim mandarat alendum.

Threicio Regi, cum iam diffideret armis
Dardaniæ, cingiq. vrbem obſidione videret. Virg. lib. iij. Æneid.

Incedebat muliebre, & miſerabile agmen, profuga ducis vxor paruulum ſinu filium gerens, lamentantes circum amicorum coniuges, quæ ſimul trahebantur: nec minus triſtes qui manebant.

VERE eſt miſerabilis aſpectus videre coniugem Ducis profugere grauidam, & paruulum ſinu filium gerentem: trahendo ſimul lamentantes amicorum coniuges: nec minus triſtes relinquendo, qui manent:

Non florentis Cæſaris, neque ſuis in caſtris, ſed velut in vrbe victa facies, gemituſque, ac planctus etiam militum aures oraq. aduertere. Progrediuntur contubernijs, quis ille flebilis ſonus. quod tam triſte? Feminas illuſtres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriæ vxoris, aut comitatus ſoliti, pergere ad Treuiros, & externæ fidei. Pudor inde & miſeratio,

QVI diligenter in ij. Rhetorices apud Ariſtotelem perlegerit naturam pudoris & miſerationis, & quicquid circa hos duos affectus a Philoſopho illic traditur: iure iudicabit, vel apud

iſtos

iſtos ſeditioſos illos plurimum efficacia habuiſſe, tali in caſu, & tempore.

& patris Agrippæ, Auguſti aui memoria, ſocer Druſus, ipſa inſigni fœcunditate, præclara pudicitia,

HAEC duo in primis conſpicua ſunt in femina: fœcunditas, & pudicitia: & huius ſecunda laudes tota ipſius mulieris ſunt: virtutis enim ſua ſunt: prima vero conditio in manu ſua non eſt: fœcunditas nempe.

iam infans in caſtris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant [quia plerumque ad conciliandæ vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur.]

DICI non poteſt, quantum valeat ad concilianda vulgi ſtudia; eodem tegmine, & veſtitu indui Principem, quo illud induitur. Et de hoc Caligula nomine videndus Seneca cap. xviij. lib. In ſapientem non cadere iniuriam.

Sed nihil æque flexit, quàm inuidia in Treuiros: orant, obſiſtunt, rediret, maneret: pars Agrippinæ occurſantes, plurimi ad Germanicum regreſſi.

VERE hoc nomen inuidia tribui debet illi, qui ob alterius felicitatem liuet, & marceſcit: non illi, qui videt alteri tribui, quæ ſui ipſius propria ſunt. Hac enim in virum bonum cadere poteſt & non eſt inuſta, vt prior. Et Roma in vſu frequenter conſpicitur.

iſque, vt erat recens dolore & ira, apud circumfuſos ita cœpit;

EFFICAX oratio, & proborum ſpirituum plena, quæ vere animum regium in enunciante indicat, eſt hæc præſens Germanici.

Non mihi vxor, ac filius patre & Rep. chariores ſunt:

PATRIS, & Reipub. ſalutem, debet ſemper Imperator & Dux exercitus, ſaluti filij, & vxoris, & propinquorum anteponere.

ſed illum quidem ſua maieſtas,

MVLTVM dicitur, quando dicitur Maieſtas Principis: quæ non ſolum opibus & dignitate, ſed & ijs ſolis virtutibus, quæ Principum propria ſunt, continetur. Et ſine tribunalium faſtigio, absq. apparitorum miniſterio, potens eſt in ſua amplitudine obtinenda: vt ait Val. Max. lib. ij. cap. v. Nam ea ſola aliquando, Principi omnibus alijs ſubſidijs deſtituto, ſalutem attulit. Vt FERDINANDO II. Aragoniorum Neapolitanorum Regi euenit. Qui cum Neapoli exiens, ad declinandum ſiniſtri temporis pro Regni ſui ſalute furorem, cum paucis Aenariam Inſulam nauigaſſet: illumq. arcis præfectus ingrate & infideliter, ſolum recipere in arcem vellet, & ceteris qui ſecum erant ingreſſum abnueret: ipſe ſolus introductus in Præfectum tanta ferocia, & magnanimitate irruit, vt ſolo ſuo aſpectu, & regiæ maieſtatis memoria, tam præfectum ipſum, quàm omnes, qui ſecum aderant, exterruerit, arcemq. in poteſtatem ſuam cum illis omnibus redegerit. Guicciard. lib. j. in fine.

imperium Romanum ceteri exercitus defendent:

DEFENDITVR certe Imperium aduerſus partem exercitus rebellis & deſciſcentis, a reliqua parte exercitus, quæ in fide, & officio manet. Hinc diſcant prudentes Principes, non in vnum locum ſemper habere, quicquid ipſi tenent virium. Nam hoc modo non poterit, aduerſus vnius partis inſaniam, fidem alterius opponere: omnes enim eodem contactu inficientur, ſi ſimul contracta tenebuntur. Proinde vt Auctor infra lib. j. Hiſt. inquit, longis ſpatijs diſcernat ſemper prudens Princeps exercitus. Hoc enim eſt ſaluberrimum ad continendam militarem fidem: cum nec vitijs, nec virtutibus miſcentur.

coniugem, & liberos meos, quos pro gloria veſtra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus ſummoueo;

QVI captare exercitus ſtudia cupit, is præſeferat, omnia cariora pignora vilia habere, in comparatione gloriæ ipſius exercitus.

vt quicquid iſtuc ſceleris imminet, meo tantum ſanguine pietur: neue occiſus Auguſti pronepos, interfecta Tiberij nurus nocentiores vos faciat. quid enim per hos dies inauſum, intemeratumue vobis? quod nomen huic cœtui dabo? milites ne appellem? qui filium imperatoris veſtri vallo, & armis circumſediſtis?

INDIGNVS eſt nomine militis, qui Imperatoris ſui filium vallo & armis circumſidet: nec tam honeſtum nomen ſeditioſis conuenit. Sic apud Liuium Scipio, cum apud milites concionatur, inquit: Quos nec quo nomine quidem, appellare debeam, ſcio. Ciues? qui a patria veſtra deſciuiſtis. An milites? qui imperium, auſpiciumq. abnuiſtis, ſacramenti religionem rupiſtis.

an ciues, quibus tam proiecta ſenatus auctoritas?

ENVMERO Ciuium merito remoueri poteſt ille, qui ſenatus auctoritatem proÿcit: adeo vt nihil ſibi eſſe illicitum iudicet.

hoſtium quoque ius, & ſacra legationis, & fas gentium rupiſtis.

QVI legatos violare audent, vt ſupra proxime annotauimus, ÿ dicuntur rumpere illud ipſum ius, quod etiam apud hoſtes intemeratum, & ſacroſanctum eſſe debet. Et fas gentiū diſſoluere.

Diuus Iulius ſeditionem exercitus verbo vno compeſcuit, Quirites vocando, qui ſacramentum eius detrectabant.

INTER cetera, quæ maxime vim perſuadendi habent, exempla primum locum obtinent.

Diuus Auguſtus vultu, & aſpectu Actiacas legiones exterruit.

NON eſt nouum, Principem vultu, & aſpectu ſuo exterrere: vt ſupra etiam annotauimus in cæde Poſthumi Agrippæ.

nos, vt nondum eoſdem, ita ex illis ortos ſi Hiſpaniæ, Syriæue miles aſpernaretur, tamen mirum & indignum erat. Primane, & viceſima legiones, illa ſignis a Tiberio acceptis, tu tot præliorum ſocia, tot præmijs aucta egregiam duci veſtro gratiam refertis?

CVM ratio & tempus poſtulat, conducit reuocare memoriam beneficiorum alicui in mentem; vt hoc modo ei pudorem inÿciendo, a re turpi amoueamus. Seneca in lib. vij. De benefic. cap. 25.

hunc ego nuntium patri, læta omnia alijs e prouincijs audienti feram: ipſius tyrones, ipſius veteranos, non miſſione, non pecunia ſatiatos? hic tantum interfici centuriones, eijci tribunos, includi legatos; infecta ſanguine caſtra, flumina, meq. precariam animam inter infenſos trahere?

SI miſerandum eſt ducem aliquem egregium etiam inter hoſtes infenſos precariam animam trahere: quanto miſerabilius eſt, id inter ſuos milites, & a ſe beneficÿs affectos euenire? Idem Auctor infra lib. iiÿ. Hiſt. precariam vitam dicit.

Cur enim primo concionis die ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxiſtis, improuidi amici? melius & amantius ille, qui gladium offerebat. cecidiſſem certe nondum tot flagitiorum exercitui meo conſcius.

CVLPA late non caret, qui eſt conſcius ſcelerum, quæ admittuntur ab illis, quibus imperat. Deberet enim coercere, ne admitterentur.

legiſſetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam ſineret, Vari tamen & trium legionum vlciſceretur.

DVX qui alteri ſufficitur ab hoſtibus caſo; debet ante omnia illum vlciſci, hoſtes debellando. Idem Auctor in perſona Cerialis infra lib. iiÿ. Hiſt. inquit. venient legiones, quæ neque me inultum, neque vos impunitos patiantur.

Neque

Neque enim dij ſinant, vt Belgarum, quanquam offerentium, decus iſtud, & claritudo, ſit ſubueniſſe Romano nomini, compreſſiſſe Germaniæ populos.

DEBET, ſi conſeruare diu Maieſtatem ſuam vult Princeps niti vi propria, non aliena. Nihil enim in rebus mortalium tam inſtabile, ac fluxum ineſt, quam fama potentia, non ſua vi nixa. vt infra lib. xiij. Annal. inquit Auctor.

Tua, diue Auguſte, cælo recepta mens, tua, pater Druſe, imago, tui memoria iiſdem iſtis cum militibus, quos iam pudor, & gloria intrat, eluant hanc maculam, iraſq. ciuiles in exitium hoſtibus vertant.

TAM acria incitamenta virtutis ſunt plerumq. pudor, & gloria, vt maculam flagitijs contractam, eluere praeclaris factis poſſint: vertendo iras ciuiles in exitium hoſtibus. Eadem phraſi vtitur Author infra: lib. iij. Hiſt. in perſona Antonij primi; inquiens: Mox conuerſus ad ſigna, & bellorum Deos, hoſtium potius exercitui illum furorem, illam diſcordiam inijcerent, orabat, donec fatiſceret ſeditio.

Vos quoque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, ſi legatos Senatui obſequium Imperatori, ſi mihi coniugem, ac filium redditis, diſcedite a contactu, ac diuidite turbidos. id ſtabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit.

IN ſeditioſo exercitu, fidei vinculum, & ſignum pœnitentiæ poſtulat, vt diſcedatur a contactu turbidorum, & diuidantur ſeditioſi a ceteris. Hocq. modo eniti debet Imperator exercitus: ſic enim ſuis viribus ſeditio ſeipſam extinguet: cum nemo non exiſtimari velit bonus ciuis, & obſequens miles Imperatori ſuo.

Supplices ad hęc, & vera exprobrari fatentes orabant, puniret noxios, ignoſcere lapſis,

SIC debent ſedari tumultus, puniri noxij, & ignoſci lapſis. Et hoc eſt Principis proprium.

& duceret in hoſtem: reuocaretur coniux, rediret legionum alumnus, neue obſes Gallis traderetur. Reditum Agrippinæ excuſauit ob imminentem patrum, & hiemem. venturum filium. cetera ipſi exequerentur.

CVM Princeps, quantum poteſt, a b ſe remouere cupit inuidiam alicuius ſeueræ animaduerſionis, debet eniti, vt quiuis alius, quam ipſe, illius autor exiſtimetur.

Diſcurrunt mutati, & ſeditioſiſſimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primæ C. Cetronium, qui iudicium, & pœnas de ſingulis in hunc modum exercuit. Stabant pro concione legiones diſtrictis gladijs, reus in ſuggeſtu per tribunum oſtendebatur: ſi nocentem adclamauerant, præceps datus trucidabatur, & gaudebant cædibus miles, tamquam ſemet abſolueret.

NON eſt nouum, ſæpe ex pœnitentia ſeditionis, ſeditioſos ipſos adeo mutari, vt qui per eam imprudenter primo infecti ſunt, reſipiſcendo poſtea, in ipſos auctores ſeditionis animaduertant. In hocq. ſpecimine pœnitentiæ gaudeat ſupplicijs conſortium ſuorum. Debet tamen ſic geri res, vt terror ad omnes, pœna ad paucos perueniat.

nec Cæſar arcebat, quando nullo ipſius iuſſu penes eoſdem ſæuitia facti, & inuidia erat:

QVEM penes eſt ſæuitia facti, & inuidiam eius eſſe par eſt.

ſecuti exemplum veterani haud multo poſt in Rhætiam mittuntur, ſpecie defendendæ prouinciæ, ob imminenteis Sueuos: ceterum vt auellerentur caſtris,

MILITES adhuc a ſeditione recentes, debent quæſito aliquo colore auelli a caſtris, & alio mitti, vt ſeparentur a ceteris, qui intacti exiſtunt.

trucibus adhuc, non minus aſperitate remedij, quam ſcelerls memoria.

IN remedijs exhibendis multum moderationis adhiberi conuenit. Nam ſæpe eorum aſperitas morbos auget. Quæ nunquam debet eſſe maior, quam pericula requirant. In hoc peccaſſe Syllam, animaduertit Seneca.

Centurionatum inde egit. citatus ab Imperatore nomen, ordinem, patriam, numerum ſtipendiorum, quæ ſtrenue in prælijs feciſſet, & cui erant donaria militaria, edebat: ſi tribuni, ſi legio induſtriam, innocentiamq. adprobauerant, retinebat ordines; vbi auaritiam, aut crudelitatem conſenſu obiectauiſſent, ſoluebatur militia.

IN agendo Centurionatu hac cautio adhiberi debet: vt miles citatus ab Imperatore edat nomen, patriam, ordinem, numerum ſtipendiorum, qua ſtrenue in pralijs fecerit, & ſi habet donaria militaria: tunc, ſi tribuni, ſi legio induſtriam, innocentiamq. adprobauerint, retineat ordines: vbi auaritiam, aut crudelitatem conſenſu obiectauerint, ſoluatur militia. In hocq. obſeruandum eſt diligenter a Principe, quòd praclara magiſtratus cuiuſcumque ſunt virtutes, induſtria, & innocentia; ſicut e contra auaritia, & crudelitas ſunt deteſtanda vitia, & pracipua: & inſuper obſeruare debet Dux quòd ad priuandum aliquem dignitate, non ſufficit quòd vnus, aut pauci crimina obiectent; ſed requiritur conſenſus vniuerſalis. Fere enim ſemper nemo tam exacte fungitur officio ſuo, vt non aliquem offendat, qui eum criminetur. Sed omnibus diſplicere, hoc eſt ſignum animi nequiſſimi.

Sic compoſitis præſentibus, haud minor moles ſupererat, ob ferociam quintæ, & vndeuiceſimę legionum, ſexageſimum apud lapidem, loco Vetera nomen eſt, hibernantium. nam primi ſeditionem cœptauerant, atrociſſimum quodq. facinus horum manibus patratum, nec pœna commilitonum exterriti, nec pœnitentia conuerſi, iras retinebant.

RARO fit, vt atrociſſimorum facinorum patratores pœna commilitonum exterreantur, aut pœnitentia conuertantur.

Igitur Cæſar arma, claſſem, ſocios demittere Rheno parat, ſi imperium detrectetur, bello certaturus.

CVM ad id furoris miles ſeditioſus peruenerit, vt neque pœna Commilitonum exterreatur, nec pœnitentia conuertatur, ſed inſaniens iras retineat: tunc cum illo, veluti cum hoſte, ferro res eſt agenda. Et hoc in caſu imitari peritos Chirurgos: qui ſatius exiſtimant pro agri ſalute.

. . . . . immedicabile vulnus
Enſe recidendum . . . . . .

quàm ſinere, vt ſerpendo, cetera membra inficiat & totum corpus enecet.

At Romæ nondum cognito, qui fuiſſet exitus in Illyrico, & legionum Germanicarum motu audito, trepida ciuitas incuſare Tiberium, quòd dum patres, & plebem, inualida & inermia, cunctatione ficta ludificetur, diſſideat interim miles,

TVRPE eſt Principem, cum exercitus valide diſſident & tumultuantur, non componere eos: ſed Senatum, & plebem, inermia, & inualida; ficta cunctatione ludificari. Et obſeruandus eſt in hoc callidorum Principum aſtus, in amouendis validis exercitibus ab vrbe, qua eſt caput rerum. Duo enim beneficia inde illi reſultant: primum eſt, quod eorum exercituum opera, fines imperij profert, aut hoſtibus vicinis terrori eſt: Secundum, quod inermes, & inualidas relinquit eas Reip. partes, a quibus, ne ſe commoueant, periculum eſt. Etſi enim volunt, non poſſunt corrumpere milites, quia abſunt.

neque duorum adoleſcentium nondum adulta auctoritate comprimi queat:

ADOLESCENTVM auctoritas nondum eſt adulta. Id enim tempore longo eget, quod in adoleſcentibus deficit.

ire ipſum, & opponere maieſtatem imperatoriam debuiſſe ceſſuris vbi principem longa experientia,

SEMPER cedunt tumultus in exercitu, vbi ſe oſtendit Princeps longa experientia: a qua cum prudentia proficiſcatur, qua eſt Principis vita, & ſpiritus: merito in eo laudando, dicitur, quòd ſit longa rerum experientia doctus: ac non ſolum Princeps in exercitu, ſed in ciuitate etiam a ſeditionibus agitata, ſape potuit ciuis clarus, & ceteris dignitate præcellens, ſolo aſpectu tumultus ſedare. Inde Virgilij pulcherrimi verſus in 1. Aeneidos.

Ac

Ac veluti magno in populo, cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſæuitq. animis ignobile vulgus:
Iamq. faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tum pietate grauem & meritis ſi forte virum, quem
Conſpexere; ſilent, arrectiſq. auribus aſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

eundemq. ſeueritatis, & munificentiæ ſummum vidiſſent.

PRINCEPS debet eſſe ſummus ſeueritatis, & munificentiæ: hoc eſt, prauos & ſceleſtos rigore omni punire, & aduerſus eos inexorabilem ſe præſtare: bonos & virtute præditos omnibus honoribus & præmijs proſequi. Idq. non cuiuſquam hortatu, & ſuaſione, ſed ſuo iudicio, & propria voluntate, a prudentia directa. Hoc enim modo hæc duo Principatus vincula connectendo, & applicando recte, præmium inquam & pœnam, in perpetua pace Rempub. ſeruabit SIXT. V. in Pontificatu ſuo talem ſe exhibet.

an Auguſtum feſſa ætate toties in Germanias commeare potuiſſe. Tiberium vigentem annis ſedere in ſenatu verba patrum cauillantem?

DEDECET Principem verba Senatorum cauillari.

ſatis proſpectum vrbanæ ſeruituti: militaribus animis adhibenda fomenta, vt ferre pacem velint.

INIMICVS eſt pacis ſua natura miles, nam præda ob eam ſpoliatur. Ideo magna fomenta ei adhibere debet Princeps, vt ferre pacem velit.

Immotum aduerſus eos ſermones, fixumq. Tiberio fuit, non omittere caput rerum,

PRINCEPS nouus numquam omittat caput rerum, vrbem ipſam: nam aliter ſe in præceps, & in caſum daret, ſed aliquo alio modo per Duces & legatos externis rebus prouideat. Sed hoc intelligendum eſt, cum Principatus adhuc nutat, nec eſt conſolidatus. Nam ſecus, debet ipſe ire, & res turbatas componere: maieſtatem ſuam ſeditioſis opponendo, & quamuis aliqui contrarium ſentiant, & loquantur; debet eſſe immotus, & fixus in hac deliberatione, ſicut & in cęteris Princeps nihil vulgi ſermones æſtimando.

neque ſe remque publicam in caſum daret.

EA eſt Principis, & Reip. connexio: vt nihil vni eorum accidere queat, quod ad alterum non pertineat. Vnde Princeps nihil debet ſibi vtile æſtimare, quod Reipub. identidem non conducat. Ipſe enim mens & animus eſt; Reſpublica vero corpus. Porro ſicut bonum corporis a bono animi in homine diſtingui non debet, nec poteſt; ſic nec bonum Principis a publico ſeparandum eſt; Plura in hac materia vide apud Polybium in vj. libri initio: qui diligenter vnaſquaſque ſpecies dominationum examinat.

Multa quippe & diuerſa angebant: validior per Germaniam exercitus propior apud Pannoniam ille Galliarum opibus ſubnixus, hic Italiæ imminens. Quos igitur anteferret? ac ne poſtpoſiti contumelia incenderentur.

POSTPOSITI contumelia incenduntur. Et nota Aulice, qui Romæ viuis, cum hodie inter pleroſq. & Principes & priuatos, pro hac honoris æmulatione ſimultates oriuntur: quas niſi prudens Aulicus aduerterit, incedet talis contumelia aliquem, quæ numquã ex illius animo delebitur.

At per filios pariter adiri, maieſtate ſalua, cui maior & longinquo reuerentia:

STVDEAT ſemper Princeps maieſtatem ſuam ſeruare: hoc eſt exiſtimationem ſemper retinere curet: cui procul dubio e longinquo eſt maior reuerentia. Sic infra lib. iiij. Hiſt. de Velledæ loquens auctor, inquit: Arcebantur aſpectu, quo plus venerationis ineſſet. & obſeruandus eſt hic modus quo prudens Princeps poſſit retinere maieſtatem, & declinare offenſiones ſuorum: cum eſt ingruit periculum, ne præſentia ſua alios anteferat, alios poſtponat: mittere nempe ad vtramque partem perſonas aliquas ſibi pari neceſſitudine coniunctas: ipſe vero ab vtriuſque congreſſu abſtineat.

ſimul adoleſcentibus excuſatum, quædam ad patrem reijcere.

QVANDO Princeps aliquò mittit filios, aut legatos; tunc ſi illi omnia non concedunt, quæ petuntur, poſſunt ſe excuſare, aliqua ad Principem reijciendo. Et hoc modo tutius agit Princeps, quàm ſi ipſe gereret.

reſiſtentisq. Germanico, aut Druſo, poſſe a ſe mitigari vel infringi.

QVI legato aut filio Principis in aliqua re reſiſtunt; poſſunt a Principe ipſo mitigari, vel infringi: at ſi ipſum ſpernant, nullum aliud remanet ſubſidium.

quod aliud ſubſidium, ſi imperatorem ſpreuiſſent?

SI concedatur impune ſperni Principem; neceſſario ſequitur eius exitium. Nam duo venena præcipua ſunt omnium Principatuum, vt alibi dixi, contemptus, & odium. Quæ ſemper effugere debet omnibus viribus Princeps. Et contemptum quidem effugiet, ſi talem in principio ſui dominatus opinionem de ſe exhibuerit, vt omnibus ſpem tollat eum decipiendi, aut eludendi. Si in deliberationibus prudens, in executionibus conſtans apparebit. Amicorum ſe amicum, inimicorum inimicum oſtendet: primos extollet, ſecundos deprimet. Si promiſſa & verba ſua, tamquam leges inuiolabiles obſeruabit, & obſeruari mandabit. Semper magna animo voluet, & negotia ardua ſuſcipiet. Bella opportune inferet, fortiter tractabit, & magnanimiter perficiet. In pace, ædificationibus publicis, ſpectaculis, & liberalibus ſtudijs ſubditos oblectabit, & exercebit. Et multa alia, quæ hic longum eſſet enumerare: ſed in multis locis Polit. Ariſt. habentur. Odium vero ſemper euitabit, a duabus rebus ciuium abſtinendo: nempe a facultatibus, & ſanguine eorum. Cauendo etiam ne ob libidines illicitas mulieribus earum contumelias inferat, & infamiam domibus claris irroget. Apud eundem Ariſt. ibidem. Sed ſi odium Princeps effugere non poteſt, quod ſane in nouo Principe etiam ab Ariſtotele in v. Polit. difficillimum exiſtimatur, contemptum ſaltem omnibus modis euitâre ſtudeat.

Ceterum vt iam iamq. iturus legit comites, conquiſiuit impedimenta, adornauit naues,

PRINCEPS, qui animi ſui ſecretum ignorari vult, ſemper ſimulat eius contrarium: nempe ſi iter facere non vult, ſed contrarium credi optat: legit comites, conquirit impedimenta, adornat naues, & ſimilia. Mox adueniente profectionis tempore, aut hiemem, aut negotia varie cauſabitur, quæ ipſum remorentur. Hoc modo & prouincias, & vulgus, & prudentes ſemper fallit.

mox hiemem, aut negotia varie cauſſatus, primo prudentes, dein vulgum, diutiſſime prouincias fefellit.

REGVLA generalis, ſecundum aliquos, apud omnes Principes eſt: quòd qui neſcit ſimulare, & diſſimulare, neſcit imperare. Hinc aiunt, quod cum ſimulatio inueniatur commoda Principibus: debent, ſi volunt aliquid cum alio Principe ſimulare, & illum circumuenire, prius legato ſuo, quem apud Principem illum tenent, ſenſus animi ſui veros abdere, vt ille talem eſſe Principis ſui mentem certo exiſtimans, maiori cum efficacia rem tractet, & externo Principi perſuadeat. Quod forſan tam valide efficere non poſſes, ſi hanc eſſe Principis & Domini ſui ſimulationem cognoſceret. Quod præceptum an optime exercebitur a quocumque Principe, qui per interpoſitam perſonam alium decipere velit, aliorum ſit iudicium. Certe cum Principis dignitate numquam, vt quod ſentio dicam, eſſe conſpicietur.

At Germanicus, quamquam contracto exercitu, & parata in defectores vltione, dandum adhuc ſpatium ratus, ſi recenti exemplo ſibi ipſi conſulerent,

PRINCEPS etſi in defectores ſemper vltionem paratam habere debet, attamen antequam vtatur promiſcua cæde; debet dare ſpatium eorum pænitentiæ: & expectare, quòd ipſi ſibi conſulant, & ſupplicium in malos præſumant. Euitabit enim hoc modo inuidiam ſanguinis eorum, quos puniet. Denique omnia tentare debet, antequam extrema remedia adhibeat.

præmittit literas ad Cæcinnam, venire ſe valida manu, ac ni ſupplicium in malos præſumant, vſurum promiſcua cæde.

DISCANT hinc a Germanico Principes, quoties illis abſentibus ſeditio aliqua in exercitibus oritur: præmittere occulte nuntios, vel literas viris illis quibus fidunt, & qui in officio integri manent: quibus nuntijs, vel literis perterrefaciunt milites: minitando ſe venire cum valida manu, ac niſi ſupplicium in malos præſumant vſuros ſe cæde promiſcua. Quem modum loquendi habes etiam infra lib. xiiij. Annal. apud auctorem: cum inquit: Excidium minitans, niſi cauſſam ſuam diſſociarent: & pau o poſt: Ceteris quoque aliena pericula deſerentibus.

Eas Cæcinna aquiliferis, ſigniferiſque, & quod maxime caſtrorum ſincerum erat, occulte recitat:

DVX in exercitu conſilia Principis ſui debet communicare ſolum illis, qui maxime ſinceri in caſtris ſunt: quò eorum fideli opera in exequenda Principis mente vti poſsit.

vtque cunctos infamiæ, ſeipſos morti eximant, hortatur:

INFAMIA, & mors; malorum grauiſsima diuerſis de cauſſis ſunt. Proinde non niſi ſummopere laudandi ſunt illi, qui tempore arduo ſciunt ſe vtrique earum eximere. Idq. eouſque præſtat virtus: vt etiam in vniuerſitate aliqua paucorũ decus, poſsit conſulere exitio & dedecori multorum.

nam in pace cauſas & merita ſpectari: vbi bellum ingruat, innocentes ac noxios iuxta cadere.

CAVSSAE & merita ſpectantur in pace: nam leges vim obtinent, a quibus in bonos præmia ſtatuuntur, in malos ſupplicia. At vbi bellum ingruit, innocentes, ac noxij iuxta cadunt: nam cuncta miſcentur, & fortuna maxime dominatur. Sic idem auctor lib. j. Hiſt. inquit: Neque magnis meritis, ac præmijs eundem in pace, qui in bello, locum.

Illi, tentatis quos idoneos rebantur, poſtquam maiorem legionum partem in officio vident, de ſententia legati ſtatuunt tempus, quo fœdiſſimum quemque, & ſeditioni promptum ferro inuadant.

ET ſupra non ſemel dixi, & nunc denuo aſſero, in omnibus negotijs arduis, ſummam totius rei conſiſtere, in opportunitate temporis capienda. Quod prudentis eſt officium.

Tunc ſigno inter ſe dato, inrumpunt contubernia, trucidant ignotos, nullo niſi conſcijs, noſcente quod cædis initium, quis finis.

EX hoc Cæcinnæ facto elicere poſſumus concluſionem, quòd liceat Principi & Duci exercitus, ad tollendam magnam ſeditionem, cum ſingula alia remedia prius tentata fuerint, neque ſucceſſerint, dare internecioni promiſcuæ, omnem ſeditioſorum multitudinem. Hoc etſi eſt luctuoſum valde: tamen ſi eo Reſpub. adducta erit, vt in magno diſcrimine verſetur, eo eſt vtendum.

Diuerſa omnium quæ vnquam accidere ciuilium armorum facies: non prælio, non aduerſis e caſtris, ſed ijſdem e cubilibus, quos ſimul veſcentis dies, ſimul quietos nox habuerat, diſcedunt in partes, ingerunt tela, clamor, vulnera ſanguis palam: cauſſa in occulto. cetera fors regit. & quidam bonorum cæſi. Poſtquam intellectum in quos ſæuiretur. peſsimi qnoque arma rapuerant. neque legatus, aut tribunus moderator adfuit: permiſſa vulgo licentia atque vltio, & ſatietas.

SVB aſpectum ponit elegantiſsime auctor noſter, faciem ciuilium armorum luctuoſiſsimam. In qua non prælio, non aduerſis e caſtris: ſed ijſdem e cubilibus, quos ſimul veſcentis dies, ſimul quietos nox habuit, diſcedunt milites in partes, ingerunt tela: clamor, vulnera, ſanguis palam: cauſſa in occulto cetera fors regit. Et, quod peius eſt, etiam boni caduntur, nec quiſquam tanto furori moderator adeſt: ſed vulgo eſt permiſſa licentia, vltio, & ſatietas, cum in peſsimorum manu arma ſint, Quod quidem, videlicet arma ſumere, & licentiam, quicquid velit, agendi, habere, ſi in ſapiente homine ſpectaueris, eſſe cauſſam publicæ felicitatis inuenies: ſi vero in improbo, communis pernicies. Vt prudentiſsime apud Dionem loquitur Auguſto Mæcenas. Et obſeruandum eſt, quòd in his hypotipoſis, Tacitus noſter mire Saluſtium æmulatur, & feliciter,

Mox

Mox ingreſſus caſtra Germanicus, non medicinam illud plurimis cum lacrymis, ſed cladem appellans, cremari corpora iubet.

TAM atrox ſæpe eſt medicina, vt clades potius appellanda ſit. Huc pertinet illud Taciti infra de Pompeio: Grauioribus remedys, quàm mala requirerent &c. Nam in hoc prudentia Principis conſpicitur, cum in coercendis ſubditis, terror ad omnes, pœna ad paucos pertinet. Sed cum alio modo nequit ſalus retineri Reipub. excuſatur Princeps.

Truces etiam tum animos cupido inuolat eundi in hoſtem, piaculum furoris, nec aliter poſſe placari commilitonum manes, quàm ſi pectoribus impijs honeſta vulnera accepiſſent.

PIACVLVM egregium furoris militaris antiquitus erat ire in hoſtes, & ſanguine eorum placare commilitonum manes: ſicut priſci illi, quibus nondum veritatis lux affulſerat, credebant. Inde illud Virgilianum lib. xy. Aeneidos:

Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat; & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.

Sequitur ardorem militum Cæſar:

DVX prudens, ardorem militum, quando occaſio poſtulat, ſequi debet.

Iunctoq. ponte tramittit duodecim millia e legionibus ſex, & viginti ſocias cohorteis, octo equitum alas, quarum ea ſeditione intemerata modeſtia fuit.

EORVM equidem militum magna eſt modeſtia, qui in reliquorum ſeditione intemerati permanent. Sicut & proborum virorum, qui in ſceleſtorum improbitate, innocentiam, & iuſtitiam retinent, & exercent: laudabilior eſt virtus. Hoc innuunt literæ ſacræ in principio Iob, cum dicunt: Vir erat in terra Hus, nomine Iob: & erat vir ille, ſimplex, & rectus, ac timens DEVM, & recedens a malo.

Læti neque procul Germani agitabant, dum iuſtitio ob amiſſum Auguſtum, poſt diſcordijs attinemur.

SI volumus ſecundum affectum carnis loqui: procul dubio cauſſam lætandi habemus, cum hoſtis noſter, aut arma deponit, aut diſcordys attinetur. Chriſtianæ tamen pietati hoc repugnat, qua æque ac proximum noſtrum, diligere inimicum iubemur: & benefacere illi qui odit nos. Porro in hanc eandem ſententiam loquitur auctor infra lib.i. Hiſt. in perſona Othonis, cum inquit: Si Vitellio, & ſatellitibus eius eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes imprecentur? quid aliud, quàm ſeditionem, & diſcordiam optabunt?

At Romanus agmine propero ſiluam Cæſiam, limitemque a Tiberio cœptum ſcindit, caſtra in limite locat, frontem ac tergum vallo, latera concædibus munitus. Inde ſaltus obſcuros permeat, conſultatq. ex duobus itineribus, breue & ſolitum ſequatur, an impeditius & intentatum, eoq. hoſtibus incautum.

IN aggrediendis hoſtibus, quando duo ad eos conducunt itinera: breue vnum, & ſolitum, alterum impeditius, & intentatum: ſecundum debet deligi, vt hoſtes incautiores adoriamur.

Delecta longiore via, cetera adcelerantur. Etenim attulerant exploratores feſtam eam Germanis noctem, ac ſolemnibus epulis ludicram.

MAGNA ſe præbet tibi occaſio delendi hoſtem, cum ipſe feſtis ſolemnibus ac epulis, ludicra agit. Hoc modo etiam Cyrus Babylonios vicit, & vrbem ipſam cepit. Xenophon. lib. vy. Pæd. Cyri. Herodot. lib.i. cap. x. Caueant igitur omnes Duces, ſi aliquem diem acciderit exercitui ſuo feſtum tranſigi, ne adeo in luxum ac epulas ſoluti omnes ſint milites, vt ſtationes, vigiliæ, & portæ deſerantur. & occaſio hoſti detur eos circumueniendi.

Cæcinna cum expeditis cohortibus præire, & obſtantia ſiluarum amoliri iubetur. legiones modico interuallo ſequuntur. Iuuit nox ſideribus inluſtris.

CVM tempora ſucceſſum aliquem, præſertim bellicum ſecundare penitus ſtatuunt, omnia extrinſecus accidentia in ſui fauorem accumulant.

Ventumq.

Ventumq. ad vicos Marſorum, & circumdatæ ſtationes, ſtratis etiam tum per cubilia properq. menſas, nullo metu, non ante poſitis vigilijs, adeo cuncta incuria diſiecta erant:

INCVRIA ſemper obeſt; & eſt contraria penitus prudentiæ, quæ etiam leuibus rebus curam adhibet: ea eſt propria Iuuenum. Nam cum bona ſpe ſint pleni, multum confidunt, & parum timent: vnde nullam rebus diligentiam adhibent. Ariſt. 2. Rhet. & Auctor noſter infra de Ptolomæo Rege, inquit: Ob iuuentam incurioſo. Porro cum hæc incuria cadit in aliquo ſeu Duce, ſeu milite circa ea munera, quibus diſciplina militaris continetur; dubium non eſt, inde oriri maxima ſcandala. Sic ſupra proxime de Iunio Blæſo Auctor, inquit: Intermiſerat ſolita munia: eo principio laſciuire miles: & quæ ibi annotauimus.

neque belli timor: ac nec pax quidem niſi languida, & ſoluta inter temulentos.

VINOLENTIA & ſomnolentia maxime ſunt fugienda his, qui alijs præſunt, vt Principibus, Tyrannis, & Ducibus exercituum. Soluuntur enim per eas, & langueſcunt curæ belli ac pacis, & diſciplina; & incautos eos præbent hoſtibus inſidijs. Aurea eſt illa Hieronis ſententia, in Tyranno apud Xenophontem: Vinolentiam vero & Somnum non aliter, quàm inſidias, ſuſpecta habeo. *Hinc Homerus ſemper vigilantem Agamemnona inducit, cum cæteri omnes dormiunt, inquiens:*

At non in ſomnos Agamemnon pectora ſoluit.

Vinum certe immoderate ſumptum, omnium bonorum conſiliorum aduerſarium eſſe omnes ſciunt. Hinc Sapiens xx. Prouerbiorum inquit: Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicumque his delectatur, ſapiens non erit. Somnum porro morti affinem maxime eſſe nemo ignorat: & de eius damnis, præcipua nobis exempla præbent ſacræ literæ. Noë enim dormiens a filio ridetur Geneſ. 9. Samſoni dormienti abſtulit Dalila fortitudinem eius. Iudic. 16. Cum dormit Holofernes, Iudith caput illi abſcindit. Iudit. 13. Similiter in euangelio cernimus, quòd dum agricola dormit, inimicus homo ſuperſeminat Zizania. Mat. 13. Virginibus fatuis dormientibus, prudentes introducuntur. Mat. 25. Demum dormire dicitur, qui negligit. Mar. 4. 1. Cor. 11. Epheſ. 5. & dormit qui moritur Mat. 9. Mar. 5. Luc. 8. & Ioan. 15.

Cæſar auidas legiones, quò latior populatio foret, quatuor in cuneos diſpertit. quinquaginta millium ſpatium ferro, flammisq. peruaſtat. non ſexus, non ætas miſerationem attulit; profana ſimul & ſacra, & celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfanæ vocabant, ſolo æquantur; ſine vulnere milites, qui ſemiſomnos, inermos, aut palantis ceciderant.

ELEGANTER more ſuo hic exprimit Auctor maximam Ducis de hoſtibus vltionem in Germanico aduerſus Marſos. Nempe cum ferro, flammisq. longe lateque regionem eorum peruaſtauit. Miſerationem non attulit ſexus, nec ætas. ſolo æquata fuerunt profana ſimul & ſacra, ipſaq. celeberrima gentium templa. & demum trucidati fuerunt hoſtes ſemiſomni, inermes, & palantis.

Exciuit ea cædes Bructeros, Tubantes, Vſipetes: ſaltusque, per quos exercitui regreſſus, inſedere. quod gnarum duci:

INIMICORVM conſilia præuidere debet cautus Dux exercituum, vt illis obuiam ire, & prouidere ſibi poſſit. Hocq. tam illi eſt neceſſarium, quam ea quæ ipſe agere velit, callere.

inceſſitq. itineri & prœlio.

DVX eundo per loca hoſtilia debet incedere ſemper cum exercitu inſtructo itineri & prælio. Sic Metellus contra Iugurtham apud Salluſtium: ſic Græci ſub Xenophonte contra Barbaros: in lib. iij. de Cyri minoris expeditione. & ſic ratio militaris diſciplinæ poſtulat.

pars equitum, & auxiliariæ cohortes ducebant: mox prima legio, & medijs impedimentis ſiniſtrum latus vnde viceſimani, dextrum quintani clauſere: viceſima legio terga firmauit; poſt ceteri ſociorum. Sed hoſtes, donec agmen per ſaltus porrigeretur, immoti, dein latera, & frontem modicè adſultantes, tota vi nouiſſimos incurrere. Turbabanturq. denſis Germanorum cateruis leues cohortes,

HAVD magno negotio denſa militum caterua poſſunt turbare leues cohortes hoſtium. Hinc Heluetiorum denſa phalanx, tam crebro & ferociter in bellis quæ Italia temporibus elapſis habuit, aduerſariorum exercitus diſſipauit & fudit; vt omnibus ferme clarum eſt.

cum

eum Cæſar aduectus ad viceſimanos voce magna, hoc illud tempus obliterandæ ſeditionis clamitabat, pergerent, properarent culpam in decus vertere.

CVM datur occaſio alicui culpam in decus vertendi, tunc eſt properandum. Et hoc aſſequi poſſimus præclaris factis. Sic infra de Ceriali loquitur lib. v. Hiſt. Cerialis abolere ignominiam: & quæ ſequuntur. Sic etiam lib. iij. Hiſt. in perſona Antonij inquit: Illos eſſe campos, in quibus abolere labem prioris ignominiæ, vbi recuperare gloriam poſſent.

Exarſere animis, vnoque impetu perruptum hoſtem redigunt in aperta, cæduntque;

ET hoc ad diſciplinam militarem pertinet, vt ſi hoſtis loco conſidit, & nos vrget, eum in aperta redigamus: & ſic iniquitatem ſitus, qui nobis aduerſatur, tollamus.

ſimul primi agminis copiæ euaſere ſiluas, caſtraq. communiuere. Quietum inde iter, fidensq. recentibus, ac priorum oblitus miles in hybernis locatur.

EGREGIIS, quæ a virtute proficiſcuntur, geſtis comes eſt ſemper fidentia: Virtus enim ſecundum Cicer. in v. Tuſcul. ſatis in ſe habet ſemper præſidij ad bene viuendum, ſatis etiam ad beate, ſatis vt fortiter viuamus, etiam vt magno animo, & quidem vt nulla re egeamus, ſuperque ſimus inuicti: & quæ ſequuntur.

Nuntiata ea, Tiberium lætitia, curaq. adfecere.

PRINCEPS nouus, qui ipſi non præeſt exercitui, ſed per Duces bellum gerit; nunquam integra perfrui lætitia ob victoriam a ſuo Duce partam poteſt. Etſi enim ratio poſtulat, vt de hoſtibus victis ſummopere gaudeat: tamen, quia bellica ſui Ducis gloria hinc augetur, & fauor militum ab illo acquiritur, non poteſt non angi, & maxima cura affici. Vnde ſæpe euenit, vt dum plus æquo illius gloriæ inuidet, aut illum timet, ne contra ſe aliquid machinetur; ingratus exiſtat erga illum, quem maximis decorare præmijs deberet. Vt ergo ab his ſe periculis Principes liberent, omnium tutiſſimum eſt ipſos exercitus ductare, & bellis inter eſſe. Sic enim & victoriæ laus tota illorum erit; & milites neminem alium præter ipſum, & datorem præmiorum, & Imperatorem cognoſcent. Sic CAROLVS V. inuictiſſimæ memoriæ ſemper fecit; ſic Turcarum Reges, qui imperium ſuum longe, lateq. extenderunt, factitarunt,

gaudebat oppreſſam ſeditionem,

SAEPE, quæ eſt humanarum rerum infirmitas, ex rebus, quæ nobis hoc in orbe ſecundæ adueniunt, ſinceram lætitiam capere non poſſumus. Et huc pertinet illud Eccleſ. cap. 2. Riſum reputaui errorem; & gaudio dixi, Quid fruſtra deciperis? Videmus enim, quod plerunque in hac vita, extrema gaudij luctus occupat. Porro ſimilem huic Tiberij ſtatum in Cicerone eleganter exprimit Salluſtius in coniuratione Catilinaria, inquiẽs: At illum ingens cura, atque lætitia ſimul occupauere. Nam lætabatur intelligens coniuratione patefacta, ciuitatem periculis ereptam eſſe: porro autem anxius erat, dubitans in maximo ſcelere tantis ciuibus deprahenſis, quid facto opus eſſet: pœnam illorum ſibi oneri, impunitatem perdundæ Reipub. fore credebat.

ſed quod largiendis pecunijs, & miſſione feſtinata fauorem militum quæſiuiſſet; bellica quoque Germanici gloria angebatur.

HAE ſunt duæ optimæ rationes quærendi fauorem militum, largiri pecunias, & feſtinare miſſionem. Quæ quidem recta intentione animi a Germanico fuerunt geſta; ſed a Tiberio, qui tunc dominans ſuſpectabat, & oderat ipſum, qui proxime deſtinabatur, ſiniſtrius interpretata. Et dederunt originem Germanici exitio. Quod ille alterutro modo euitare poterat. Primo modo, ſi ſtatim poſt adeptam victoriam ad Tiberium priuatus iuiſſet, & omni humilitate ipſius auſpicijs omnia geſta eſſe profitendo, nihil interim ad militum animos captandos agens, ſuſpicione omni calidiſſimum Principem liberaſſet. Vt temporibus noſtrorum Auorum Conſaluum Cordubenſem, Magnum ducem nuncupatum, erga FERDINANDVM Catholicum Hiſpaniarum Regem feciſſe accepimus, & ex Guic. Hiſt. lib. vij. colligi poteſt. Secundo modo poterat Germanicus ſe tutum reddere, ſi in animum ſuum inducendo, ſe velle omnino regnare, quibuſcumq. modis aperte potuiſſet, militum animos ſibi conciliaſſet, & Tiberium imperio ſpoliaſſet. Sed cũ media ſecutus eſt, nec ſatis audendo, nec ſatis prouidendo, in laqueoſas Tiberij artes incidit, & extinctus eſt, vt infra videbitur.

Retulit

Retulit tamen ad ſenatum de rebus geſtis, multaq. de virtute eius memorauit,

NVMQVAM debita laude Princeps fraudare debet eos, qui res præclaras ſub ſuo imperio gerunt: ne illorum gloriæ inuidere videatur, & vt ceteros ad fortiter agendum ſtimulet: nam, vt vetus eſt ſententia: Creſcit laudata virtus.

magis in ſpeciem verbis adornata, quàm, vt penitus ſentire crederetur.

CVM non ex animo, ſed in ſpeciem magis aliquem laudamus, orationem noſtram verbis adornamus. Et hæc eſt ſpecies quædam detrahendi, laudis colore: cum homines intelligant, non ex animi noſtri ſententia illas laudes proferri. Sic Auctor in vita agricolæ, inquit: peſſimum inimicorum genus, laudantes: nam ſæpe, quos incautiores opprimere volunt, eos palam ſimulateq. laudant: vt in lib. iij. Hiſt. de Muciano erga Antonium primum inquit Auctor.

Paucioribus Druſum & finem Illyrici motus laudauit, ſed intentior, & fida oratione.

INDICIVM eſt aperti animi, ſermo breuis, & ſine ambagibus. Vt e conuerſo verborum circuitiones, & periſſologia, fraudem prænunciare ſolent. Illis ergo vtimur cum illis quibus vere faueremus, & quos ex animo diligimus. Has vero exercemus cum illis, quos magis amore proſequi ſimulamus, quàm vere proſequamur. Et dicuntur Romæ vulgo ab Aulicis hæ ſpecies verborum Complimenta & Ceremoniæ, hisq. paſsim inter ſe vtuntur: magisq. qui ſe oderunt, quam qui inuicem ſe vere diligunt.

Cunctaq. quæ Germanicus indulſerat, ſeruauit, etiam apud Pannonicos exercitus.

PRAECEPTVM vtiliſsimum omnibus Principibus ex hac Tiberij actione elici poteſt. Vt ſcilicet ſtatim fidem ſuam liberent in his omnibus, quæ ſuo nomine promiſerint illorum miniſtri exercitibus, illisq. quorum in manu eſt Reſpub. Secus enim & dedecus, & periculum maximum incurrent.

Eodem anno Iulia ſupremum diem obijt, ob impudicitiam olim a patre Auguſto Pandateria inſula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clauſa.

DECET Principes mulierum ſuarum impudicitiam pœna coërcere.

Fuerat in matrimonio Tiberij, florentibus Caio & Lucio Cæſaribus, ſpreueratq. vt imparem.

VERISSIMA eſt ſententia in matrimonijs: Nubendum eſſe paribus. Nam ferme ſemper mulier coniuge ſuo nobilior, eum ſpernit: vnde odium, a quo adulteria, & ſæpe funeſti exitus. Et primum ſemper impudicitiæ in muliere ſignum eſt, ſpernere maritum: cui eam parere, omnes leges & diuinæ, & humanæ volunt, & iubent.

nec alia tam intima Tiberio cauſa, cur Rhodum abſcederet.

MISERENDVM eſt eius, qui cum infamiam in ceteris rebus declinet omni ſtudio; vxorem habeat ſe altiorem; cuius impudicitiam cum videat, punire nequeat ob ſuorum metum. Ideo caute aget, ſi aliquo colore quæſito, ab ea abſcedet.

Imperium adeptus, extorrem, infamem, & poſt interfectum Poſthumum Agrippam omnis ſpei egenam, inopia, ac tabe longa peremit,

INFINITIS exemplis probari poſſet, mulieres omnes, quæ impudicitiæ, ac libidini ſuæ modum ponere neſciuerunt, triſtiſsimum exitum habuiſſe. Nec ſperent vxores, quæ fidem frangunt viris de ipſorum lenitate, vel miſericordia. Nam, vt ait Sapiens Prouerb. vi. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquā precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.

obſcuram fore necem longinquitate exilij ratus.

EORVM qui in exilio longinquo moriuntur, obſcuri ſunt interitus. Aliter tamen Philoſophis viſum. Et de hoc vide Plutarchum, in libello, de exilio.

Par

Par cauſa ſæuitiæ in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, ſolers ingenio, & praue facundus, eandem Iuliam in matrimonio Marci Agrippæ temerauerat.

SOLERTES ingenio, & praue facũdi, aptiſſimi ſunt ad alliciendos feminarum animos, atque eas corrumpendas. Sic infra lib. v. Annal. de Fuſio conſule Auctor, inquit: Aptus alliciendis feminarum animis, dicax idem: & quæ ſequuntur. Porro dubium non eſt, quòd præſtat eſſe rudem diſciplinarum, quàm illis male vti.

Nec is libidini finis: traditam Tiberio peruicax adulter contumacia, & odijs in maritum accendebat.

MVLTA alia damna omittendo, quæ ab adulteris proueniunt, illud eſt grauiſſimum, quòd eorum opera odium inter eos inducitur, qui in vna carne duo eſſe deberent: ſemper enim in maritos vxores accendere ſolent: & ſic fidem matrimonij extinguunt. Et eſſe non poteſt, vt mulier eadem & adultera ſit, & mariti amans. Ideo haud abſq. ratione grauiſſimas pœnas huic delicto leges infligunt. Et ſuper hac re ſpecificam conſtitutionem iuſtiſſime edidit SIXT. V. Pont. Max.

Litæreq. quas Iulia patri Auguſto cum inſectatione Tiberij ſcripſit, a Graccho compoſitæ credebantur. Igitur amotus Cercinam Africi maris inſulam, quatuordecim annis exilium tolerauit. Tunc milites ad cædem miſſi inuenere in prominenti littoris nihil lætum opperientem.

IVRE cecinit Maro noſter in x. Æneidos

Agnouit longe gemitum præſaga mali mens:

Nam fere ſemper accidit, vt ille, cui exitium, aut clades aliqua inſtat, nihil læti animo præſagiat. Ægri & infirmi more, cui, antequam eum domeſtica febris inuadat, & cogitationes, & ſtatus, & venarum pulſus, prænunciare aduenientem morbum ſolent.

Quorum aduentu breue tempus petiuit, vt ſuprema mandata vxori Alliariæ per literas daret, ceruicemq. percuſſoribus obtulit; conſtantia mortis haud indignus Sempronio nomine, vita degenerauerat.

ETIAM in modo perferendæ mortis magnam laudem conſequi poſſumus. Adeo vt ſæpe, qui in toto vitæ tempore ignauiter, & turpiter vixerunt, in hoc ſibi vltimo actu exæquarint fortiſſimorum virorum laudem. Sic infra lib. ij. Hiſt. de Othone inquit Auctor: Duobus facinoribus, altero egregio altero flagitioſiſſimo tantundem apud poſteros meruit bonæ famæ, quàm malæ. In eandem ſententiam etiam Seneca loquitur in Epiſt. xxiij.

Quidam non Roma eos milites, ſed ab L. Aſprenate proconſule Africæ miſſos tradidere, autore Tiberio, qui famam cædis poſſe in Aſprenatem verti fruſtra ſperauerat.

SAEPIVS dictum eſt, & nunc iteratur: Earum quæ odium pariunt rerum, Principes per ſeipſos patratores eſſe non debere: ſed ea per miniſtros agere, quaſi ipſis ignorantibus. Sed ſæpe id fruſtra fit: nam cum palam ſunt, & omnibus nota, eo magis viſuntur, quanto magis enitimur, vt recondantur. vt infra lib. iij. Hiſt. inquit Auctor: Et famam ſupprimentes augebant. De Vitellianis loquendo.

Idem annus nouas cæremonias accepit, addito ſodalium Auguſtalium ſacerdotio, vt quondam T. Tatius retinendis Sabinorum ſacris ſodales Tatios inſtituerat. Sorte ducti e primoribus ciuitatis vnus & viginti; Tiberius, Druſusq. & Claudius, & Germanicus adijciuntur.

HAEC eſt compendioſa ratio, qua Principes alicui cœtui ab ipſis nuper inſtituto dignitatem maximam addere poſſunt: ſeipſos in illorum ſodalium numerum adſcribere. Inde enim primarius quiſque vir inter ipſos connumerari omni ſtudio quæret. Exempla huius rei nobis præclara præſtant tam potentiores Reges Europæ, quam etiam Principes Italiæ: qui in ſocietatibus ſub religionum diuerſarum nomine ab ipſis fundatis, hanc viam ſequuti ſunt.

Ludos

Ludos Auguſtales tunc primum cœptos turbauit diſcordia ex certamine hiſtronum. Indulſerat ei ludicro Auguſtus, dum Mecœnati obtemperat effuſo in amorem Bathylli.

VERE poteſt gratia ille Aulicus apud Principem, qui ad ſibi obtemperandum in ludicris ipſum inducit.

Neque ipſe abhorrebat talibus ſtudijs, & ciuile rebatur miſceri voluptatibus vulgi.

SICVT ſupra obſeruauimus, maximam a Principe apud vulgum gratiam ſibi conciliari indumentis vtendo, quibus ipſum vtitur; ſic etiam fatendum eſt, miſceri eum voluptatibus vulgi, & ciuile eſſe, & maximum fauorem illi parere: ſed id ſaluo ſemper, & incorrupto Principis decore, eſt faciendum.

Alia Tiberio morum via.

FERME ſemper Principes diuerſam morum viam ab anteceſſore ſequuntur: pręſertim ſi non ſucceſſionis iure, ſed electionis, alioue aliquo ipſi ſufficiuntur.

ſed populum per tot annos molliter habitum, nondum audebat ad duriora vertere.

VT in corporibus accidit, quaſi a lunga viuendi conſuetudine ad diuerſam trahas, alterari maxima cum pernicie videbimus: ita & in Populorum moribus dicendum eſt euenire: qui ſi molliter per multos annos habiti fuerint, non ſine maximo periculo, ad duriora vertentur. Prudens ideo Princeps, qui recens ad aliquem populum regendum acceſſerit, diligenter ejus inclinationes calleat; ne in contrarium eum trahendo, conſpirationes & tumultus ſuo cum damno commoueat. Hac in re prudenter ſe geſſit vſque ab initio ſuę dominationis OCT. FAR. Plac. ac Parmę Dux ſereniſſimus qui omnibus in rebus ſe aptauit Placentinorum humoribus: nihil eos a prioribus inſtitutis flectendo, aut vertendo. Immo ſeipſum illorum voluptatibus indulgentem prębuit: & penitus ſe cum illis conformauit, ſaluo tamen ſemper Ducis decore.

Druſo Cæſare, C. Norbano COSS. decernitur Germanico triumphus, manente bello, quod quamquam in æſtatem ſumma ope parabat, initio veris, & repentino in Chattos excurſu præcepit.

INITIVM veris tempus eſt maxime opportunum ad pręcipienda bella, quę ſumma ope in aliquem parantur. Et nota tu, qui militarem ſequeris diſciplinam, hoc verbum, pręcepit. Eſt enim vnum ex terminis militaribus bellorum. Quę cum quatuor generum a peritis Ducibus eſſe cenſeantur. Offenſiuum ſcilicet, Defenſiuum, Pręuentiuum, & Diuerſiuum: hoc verbum Pręcipere: refertur ad genus belli pręuentiui.

Nam ſpes inceſſerat diſſidere hoſtem in Arminium ac Segeſtem inſignem vtrumq. perfidia in nos, aut fide.

TVNC rei bene gerendę ſe offert Duci exercitus occaſio; quum hoſtium imperatores inter ſe diſſident. Sic infra lib. 3. Hiſt. Auctor de Primo loquens inquit: Vbi hęc comperta Antonio, diſcordes animis; diſcretos viribus hoſtium exercitus aggredi ſtatuit.

Arminius turbator Germaniæ,

QVIA hic eſt primus locus, quo de Arminio loquitur Auctor: nolui pręterire, quòd duo in his ſcriptis recenſentur Duces turbatores Prouinciarũ inſignes, qui maxime Aurantio Principi Belgarum erga Sereniſſ. PHIL. REG. Hiſpaniarum turbatori, ſimiles fuerunt. Arminius nempe, & Ciuilis: de quo infra lib. v. Hiſt. Porro, in exitu fuit & Arminius ſimillimus Aurantio: cum tam hic, quàm ille, fraude ſuorum ceciderit. Ciuilis vero, in eo, quòd ſicut Aurantius ſic ipſe etiam Belgas conciuit, ſed non in exitu: quia ipſe reſipuit, & ſe Veſpaſiano dedidit. Ideo non ſine fructu legentium ſit ipſorum comparatio.

Segeſtes parari rebellionem ſæpe alias, & ſupremo conuiuio, poſt quod in arma itum, aperuit, ſuaſitq. Varo vt ſe, & Arminium & ceteros proceres vinciret:

RECTE creditur illi, qui hoſtium conſilia prodit, & inſidias; cum pignus fidei ſuę, ſeipſum in tua poteſtate tradit. Quem cuſtodire debes, nec ab ipſo prodita eſſe hoſtium conſilia, illis venire in cognitionem queas...

nihil auſuram plebem principibus amotis,

MERITO aliqui dixerunt, plebem & populum, eſſe belluam multorum capitum: nam ab illis recta & impulſa, magna agitat, & mouet. Sed principibus amotis, qui capitum vice illam regunt, nihil audet.

atque ipſi tempus fore, quo crimina, & innoxios diſcerneret.

IN Principe caput omnium eſt, ſi bene regere voluerit, crimina, & innoxios diſcernere. Sic ſupra proxime de Tiberio inquit Auctor: Principem longa experientia, eundemq. ſeueritatis, & munificentiæ ſummum vidiſſent.

Sed Varus fato, & vi Arminij cecidit.

FATO certe: nam omnia Arminij conſilia nouerat. Vide Dionem lib. lvi. Hiſt. Inde illud,

Ducunt volentes fata, nolentes trahunt.

Nomen tamen hoc, fatum ſcilicet, inane eſt, & falſo illi ab antiquis potentia & numen attribuebatur: omnia enim Dei. Opt. Max. nutu & prouidentia gubernantur, & diſponuntur. & fatum, fortuna, nihil in ſe habent roboris, nec veritatis.

Segeſtes, quamquam conſenſu gentis in bellum tractus, diſcors manebat, auctis priuatim odijs, quòd Arminius filiam eius alij pactam rapuerat:

ODIORVM priuatorum ea ſunt maxima, quæ a contumelijs mulierum originem trahunt: & ex his capitales inimicitias oriri, etiam ſacri Canones teſtantur. c. Accedens. ıl. 2. vt lite non conteſt. lib. Decret. Et quamuis ab aliquibus credatur, quòd Principibus nouis pro ſua ſecuritate conducat, inter ſubditos priuatas diſcordias fouere: vt hoc modo, ſeipſos inuicem conterendo, pauperes & diſperſi efficiantur, & nihil ipſi nocere poſtea poſsint: tamen ego audeo affirmare, quòd nedum vtile hoc, ſed potius exitioſum omnibus Principibus erit. Nam vſus docuit, priuatas ſubditorum diſcordias, niſi continuo Principis vigilantia extinguantur, ipſi, & Reipublicæ exitium parere. Omitto nunc referre, quàm impium, & ab humanitate abhorrens, nedum a Chriſtiana religione cenſeri debeat: illos enim ſaluti & beneficio Dei voluntati præpoſitus es, per diſcordias, & ſeditiones perdere, & peſſundare.

gener inuiſus inimici ſoceri

QVID referant Generi & Soceri inimicitiæ, Cæſar & Pompeius clare docuerunt. Etſi aliqui, inter quos eſt Lucanus Poeta, velint, quòd mors Iuliæ aditum malis omnibus ciuilibus patefecerit: quaſi, ſi illa vixiſſet, & Patrem, & maritum retinere potuiſſet. Sed hoc eſt diuinare.

Verſus Lucani ſunt: in lib. j. Pharſaliæ.

. . . . pignora iuncti.
Sanguinis, & diro ferales omine tædas
Abſtulit ad manes, Parcarum Iulia Sæua
Intercepta manu. Quòd ſi tibi fata dediſſent
Maiores in luce moras; tu ſola furentem,
Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem
Armataſq. manus excuſſo iungere ferro,
Vt generos ſoceris mediæ iunxere Sabinæ. & quæ ſequuntur.

quæque apud concordes vincula charitatis, incitamenta irarum apud infenſos erant.

IVRA ſanguinis, ſi conſiderantur apud concordes, ſunt vincula charitatis: ſi apud infenſos, ſunt incitamenta irarum. Sic infra Auctor 2. Hiſt. inquit: vt ſunt acerrima proximorum odia.

Igitur Germanicus quatuor legiones, quinque auxiliarium millia, & tumultuarias cateruas Germanorum cis Rhenum colentium Cæcinnæ tradit: totidem legiones, duplicem ſociorum numerum ipſe ducit: poſitoq. caſtello ſuper veſtigia paterni præſidij in monte Tauno, expeditum exercitum in Chattos rapit, L. Apronio ad munitiones viarum & fluminum relicto.

DVX prudens, per loca hoſtilia pergens, ſi in regreſſu imbres & fluminum auctus timet: virum aliquem, qui munitiones viarum & fluminum curet relinquere debet.

Nam

Nam, rarum illi cœlo, ſiccitate, & amnibus modicis inoffenſum iter properauerat, imbreſq. & fluminũ auctus regredienti metuebantur. Sed Chattis adeo improuiſus aduenit,

CELERITAS, maxima eſt in Duce exercitus virtus. Ea enim improuiſo adueniens hoſti, opprimit eum antequam ille ſe inſtruat. Claudij Neronis celebris fuit illa, qua Aſdrubalem oppreſſit. Auorum noſtrorum temporibus Gaſto Foxius LVDOVICI XII. Regis Gallorum nepos ex ſorore, & Liuianus Venetorum Imp. hac parte maxime polluerunt. Guicciar. Hiſto. Ital. lib. x. & xij.

vt, quod imbecillum ætate ac ſexu ſtatim captum, aut trucidatum ſit:

INTER cetera mala, qua imbecillitas ſexus & ætatis affert, hoc eſt maximum: quòd vrgentibus periculis, nec ſe tutari, nec effugere permittit. Hoc lepide Sulmonenſis poeta expreſſit illis verſibus.

> Tres ſumus imbelles numero, ſine viribus vxor,
> Laerteſq. ſenex, Telemachuſq. puer.

iuuentus flumen Adranam nando tramiſerit: Romanoſq. pontem cœptantis arcebant, dein tormentis, ſagittiſq. pulſi, tentatis fruſtra conditionibus pacis,

GLORIAM tantum affert victori pax, quam hoſtibus concedit; ſed victo affert ſalutem. Vnde cum pro illo ſpecioſa ſolum, & pro hoc vtilis reperiatur; nil mirum, ſi fruſtra plerumque victi tentant pacem. Sic infra lib. iij. Hiſt. Auctor de Primanis loquens, inquit: Quod ſi lucem operiantur, iam pacem, iam preces, & pro labore ac vulneribus, clementiam & gloriam inania laturos.

cum quidam ad Germanicum perfugiſſent, reliqui, omiſſis pagis, viciſq. in ſiluas diſperguntur. Cæſar, incenſo Mattio, id genti caput,

MAXIMVM hoſtibus terrorem incutit Dux, incendendo aut euertendo vrbem, aut locum, qui ſit eorum caput, & receptaculum.

aperta populatus, vertit ad Rhenum, non auſo hoſte terga abeuntium laceſſere: quod illi moris, quoties aſtu magis quam per formidinem ceſſit.

NON ſemper per formidinem cedit hoſtis, ſed ſæpe aſtutia, vt in inſidias te adducat.

Fuerat animus Cheruſcis iuuare Chattos, ſed exterruit Cæcinna huc illuc ferens arma.

AD nudandos hoſtes auxilijs omnibus, expedit ſocios illorum proprio damno exterrere; arma apud illos ferendo, vt animum iuuandi illos relinquant.

& Marſos congredi auſos proſpero prælio cohibuit. Neque multo poſt legati a Segeſte venerunt, auxilium orantes aduerſus vim popularium, a quis circumſedebatur, validiore apud eos Arminio, quando bellum ſuadebat.

APVD populum validior eſt ſemper, qui ei res ipſi acceptas ſuadet: vt Arminius apud Germanos feroces, bellum ſuadendo, Segeſte qui pacem valebat, ſuperior erat.

Nam barbaris quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus,

BARBARORVM hac eſt natura; vt quos audaciores vident, eos magis fidos exiſtiment. Et eſt ratio illius, quod ſupra dixit.

rebus commotis potior habetur.

HAVD dubie, quando res ſunt commotæ, potior habetur is, qui audacia eſt magis promptus. Cenſetur enim magis idoneus, cui res committantur bello gerenda.

Addiderat Segeſtes legatis filium nomine Segimundum. Sed iuuenis conſcientia cunctabatur. quippe anno, quo Germaniæ deſciuere, ſacerdos apud aram Vbiorum creatus ruperat vittas, profugus ad rebelles.

SEMPER hoc naſcitur a mala conſcientia: cunctatio & diffidentia; vt hic in filio Segeſtis erga Romanos.

Adductus tamen in ſpem clementiæ Romanæ, pertulit patris mandata, benigneq. exceptus, cum præſidio Gallicam in ripam miſſus eſt.

EOS, qui ab hoſtibus ad noſtram clementiam confugiunt, ſemper benigne excipere debemus: vt alijs animum, ſimile faciendi demus. Idq. facere etiam debemus, quamuis a nobis alias defecerint: præſertim ſi auctoritate & gratia apud ſuos pollent. Nam eorum ope, & clementia noſtra fama, retinebimus in officio prouincias totas, quæ alioquin vi & ſæuitia irritata, a nobis deſciſcere poſſent, & vna cum hoſtibus noſtris ſe coniungendo, periculum ingens nobis faceſcere.

Germanico pretium fuit conuertere agmen; pugnatumq. in obſidentis: & ereptus Segeſtes magna cum propinquorum, & clientium manu.

CONDVCIT multum Duci exercitus, illos qui pro ſe apud hoſtes in pericula ſe coniecerunt, tutari, & omnibus viribus ſaluos ex eorum manibus eripere: aliter ſe imbecillum oſtendet, & ſpiritus hoſtibus augebit.

Inerant feminæ nobiles, inter quas vxor Arminij, eademq. filia Segeſtis, mariti magis quàm parentis animo,

MVLIERES ferme ſemper magis mariti, quàm parentis animũ ferunt in calamitate. Et ratio eſt in promptu: nam artius vinculum continet maritum & vxorem, quàm patrem, & filium. Nam vt habetur in ij. Geneſ. ſunt duo in carne vna: & ob hanc relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ. Idem etiam ex ore Saluatoris noſtri præcipitur nobis Matth. 19. & Marc. 10. Idem Paulus Apoſtolus monet. Epheſ. 5. & 1. Cor. 6.

neque victa in lacrymas, neque voce ſupplex, compreſſis intra ſinum manibus, grauidum vterum intuens.

RARVM eſt in muliere, quòd in maximo vitæ diſcrimine nec in lacrymas victa excitat, nec voce ſupplex.

Ferebantur & ſpolia Varianę cladis, pleriſque eorum, qui tum in deditionem veniebant, prædæ data. Simul Segeſtes ipſe ingens viſu, & memoria bonæ ſocietatis impauidus.

VETVS eſt dictum: virtus ſecuritatem parit. Ideo qui ſcit ſe nihil deliquiſſe, parum Iudicis faciem horreſcit.

verba eius in hunc modum fuere. Non hic mihi primus erga populum Rom. fidei & conſtantiæ dies.

EX hac Segeſtis oratione, obſeruare poſſumus, qualem deceat eſſe militis orationem: nempe apertam, veracem, & ſpiritus plenam: non fuco, non coloribus, aut calamiſtro ornatam. Inſuper diſcere, quòd cum tempus, & locus requirit, poſſunt a nobis merita noſtra libere commemorari: de qua materia vide elegantiſſimum Plutarchi tractatum, De ſui ipſius laude.

Ex quo a diuo Auguſto ciuitate donatus ſum, amicos, inimicoſq. ex veſtris vtilitatibus delegi;

HI ſunt vere nobis ſocij, qui amicos, inimicoſq. ex noſtris vtilitatibus ſibi diligunt: nec in duabus ſoleis, vt eſt in Adagio, pedem vnum tenent.

neque odio patriæ quippe proditores etiam ijs, quos anteponunt, inuiſi ſunt

NVLLA maior pœna eſt nequitia, inquit Seneca in Epiſt. 42. quàm quòd ſibi ac ſuis diſplicet. Hinc eſt, quòd proditiones quidem nobis accepta ſunt, ob commodum, quod nobis inde reſultat, ſed proditores ipſi ſemper inuiſi ſunt illis, quos etiam anteponunt. Certe Auguſtus in conuiuio id Rhametalici Tracia Regi exprobrauit, inquiens: Proditionem amo: proditorem non amo. Sed inuenti ſunt etiam magnanimi quidam, ac vere heroës viri; qui & proditionis commo-

dum ſpreuerunt, & proditores repulerunt. Camillus cum Faliſcis ſic egit, eis pædagogum vinctum, qui illi nobilitatem puerorum tradiderat, remittens Fabricius cum Pyrrho, Medici inſidias illi detegens. Temporibus noſtris PIVS. V. ſanctæ memoriæ Pontifex, cum in manibus habere ſummopere cuperet Marianum Aſculanum, facinoroſum exulum ducem, nec aliqua illi via ſuccederet; acceſsit ad ipſum amicus quidam ipſius Mariani, qui ſuæ Sanctitati ſe ipſum traditurum ſub ſpecie amicitiæ promiſit. Quod intelligens ſummus Pontifex, tale ſcelus audire noluit, ſed execratus hominis malitiam, illum eiecit. Vnde factum eſt, vt Marianus ipſe tanta Pontificis magnanimitate comperta, poſthac ſe ab infeſtandis Eccleſiaſticis regionibus, toto Pij. V. Pontificatus tempore, ſe abſtinuit. Hier. Cat. in vita.

verum quia Romanis Germaniſq. idem conducere, & pacem quàm bellum probabam ergo raptorem filiæ meæ, violatorem fœderis veſtri Arminium, apud Varum, qui tum exercitui præſidebat, reum feci. dilatus ſegnitia ducis,

EA eſt vera alicuius ſegnitia, quæ cum ſupremum periculum ſibi imminet, & ſe expedire ab eo commode poteſt; tamen differt, & ſibi exitium parit.

quia parum præſidij in legibus erat,

APVD flagitioſos, parum præſidij alicui in legibus ineſt. Nam cum ſint tria vincula, quæ homines a male faciendo deterreant: Religio, Pudor, & Pœna: hoc vltimum, quod a legibus imponitur, infirmius eſt ceteris duobus.

vt me & Arminium, & conſcios vinciret, flagitaui. Teſtis illa nox, mihi vtinam potius nouiſſima. quæ ſecuta ſunt defleri magis, quàm defendi poſſunt.

MISERIAE ſecutæ, magis defleri, quàm defendi poſſunt: hoc enim eſt impoſsibile, cum iam damnũ euenerit. In hanc ſententiam Liuius inquit: Præterita magis repræhendi, quàm corrigi poſſunt.

Ceterum & inieci catenas Arminio, & a factione eius iniectas perpeſſus ſum. atque vbi primum tui copia, vetera nouis, & quieta turbidis ante habeo;

ILLE vere eſt prudens, qui vetera nouis, & quieta turbidis antehabet, Et obſeruet Aulicus qui Romana in aula verſatur.

neque ob præmium, ſed vt me perfidia exoluam:

NVLLA poteſt eſſe virtus, niſi gratuita: inquit M. Tullius in v. Tuſc. Ideo ſi non ipſo honeſto mouemur, vt viri boni ſimus, ſed vtilitate aliqua, atque fructu, callidi ſumus non boni. teſte eod. I. de legib. Hinc eſt, quod fortes viri non tam præmia ſequi ſolent recte factorum, quàm ipſa recte facta. Idem pro Milone.

ſimul genti Germanorum idoneus conciliator,

DEBENT vtrique parti accepti eſſe & chari illi qui idonei conciliatores partiũ reperiuntur.

ſi pœnitentiam, quàm perniciem maluerit.

IMPRVDENTIS eſt, malle perniciem, quàm pœnitentiam. Idque magnopere cauendum illi qui cum validiore rem habet.

Pro iuuenta & errore filij veniam precor.

IVVENTA, in erroribus veniam meretur. Et in illo ætatis lubrico potius dicendum eſt errata procedere ab imprudentia, quàm a malitia, vel nequitia. Ariſt. in 2. Rhetor.

filiam neceſſitate huc adductam fateor. tuum erit conſultare, vtrum præualeat, quòd ex Arminio concepit, an quòd ex me genita eſt.

APVD nos plus debet valere, quòd aliquis ex amico noſtro genitus ſit, quàm quòd ex inimico generauerit. Hoc enim fauore illius, qui nobis adhæret, tribuendum eſt.

Cæſar clementi reſponſo liberis, propinquiſq. incolumitatem, ipſi ſedem veterem in prouincia pollicetur.

RESPONSA Principum erga ſupplices debent ſemper eſſe clementia plena.

Exercitum reduxit, nomenque imperatoris, auctore Tiberio, accepit.

SI vir primarius ſub Principe periculum & inuidiam circa honores proprios apud ipſum effugere cupit: hanc viam teneat, quam Germanicus tenuit cum Tiberio: a nemine alio ſibi eos deferri patiatur praterquam ab ipſo Principe.

Arminij vxor virilis ſexus ſtirpem edidit: educatus Rauennæ puer, quo mox ludibrio conflictatus ſit, in tempore memorabo. Fama dediti benigneq. excepti Segeſtis vulgata, vt quibuſque bellum inuitis, aut cupienribus erat, ſpe, vel dolore accipitur. Arminium, ſuper inſitam violentiam, rapta vxor, ſubiectus ſeruitio vxoris vterus vecordem agebant:

EXCVSABILIS quodam modo eſt vecordia in illo, qui qua ipſi ſunt, & omnibus hominibus debent eſſe cariſsima, & amiſit, & in poteſtate inimicorum ſuorum eſſe conſpicit.

volitabatq. per Cheruſcos, arma in Segeſtem, arma in Cæſarem poſcens. Neque probris temperabat, egregium patrem, magum imperatorem, fortem exercitum, quorum tot manus vnam mulierculam auexerint.

IMPRVDENTIS eſt, iacere probra in hoſtem, cum quo potius re, & armis agendum eſt: & qua iacta nihil damni ipſi inferunt; ſed iacienti ſæpe noxia, ſemper inutilia.

Sibi tres legiones, totidem legatos procubuiſſe. Non enim ſe proditione, neque aduerſus feminas grauidas, ſed palam aduerſus armatos bellum tractare:

FORTIS militis eſt, non proditione, & aduerſus mulieres; ſed palam aduerſus armatos bellum tractare.

cerni adhuc Germanorum in lucis ſigna Romana, quæ Dijs patrijs ſuſpenderit:

SIGNA, qua hoſtibus in acie auferimus, ſuſpendi Dys debent: in gratitudinem victoria eorum munere parta: qui mos hodie etiam manet.

coleret Segeſtes victam ripam: redderet filio ſacerdotium: hominem Germanos numquã ſatis excuſaruros quòd inter Albim & Rhenum virgas, & ſecures, & togam viderint: alijs gentibus ignorantia imperij Romani inexperta eſſe ſupplicia, neſcia tributa:

HAEC duo omnem principatum intolerabilem reddunt: ſupplicia, & tributa. Prima reſpiciunt corpora, & ſanguinem: ſecunda fortunas, & facultates. Vnde vt ſupra annotauimus, erumpunt ferme ſemper coniurationes.

quæ quando exuerint, irrituſq. diſceſſerit ille inter numina dicatus Auguſtus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adoleſcentulum, ne ſeditioſum exercitum paueſcerent:

SICVT in Duce peritia, & experientia formidanda hoſti eſt; & in exercitu vnio, & concordia: ita contra adoleſcentia imperita in illo; & ſeditio in hoc, contemnenda ſunt.

Si patriam, parentes, antiqua mallent, quàm dominos, & colonias nouas, Arminium gloriæ ac libertatis, quàm Segeſtem flagitioſæ ſeruitutis ducem ſequerentur.

DVCES gloria, & libertatis, magis quàm flagitioſa ſeruitutis ſunt ſequendi certe: ſed cauendum, ne libertas improſpere repetatur. Satius enim tunc eſt, quietam ſeruitutem retinere.

Conciti per hæc non modo Cheruſci, ſed conterminæ gentes,

IN duce ſeditioſorum multum valet ad augendam ſeditionem facundia. Flectit enim animos, & quocumque velit illa, eos rapit, ac trahit: præſertim quando libertatem ſuadet. Cuius ſpe, ſapiens quiſque ac probus vir omnia tentabit: & in illius adeptione, omnia ſe acquiſiuiſſe aſtimabit. Sed ſæpe ſumitur ab ambitioſis viris, & dominandi cupidis hoc ſpecioſum nomen obtentui: vt alibi obſeruauimus.

nanimus. Et infra lib.ij. Annal. in fine de hoc ipſo Arminio videbimus, quòd regnum affectans, libertatum popularium inuiſam habuit: petitusq. armis, tandem dolo propinquorum cecidit.

tractusq. in parteis Inguiomerus Arminij patruus, veteri apud Romanos auctoritate:

MVLTVM refert in ſeditione, quam aggrederis, trahere in tuam partem aliquem, qui ſit apud hoſtes tuos magna auctoritate. Hoc enim modo cauſſam tuam apud omnes iuſtificas, & corroboras.

vnde maior Cæſari metus.

MAGNAM habet cauſſam timendi Princeps, cum qui maxime apud ipſum pollent auctoritate: ad hoſtes deſciſcunt. Pro argumento enim ſuæ iniuſtitiæ & improbitatis ſumitur. Vnde diſcere poteſt Princeps: quod illis, qui maxima apud ipſum auctoritate quondam floruerunt, & rerum illius gnari ſunt, debet ſemper continuata ſerie, beneuolentiæ ſuæ ſigna impertiri: ſi non ex animo, ſaltem in ſpeciem. Ne illi ab ipſo abalienati, in ipſius perniciem graue aliquid moliantur.

& ne bellum mole vna ingrueret, Cæcinnam tum quadraginta cohortibus Romanis, diſtrahendo hoſti per Bructeros ad flumen Amiſiam mittit.

AD impediendum, ne bellum vna mole ingruat, conducit diſtrahere hoſtem.

Equitem Pedo præfectus finibus Friſiorum ducit. Ipſe impoſitas nauibus quatuor legiones per lacus vexit: ſimulq. pedes, eques, claſſes apud prædictum amnem conuenere. Chauci cum auxilia pollicerentur, in commilitium adſciti ſunt.

MERENTVR in commilitium tuum adſciſci, qui tempore tibi aduerſo auxilia pollicentur.

Bructeros ſua vrenteis expedita cum manu L. Stertinius miſſu Germanici fudit,

EORVM, qui tuas partes, ſequendo, incommoda ab hoſtibus patiuntur; ſemper debes curam habere, & res ſuas ab hoſtibus propulſare. Exiſtimatio enim tua alioquin multum amitteret.

interq. cædem & prędam reperit vndeuiceſimę legionis Aquilam cum Varo amiſſam. Ductum inde agmen ad vltimos Bructerorum: quantumque Amiſiam, & Luppiam amnes inter, vaſtatum, haud procul Teutoburgienſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari legionumque inſepultæ dicebantur. Igitur cupido Cæſarem inuadit

VALIDISSIMAE ſunt in Principibus cuiuſcumque rei, ad quam animum intendunt, cupidines. Ratio forſan eſt, quia ob magnam, quam obtinent, potentiam, quicquid cupiunt, id etiam perficere ſperant. Hinc, ſi bonus eſt Princeps, maxima bona euenient ſubditis: res enim excelſas & egregias concupiſcendo, eas ad finem perducet. Sin malus pernicioſus erit ſubditorum ſtatus: bona enim eorum, mulierum pudicitia, & ipſorum ſanguis præceps ibunt. Hinc ſemper Auctor noſter cum loquitur de Principibus, hanc cupidinis facem intendit: vt hic in Germanico. Sic infra lib.v. Annal. de Liuia loquens, inquit: Exin Cæſar cupidine formæ, aufert marito. Sic lib.ij. Hiſt. de Tito loquens, inquit: atque illum cupido inceſſit adeundi, viſendiq. templum Paphiæ Veneris. Et lib.v. Hiſt. de Ciuile, inquit: Ciuilem cupido inceſſit naualem aciem oſtentandi: & multis alijs in locis, quos ſtudioſe omittimus. Vulgo dicitur hoc epithetum de quolibet Principe voglioſo

ſoluendi ſuprema militibus ducique, permoto ad miſerationem omni, qui aderat, exercitu, ob propinquos, amicos denique ob caſus bellorum, & ſortem hominum:

IVRE miſeremur caſibus bellorum, & ſorti hominum; nam homines & nos ſumus eidem ſorti ſubiecti: & eoſdem caſus perpeti facile poſſumus.

præmiſſo Cæcinna, vt occulta ſaltuum ſcrutaretur, ponteſq. & aggeres humido paludum & fallacibus campis imponeret.

CVM Dux cum exercitu, per ſaltus hoſtium, aut per humida paludum, & campos fallaces vadit, debet ſemper præmittere, qui occulta ſaltuum ſcrutetur; & pontes & aggeres paludibus & campis imponat.

Incedunt mœſtos locos, viſuq. ac memoria deformes.

VERE ſunt mæſti loci, viſuq. ac memoria deformes illi, in quibus inhumata noſtrorū corpora iacēt. Sic Auctor infra lib.iij. Hiſt. de Vitellio loquens, inquit: Terret ſolitudo, & tacentes loci.

Prima

Prima Vari caſtra lato ambitu, & dimenſis principijs trium legionum manus oſtentabant : dein ſemiruto vallo, humili foſſa acciſæ iam reliquiæ conſediſſe intelligebantur. Medio campi albentia oſſa, vt fugerant, vt reſtiterant. diſiecta vel aggerata. Adiacebant fragmina telorum, equorumq. artus, ſimul truncis arborum ante fixa ora. lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas tribunos, ac primorum ordinum centuriones mactauerant.

EA eſt immanis barbaries : mactare ad aras, ceu victimas, captiuos hoſtes: qui iure belli debent eſſe immunes, & cum redemptione ſaltem dimitti. Similia hodie factitant Turcæ: vt in Famaguſtæ expugnatione erga Bragadinum, & Baleonum egerunt.

& cladis eius ſuperſtites pugnam, aut vincula elapſi referebant, hic cecidiſſe legatos, illic raptas aquilas, primum vbi vulnus Varo adactum, vbi infelici dextera, & ſuo ictu mortem inuenerit :

PRAECLARI duces, antiquitus ne in hoſtium manus viui peruenirent, ſeipſos potius interficiebant. Sic Brutus in Philippis: ſic Cato Vticæ: ſic multi alij antiqui egerunt. Hoc improbandum eſt : & religioni noſtræ aduerſatur.

quo tribunali concionatus Arminius, quot patibula captiuis, quæ ſcrobes : vtque ſignis, & aquilis per ſuperbiam illuſerit.

ELEGANS, & accurata Hypotipoſis; & in his mirum in modum Saluſtium æmulatur Auctor noſter.

Igitur Romanus, qui aderat, exercitus, ſextum poſt cladis annum, trium legionum oſſa, nullo noſcente alienas reliquias an ſuorum humo tegeret, omnes vt coniunctos, conſanguineos, aucta in hoſtem ira, mœſti ſimul & infenſi condebant.

IRA augetur eo modo quo oritur. Oritur porro ex damno, ſiue contumelia, nobis ſiue noſtrorũ alicui illata: ergo etiam quoties refricabitur harum rerum memoria, ſemper illa augebitur. Ariſtoteles in 2. Rhet.

Primum extruendo tumulo cœſpitem Cæſar poſuit,

DEBET dare Princeps exemplum ceteris, cum rem memorabilem aliquam aggreditur: inchoando ipſe ſemper opus illud, quod a ceteris poſtea perfici conuenit.

gratiſſimo munere in defunctos,

QVAE in defunctorum honorem, & memoriam impertimur, munera: ea gratiſſima omnibus eſſe debent.

& præſentibus doloris ſocius. Quod Tiberio haud probatum, ſeu cuncta Germanici in deterius trahenti,

SEMPER omnia recte facta & dicta noſtra ab æmulis in deterius trahuntur. Huic conſonat, quod Auctor infra lib. 1. Hiſt. inquit. Inuiſo ſemel Principe, ſeu bene, ſeu male facta premunt.

ſiue exercitum, imagine cæſorum, inſepultorumq. tardatum ad prælia, & formidoloſiorem hoſtium credebat:

TARDATVR ad prælia exercitus, & formidoloſior hoſtium efficitur, imagine ſociorum cæſorum ab illis, & inſepultorum.

Neque imperatorem auguratu, & vetuſtiſſimis cæremonijs præditum adtrectare feralia debuiſſe.

NON debet attrectare feralia Imperator exercitus, qui legitime & rite eſt creatus; non militum diſcordia, vel temeritate ad id dignitatis euectus.

Sed

Sed Germanicus cedentem in auia Arminium ſecutus, vbi primum copia fuit, euehi equites, campumq. quem hoſtis inſederat, eripi iubet. Arminius colligi ſuos, & propinquare ſiluis monitos, vertit repente; mox ſignum prorumpendi dedit ijs, quos per ſaltus occultauerat. Tunc noua acie turbatus eques, miſſæq. ſubſidiariæ cohortes, & fugientium agmine impulſæ auxerant conſternationem, trudebanturq. in paludem gnaram vincentibus, iniquam neſcijs ni Cæſar productas legiones inſtruxiſſet.

MVLTVM refert ab victoriam obtinendam, cognitionem habere locorum. Sic Auctor lib. v. Hiſt. inquit. Campos madentes, & ipſis gnaros, paludes hoſtibus noxias.

inde hoſtibus terror, fiducia militi,.

RESPONDENT ſe inuicem hæc: vt vnde hoſtibus terror, inde nobis fiducia afferatur.

& manibus æquis abſceſſum.

PHRASIS Salluſtiana: Nam in Catilinaria coniurat. inquit: Quòd ſi primo prælio Catilina ſuperior, aut æqua manu diſceſſiſſet. &c.

Mox reducto ad Amiſiam exercitu, legiones claſſe, vt aduexerat, reportat. Pars equitum litore Oceani petere Rhenum iuſſa. Cæcinna qui ſuum militem ducebat, monitus, quamquam notis itineribus regrederetur, pontes longos quàm maturrimè ſuperare. Anguſtus is trames, vaſtas inter plaudes, quondam a L. Domitio aggeratus: cetera limoſa, tenacia graui cœno, aut riuis incerta erant: circum ſiluæ paulatim adcliues, quas tum Arminius impleuit, compendijs viarum, & cito agmine, onuſtum ſarcinis, armiſq. militem cum anteueniſſet.

MVLTVM intereſt, expeditus ne, an ſarcinis onuſtus, & præda illigatus ſit exercitus. Hic enim ſemper ab illo profligabitur: cum vere & veterum, & recentium exempla oſtendunt: multo maiora, & plura facinora ab illo geri poſſe, quàm ab hoc, etſi multitudine ſuperior ſit.

Cæcinnæ dubitanti quonam modo rupros vetuſtate pontes reponeret, ſimulq. propulſaret hoſtem, caſtra metari in loco placuit, vt opus & alij prælium inciperent. Barbari perfringere ſtationes, ſeq. inferre munitoribus niſi laceſſunt, circumgrediuntur, occurſant: Miſcetur operantium bellantiumq. clamor. & cuncta pariter Romanis aduerſa Locus vligine profunda, idem ad gradum inſtabilis, procedentibus lubricus, corpora grauia loricis, neque librare pila inter vndas poterant. Contra Cheruſcis ſueta apud paludes prælia procera membra, haſtæ ingentes ad vulnera facienda, quamuis procul. nox demum inclinantis tum legiones aduerſæ pugnæ exemit. Germani ob proſpera indefeſſi,

QVANDO res proſpere cedunt, labor nos non fatigat: ſed ſumus indefeſſi. Idem lib. v. Hiſt. inquit: Germani proſperis feroces: & quæ ſequuntur.

ne tum quidem ſumpta quiete, quantum aquarum circumſurgentibus iugis oritur, vertere in ſubiecta, merſaq. humo, & obruto quod effectum operis, duplicatus militi labor. Quadrageſimum id ſtipendium Cæcinna parendi, aut imperitandi habebat,

IS vere in exercitu ſcit imperitare, qui ſciuit antea parere.

ſecundarum ambiguarumq. rerum ſciens eoq. interritus.

EX ſecundarum, & ambiguarum rerum ſcientia, viri euadunt interriti. Nam cum nihil illis occurrat, quod prius experti non fuerint; ſtatim remedia vtrique fortunæ applicant. In hanc ſententiam Auctor lib. j. Hiſt. infra inquit: proſperarum, aduerſarumq. rerum ſocios.

igitur futura voluens.

DECET prudentem, ſemper futura voluere. Hinc iure dictum.
Summum mente diem voluens, facile omnia temnit.

non

non aliud reperit, quàm vt hoſtem ſiluis coerceret, donec ſaucij, quantumq. grauioris agminis, anteirent.

MILITARI diſciplina hoc conuenit: vt ſi propter loci iniquitatem ab hoſte vrgetur Dux, præmittat impedimenta, & omne exercitus ſui inualidum, qua exitus commodius patet: atq. quoquo modo interim hoſtem eludat, ac ludificetur.

nam medio montium, & paludum porrigebatur planities, quæ tenuem aciem pateretur. Deliguntur legiones, quinta dextro lateri, vndeuiceſima in læuum, primani ducendum ad agmen, viceſimanus aduerſum ſecuturos. Nox per diuerſa inquies,

TRAHITVR nox inquies tam ob lætitiam, quàm ob mæſtitiam. Inde Philoſophus ille in paupertate viuere aſſuetus, cum illi Polycrates Samniorum tyrannus talentum dono dediſſet: & ipſe noctem inſomnem egiſſet, cogitando quomodo diſpenſaret tantam pecuniam: tandem illam abiecit, inquiens, ſe nolle quietem animi, tam leuis lucri cauſſa, perdere.

cum barbari feſtis epulis, læto cantu, aut truci ſonore ſubiecta vallium ac reſultantis ſaltus complerent: apud Romanos inualidi ignes interruptæ voces, atque ipſi paſſim adiacerent vallo, oberrarent tentorijs, inſomnes magis, quàm peruigiles:

DIFFERENTIA eſt inter inſomnem, & peruigilem. Primus abſque cura, & cum tædio ac mœrore animi agit: ſecundus attente munus ſuum curat, & attendit.

ducemq. terruit dira quies. nam Quintilium Varum ſanguine oblitum, & paludibus emerſum cernere & audire viſus eſt, velut vocantem; non tamen obſecutus, & manum intendentis repuliſſe.

DVBIVM non eſt: & pluribus exemplis probari poſſet, ea, quæ in ſomnijs videntur, tempore difficili, nobis lætitiam, ſeu terrorem afferre. Val. Max. fuſe in cap. De ſomnijs lib. j. Sic Virg. lib. iiij. Æneid. de Didone loquens, inquit.

Hinc exaudiri voces, & verba vocantis
Viſa viri, nox cum terras obſcura teneret.

Cœpta luce miſſæ in latera legiones, metu an contumacia locum deſeruere, capto propere campo humentia vltra.

DVABVS his de cauſis conſueuerunt milites non eſſe audientes dictis Imperatorum: metu, aut contumacia. prima auferri arte imperatoris debet, ſecunda caſtigari ſeuero ſupplicio.

Neque tamen Arminius, quamquam libero incurſu, ſtatim prorupit: ſed vt hæſere cœno, foſſiſq. impedimenta, turbati circum milites, incertus ſignorum ordo, vtq. tali in tempore, ſibi quiſque properus, & lentæ aduerſum imperia aures,

IN magno exercitus timore, quiſque ſibi eſt properus & lentæ ſunt ad imperia aures.

irrumpere Germanos iubet, clamitans, en Varus, & eodem iterum fato victæ legiones.

AD terrendum hoſtem, prodeſt res aduerſas, & clades antea a nobis illi inflictas reducere in memoriam.

Simul hæc, & cum delectis ſcindit agmen, equiſq. maxime vulnera ingerit. Illi ſanguine ſuo, & lubrico paludum lapſantes, excuſſis rectoribus, diſijcere obuios, proterere iacentes: plurimus circa aquilas labor, quæ neque aduerſum ferri ingruentia tela, neque figi limoſa humo poterant. Cæcinna dum ſuſtentat aciem, ſuffoſſo equo delapſus circumueniebatur, ni prima legio ſeſe oppoſuiſſet.

MAGNA laus eſt Ducis, in exercitus periculo aciem vſque ad vitæ exitum ſuſtentare: ſicut & militum, eum e manibus inimicorum omni conatu eripere.

Iuuit hoſtium auiditas, omiſſa cæde, prædam ſectantium.

SAEPE auiditate prædæ, exercitus victoriam amiſerunt. Vnde pulcherrimum illud Ioannis Iacobi Triultij CAROLO. VIII. Gallorum Regi conſilium in conflictu apud Tarum cum Italiæ

Italia confœderatis; relinquendi ſcilicet impedimenta in cuſtodita, & præda hoſtium expoſita: vt illi in hac re occupati, faciliorem ipſis tranſitum, quod ſummopere optabant redderent. Quod prout ipſe cogitauerat, euenit. Vide Guicciard. lib. 7. Hiſt. Ital. in hanc ſententiam Auctor loquitur & lib. iiij. Hiſt. inquiens: Sed obſtitit vincentibus prauum inter ipſos certamen, hoſte omiſſo, ſpolia conſectandi. Et lib. 5. Hiſt, idem inquit; Suam illic victoriam Germanis obſtitiſſe, dum omiſsis telis, præda manus impediunt.

eniſæq. legiones, veſperacente die, in aperta & ſolida. neque is miſeriarum finis ſtruendum vallum, petendus agger. Amiſſa magna ex parte, per quæ egeritur humus, aut excinditur ceſpes. non tentoria manipulis, non fomenta saucijs. infectos cœno, aut cruore cibos diuidentes, funeſtas tenebras, & tot hominum millibus vnum iam reliquum diem lamentabantur.

E*LEGANTISSIMA Hypotipoſis: & ſæpius relegenda: præſertim ab his, qui militiâ imperiti penitus non ſunt.*

Forte equus, abruptis vinculis, vagus, & clamore territus, quoſdam occurrentium obturbauit. tanta inde conſternatio inrupiſſe Germanos credentium, vt cuncti ruerent ad portas, quarum decumana maxime petebatur, auerſa hoſti, & fugientibus tutior.

I*N bellis, & exercitibus, errores multum poſſunt: & a paruis rebus maxima ſolent afferri conſternationes.*

Cæcinna, comperto vanam eſſe formidinem, cum tamen neque auctoritate, neque precibus, ne manu quidem obſiſtere, aut retinere militem quiret, proiectus in limine portæ, miſeratione demum, quia per corpus legati eundum erat clauſit viam, ſimul tribuni & centuriones falſum pauorem docuerunt.

A*D leuandum ex exercitu conſternato metum nihil debet relinquere intentatum fortis Imperator. Si auctoritas non prodeſt, nec preces, nec manus, ad extremum vitam ſuam in diſcrimen ponat, vt quoquo modo ipſos erigat, & ſuſtentet.*

Tunc contractos in principia, iuſſoq. dicta cum ſilentio accipere, temporis ac neceſſitatis monet:

D*ICTA Imperatoris ſunt cum ſilentio a milite accipienda.*

vnam in armis ſalutem, ſed ea conſilio temperanda:

O*PTIMA equidem eſt ſalus, quæ in armis conſiſtit: ſed arma ſunt conſilio temperanda. Vnde Principem & ducem exercitus oportet eſſe & leonem, & vulpem vt Liſander docebat Leonem ad perterrefaciendum hoſtes: vulpem ad euitandas illorum inſidias. Nec vna ſine altera ſufficit.*

manendumq. intra vallum, donec expugnandi hoſtes ſpe, propius ſuccederent, mox vndique erumpendum: illa eruptione ad Rhenum perueniri: quòd ſi fugerent, pluris ſiluas, profundas magis paludes, ſæuitiam hoſtium ſupereſſe. At victoribus decus gloriam, quæ domi cara, quæ in caſtris honeſta memorat. reticuit de aduerſis.

D*VX, cum milites ad pugnandum alacres reddere vult, memoret illis quæ domi ſunt cara, & in caſtris honeſta: ſed de aduerſis reticeat. Prima enim addent ſpiritus, ſecunda comminuent.*

Equos dehinc, orſus a ſuis, legatorum tribunorumque, nulla ambitione, fortiſſimo cuique bellatori tradit, vt hi, mox pedes, in hoſtem inuaderent.

I*NGRVENTE periculo, locus non debet eſſe ambitioni inter milites: ſed fortiſſimo cuiq. primæ partes dandæ. Qui tunc temporis dignoſcuntur, & a ceteris ſegregantur. Sed in pace, & cum res in tuto ſunt, nihil ab ignauo fortis diſcrepat.*

Haud minus inquies Germanus, ſpe, cupidine,

V*ERE ſunt inquieti, quiſpe, & cupidine, & alijs affectibus nimium rapiuntur.*

& diuerſis

& diuerſis ducum ſententijs agebat:

HAVD procul ab exitio ſunt res in illo exercitu, qui per plures duces, & diuerſos ſententiarum reguntur. Certe ob nullam aliam cauſſam Pompeius apud Pharſaliam victus a Cæſare eſt, niſi quòd ipſe ſolus non poterat imperare; ſed multi erant in ſuo exercitu pari auctoritate duces: qui diuerſa ſentiebant. Plut. in eius vita: & Lucanus: in Pharſalia.

Arminio, ſinerent egredi, egreſſosq. rurſum per humida, & impedita circumuenirent, ſuadente: atrociora Inguiomero, & læta barbaris, vt vallum armis ambirent, promptam expugnationem, plures captiuos, incorruptam prædam fore.

QVAE ſunt atrociora, eo ſunt Barbaris læta: & ſuadenti maiorem fidem acquirunt.

Igitur orta die, proruunt foſſas, inijciunt crates, ſumma valli prænſant, raro ſuper milite, & quaſi ob metum defixo. Poſtquam hæſere munimentis, datur cohortibus ſignũ, cornuaq. ac tubæ concinuere: exin clamore & impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes, non hic ſiluas, nec paludes, ſed æquis locis æquos deos.

SENSVS hic eſt. Cum inter duos exercitus æquo loco pugnatur, tunc victoria illis conceditur DEI munere, qui virtute præſtant. Quod euenire non ſolet, cum iniquo loco pars vna cum altera pugnat. Loci enim iniquitate virtus opprimitur. In hanc ſententiam: & in 4. Hiſt. inquit Auctor: Deos fortioribus adeſſe.

Hoſti facile excidium. & paucos ac ſemermos cogitanti ſonus tubarum, fulgor armorum quanto inopina, tanto maiora offunduntur,

MALA, quanto inopina accidunt, tanto ſunt maiora. Sic infra lib. xiiij. Annal. Nihil aduerſum hoc Neroni prouiſum: fortes etiam ſubitis terreri.

cadebantq. vt rebus ſecundis auidi, ita aduerſis incauti.

SEMPER accidit, vt qui rebus ſecundis ſunt auidi, aduerſis ſint incauti. Moderate enim neutram ferunt fortunam. & contrariorum, vt inquit Philoſophus, eadem eſt diſciplina.

Arminius integer, Inguiomerus poſt graue vulnus, pugnam deſeruere; vulgus trucidatum eſt donec ira, & dies permanſit: nocte demum reuerſæ legiones, quamuis plus vulnerum, eadem ciborum egeſtas fatigaret, vim, ſanitatem, copias, cuncta in victoria habuere.

TANTA eſt dulcedo victoriæ, vt etiam ſi cum magno tuo damno, & cruore eam adipiſcaris, tamen omnia incommoda illius ſolius nomine compenſes. Et vim, ſanitatem, copias, etſi reuera illic egeas, tamen in illa habeas. Sic & lib. iiij. Annal. inquit Auctor. parta victoria cuncta ipſis ceſſura.

Peruaſerat interim circumuenti exercitus fama, & infeſto Germanorum agmine Gallias peti; ac ni Agrippina impoſitum Rheno pontem ſolui prohibuiſſet, erant qui id flagitium formidine auderent.

NON eſt nouum, ob ingentem formidinem, maxima perpetrari flagitia ſolere. Hinc duces cauti, & prudentes omni ſtudio illam ex ſuorum militum animis euellere ſemper ſtudent.

ſed fœmina ingens animi, munia ducis per eos dies induit,

RARVM eſt, feminam adeo ingentis eſſe animi, vt in arduo belli diſcrimine, munia ducis induat, & exequatur. Temporibus noſtris Margarita Auſtriaca OCTAVII FARNESII Plac. & Parmæ Ducis vxor, Belgis talem ſe exhibuit: cum eos regeret.

militibuſque, vt quis inops, aut ſaucius, veſtem, & fomenta dilargita eſt.

IN hoc præcipue verſatur ducis benignitas in exercitu; vt militibus, vt quis eſt inops, vel ſaucius, veſtem ac fomenta dilargiatur.

Tradit

Tradit C. Plinius Germanicorum bellorum ſcriptor, ſtetiſſe apud principium pontis laudes & grates reuerſis legionibus habentem. Id Tiberij animum altius penetrauit.

ALTIVS Tyranni animum penetrant, quæ ad conciliandos ſuorum militum animos ab aliquo ambitioſe fiunt. Cum eos neque iuſſa, neque præmia niſi ab eo capeſſere fas ſit. Auctor infra lib. vi. Annal. de eod. loquens.

non enim ſimplices eas curas, nec aduerſus externos militem quæri: nihil relictum Imperatoribus, vbi femina manipulos interuiſat, ſigna adeat, largitionem tentet, tamquam parum ambitioſe filium ducis gregali habitu circumferat, Cæſaremq. Caligulam appellari velit.

VERE Princeps ſuſpicari de illo duce ſui exercitus poteſt, quòd non habeat ſimplices curas, nec tantum contra externos vim meditetur; cuius vxor manipula interuiſat, ſigna adeat, largitionem tentet, & filium habitu gregali circumferat, ſeditionesq. comprimat.

potiorem iam apud exercitus Agrippinam, quàm legatos, quàm duces: compreſſam a muliere ſeditionem, cui nomen principis obſiſtere non quiuerit.

INDECORVM eſt Principi; feminam comprimere ſeditionem, cui ipſius nomen obſiſtere nequiuerit.

Accendebat hæc, onerabatq. Seianus peritia morum Tiberij odia in longum iaciens:

STVDEAT Aulicus, peritiam morum Principis, cui inſeruit, acquirere. Commodum enim poterit odia eius in æmulos iacere, ſibiq. amorem conciliare. Sed primum malum eſt, & euitandum: ſecundum bonum, & cuique probo viro licet.

quæ reconderet, auctaq. promeret.

NON ſtatim Princeps affectus ſuos, amorem ſcilicet, & odium, promit. Sed ferme ſemper recondit: auctos demum profert. Ideoq. ante exitum, male cognoſci poſſunt, quos amet, quos odio proſequatur.

At Germanicus, legionum, quas nauibus vexerat, ſecundam, & quartamdecimam itinere terreſtri P. Vitellio ducendas tradit, quo leuior claſſis vadoſo mari innaret, vel reciproco ſideret. Vitellius primum iter ſicca humo, aut modice adlabente æſtu, quietum habuit. mox impulſu aquilonis, ſimul ſydere æquinoctij, quo maxime tumeſcit Oceanus, rapi, agique agmen. & opplebantur terræ; eadem freto, litori, campis facies. neque diſcerni poterant incerta ab ſolidis, breuia a profundis; ſternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus iumenta, ſarcinæ; corpora exanima interfluunt, occurſant, permiſcentur inter ſe manipuli, modo pectore, modo ore tenus extantes, aliquando ſubtracto ſolo diſiecti, aut obruti. non vox, & mutui hortatus iuuabant. Aduerſante vnda, nihil ſtrenuus ab ignauo, ſapiens a prudenti, conſilia a caſu differre, cuncta pari violentia inuoluebantur.

VBI temporis ſiniſtri conditio violentia ſua omnia inuoluit, nihil differt ſtrenuus ab ignauo; inſipiens a prudenti; conſilia a caſu. Et pulcherrima deſcriptio eſt hæc, qua vtitur Auctor noſter.

Tandem Vitellius in editiora eniſus, eodem agmen ſubduxit. pernoctauere ſine vtenſilibus, ſine igni, magna pars nudo, aut mulcato corpore, haud minus miſerabiles, quàm quos hoſtis circumſidet. Quippe illis etiam honeſtæ mortis vſus, his inglorium exitium.

MISERABILES ſunt, non hi quibus honeſtæ mortis eſt vſus: ſed quibus adeſt inglorium exitium. Huc mire pertinent illi Aeneæ apud Virg. in primo Aeneid. queſtus.

O terq. quaterq. beati
Quis ante ora virum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere. *& quæ ſequuntur.*

Lux reddidit terram. penetratumq. ad omnem Viſurgim, quò Cæſar claſſe contenderat. Impoſitæ deinde legiones, vagante fama ſubmerſas.

SEMPER citius mala, fama euagantur, quàm bona.

nec fides ſalutis, antequam Cæſarem exercitumq. reducem videre. Iam Stertinius ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segeſtis præmiſſus, ipſum & filium eius in ciuitatem Vbiorum perduxerat. data vtrique venia, facile Segimero; cunctatius filio: quia Quintilij Vari corpus inluſiſſe dicebatur. Ceterum ad ſupplenda exercitus damna certauere Galliæ, Hiſpaniæ, Italia, quod cuique promptum, arma, equos, aurum offerentes.

PVLCHRA eſt decertatio ſubditorum in obeundis obſequijs erga ſuum Principem: offerendo, quod cuique promptum, arma, equos, & aurum.

quorum laudato ſtudio Germanicus, armis modo & equis ad bellum ſumptis, propria pecunia militem iuuit.

SVBDITORVM, qui prompte in Principis neceſſitate omnia ſua exhibent, & offerunt, debet Princeps ſtudium quidem laudare: ſed ſolum e rebus illorum accipere, quæ ſibi neceſſaria ſunt, reliqua illis linquere.

vtque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire ſaucios, facta ſingulorum extollere, vulnera intuens, alium ſpe, alium gloria, cunctos alloquio, & cura, ſibique & prœlio firmabat.

COMITAS ducis in exercitu, cladis acceptæ memoriam lenit. Quæ comitas verſatur in circumeundo ſaucios, facta ſingulorum extollendo, vulnera intuendo, alium ſpe, alium gloria: cunctos alloquio & cura, ſibi firmando. Et haud dubie animi militum illi duci firmantur, quem ſibi comem, & munificum vident; Eſt enim in omnibus alijs veriſsima regula: Si vis amari, ama: Seneca in Epiſt. ix. quem vide.

Decreta eo anno triumphalia inſignia A. Cæcinnæ, L. Apronio, C. Silio ob res cum Germanico geſtas.

SAEPIVS diximus, & nunc repetimus: Principem numquam debere fraudare debitis præmijs virtutem. Periculoſa eſt enim bonorum virorum iniuria: quæ illis haud dubie infertur, cum honoribus meritis priuantur.

Nomen patris patriæ Tiberius a populo ſæpius ingeſtum repudiauit: neque in acta ſua iurari, quamquam cenſente ſenatu, permiſit.

TITVLOS, qui ſolum ſpeciem, & eam ſuperbam & alijs odioſam amplectuntur, renuat ſemper prudens Princeps nouus: & ea retineat, quæ vim imperij ſibi firment. Sic ſupra proxime de Auguſto: & poſito Triumuiri nomine: & quæ ſequuntur: vbi idem etiam obſeruauimus.

cuncta mortalium incerta, quantoq. plus adeptus foret, tanto ſe magis in lubrico dictans.

QVOTIDIE deberent omnes Principes hanc auream ſententiam mente reuoluere: nempe, Cuncta mortalium eſſe incerta: & quanto quis plus adeptus eſt, tanto magis eſſe in lubrico.

Sæpe enim . . . .
. . . . tolluntur in altum;
Vt lapſu grauiore ruant . . . .

non tamen ideo faciebat fidem ciuilis animi.

CVIVS facta diſcordant verbis, hic numquam fidem faciet ciuilis animi. Nam, vt in mille locis inquit Seneca, Quod loquitur, id agere debet ſapiens; & linguam cum operibus confirmare.

nam legem maieſtatis reduxerat, cui nomen apud veteres idem, ſed alia in iudicium veniebant; ſi quis proditione exercitum, aut plebem ſeditionibus, denique male geſta Rep. maieſtatem populi Romani minuiſſet, facta arguebantur, dicta impune erant.

EORVM, quæ lege maieſtatis continebantur, hæc præcipua erant capita: ſi quis proditione exercitũ, aut plebẽ ſeditionibus concitaſſet; denique male geſta Rep. maieſtatẽ principis imminuiſſet: & iis

& is vltimo ſupplicio afficiebatur: vt habetur fuſius in tit. Ad leg. Iul. maieſt. Sed in his etiam, quæ atrociſſima ſunt crimina, facta præponderare debent dictis.

Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis, ſpecie legis eius tractauit,

D*ERIVAVIT a lege maieſtatis cognitio de famoſis libellis: quorum nomine veniunt ſcripta procacia, quibus viri præcipue illuſtres, diffamantur. Et huic conſonat, quod inquit Seneca lib. iij. de Benef. cap. 27. nempe quòd ſub Auguſto, etſi nondum hominibus verba ſua erant periculoſa, attamen erant moleſta.*

commotus Caſſij Seueri libidine, qua viros feminasq. illuſtres, procacibus ſcriptis diffamauerat.

C*OERCENDVS pœna eſt, qui viros, & feminas illuſtres procacibus ſcriptis diffamat. Sic infra lib. xv. Annal. Auctor inquit: Quintianus mollis corpore infamis, & a Nerone probroſo carmine diffamatus, contumelias vltum ibat.*

mox Tiberius, conſultante Pompeio Macro prætore, an iudicia maieſtatis redderentur, exercendas leges eſſe reſpondit.

P*RINCEPS in hoc ſemper vigilet, vt leges exerceantur. ſub his enim innititur principatus ſalus.*

Hunc quoque aſperauere carmina incertis autoribus vulgata in ſæuitiã ſuperbiamq. eius, & diſcordem cum matre animum.

Q*VI Princeps nihil contra ſe ſcribi aut vulgari cupit; is ſic omnia agat, tamquam in conſpectu totius orbis ſemper viuat. Nihil enim horum, quæ Princeps, etiam in intima & ſecreta domus parte agit: latere homines poteſt, vt ſupra non ſemel obſeruauimus.*

Haud pigebit referre in Falanio & Rubrio, modicis equitibus Rom. prætentata crimina, vt quibus initijs, quanta Tiberij arte grauiſſimum exitium irrepſerit, dein repreſſum ſit, poſtremo arſerit, cunctaque corripuerit, noſcatur.

T*YRANNVS, qui aliquod ingens malum introducere in ciuitate meditatur; id non ſtatim aperte molitur; ſed primo leuibus initijs, & multa arte, veſtigia illius aliqua irrepere ſinit, quæ dehinc reprimit: vt poſtremo ardeat, & cuncta corripiat. Sic Tiberius egit, in reducenda lege maieſtatis. Et huc pertinent, quæ tradit Seneca lib. iij. de Benef. cap. 26. cum inquit: ſub Tiberio Cæſare fuit accuſandi frequens, & pene publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit.*

Falanio obijciebat accuſator quòd inter cultores Auguſti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Caſſium quendam mimum corpore infamem adſciuiſſet:

E*T ſupra etiam obſeruauimus, mimos, hiſtriones, & omnes qui ludicram artem profitentur, infames eſſe, & tales iure cenſeri. ff. de his qui not. inf.*

quodque venditis hortis, ſtatuam Auguſti ſimul mancipaſſet. Rubrio crimini dabatur violatum periurio nomen Auguſti.

C*VM irriſu erga idolatriam, & ſuperſtitionem gentis illius antiqua legi hæc debent.*

Quæ vbi Tiberio notuere, ſcripſit conſulibus, non ideo decretum patri ſuo cælum, vt in perniciem ciuium is honor verteretur.

H*ONORES non ideo claris viris decernuntur, vt in perniciem aliorum vertantur.*

Caſſium hiſtrionem ſolitum inter alios eiuſdem artis intereſſe ludis, quos mater ſua in memoriam Auguſti ſacraſſet. Nec contra religiones fieri, quòd effigies eius, vt alia numinum ſimulacra, venditionibus hortorum, & domuum accedant. Iuſiurandum perinde æſtimandum, quam ſi Iouem fefelliſſet, deorum iniurias dijs curæ.

D*EO curæ ſunt Dei iniuria, ſed tamen pium eſt, & fas, qui eum iniuria afficiunt, plectere.*

Nec multo poſt Granium Marcellum prætorem Bithyniæ quæſtor ipſius Cæpio Criſpinus maieſtatis poſtulauit, ſubſcribente Romano Hiſpone, qui formam vitæ iniit, quam poſtea celebrem miſeriæ temporum, & audaciæ hominem fecerunt.

MVLTVM refert, in qua tempora incidamus: nam forma vitæ noſtræ, celebritatem ex illorum conditione acquirit. Inde prudentis eſt ſe aptare tempori.

nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis ſæuitiæ principis adrepit,

SVB Tyrannis, illi qui egentes, ignoti, inquieti, occultis libellis eius ſæuitiæ arrepunt, mox clariſsimo cuique periculum faceſſunt; potentiam apud vnum, odium vero apud omnes adipiſcuntur. Et plus eſt egeſtas, quàm paupertas teſte Seneca. Epiſt. 17. & 18. & ſemper egentes ſunt ignoti, & inquieti. Concitati enim motus indigentiam ſignificant. Ariſt. 2. Ret.

mox clariſſimo cuique periculum faceſſit,

APVD Tyrannum ſemper viri clariſsimi plus periculi ceteris ſubeunt. Vnde nil illis ſalubrius, quàm longe cedere.

potentiam apud vnum, odium apud omnes adeptus,

QVID prodeſt homini potentia apud vnum, quam odium apud omnes comitatur? Cum enim veriſimile ſit, vnum prius e vita deceſſurum, quam eos omnes, qui te oderunt, vno illo ſublato, exitio certo expoſitus remanes. Ideo Aulicus prudens ijs medijs ſtudeat potentiam apud Principem nanciſci, quæ ab odio ceterorum diſiuncta ſit. Nam poſt eius mortem, multos amicos ſibi paratus inuenit, & illis fruitur.

dedit exemplum quod ſecuti ex pauperibus diuites, ex contemptis metuendi perniciem alijs, ac poſtremum ſibi inuenere.

QVI ſæuitiæ Tyranni miniſtri, exiſtunt; ſiunt quidem omnes ex pauperibus diuites, & ex contemnendis metuendi: ſed poſt perniciem alijs illatam, ſibi exitium poſtremo parant. In hanc ſententiam loquutur ſapiens Prouerb. 26. inquiens: Qui fodit foueam, incidit in eam, & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.

Sed Marcellum inſimulabat ſiniſtros de Tiberio ſermones habuiſſe: ineuitabile crimen cum ex moribus principis fœdiſſima quæque deligeret accuſator, obiectaretq. reo. nam quia vera erant, etiam dicta credebantur.

REO eſt ineuitabile crimen ſub Tyranno; cum ex eius moribus fœdiſsima quæque diligit accuſator, & ei obiectat: nam quia vera ſunt, dicta creduntur. Et hoc eſt genus ſceleſtorum hominum, alicui perniciem afferre cupientium. Quod enim ſciunt de Tyranno poſſe dici, vel fieri, id tamquam dictum, vel factum inſontibus obiectant. Hinc diſcant omnes, qui ſub tyranno viuunt, de illo numquam niſi neceſſario, & parciſsime loqui. Sic lib. vi. Annal. videbimus. Paconianum in carcere ſtrangulatum fuiſſe, ob ſola carmina in Principem factitata.

Addidit Hiſpo, ſtatuam Marcelli altius, quàm Cæſarum ſitam, & alia in ſtatua, amputato capite Auguſti, effigiem Tiberij inditam.

CAVENDVM eſt maxima diligentia, ne circa locum, quorum alius eſt alio honoratior, quidquam a prudenti Aulico peccetur, quod Principem offendere poſſit. Et in hoc conſideranda eſt non minus illius perſona, quàm illorum qui illum referunt, ac repræſentant.

ad quod exarſit adeo, vt rupta taciturnitate proclamaret, ſe quoque in ea cauſa laturum ſententiam.

QVAMVIS obſcurus ſit Princeps, & iram maxime condat: fieri tamen non poteſt, quin ſi palam ei crimina vera obiectentur, ira non ardeat, & taciturnitatem rumpat: vt in Tiberio hic annotari licet. Et hinc obſeruare poſſumus hanc tyrannorum præcipuam artem: qua cum aliquem perdere maxime cupiunt, tamen non eam cauſſam, qua vere illi infenſi ſunt, ſed honeſtiorem aliam aliquam affectui ſuo prætexunt: eiusq. obtentu, ſupplicium de illo, quem oderunt, ſumunt

palam,

palam, & iuratum, quo ceteris eadem neceſſitas fieret.

HIC eſt modus, quo Princeps efficiet, vt Senatus, ſeu quiuis alius ſibi morem aliquã in re gerat: nempe aperte declarare ore ſuo, quid animi ea in re habeat. Nemo enim erit, qui eius voluntati aduerſetur, ac ſuam operam illi non præſtet.

Manebant etiam tum veſtigia morientis libertatis.

REPVB. deſinente in Principatum, aliquantulum manent ſub nouo Principe veſtigia morientis libertatis. Idq. euenire dici ſolet, cum ceteris omnibus in fœdum ſeruitium, & deformem adulationem lapſis, aliquis reperitur tanta virtute, & conſtantia, vt ſolus aduerſari iniquæ Principis voluntati, ac ſe illi opponere audeat.

Igitur Cn. Piſo, Quo, inquit, loco cenſebis Cæſar? ſi primus, habebo quod ſequar: ſi poſt omnes, vereor ne imprudens diſſentiam.

OPTARE ſolet Senator, vt Princeps primus ſententiam dicat, nam habebit quem ſequatur. Et periculum euitabit diſſentiendi ab eo ob imprudentiam. Et id in ſæculo, & Republica corrupta excuſari poteſt: nam alioquin, Senatoris proprium munus eſt, veritatem ſolam præ oculis habere, omni alio reſpectu poſtpoſito.

permotus his,

ETIAM cum impotenti & ſæuo tyranno ſæpe liberæ reprehenſiones adeo valent, vt eius turpia conſilia impediant. Vnde diſcere poſſent conſiliarij omnes cordati, & probri, numquam formidare debere eius iram, quominus, quæ ſentiunt, libere dicant: periclitantibus enim opem ſemper ferre poterunt.

quantoque incautius efferbuerat, pænitentia patiens tulit abſolui reum criminibus maieſtatis.

SEMPER iram comitatur pænitentia: & qui incautius ea feruefcunt, ſolent eſſe patientes pænitentia. Et eſt euitanda hæc tum ſingulis mortalibus: tum maxime Principibus: vt enim habetur in Iob. cap. 5. Virum ſtultum interficit iracundia. Vnde præcipit idem cap. 36. Non te ſuperet ira, vt aliquem opprimas. Et Eccleſiaſt. 7. Memento iræ, quoniam non tardabit. Et non ſolum ab ira, ſed & ab hominibus iracundis cauendum eſſe docet nos Sapiens Prouerb. 22. inquiens: Noli eſſe amicus homini iracundo. Et præclare etiam Cicero. 1. Offic. inquit: Semper ira procul abſit, cum qua nihil recte, nihil conſiderate fieri poteſt. Quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, nec ijs, qui adſunt, probari.

de pecunijs repetundis ad reciperatores itum eſt. Nec patrum cognitionibus ſatiatus, iudicijs adſidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret:

SIT cordi Principi ſemper, nihil eorum, quæ in ciuitate, & in regione ſua aguntur, ignorare: præſertim de ijs, quæ in publicis iudicijs fiunt.

multaq. eo coram, aduerſus ambitum & potentium preces conſtituta. Sed dum veritati conſulitur, libertas corrumpebatur.

DEBET quidem Princeps, aduerſus ambitum, ac preces potentium remedia apta & idonea conſtituere: ſed id ſolum honeſti, & publica vtilitatis habita ratione. Verum quia Tiberius hac arte vtebatur, vt potentibus depulſis, & imminutis, ceteram populi multitudinem opprimere commodius poſſet, & ei omnem libertatem eripere: ideo prudenter inquit Auctor, quod dum veritati conſulebatur, libertas corrumpebatur. Hanc artem imitari mirifice ſolent Principes noui, qui recenter Reſpub. oppreſſerunt.

Inter quæ Pius Aurelius ſenator, queſtus mole publicæ viæ, ductuq. aquarum, labefactas ædis ſuas, auxilium patrum inuocabat. reſiſtentibus ærarij prætoribus ſubuenit Cæſar, pretiumq. ædium Aurelio tribuit, erogandæ per honeſta pecuniæ cupiens.

LAVS non vltima eſt in Principe, erogare pecuniam per honeſta. Quod SIXTVS. V. optime primo ſui Pontificatus ingreſſu fecit: magnis impenſis multa in Vrbis decorem & populorum ſalutem perficiendo.

quam virtutem diu retinuit, cum ceteras exueret.

NEMO adeo immanis eſt tyrannus, & vitÿs tantis præditus: vt non aliquam virtutem retineat, etſi ceteras omnes exuit. Nam ſi hoc non eſſet, nec vnum diem regnare ei liceret: cum vniuerſo hominum generi, inuiſus ſimul & contemptus efficeretur. Ideo ſi reuoluamus, quot fuerunt tyranni ab origine mundi, vſque ad hæc tempora: omnes ferme inueniemus aliqua virtute excellentes, etſi ex altera parte vitia præponderare cernantur.

Propertio Celeri prætorio veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies ſeſtertium largitus eſt, ſatis comperto, paternas ei anguſtias eſſe.

PAVPERTATEM naturalem Nobilium, ſubleuare propria pecunia Principem decet. Sed id, cum compertum eſt, eos vere pauperes eſſe.

tentantis eadem alios, probare cauſſam ſenatui iuſſit, cupidine ſeueritatis, in his etiam quæ rite faceret, acerbus.

INVENIVNTVR aliqui cupidi adeo ſeueritatis, vt etiam in his, quæ rite faciant, ſint acerbi, nedum ſeueri.

vnde ceteri ſilentium & paupertatem confeſſioni & beneficio præpoſuere.

SAEPE adeo pudet, paupertatem confiteri apud Principem; vt multi ſilentium cum paupertate, præferant confeſsioni cum beneficio.

Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis plana vrbis ſtagnauerat. Relabentem ſecuta eſt ædificiorum & hominum ſtrages.

HOC ſemper ſequi ſolet, vt flumina nimis aucta in ciuitatibus, cum relabuntur, ſequatur ædificiorum, & hominum ſtrages.

Igitur cenſuit Aſinius Gallus, vt libri Sybillini adirentur. Renuit Tiberius, perinde diuina humanaq. obtegens: ſed remedium coercendi fluminis Ateio Capitoni, & L. Aruntio mandatum.

PRINCEPS prudens quidem ÿs malis, quæ ciuitatem moleſtare poſſunt, debet remedia opportuna adhibere: ſed arcana quædam, quibus imperium ſuum nititur, ſemper obtegere & recondere. Cognitio enim eorum vulgata, ſibi obeſſe multum poſſet. Quòd porro omnis Principatus habeat quædam, quæ illius ratio faciat arcana, dubium non eſt. Et huc pertinet, quod infra lib. ÿ. Annal. Auctor de Auguſto inquit: Nam Auguſtus, inter alia dominationis arcana, vetitis, niſi permiſſu, ingredi Senatoribus: & quæ ibi ſequuntur.

Achaiam ac Macedoniam onera deprecantis leuari in præſens proconſulari imperio, tradiq. Cæſari placuit.

CVM prouinciæ iuſtis de cauſis adductæ erant Principem, vt illis onera leuet; tunc & debet princeps eorum precibus ſatisfacere: & saluti eius ſic conducit. Secus enim exuerent obſequium, & fidem erga ipſum.

Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris, ac ſuo nomine obtulerat Druſus præſedit, quamquam vili ſanguine nimis gaudens;

NIMIS gaudere vili ſanguine, quem homines effundunt, Principem, dedecet. Inducit enim ſuſpicionem crudelitatis, quam omni ſtudio a ſe remouere debet, vt odium gentium effugiat.

quod vulgus formidoloſum,

PROPRIVM hoc eſt vulgi, eſſe formidoloſum: ſupra: Terret ne paueat. & quæ ſequuntur.

& pater

& patrem arguiſſe dicebatur. cur abſtinuerit ſpectaculo ipſe, varie trahebant;

SI aliqua in re Princeps non eo modo ita ſe gerere poteſt, vt ſibi & reliquis ſatisfaciat; ſatius eſt eam linquere, quàm aggredi.

alij tædio cœtus, quidam triſtitia ingenij & metu comparationis, quia Auguſtus comiter interfuiſſet.

QVI eſt triſti ingenio Princeps, is a ſpectaculis abſtineat: præſertim ſi prædeceſſor ſuus, illis comes affuerit, ne ipſe eius comparatione parum gratus populo euadat, & exiſtimationem ſuam apud illum imminuat: qui maximam voluptatem capere ſolet, cum Princeps illis rebus delectatur, quæ grata ipſi ſunt.

Non crediderim ad oſtentandam ſæuitiam, mouendasq. populi offenſiones conceſſam filio materiam; quamquam id quoque dictum eſt.

MOVETVR populi offenſio, ſi Princeps qui ſpectaculis intereſt, nimis gaudere vili ſanguine conſpicitur. Arguunt enim inde animi eius ſæuitiam: quo nihil in Principe apud ipſos magis odioſum: vt ſupra dictum eſt. Vide Senecam in aureo tractatu de Clementia ad Neronem.

Theatri licentia proximo priore anno cœpta grauius tum erupit occiſis non modo e plebe, ſed militibus, & Centurione, vulnerato tribuno prætoriæ cohortis, dum probra in magiſtratus & diſſenſionem vulgi prohibent.

THEATRORVM & hiſtrionum ſemper peculiaris fuit licentia & petulantia. Vnde in pleriſque bene formatis ciuitatibus prohibentur.

Actum de ea ſeditione apud patres; dicebanturq. ſententiæ, vt prætoribus ius virgarum in hiſtriones eſſet. interceſſit Haterius Agrippa tribunus plebei, increpitusq. eſt Aſinij Galli oratione, qui ea ſimulachra libertatis Senatui præbebat, ſilente Tiberio.

SVPRA annotauimus, & nunc etiam repetimus; Principem nouum, qui Rempub. inuaſit, aliqua ſimulachra libertatis priſtinæ, ei relinquere debere: vt ea ſpecie ciuium animos demulcendo, a rerum nouarum cogitatione amoueat: vim imperij interim ipſe retinens.

valuit tamen interceſſio, quia diuus Auguſtus immunes verberum hiſtriones quondam reſponderat, neque fas Tiberio infringere dicta eius.

QVAM dicemus eſſe rationem, qua motus Principis noui ſucceſſor, numquam infringere debeat dicta, facta, & conſilia prædeceſſoris? eam certe: quòd cum omnia prædeceſſoris ſui acta, & conſilia ad hoc dirigerentur, vt dominationis vis firmaretur, reipub. vero libertas imminueretur: ſi ſucceſſor ſinet, vt in aliqua earum rerum auctoritas eleuetur, dubium erit, quin exemplum trahatur ad cetera omnia illius acta deſtruenda. Quod vt ad principatus noui extinctionem maxime tendere patet: ita econtra omnia prædeceſſoris obſeruari acta, & rationes, Principatum corroborare, & conſolidare perſpicuum eſt. Hinc Tiberius ne dicta quidem Auguſti infringi paſſus eſt. Porro Principum dicta obtinere illum locum apud homines, quem obtinent leges, reſponſa prudentum, & ſenatuſconſulta: nemo eſt, qui neſciat.

De modo lucaris, & aduerſus laſciuiam fautorum multa decernuntur, ex quis maxime inſignia: Ne domos pantomimorum ſenator introiret:

SENATORES ab ingreſſu domuum laſciuarum abſtinere debent. Quales erant Pantomimorum antiquitus: & proprie dicebantur illi, qui artem ſaltandi profitebantur. Vide Senec. Epiſt. 90.

ne egre-

ne egredientis in publicum equites Romani cingerent, aut alibi, quàm in theatro ſpectarentur, & ſpectantium immodeſtiam exilio mulctandi poteſtas prætoribus fieret.

IMMODESTIA ſpectantium ludos theatrales debet multari a magiſtratibus. Nec eos decet ſpectari a viris nobilibus alibi, quàm in theatro.

Templum vt in colonia Tarraconenſi ſtrueretur Auguſto, petentibus Hiſpanis, permiſſum, datumque in omnes prouincias exemplum.

CVM irriſu erga gentilium vanitatem hoc legi debet.

Centeſimam rerum venalium poſt bella ciuilia inſtitutam deprecante populo, edixit Tiberius militare ærarium eo ſubſidio niti,

ANTE omnia curet Princeps, vt militare ærarium ſubſidio certo nitatur: & certa pecunia, quæ in nullos alios vſus conuertatur. Et dicitur militare ærarium illud, ex quo ſola ſtipendia militibus perſoluenda expromuntur.

ſimul imparem oneri Remp. niſi viceſimo militiæ anno veterani dimitterentur. ita proximæ ſeditionis male conſulta, quibus ſexdecim ſtipendiorum finem expreſſerant, abolita in poſterum.

SEMPER aget prudenter Princeps, ſi abolebit ratione probabili ea, quæ a potentibus ſunt extorta violentia.

Actum deinde in ſenatu ab Arruntio & Ateio, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina & lacus, per quos augeſcit.

QVI vult fluminum inundationes moderari; vertat lacus, & amnes, per quos illi augeſcunt.

Auditæque municipiorum & coloniarum legationes, orantibus Florentinis, ne Clanis ſolito alueo demotus in amnem Arnum transferretur, idque ipſis perniciem adferret. Congruentia his Interamnates diſſeruere, peſſum ituros fœcundiſſimos Italiæ campos, ſi amnis Nar, id enim parabatur, in riuos diductus ſuperſtagnauiſſet. Nec Reatini ſilebant, Velinum lacum, quà in Narem effunditur, obſtrui recuſantes; quippe in adiacentia erupturum: optume rebus mortalium conſuluiſſe naturam, quæ ſua ora fluminibus, ſuos curſus, vtque originem, ita fines dederit:

NATVRA optime in omnibus conſuluit rebus mortalium. Id egit & in fluminibus quibus ſuos curſus, vtque originem, ita fines dedit. Et ſemper origini rei alicuius annexus eſt finis: vt cognoſcamus quicquid creatum eſt, ad interitum peruenire debere.

ſpectandas etiam religiones ſociorum, qui ſacra, & lucos, & aras patrijs amnibus dicauerint: quin ipſum Tiberim nolle prorſus accolis fluuijs orbatum minore gloria fluere.

EST gloria magnorum fluminum, fluere eos auctos aquis aliorum fluminum. Et hic eſt irridenda Gentilium ſuperſtitio, qui vt ſingulis amnibus numen præeſſe credebant, ſic eiſdem ſacra, lucos, & aras dicabant.

Seu preces coloniarum, ſeu difficultas operum, ſiue ſuperſtitio valuit, vt in ſententiam Piſonis concederet, qui nil mutandum cenſuerat. Prorogatur Poppæo Sabino prouincia Mœſia, additis Achaia & Macedonia. Id quoque morum Tiberij fuit, continuare imperia, ac pleroſque, ad finem vitæ in ijſdem exercitibus, aut iuriſdictionibus habere.

CVR Tiberius imperia & iuriſdictiones continuauerit; aliquibus mirum videtur; qui eum & callidum, & ſuſpicacem, & aliquid ſemper metuentem, obſeruarunt. Dubium enim non eſt, quin

eſt, quin noui principatus ratio poſtulet, vt quibus maxima Reipublicæ munia commiſſa ſunt, ij breui mutentur; ne ſcilicet imperij diuturnitas illos ad faſtum, & res nouas tentandas extollat. Hinc prudenter Mæcenas apud Dionem lib. lij. conſulit Auguſtum, vt omnibus illis, quibus aliquod extra vrbem committit imperium, neque minus triennij, neque plus quinquennij ſpatium in obeundo magiſtratu concedat: niſi quis aliquid deliquerit. Et rationem ſententiæ ſuæ pulcherrimam allegat, inquiens: Nam & annui illi magiſtratus, ac pauco tempore circumſcripti hoc habent, vt eum quis aliquid in ijs addidicerit, prius decedat, quàm eius ſpecimem exhibere poſsit: & diuturniora imperia multos ad faſtum, & tentandas res nouas extollunt. Ac paulo inferius ſubiungit; quòd hi, qui magiſtratus geſſerunt, domum reuerſi, ac priuatim viuentes, meliores redduntur. Quid ergo dicemus? Hæ enim cauſſæ, quas Auctor allegat, mihi ſatis validæ non videntur. Nec efficax mihi videtur illa, quam aliqui aſſerunt, quòd ille nihil ab ijs magiſtratibus metuebat, qui ab illo omnes erant beneficijs, & honoribus affecti, & proinde nullam cauſſam aut odij aut deſperationis habebant in illum inſurgendi. Reſponderi enim ad hoc poſſet, quòd numquam tam ſecurus eſt nouus Princeps, quin ſemper vereatur & metuat. Præſertim Tiberius qui ſuſpicaciſsimus erat, & ſemper timoris plenus. Ergo dicemus, aut in hoc hallucinatum fuiſſe Tiberium: aut, vt Tranquillo placet, hac in re curam Reipublicæ abiecisse.

Cauſſæ variæ traduntur:

MIRVM videri non debet, de Principum actionibus varias tradi cauſſas: cum eæ a pleriſque ignorentur. & quiſque pro libito ingenij eas inueniat, & aſſerat.

alij tædio nouæ curæ, ſemel placita pro æternis ſeruauiſſe.

PRINCIPES ſæpe tædio nouæ curæ, ſemel placita pro æternis ſeruant. ſic idem de eodem: Ne mutarent ſemel placita, & ſapienter reperta.

quidam inuidia, ne plures fruerentur. ſunt qui exiſtiment, vt callidum eius ingenium, ita anxium iudicium.

CVIVS Principis callidum eſt ingenium, illius anxium eſt iudicium erga eos, quorum opera neceſſario vti debet.

neque enim eminentis virtutes ſectabatur; & rurſum vitia oderat ex optimis periculum ſibi, a peſſimis dedecus publicum metuebat.

TYRANNVS hoc habet infelicitatis, vt bonis miniſtris numquam vti poſsit. Nam eminentes virtutes non ſectatur, & rurſum vitia odit. Ex optimis periculum ſibi, a peſsimis dedecus publicum metuit. Hinc illud Salluſtij in Coniurat. Catil. Regibus boni, quàm mali ſuſpectiores ſunt: ſemperque his aliena virtus formidoloſa eſt. Et notent Principes, quòd ipſorum eſt dedecus, quod a malis miniſtris reſultat: ideo conſiderare diligenter debent, quibus honores, & dignitates mandent.

qua hæſitatione poſtremo eo prouectus eſt, vt mandauerit quibuſdam prouincias, quos egredi vrbe non erat paſſurus. De comitijs conſularibus, quæ tum primum illo principe ac deinceps fuere, vix quidquam firmare auſim: adeo diuerſa non modo apud auctores, ſed in ipſius orationibus reperiuntur. Modo ſubtractis candidatorum nominibus, originem cuiuſque & vitam, & ſtipendia deſcripſit, vt qui forent, intelligeretur: aliquando ea quoque ſignificatione ſubtracta, candidatus hortatus, ne ambitu comitia turbarent, ſuam ad id curam pollicitus eſt.

AD leuandum ambitum candidatorum Princeps eos ſpe ac promiſsis moretur: ſic enim quiſque ſub ſe electionem caſuram ſperans, ab alijs medijs abſtinebit. Et in honoribus conferendis debet Princeps ſingulorum facta, vitam ac ſtipendia diligenter ponderare, potius quàm nomina. Nam hoc in caſu, is debet gradu præcedere alios, quem labor prolixior, & longiora ſtipendia faciunt anteire. l. iij. C. de offi. mag.

plerumq.

plerumque eos tantum apud ſe profeſſos diſſeruit, quorum nomina conſulibus edidiſſet. poſſe & alios profiteri, ſi gratiæ, aut meritis confiderent.

OBSERVANDA ſunt hæc duo media, quibus ad dignitates & honores aſſequendos, confidere homines debent: Gratia nempe, ac Merita. Rectè ideo Auctor noſter illam prapoſuit, nam ſemper fere merita videmus in Aulis poſthaberi gratiæ. Etſi gratia ipſa a meritis deſcendere apud Principes deberet, vt radius ex Sole.

ſpecioſa verbis, re inania, aut ſubdola: quantoq. maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infenſius ſeruitium.

QVAE Tyrannus dicit ſunt ſpecioſa verbis: re inania, aut ſubdola: quantoque maiore libertatis imagine teguntur, tanto ſunt eruptura ad infenſius ſeruitium. Sic ſupra proxime: ſed dum veritati conſulitur, libertas corrumpebatur.

Commentariorum in Primum Librum Annalium P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI
IN P. CORNELII TACITI
Annales Commentarij.

Ex Lib. II. Annal. P. Cornelij Taciti.

SISENNA Statilio Tauro, L. Libone COSS. mota Orientis regna prouinciæq. Romanæ, initio apud Parthos orto, qui petitum Roma, acceptumq. regem, quamuis gentis Arſacidarum, vt externum aſpernabantur.

NATVRALE quaſi omnibus populis eſt, Regem externum aſpernari. Et externus ille habetur, qui in aliena patria educatus, ac diuerſis moribus imbutus eſt.

Is fuit Vonones, obſes Auguſto datus a Phrahate. Nam Phrahates quamquam depuliſſet exercitus, ducesq. Romanos, cuncta venerantium officia ad Auguſtum verterat,

POTEST quis, ſalua ſua dignitate alterum venerari: nempe ſuperiorem, & potentiorem. Multum enim inter venerationem intereſt & ſeruitium. Hoc enim iuriſdictionem deſignat in illum, cui præſtatur.

partemq. prolis, firmandæ amicitiæ miſerat,

SIGNVM firmandæ amicitiæ apud Regem potentiſsimum eſt, partem prolis in eius aulam mittere.

haud perinde noſtri metu, quàm fidei popularium diffiſus.

PRINCEPS, qui popularium ſpei diffidit, ſubſidium in externorum amicitijs quærit: fœdus cum illis firmando.

Poſt finem Phrahatis & ſequentium regum, ob internas cædes, venere in vrbem legati a primoribus Parthis, qui Vononem vetuſtiſſimum liberorum eius accirent.

ET hoc fuit initium conſtituendi Regem apud populos: ſecundum Ariſt. in Polit. v. vt nempe inteſtinis malis medeatur.

Magnificum id ſibi credidit Cæſar, auxitq. opibus.

EST vere magnificum Principi, & Reipublicæ ab eis peti Reges, qui magnis gentibus imperitet. Et non ſolum Reges, ſed etiam leges, & regiminis modum, tam in pace, quàm in bello ſeruandum, vt feciſſe elapſis annis Norimbergæ Rempublicam cum Venetorum Republica, legitur. Quæ ad illam legatos miſit, vt leges acciperent, quis tam in pace quàm in bello vterentur. Eo modo quo Athenas antiquitus Romæ legati miſsi fuerunt, qui leges inde reportarunt, quæ poſtea in xij. tabulas conſcripſerunt. Et tale conſilium petendi leges a Venetorum Repub. inierunt etiam Sarmatæ populi hodie Poloni tempore inter regni: cum HENRICVS eorum Rex inde diſcedens, in Galliam iuit.

Et acce-

Et accepére barbari lætantes, vt ferme ad noua imperia.

HOC ſemper accidit ſubditis, vt lætantes ſint ad noua imperia. Cauſſæ alibi dictæ ſunt; ideo eas ſtudioſe nunc omittimus.

Mox ſubit pudor degenerauiſſe Parthos, petitum alio ex orbe regem hoſtium artibus infectum,

PETERE ex alio orbe regem, qui tibi imperet, res eſt pudenda: Quaſi inter tuos non ſit vir hac dignus maieſtate. Et hic eſt obſeruanda populorum inconſtantia, & volubilitas.

iam inter prouincias Romanas ſolium Arſacidarum haberi, darique: Vbi illam gloriam trucidantium Craſſum, exturbantium Antonium, ſi mancipium Cæſaris tot per annos ſeruitutem perpeſſum Parthis imperitet?

NON ſemper pudendum eſt ſeruire illi, qui iam ſeruierit. Nam ſæpe ratio bene imperandi addiſcitur ex ratione bene ſeruiendi.

Accendebat dedignantes & ipſe diuerſus a maiorum inſtitutis, raro venatu, ſegni equorum cura.

QVI regere pacifice populos velit, & hæreditario iure regnum obtineat: ab inſtitutis maiorum nihil diuertat: Nam dedignationem ſubditorum accendet.

quoties per vrbes incederet lecticæ geſtamine,

PRINCEPS, ſi contemnendi nomen & periculum euitare volet, ante omnia abſtineat ab omnibus illis rebus, quæ mollis & effeminati animi indicia eſſe poſſunt: amplectendo contra artem militarem, & ſimilia.

faſtuq. erga patrias epulas. inridebantur & Græci comites, ac viliſſima vtenſilium annulo clauſa:

DECORVM ab omnibus eſt ſeruandum in ſua fortuna. Ideo parſimonia, quæ in priuato laudabilis eſſet, in magno Principe culpa non caret. Sed quid dicemus de ſorditie? fatendum equidem eſt, hanc ſolam, ſi in Principe aliquo reperiri poteſt, illum principatus indignum arguere.

ſed prompti aditus, obuia comitas,

MAXIME animos populorum Principi conciliant prompti aditus, & obuia comitas. Virtutes certe Principibus tam neceſſariæ, vt ſine illis, non abſque infamia & periculo viuere poſſint. Has in SIXTO V. videre licet. Qui a primo mane vſque ad veſperam ſemper audiendis ſupplicum & ſubditorum precibus & querelis vacat. Et in ſe non patitur poſſe iaci illud ſcomma Adriano Imp. obiectum. Relinquere imperium. Et ſi in ſua optione & manu eſſet, nemo vmquam ab eius aditu, & congreſſu arceretur. Immo omnes horis omnibus admitteret. Idem etiam de PHILIPPO AVSTRIACO potentiſſimo Rege, & Monarca dici poteſt, qui & negotia ſemper pro ſolatijs accipit; & quoſcumq. ſuæ opis egenos, prompte ad res ſuas exponendas allicit, & mira in audiendo patientia reficit, & adiuuat.

ignotæ Parthis virtutes, noua vitia;

SOLET hoc eſſe peculiare prauis omnibus & male inſtitutis hominibus: vt quia virtutes non norunt, eas tamquam noua vitia odio proſequantur:

& quia ipſorum maioribus aliena, perinde odium prauis & honeſtis.

QVAE noſtris maioribus fuere aliena, etſi honeſta ſunt, perinde odio habemus, ac ſi praua eſſent.

Igitur Artabanus Arſacidarum e ſanguine apud Dahas adultus excitur: primoq. congreſſu fuſus reparat vires, regnoq. potitur.

FORTITVDO ſemper reſiſtit. Vnde multi duces fortes, etſi primo fuſi ab hoſtibus fuerunt, tamen poſtea vires reparando, victores vincunt.

Victo

Victo Vononi perfugium Armenia fuit, vacua tunc, interq. Parthorum & Romanas opes infida,

QVEM vis tibi fidum eſſe; ei vt ſis fidus, ſtude. Nam falſo queritur ſe deceptum, qui prius alium decepit.

ob ſcelus Antonij, qui Artauaſdem regem Armeniorum ſpecie amicitiæ inlectum, dein catenis oneratum, poſtremo interfecerat.

SCELVS nefandum eſt, ſub ſpecie amicitiæ, ſocium capere, & poſtremo interficere. Et de hoc ſucceſſu Artauaſdis cum Antonio, vide Paterculum lib. ij. & Dionem lib. 50. & 51.

Eius filius Artaxias, memoria patris nobis infenſus, Arſacidarum vi ſeq. regnumq. tutatus eſt.

A PATRIBVS, vt fortuna bona hereditarie accipimus, ſic & amicitias, & inimicitias.

Occiſo Artaxia per dolum propinquorum, datus a Cæſare Armenijs Tigranes, deductusq. in regnum a Tiberio Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis eius, quamquam ſociatis more externo in matrimonium regnumque.

NON ſolum apud externos, ſed apud omnes Principes, matrimonia inducuntur ad ſocianda regna.

dein iuſſu Auguſti impoſitus Artauaſdes, & non ſine clade noſtra deiectus. Tum C. Cæſar componendæ Armeniæ deligitur.

AD componendas res ſociorum, Rex debet filium, vel potiorem auctoritate, quem apud ſe habet mittere. Et hic vide Paterculum lib. ij. Hiſt.

Is Ariobarzanen origine Medum, ob inſignē corporis formam, & præclarum animū.

QVI cum inſigni corporis forma, præclarum etiam animum habet: is vere dignus eſt imperio. Etſi enim ſemper virtus per ſe eſt amabilis, tamen fuit rite dictum:

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

Et aliqui fuerunt populi, qui ſolum eos in reges ſuos eligebant, qui ceteris forma, & proceritate corporis eminerent. Vt Macrobij in Aethiopia.

volentibus Armenijs præfecit.

IS eſt verus ac legitimus Princeps, qui volentibus imperat. Nam inuitis tyranni dominantur. Ariſtoteles in v. & vij. Polit. Polyb. in vi. Hiſt. Xenophon. & ceteri.

Ariobarzane morte fortuita abſumpto, ſtirpem eius haud tolerauere. tentatoq. feminæ imperio, cui nomen Erato, eaq. breui pulſa,

FEMINARVM regnum ſicut caret exiſtimatione & vi; ita ferme ſemper breue eſt, & non durabile. Et quamuis hodie ſic permittente diuino iudicio impia Iezabel miſeris Anglis diu nimis imperiet maiori forſan cum ſuo exitio imperij diuturnitatem rependet.

incerti ſolutique, & magis ſine domino, quàm in libertate, profugum Vononem in regnum accipiunt.

ALIVD eſt ſine domino eſſe, aliud in libertate. Hoc enim ſtatum rectum & legibus exercitum indicat: illud ſolutionem, & incertitudinem reſpublicæ.

Sed vbi minitari Artabanus, & parum ſubſidij in Armenijs, vel ſi noſtra vi defenderetur, bellum aduerſus Parthos ſumendum erat, rector Syriæ Creticus Sillanus excitum cuſtodia circumdat,

PRINCEPS, ſi ab aliquo timeat turbas in prouincia dari, & pacem turbari poſſe; eum in manibus tentet habere, & poſtea cuſtodia circumdet, ne exire poſſit.

manente luxu & regio nomine. quod ludibrium vt effugere agitauerit Vonones, in loco reddemus.

REX, *qui etſi manente luxu, & nomine regio, tamen in aliena poteſtate cuſtoditur; vere magnum ludibrium, & morte peius patitur.*

Ceterum Tiberio haud ingratum accidit, turbari res Orientis, vt ea ſpecie Germanicum ſuetis legionibus abſtraheret, nouisq. prouincijs impoſitum dolo ſimul & caſibus obiectaret.

QVI *æmulum amouere cupit, eum ſub ſpecie honoris aliquò amandare ſolet, vbi res ſint turbatæ. Sic enim ab illo ſe liberat: inimicum caſibus obiectando.*

At ille quanto acriora in eum ſtudia militum, & auerſa patrui voluntas, celerandæ victoriæ intentior,

VERA *inter mortales, & vnica laus eſt, vt inquit Saluſtius in perſona Micipſæ ad Iugurtam:* Gloria inuidiam vincere. *Ideo ſemper, cum magis premimur auerſis æmulorum voluntatibus, tunc maiori virtute enitendum, vt eas ſuperemus.*

tractare præliorum vias, & quæ ſibi tertium iam annum belligeranti ſæua vel proſpera euenissent: fundi Germanos acie, & iuſtis locis, iuuari ſiluis, paludibus, breui æſtate, & præmatura hieme: ſuum militem haud perinde vulneribus, quàm ſpatijs itinerum, damno armorum adfici; feſſas Gallias miniſtrandis equis; longum impedimentorum agmen opportunum ad inſidias, defenſantibus iniquum, at ſi mare intretur, promptam ipſis poſſeſſionem, & hoſtibus ignotam: ſimul bellum maturius incipi, legionesq. & commeatus pariter vehi: integrum equitem, equosq. per ora & alueos fluminum media in Germania fore.

IMPERATOR *exercituum, debet ſemper res a ſe geſtas obſeruare: vt ex præteritis lumen futurorum illi affulgeat: & inde rectum conſilium capere poſſit. Proindè dignus eſt obſeruatione hic diſcurſus mentis, quem Germanico adſcribit Tacitus.*

Igitur huc intendit, miſſis ad cenſus Galliarum P. Vitellio & Cantio. Silius & Anteius & Cæcinna fabricandæ claſſi præponuntur. Mille naues ſufficere viſæ, properatæque: aliæ breues anguſta puppi, proraque; & lato vtero, quò facilius fluctus tolerarent: quædam planæ carinis, vt ſine noxa ſiderent: plures appoſitis vtrinq. gubernaculis, conuerſo vt repente remigio, hinc vel illinc adpellerent: multæ pontibus ſtratæ, ſuper quas tormenta veherentur, ſimul aptæ ferēdis equis, aut commeatui, velis habiles, citæ remis.

CVM *Claſſis exercitui tranſportando fabricatur, non vnius ſpeciei naues, ſed multarum conſtruere oportet: nam aliæ breues requiruntur anguſta puppi, proraq. latoq. vtero, quò facilius fluctus tolerent: quædam planæ carinis, vt ſine noxa ſidant: plures appoſitis vtrinſque gubernaculis, conuerſo vt repente remigio, hinc, vel illinc adpellant: multæ pontibus ſtratæ, ſuper quas tormenta vehantur: & ſimul ſint aptæ ferendis equis: aut commeatui: velis habiles, & citæ remis.*

agebantur alacritate militum in ſpeciem ac terrorem.

EADEM *phraſi vtitur Auctor noſter in vita Agricolæ, inquiens: Britannorum acies in ſpeciem ſimul, ac terrorem.*

Inſula Batauorum, in quam conuenirent prædicta, ob faciles adpulſus, accipiendisq. copijs, & tranſmittendum ad bellum opportuna. Nam Rhenus vno alueo continuus, aut modicas inſulas circumueniens, apud principium agri Bataui, velut in duos amnes diuiditur, ſeruatq. nomen & violentiam curſus quà Germaniam præuehitur, donec Oceano miſceatur: ad Gallicam ripam latior, & placidior adfluens, verſo cognomento, Vahalem accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Moſa flumine, eiusq. immenſo ore eundem in Oceanum effunditur.

HODIE *appellantur Inſulani hi (Quelli d'Olanda) Et de hac vide Auctorem in lib. de moribus Germanorum.*

Sed

Sed Cæſar dum adiguntur naues, Silium legatum cum expedita manu inruptionem in Chattos facere iubet. Ipſe, audito caſtellum Luppiæ flumini adpoſitum obſideri, ſex legiones eo duxit. neque Silio, ob ſubitos imbres, aliud actum, quàm vt modicam prædam, & Arpi principis Chattorum coniugem, filiamq. raperet.

RAPERE filiam, aut coniugem Principis hoſtium, magnum pignus eſt victoria.

Neque Cæſari copiam pugnæ obſeſſores fecere, ad famam aduentus eius dilapſi: tumulum tamen nuper Varianis legionibus ſtructum, & veterem aram Druſo ſitam diſiecerant. Reſtituit aram, honoriq. patris princeps ipſe cum legionibus decucurrit.

PRINCIPES ſemper honores parentum obſeruari curent: & quotannis eorum memoriam agant. Aeneas pulcherrimum huius rei exemplum omnibus reliquit Principibus, ludos inſtituendo & celebrando; qui habentur in v. Aeneid. apud Virgil.

Tumulum iterare haud viſum.

IDEO forte, ne teſtis eſſet cladis ab hoſtibus accepta, non minus quàm officij pij illorum, qui extruxiſſent,

& cuncta inter caſtellum Aliſonem, ac Rhenum nouis limitibus, aggeribusq. permunita. Iamq. claſſis aduenerat, cum præmiſſo commeatu, & diſtributis in legiones, ac ſocios nauibus, foſſam, cui Druſianæ nomen, ingreſſus, precatusq. Druſum patrem, vt ſe eadem auſum libens placatusq. exemplo, ac memoria conſiliorum atq. operũ iuuaret.

IN magno munere aggrediendo, non parum adiumenti affert Principi, exemplum ac memoria conſiliorum, ac operum eximij alicuius ducis, præſertim domeſtici, vt parentis, aut patrui. Et in hoc conſiſtit vera filiorum cum patribus ſimilitudo: illius nempe præclara geſta æmulari, & illius veſtigijs inſiſtere: non effigiem tantum præferre: ſic Aeneas filio apud Virgilium inquit in 12.

Diſce puer virtutem, ex me verumq. laborem;
& Paulo poſt:
Tu facito mox, cum matura adoleuerit ætas
Sis memor: & te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Æneas, & auunculus excitet Hector.

Idem etiam habetur in Sophoclis Aiace, vbi Aiax filium alloquitur. Et in Oedipo tyranno, in extremo.

Iacus inde & oceanum vſque ad Amiſiam flumen, ſecunda nauigatione peruehitur. Claſſis Amiſiæ relicta læuo amne; erratumq. in eo, quod non ſubuexit. tranſpoſuit militem dextras in terras iturum. ita plures dies efficiendis pontibus abſumpti. Et eques quidem ac legiones prima æſtuaria, nondum adcreſcente vnda, intrepidi tranſiere: poſtremum auxiliorum agmen, Batauiq. in parte ea dum inſultant aquis, artemq. nandi oſtentant, turbati, & quidam hauſti ſunt.

ET quis ſe ab hominibus inſultandis non abſtinebit, cum videamus eos etiam, qui id erga inanima faciunt, plerumq. pœnas luere? Nimirum DEO diſplicet, alij inſultare. Et ſic loquitur etiam infra lib. iij. Hiſt. Auctor: inquiens: Germani notis vadis perſultabant.

Metanti caſtra Cæſari Angriuariorum defectio a tergo nuntiatur. Miſſus illico Stertinius cum equite & armatura leui, igni & cœdibus perfidiam vltus eſt.

PERFIDIAM hoſtium expedit ſtatim vlciſci ad terrorem ceteris incutiendum; vt ſæpe alias obſeruaui.

Flumen Viſurgis Romanos Cheruſcosq. interfluebat. eius in ripa cum ceteris primoribus Arminius adſtitit; quæſitoq. an Cæſar veniſſet, poſtquam adeſſe reſponſum eſt, vt liceret cum fratre conloqui, orauit.

OBSERVENT Duces exercituum edicere, ne ex exercitibus ſuis quiſquam audeat cum hoſte colloqui, abſque impetrata prius a duce venia; Et ſi quis in hoc aut in conſerenda

manu cum hoſte inobediens fuerit, capitali ſupplicio affici debet. Militarem enim diſciplinam corrumpit. Hinc nec proprio filio ſeuerus ille Torquatus pepercit: maluitq. orbus filio exiſtere, quàm militiam diſciplina ſua orbam relinquere. Vide Liuium in lib. vij. Decad. i. & Saluſt. in Coniurat. Cat.

Erat is in exercitu cognomento Flauius, inſignis fide, & amiſſo per vulnus oculo paucis ante annis, duce Tiberio. tum permiſſum. progreſſusq. ſalutatur ab Arminio, qui amotis ſtipatoribus, vt ſagittarij noſtra pro ripa diſpoſiti abſcederent, poſtulat. & poſtquam digreſſi, vnde ea deformitas oris interrogat fratrem; illo locum, & prælium referente, quodnam præmium recepiſſet, exquirit. Flauius aucta ſtipendia, torquem, & coronam, aliaq. militaria dona memorat, irridente Arminio vilia ſeruitij pretia.

ADEO deforme eſt ſeruitium, & turpe: vt magna quantumuis pretia præ illo vilia ſint. Et aduertenda eſt hac Arminij confuſio in vocabulis. Appellat enim pretia, quæ vere ſunt præmia. Illa enim pro vilium perſonarum mercede penduntur: hæc vero dantur illi, qui virtute ſua res magnas geſſit. Et in illis vtilitas attenditur: in his vero decus, & gloria. Non recte igitur Arminius, quæ erant virtutis præmia, ſeruitij pretia appellat.

Exin diuerſi ordiuntur: hic magnitudinem Romanam, opes Cæſaris, & victis graues pœnas, in deditionem venienti paratam clementiam, neque coniugem & filium eius hoſtiliter haberi.

HOC ſemper ſequitur in bellis: Qui ſe dedunt paratam habent victoris clementiam. Qui vero vſque ad finem contendunt, victi demum graues dant pœnas.

Ille fas patriæ, libertatem auitam, penetralis Germaniæ deos, matrem precum ſociam; ne propinquorum & adfinium, denique gentis ſuæ deſertor & proditor, quàm Imperator eſſe mallet.

QVID peius dici poteſt, quàm deſertorem & proditorem gentis ſuæ exiſtere?

Paulatim inde adiurgia prolapſi, quominus pugnam consererent, ne flumine quidem interiecto cohibebantur, ni Sterrinius adcurrens, plenum iræ, armaque & equum poſcentem Flauiuum attinuiſſet. Cernebatur contra minitabundus Arminius, præliumq. denuntians. nam pleraq. Latino ſermone interiaciebat, vt qui Romanis in caſtris ductor popularium meruiſſet. Poſtero die Germanorum acies trans Viſurgim ſtetit. Cæſar, niſi pontibus præſidijsq. impoſitis, dare in diſcrimen legiones haud imperatorium ratus, equitem vado tramittit.

HAVD eſt imperatorium, dare in diſcrimen exercitum, niſi rebus, & præſidijs recte prius diſpoſitis.

Præfuere Stertinius, & e numero primipilarium Aemilius, diſtantibus locis inuecti, vt hoſtem diducerent. quà celerrimus amnis, Carioualda dux Batauorum erupit. eum Cheruſci, fugam ſimulantes, in planitiem ſaltibus circumiectam traxere: dein cohorti, & vndique effuſi trudunt aduerſos, inſtant cedentibus, collectosq. in orbem pars congreſſi, quidam eminus proturbant. Carioualda diu ſuſtentata hoſtium ſæuitia, hortatus ſuos vt ingruentes cateruas globo frangerent, atque ipſe in denſiſſimos inrumpens, congeſtis telis, & ſuffoſſo equo labitur, ac multi nobilium circa: ceteros vis ſua, aut equites cum Stertinio, Aemilioque ſubuenientes, periculo exemere. Cæſar tranſgreſſus Viſurgim, indicio perfugæ cognoſcit delectum ab Arminio locum pugnæ, conueniſſe & alias nationes in ſiluam Herculi ſacram, auſurosq. nocturnam caſtrorum oppugnationem.

PERFVGARVM vſus, Imperatoribus exercituum maxime vtilis & neceſſarius eſt: ſed eis oportet recte vti, ne illis male fidem habendo, in inſidias præcipiteris: Quod euenit Craſſo in Parthos expeditionem agenti: Plut. in eius vita.

habita indici fides: & cernebantur ignes, ſuggreſſiq. propius ſpeculatores audiri fremitum equorum, immenſique, & inconditi agminis murmur attulere.

SEMPER eſt neceſſaria in exercitu ſpeculatorum opera.

Igitur propinquo ſummæ rei diſcrimine, explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, ſecum agitabat. Tribnnos & Centuriones læta ſæpius, quàm comperta nuntiare, libertorum ſeruilia ingenia, amicis ineſſe adulationem, ſi concio vocetur, illic quoque quæ pauci incipiant, reliquos adſtrepere:

IN explorandis militum animis; nemini, niſi ſibi ipſi, Ducem credere oportet: nam Tribuni, & Centuriones ſæpius læta, quam vera nuntiant. Libertorum ſeruilia ſunt ingenia: amicis ineſt adulatio: ſi concio vocetur, illic quoque, quæ pauci incipiunt, reliqui adſtrepunt. ideo ipſe ſtudeat noſcere mentes eorum, cum ſecreti, atque incuſtoditi inter militares cibos, ſpem aut metum proferunt. Et tunc debet explorare militum animos Imperator, cum ſumma rei diſcrimen inſtat: nempe, cum totis viribus cum hoſte decertandum eſt. Nam ſi tunc militum animi paueſcerent; ſatius eſſet prælio abſtinere, quàm ſe incerto pugnæ, & forſan aduerſo euentui dare.

penitus noſcendas mentes, cum ſecreti & incuſtoditi inter militaris cibos ſpem aut metum proferrent.

QVI Princeps, vel Dux noſſe ſubditorum mentes cupit, id aſſequi non poterit in publica concione, vel cætu aperto. Ibi enim laruæ, & ſimulationes animorum apparent, vera clauduntur. Sed ſi poteſt, debet incognitus adeſſe illis in locis, vbi homines vera animi ſenſa patefacere ſolent, vt ſunt conuiuia. Inter pocula enim & cibos operta recluduntur, vt Horatij verbis vtar.

Nocte cœpta, egreſſus Augurali, per occulta & vigilibus ignara, comite vno, contectus humeros ferina pelle, adit caſtrorum vias, adſiſtit tabernaculis, fruiturq. fama ſui:

DVLCISSIMVM eſt propriam laudem ex multorum ore ſentire: & præcipue virorum laudatorum. Inde Themiſtocles interrogatus, quæ vox illi iucundior accideret in vita: Eam, reſpondit, quæ laudes meas profert. Plut. in apopht. Et nobiliorum animorum & magnorum proprium eſt; beneficia ab ipſis in alios collata libenter audire: teſte Ariſt. in 4. Eth. Quod magnanimitatis ſignum, vt multa alia in SIXTO V. agnoſcere hodie poſſumus.

cum hic nobilitatem ducis, decorem alius, plurimi patientiam, comitatem per ſeria, per iocos eundem animum laudibus ferrent:

IN Duce hæc ſunt maxime laudabilia: Nobilitas, Decor, Patientia, Comitas, Animus idem, per ſeria, & per iocos.

reddendamq. gratiam in acie faterentur. ſimul perfidos & ruptores pacis vltioni & gloriæ mactandos.

QVAE a militibus duci gratia debentur, ea in acie reddenda ſunt: perfidos, & ruptores pacis, vltioni, & gloria mactando.

Inter quæ vnus hoſtium Latinæ linguæ ſciens, acto ad vallum equo, voce magna coniuges, & agros, & ſtipendij in dies, donec bellaretur, ſeſtertios centenos, ſi quis transfugiſſet, Arminij nomine pollicetur. Incendit ea contumelia legionum iras;

VIRVM probum, ad ſcelus pretio pellicere: eſt vere, eum contumelia afficere. Quod & de muliere caſta & pudica, ad libidinem tentata, dici poteſt.

veniret dies, daretur pugna, ſumpturum militem Germanorum agros, tracturum coniuges: accipere omen, & matrimonia ac pecunias hoſtium prædæ deſtinare.

CALLIDI Imperatores, omina ipſis aduerſa in ſecundam partem accipere & interpretari debent, ad confirmandos in fiducia militum animos. Sic Cæſar in Africa equo decidens: Teneo te Africa, inquit. Et fatale eſſe Scipionibus, quorum vnus hoſtium dux erat, intelligens, ſemper in Africa vincere; ille in prima acie Scipionem quendam ſuum gregarium ac deſpectum militum locauit. Plut. in Apophteg.

Tertia ferme vigilia adſultatum eſt caſtris, ſine coniectu teli, poſtquam crebras pro munimentis cohortes, & nihil remiſſum ſenſere. Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditq. ſe operatum, & ſanguine ſacro reſperſa prætexta, pulchriorem aliam manibus auiæ Auguſtæ accepiſſe.

SAEPISSIME in ſomnijs nobis ſe offerunt ſigna exitum rei alicuius nobis ſeu vtiliſsima ſeu damnoſiſsima afferentia. Qua nec in totum abnuere, nec in totum approbare debemus. Certe Calpurnia vxor Caſ. Dict. exitum mariti in ſomnijs prauidit: Idem temporibus recentioribus vxor GALEATII SFORTIAE Ducis Inſubrium a Lamponiano & ſocijs interfecti: vide Val. Max. lib. j. cap. 7 ij. de ſomnijs. & Bernard. Cor. in Hiſt. Med.

Auctus omine: addicentibus auſpicijs, vocat concionem, & quæ ſapientia præuiſa, aptaq. imminenti pugnæ diſſerit.

DVX cum oraturus eſt ad milites, debet prius meditari apta imminenti tempori, qua diſſerat: deinde eos tangere religionis omine: vt illi maior fides adhibeatur. Huc pertinebat congreſſus Numa cum Aegeria nympha ſimulatus: Sertorij cum Cerua colloquium: & Scipionis Africani mora in templo: vbi ſe a Ioue inſtrui preceptis fama dabat. Vide Liuium, Dion. & Plutarc. in Paral. & Valerium Maximum lib. i. cap. ij. De ſimulata religione.

Non campos modo militi Romano ad prœlium bonos, ſed, ſi ratio adſit, ſiluas & ſaltus.

CVM ratio nobis adeſt, etiam qua alias obeſſent, nobis proficua reddimus. Vnde eſt vetus & ſcitum dictum. Sapientem ex malo bonum elicere. *Plutar. eleganter de hoc in Opuſc. De animi tranquillitate.*

nec enim immenſa barbarorum ſcuta, enormis haſtas inter truncos arborum, & enata humo virgulta perinde haberi quàm pila, & gladios, & hærentia corpori tegmina.

IN milite non refert, quàm ſit bene armatus: ſed quòd arma loco conuenientia habeat, vbi certandum eſt. Nam immenſa ſcuta, & enormes haſtæ, qua in campis patentibus maxime prodeſſent: inter truncos arborum, & enata humo virgulta, non perinde habentur, ac pila, & gladij, & hærentia corpori tegmina. Ergo Dux prouidus pro temporis & loci ratione armare, & inſtruere ſuos ſemper debebit. Vide de hac materia Vegetium, qui fuſius eam examinat.

denſarent ictus, ora mucronibus quærerent: non loricam Germano, non galeam: ne ſcuta quidem ferro, neruoue firmata, ſed viminum textus, vel tenuis, & fucatas colore tabulas. primam vtcumq. aciem haſtatam: ceteris præuſta aut breuia tela.

IN lib. de moribus Germanorum Auctor, aliquibus in locis congrua huic loco dicit. Nam quoad loricam & galeam, inquit: Paucis lorica, vix vni alteriue caſsis aut galea. De ſcutis, ibidem: ſcuta tantum lectiſsimis coloribus diſtinguunt. & circa diſpoſitionem exercitus: Ante primam aciem pedites ex omni iuuentute delectos Germani locant. inquit ibidem.

iam corpus, vt riſu toruum, & ad breuem impetum validum, ſic nulla vulnerum patientia, ſine pudore flagitij, ſine cura ducum, abire, fugere, pauidos aduerſis, inter ſecunda, non diuini, non humani iuris memores:

BARBARORVM militum immo ignauorum hac eſt fere natura, & figura. Viſu toruum corpus, & ad breuem impetum validum, ſed nulla vulnerum patientia: ſine pudore flagitij, ſine cura ducum, abeunt, fugiunt; pauidi aduerſis; inter ſecunda, non diuini, non humani iuris memores. Et ſi quis ex aduerſo boni & ſtrenui militis effigiem exprimere velit: omnia hac ex oppoſito illi aſcribat: ſic enim inire inter ſe reſpondebunt conditiones.

Si tædio viarum ac maris finem cupiant, hac acie parari: propiorem iam Albim, quàm Rhenum: neque bellum vltra, modo ſe patris patruiq. veſtigia prementem iiſdem in terris victorem ſiſterent. Orationem ducis ſecutus militum ardor, ſignumq. pugnæ datum.

TVNC perſuadet perfecte dux, cum eius orationem ſequitur militum ardor.

Nec

Nec Arminius, aut ceteri Germanorũ proceres omittebant ſuos quiſq. teſtari: Hos eſſe Romanos Variani exercitus fugaciſſimos, qui ne bellum tolerarent, ſeditionẽ induerint.

FVGACISSIMI & imbelles, ne bellum tolerent, ſeditionem induunt.

quorum pars onuſta vulneribus tergum, pars fluctibus & procellis fractos artus infenſis, rurſum hoſtibus aduerſis dijs obijciant, nulla boni ſpe: claſſem quippe & auia Oceani quæſita, ne quis venientibus occurreret, ne pulſos premeret: ſed vbi miſcuerint manus, inane victis ventorum remorumue ſubſidium.

VICTIS eſt inane ſubſidium in ventis & remis.

meminiſſent modo auaritiæ, crudelitatis, ſuperbiæ: aliud ſibi reliquum quàm tenere libertatem, aut mori ante ſeruitium?

SI tenere non potes libertatem, ſatius eſt mori ante ſeruitium.

Sic accenſos, & prœlium poſcentes in campum, cui Idiſtauiſo nomen, deducunt.

MILITES iam accenſi, & prælium poſcentes ſtatim in aciem deducendi ſunt: ne temporis interiectus animis ardorem minuat, & languorem inducat.

is medius inter Viſurgim & colles, vt ripæ fluminis cedunt, aut prominentia montium reſiſtunt, inæqualiter ſinuatur. Pone tergum inſurgebat ſilua editis in altum ramis, & pura humo inter arborum truncos. Campum & prima ſiluarum barbara acies tenuit: ſoli Cheruſci iuga inſedere, vt præliantibus Romanis deſuper incurrerent. Noſter exercitus ſic inceſſit: auxiliares Galli, Germaniq. in fronte: poſt quos pedites ſagittarij, dein quatuor legiones, & cum duabus prætorijs cohortibus, ac delecto equite Cæſar: exin totidem aliæ legiones, & leuis armatura cum equite ſagittario, ceteræq. ſociorum cohortes. Intentus paratusq. miles vt ordo agminis in aciem adſiſteret. Viſis Cheruſcorum catervis, quæ per ferociam proruperant, validiſſimos equitum incurrere latus, Stertinium cum ceteris turmis circumgredi, tergaue inuadere iubet, ipſe in tempore adfuturus. Interea pulcherrimum augurium octo aquilæ petere ſiluas, & intrare viſæ, imperatorem aduertere:

IMPROVISA auguria, quæ exercitibus manuum conſerturis apparent, multum ad eos terrendos, vel animandos valent, prout dextra, aut ſiniſtra interpretatio eis datur. Et hoc ob eorum imperitiam vſu venit: Ex ſe enim nullius ſunt momenti; nec vlla illis adhibenda eſt fides. Sic infra lib. i. Hiſt. inquit Auctor: latum augurium Fabio Valenti, exercituique, quem in bellum cogebat, ipſo profectionis die, Aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut dux via praeuolauit: & quæ ibi ſequuntur.

exclamat, irent, ſequerentur Romanas aues, propria legionum numina. Simul pedeſtris acies infertur. & præmiſſus eques poſtremos, ac latera impulit. Mirumq. dictu, duo hoſtium agmina diuerſa fuga, ui iſ l uam tenuerant in aperta, qui campis abſtiterant, in ſiluam ruebant. Medij inter hos Cheruſci collibus detrudebantur; inter quos inſignis Arminius manu, voce, vulnere ſuſtentabat pugnam.

INSIGNIS certe eſt dux, qui manu, voce, & vulneratus etiam, ſuſtentat pugnam. Sic Auctor infra lib. iy. Hiſt. inquit: Vbi plurimus labor, vnde aliqua ſpes, conſilio, manu, voce inſignis hoſti. Et eod. lib. inquit. Is in vallum regreſſus, deturbatis qui reſiſterent, conſpicuus manu, ac voce capta caſtra conclamauit.

Incubueratq. ſagittarijs, illa rupturus, ni Rhætorũ, Vindelicorumque, & Gallicæ cohortes ſigna obieciſſent: niſu tamen corporis & impetu equi peruaſit, oblitus faciem ſuo cruore, ne noſceretur. quidam adgnitum a Chaucis inter auxilia Romana agentibus, emiſſumq. tradiderunt. Virtus ſeu fraus eadem Inguiomero effugium dedit.

IN bellis ſæpe fraus idem quod virtus operatur, vnde illud Virg. in 2. Aeneid.

Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?

Ceteri

Ceteri paſſim trucidati. & pleroſque tranare Viſurgim conantes iniecta tela, aut vis fluminis, poſtremo moles ruentium, & incidentes ripæ operuere. quidam turpi fuga in ſumma arborum niſi, ramiſq. ſe occultantes, admotis ſagittarijs per ludibrium figebantur: alios prorutæ arbores adflixere. Magna ea victoria, neque cruenta nobis fuit.

VICTORIAE omnes equidem magna ſunt, ſed ea præſertim, qua incruenta victori eueniunt.

Quinta ab hora diei ad noctem cæſi hoſtes, decem millia paſſuum cadaueribus atque armis oppleuere, repertis inter ſpolia eorum catenis, quas in Romanos, vt non dubio euentu, portauerant.

NIMIS præſumere victoriam, ſæpe cladem attulit; ob hoc enim diligentiam, & curam non adhibuere milites. Vt etiam in negotijs euenit: quaſi nimis fidenter ceſſura proſpere ſperas, & hinc, indiligenter ea tractes, ſæpe in contrarium vertuntur. Quod ne accidat, ſemper magis timendum eſt de bono exitu, quàm ſperandum: vt ſcilicet maiorem impendamus eis curam & vigilātiam.

Miles in loco prœlij Tiberium imperatorem ſalutauit, ſtruxitq. aggerem & in modum trophæorum arma, ſubſcriptis victarum gentium nominibus, impoſuit.

QVO in loco victoriam inſignem de hoſtibus retulimus, ibi Imperatorem, cuius auſpicijs ea parta eſt, honore proſequi dignum eſt; deinde aggerem ſtruere; & arma in modum trophæorum cum ſubſcriptis victarum gentium nominibus imponere.

Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, quàm ea ſpecies dolore & ira adfecit.

FEROCES animi dolore & ira afficiuntur magis ob ſpeciem ignominiæ, & ludibrij, quàm ob vulnera, luctus, & excidia.

Qui modo abire ſedibus, trans Albim concedere pa tabant, pugnam volunt, arma rapiunt plebes, primores: iuuentus, ſenes, agmen Romanum repente incurſant, turbant, poſtremo deligunt locum flumine & ſiluis clauſum, arta intus planitie, & humida; ſiluas quoque profunda palus ambibat, niſi quòd latus vnum Angriuarij lato aggere extulerant, quo a Cheruſcis dirimerentur. hic pedes adſtitit; equitem propinquis lucis texere, vt ingreſſis ſiluam legionibus a tergo foret. Nihil ex ijs Cæſari incognitum; conſilia, locos, prompta, occulta nouerat, aſtuſq. hoſtium in perniciem ipſis vertebat.

VTILISSIMVM Duci eſt; hoſtium deliberationes præſentire: atque eorum conſilia, locos, prompta, & occulta cognoſcere. Hoc enim modo aſtus eorum ipſis in perniciem vertuntur.

Seio Tuberoni legato tradit equitem campumque. Peditum aciem ita inſtruxit, vt pars æquo in ſiluam aditu incederet, pars obiectum aggerem eniteretur. quod arduum ſibi, cetera legatis permiſit.

PRAESTANS dux exercitus, ſibi ſeruare debet ſemper, quod eſt arduum, cetera legatis tradere ac permittere. ſic Auctor infra lib. xiij. Annal. inquit: ſibiq. quod validiſsimum in ea præfectura cognomento Volandum ſumit: minora Cornelio Flacco legato, & Iſteo Capitoni caſtrorum præfecto mandat.

quibus plana euenerant, facile inrupere: quis impugnandus agger, vt ſi murum ſuccederent, grauibus ſuperne ictibus conflictabantur. Senſit dux imparem cominus pugnam, remotiſq. paulum legionibus, funditores libratoreſq. excutere tela, & proturbare hoſtem iubet. Miſſæ e tormentis haſtæ. quantoq. conſpicui magis propugnatores, tanto pluribus vulneribus deiecti. Primus Cæſar cum prætorijs cohortibus capto vallo dedit impetum in ſiluas. conlatu illic gradu certatum. Hoſtem a tergo palus, Romanos flumen aut montes claudebant. vtriſque neceſſitas in loco, ſpes in virtute, ſalus ex victoria.

HOC proponere ſibi debent milites: neceſsitatem in loco eſſe ipſis, ſpem in virtute, & ſalutem in victoria.

Nec

Nec minor Germanis animus, ſed genere pugnæ & armorum ſuperabantur, cum ingens multitudo artis locis prælongas haſtas non protenderet, non colligeret, neque adſultibus & velocitate corporum vteretur, coacta ſtabile ad prelium: contra miles, cui ſcutum pectori adpreſſum, & inſidens capulo manus, latos barbarorum artus, nuda ora foderet, viamq. ſtrage hoſtium aperiret, imprompto iam Arminio ob continua pericula, ſiue illum recens acceptum vulnus tardauerat.

REDDVNT impromptos etiam ſtrenuos continua pericula. Huc pertinet illud Cic. in Epiſt. fam. lib. 1. Periculis etiam terrentur fortiſſimi viri.

Quin & Inguiomerum tota volitantem acie, fortuna magis quàm virtus deſerebat.

RARO it comes virtuti fortuna.

Et Germanicus quò magis agnoſceretur, detraxerat tegimen capiti,

DVX, vt in tumultu belli a ſuis agnoſci poſſit, & illi alacrius pugnare, debet capite tegimen detrahere.

orabatq. inſiſterent cædibus, nil opus captiuis, ſolam internecionem gentis finem bello fore.

ADVERSVS gentes rebelles ſæpius, & infidas, non eſt opus, vincendo, eos facere captiuos. Sed cum internecione eorum finis bello eſt imponendus.

Iamq. ſero diei ſubducit ex acie legionem faciendis caſtris: ceteræ ad noctem cruore hoſtium ſatiatæ ſunt. Equites ambigue certauere. Laudatis pro concione victoribus Cæſar congeriem armorum ſtruxit, ſuperbo cum titulo, DEBELLATIS INTER RHENVM, ALBIMQVE NATIONIBVS, EXERCITVM TIBERII CÆSARIS EA MVNIMENTA MARTI ET IOVI ET AVGVSTO SACRAVISSE. De ſe nihil addidit, metu inuidiæ,

INVIDIAM parit, proprias laudes prædicare, & ſua facta iactare. Aulicus Romanus obſeruet.

an ratus conſcientiam facti ſatis eſſe.

IN rebus magnis geſtis, nihil debet de ſe prædicare Imperator, ſed ſatis eſt conſcientia facti. Qua adeo validum eſt teſtimonium, vt qui ea nititur, facile cetera contemnat.

Mox bellum in Angriuarios Stertinio mandat, ni deditionem properauiſſent. atque illi ſupplices nihil abnuendo, veniam omnium accepere.

DIGNI ſunt, qui bellum non expectant, ſed ſtatim ſe dedunt; vt venia illis donetur.

Sed æſtate iam adulta, legionum aliæ itinere terreſtri in hibernacula remiſſæ: plures Cæſar claſſi impoſitas per flumen Amiſiam Oceano inuexit. Ac primo placidum æquor mille nauium remis ſtrepere, aut velis impelli: mox atro nubium globo effuſa grando: ſimul varijs vndique procellis, incerti fluctus proſpectum adimere, regimen impedire: milesq. pauidus, & caſuum maris ignarus, dum turbat nautas, vel intempeſtiue iuuat, officia prudentium corrumpebat.

HOC etiam in omnibus negotijs accidit; vt ignari eorum, dum intempeſtiue iuuant, officium prudentium corrumpant: & illis impedimentum afferant.

Omne dehinc cælum, & mare omne in auſtrum ceſſit, qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immenſo nubium tractu validus, & rigore vicini Septentrionis horridior rapuit, diſiecitq. naues in aperta Oceani, aut inſulas ſaxis abruptas, vel per occulta vada infeſtas. quibus paulum ægreq. vitatis, poſtquam mutabat æſtus, eodemq. quo ventus ferebat, non adhærere anchoris, non exhaurire inrumpentis vndas poterant: equi, iumenta, ſarcinæ, etiam arma præcipitantur, quo leuarentur aluei manantes per latera, & fluctu ſuperurgente.

PVLCHERRIMA eſt deſcriptio tempeſtatis, & Hiſtorico conueniens. Sic in 1. Æneid. inquit & Maro.

Laxis

Laxis laterum compagibus omnes.
Accipiunt inimicum imbrem, rimisq. fatiſcunt.

Quanto violentior cetero mari Oceanus, & truculentia cæli præſtat Germania, tantum illa clades nouitate & magnitudine exceſſit, hoſtilibus circum litoribus, aut ita vaſto & profundo, vt credatur nouiſſimum ac ſine terris mare: pars nauium hauſtæ ſunt, plures apud inſulas longius ſitas eiectæ: mileſque, nullo illic hominum cultu, fame abſumptus, niſi quos corpora equorum eodem eliſa tolerauerant. Sola Germanici triremis Chaucorum terram adpulit; quem per omnes illos dies noctesq. apud ſcopulos & prominentis oras, cum ſe tanti exitij reum clamitaret, vix cohibuere amici, quò minus eodem mari oppeteret.

IS eſt vere magnus dolor, qui ex damno cariſsimarum perſonarum ob tuam culpam commiſſo, te angit ac perturbat.

Tandem relabente æſtu, & ſecundante vento, claudæ naues raro remigio, aut intentis veſtibus, & quædam a validioribus tractæ reuertere, quas raptim refectas miſit, vt ſcrutarentur inſulas, collecti ea cura plerique. multos Angriuarij nuper in fidem accepti redemptos ab interioribus reddidere. quidam in Britanniam rapti, & remiſſi a regulis. Vt quis ex longinquo reuenerat, miracula narrabant,

MOS eſt ex longinquo venientium, miracula narrare: ad maiorem ſui in aliorum animis admirationem gignendam.

vim turbinum, & inauditas volucres, monſtra maris, ambiguas hominum & belluarum formas, viſa, ſiue ex metu credita.

HAEC eſt metus magni natura: vt etiam quæ impoſsibilia ſunt, credibilia faciat.

Sed fama claſſis amiſſæ, vt Germanos ad ſpem belli, ita Cæſarem ad coercendum erexit.

INIMICI ex aduerſis rebus noſtris, in ſpem eriguntur: & ſpiritus augent. Sed ex aduerſo conuenit Imperatori ſe erigere ad illas coercendas.

C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum millibus ire in Chattos imperat: ipſe maioribus copijs Marſos inrumpit. quorum dux Malouendus nuper in deditionem acceptus, propinquo loco defoſſam Varianæ legionis aquilam modico præſidio ſeruari indicat.

TANTVMDEM eſt glorioſum ſigna militaria prius amiſſa recuperare, quàm fuit ignominioſum ea amiſiſſe.

Miſſa ex templo manus, quæ hoſtem a fronte eliceret, alij qui terga circumgreſſi recluderent humum. & vtriſque adfuit fortuna. eo promptior Cæſar pergit introrſus, populatur, excindit non auſum congredi hoſtem, aut ſicubi reſtiterat, ſtatim pulſum, nec vmquam magis, vt ex captiuis cognitum eſt, pauentem. Quippe inuictos & nullis caſibus ſuperabiles Romanos prædicabant, perdita claſſe, amiſſis armis, poſt conſtrata equorum virorumq. corporibus litora, eadem virtute, pari ferocia, & veluti aucti numero inrupiſſent.

NON immerito nomen inuictorum, & nullis caſibus ſuperabilium, acquirunt illi exercitus; qui perdita claſſe, amiſsis armis, poſt conſtrata equorum, virorumq. corporibus littora; eadem virtute, pari ferocia, ac veluti aucti numero, irrumpunt in hoſtes.

Reductus inde in hiberna miles, lætus animi, quod aduerſa maris expeditione proſpera penſauiſſet.

QVAE aduerſa nobis accidunt, ea aliquibus proſperis penſanda ſunt. Plut. De animi tranquillitate.

addidit munificentiam Cæſar, quantum quis damni profeſſus erat, exoluendo.

OPPORTVNA eſt Principis munificentia, cum exſoluit damna exercitui, quæ pro ipſo paſſus eſt.

Nec

Nec dubium habebatur, labare hoſtes, petendæq. pacis conſilia ſumere, etſi proxima æſtas adijceretur, poſſe bellum patrari.

CVM hoſtis ſumit conſilium petendæ pacis; indicium eſt, eum labare.

ſed crebris epiſtolis Tiberius monebat, rediret ad decretum triumphum: ſatis iam euentuum, ſatis caſuum: proſpera illi & magna prælia: eorum quoque meminiſſet, quæ venti & fluctus nulla ducis culpa, grauia tamen & ſæua damna intuliſſent:

IN bellis multa grauia & ſæua damna eueniunt, ſine ducis culpa.

ſe nouies a diuo Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio, quam vi perfeciſſe:

SAEPE plura conſilio quàm vi perficiuntur. Vnde: Conſilium ſuperat vires: non abſque ratione fuit dictum. Et Auctor noſter infra lib. xij. Annal. inquit. Pleraque in ſumma fortuna, auſpicijs & conſilijs, quàm manibus geri.

ſic Sicambros in deditionem acceptos, ſic Sueuos, regemq. Maroboduũ pace obſtrictum: poſſe & Cheruſcos ceteraſq. rebellium gentes, quando Romanæ vltioni conſultum eſt, internis diſcordijs relinqui.

EXCELLENS modus vincendi hoſtem ſine tuo ſanguine eſt, illum diſcordijs internis relinquere. Quas ſæpe prudentes Principes ſerunt, ſi natæ non fuerint: aut natas accendunt, & fouent.

Precante Germanico annum efficiendis cœptis, acrius modeſtiam eius adgreditur, alterum conſulatum offerendo, cuius munia præſens obiret.

SPECIE honoris ſemper Princeps ſuſpitioſus reuocat a curſu rerum geſtarum, ac parto decori abſtrahit illos, quorum gloriæ inuidet.

Simul adnectebat, ſi foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Druſi fratris gloriæ, qui nullo tum alio hoſte, non niſi apud Germanias adſequi nomen Imperatorium, & deportare lauream poſſet. Haud cunctatus eſt vltra Germanicus, quamquam fingi ea, ſeq. per inuidiam parto iam decori abſtrahi intelligeret.

PRVDENTIS eſt, cum Principem fingere cognoſcit; diſſimulare ſe illius animum intelligere.

Sub idem tempus e familia Scriboniorum Libo Druſus defertur moliri res nouas. Eius negotij initium, ordinem, finem curatius diſſeram, quia tum primum reperta ſunt, quæ per tot annos Remp. exedere. Firmius Catus Senator ex intima Libonis amicitia,

AB intimis amicis ſemper cauendum: præſertim illis, qui ſub tyranno viuunt. Et tunc prodeſt regula Biantis: Eos ſic habere, tamquam aliquando inimici euadere poſſint. Hoc enim modo ab illis nihil damni poterit nobis inferri.

iuuenem improuidum & facilem inanibus,

NATVRA iuuenum eſt hæc: vt ſint improuidi, & faciles inanibus. Ariſt. ij. Rhet.

ad Chaldæorum promiſſa, Magorum ſacra, ſomniorum etiam interpretes impulit, dum proauum, Pompeium amitam Scriboniam, quæ quondam Auguſti coniunx fuerat, conſobrinos Cæſares, plenam imaginibus domum oſtentat, hortaturq. ad luxum & æs alienum, ſocius libidinum & neceſſitatum, quò pluribus indicijs inligaret.

QVOS pluribus indicijs inligare volumus, & perdere; his ſumus ſocij libidinum, & neceſſitatum. Et obſeruandum eſt, quod ſemper pari paſſu ambulant libido, & neceſſitas: Vnde non ab re Plautus in Prologo Trinummi inquit.

Mi Plautus nomen luxuriæ indidit,
Tum mihi gnatam hancis eſſe voluit, Inopiam,

Vt

Vt ſatis teſtium, & qui ſerui eadem noſcerent, reperit, aditum ad principem poſtulat, demonſtrato crimine, & reo per Flaccum Veſcularium equitem Romanum, cui propior cum Tiberio vſus erat.

RES magni momenti, quas Principi exponere non poſſumus, eas per eos illi demonſtrare debemus, quibus cum illo propior vſus eſt.

Cæſar indicium haud aſpernatus, congreſſus abnuit. Poſſe enim, eodem Flacco internuntio, ſermones commeare.

PRINCEPS nulla indicia qua contra ſuam perſonam ſint, aſpernari debet: ſed congreſſus abnuere poterit: & per internuncium omnia cognoſcere.

Atq. interim Libonem ornat prætura, conuictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior.

QVI ſuſpecti læſa maieſtatis ſunt, antequam conuicti ſint, & condemnentur: eos Princeps interim ornet, & ſecundum ſolitum honoribus proſequatur, non vultu alienatus, nec verbis commotior. Ne ſcilicet ſuſpicari aliquis poſſit, illum qua aguntur, ſcire.

adeo iram condiderat,

CONDERE iram ſemper debet Princeps. Vt enim in rebus ceteris, priuato homine maior eſt; ſic in affectibus frænandis eos anteire conuenit.

cunctaq. eius dicta factaq. cum prohibere poſſet, ſcire malebat:

CONDVCIT maxime Principi ſcire cuncta dicta & facta eorum, quos ſuſpectos habet: prohibere enim poterit, quotieſcumque velit.

donec Iunius quidam tentatus vt infernas vmbras carminibus eliceret, ad Fulciniũ Trionem indicium detulit. Celebre inter accuſatores Trionis ingenium erat, auidumq. famæ malæ.

CAVENDA ſunt ingenia illa, qua malæ fama auida ſunt.

Statim corripit reum, adit conſules, ſenatus cognitionem poſcit, & vocantur patres, addito, conſultandum ſuper re magna & atroci. Libo interim, veſte mutata, cum primoribus feminis, circumire domos, orare adfines, vocem aduerſum pericula poſcere.

POSCERE vocem, eſt loco quærendi patronum, vel aduocatum, hoc loco. Sic vſus eſt ea Cicero in Orat. pro Archia poeta.

abnuentibus cunctis cum diuerſa prætenderent, eadem formidine,

VIDE ne in aliquod magnum periculum incidas; præſertim apud Principem. Tunc enim in nemine propinquo tibi erit ſperandum. Sed cum auxilium poſces ab eis, cuncti diuerſa prætendendo, abnuent. Idem infra de Piſone lib. iij. Annal. Iiſq. diuerſa excuſantibus: *& qua ſequuntur.*

die ſenatus metu & ægritudine feſſus, ſiue, vt tradidere quidam ſimulato morbo,

AD concitandam miſericordiam, rei ſæpe ſimulant morbum. Sic lib. xvi. Annal. Auctor inquit: Donec Princeps immobilem ſe precibus, & inuidia iuxta oſtendit.

lectica delatus ad fores curiæ, innixusq. fratri, & manus ac ſupplices voces ad Tiberium tendens, immoto eius vultu excipitur.

HOC eſt Principis officium: Immoto vultu reos excipere: nec aliqua paſsione tangi.

Mox libellos & auctores recitat Cæſar, ita moderans, ne lenire, neue aſperare crimina videretur.

PRINCEPS, cum aliquis læſa maieſtatis inſimulatur, debet ita moderari crimina, donec ea probentur, vt nec lenire nec aſperare ea videatur. Et id in omnibus indicys eſt agendum.

Acceſſerant

Acceſſerant præter Trionem & Catum accuſatores Fonteius Agrippa, & C. Liuius, quia nec ipſi inter ſe concederent, & Libo ſine patrono introiſſet, ſingillatim ſe crimina obiecturum profeſſus, protulit libellos vecordes adeo, vt conſultauerit Libo, an habiturus foret opes, quis viam Appiam Brunduſium vſque pecunia operiret. Inerant & alia huiuſcemodi ſtolida, vana, ſi mollius acciperes, miſeranda.

MVLTVM refert, quomodo accipiantur res. Nam multa ſunt potius miſeranda, ſi ea mollius accipias, quàm punienda: vt illa, quæ ab animi ſtoliditate ac vanitate procedunt. Sic ſupra lib. j. ſtolidè ferocem, nullius tamen flagitij compertum, nominat Agrippam Tacitus.

Vni tamen libello, manu Libonis, nominibus Cæſarum aut ſenatorum, additas atroces, vel occultas notas accuſator arguebat. Negante reo, adgnoſcentes ſeruos per tormenta interrogari placuit. Et quia vetere ſenatuſconſulto, quæſtio in caput domini prohibebatur, callidus & noui iuris repertor Tiberius, mancipari ſingulos actori publico iubet: ſcilicet, vt in Libonem ex ſeruis, ſaluo ſenatuſconſulto quæreretur.

TYRANNICVM eſt hercle, callida iuris interpretatione eò ſeruos adigere, vt in caput dominorum quæſtio de eis habeatur. Quod directo contra leges eſt.

Ob quæ poſterum diem reus petiuit. Domumq. digreſſus, extremas preces P. Quirino propinquo ſuo ad principem mandauit. reſponſum eſt, vt ſenatum rogaret. Cingebatur interim milite domus; ſtrepebant etiam in veſtibulo, vt audiri, vt aſpici poſſent, cum Libo ipſis, quas in nouiſſimam voluptatem adhibuerat, epulis excruciatus, vocare percuſſorem, prænſare ſeruorum dextras, inſerere gladium. Atque illis, dum trepidant, dum refugiunt, euertentibus adpoſitum menſa lumen, feralibus iam ſibi tenebris duos ictus in viſcera direxit. Ad gemitum conlabentis, adcurrere liberti: & cæde viſa miles abſtitit. Accuſatio tamen apud patres adſeueratione eadem peracta.

ETSI rei maieſtatis fato ſunt functi, tamen accuſatio in illos peragi conſueuit, ac ſi viuerent; & hoc ad damnandam eorum memoriam. Idem, quod hic Liboni, euenit etiam Cn. Piſoni mortuo.

Iurauitq. Tiberius petiturum ſe vitam, quamuis nocenti, niſi voluntariam mortem properauiſſet.

TYRANNVS etſi aliàs ſæuus, ſemper prætendere verbis clementiam & humanitatem ſolet: vt ſi aliquid atrocius in aliquos ſtatuat, hoc ſe facere neceſſitate coactum oſtendat. Sic lib. xv. Annal. infra Auctor de Nerone inquit: Et cum damnatio inſtaret, brachiorum venas Torquatus interſcidit: ſecutaq. Neronis oratio ex more. Quamuis ſontem & defenſioni merito diffiſum, victurum fuiſſe, ſi clementiam iudicis extrectaſſet.

Bona inter accuſatores diuiduntur: & præturæ extra ordinem datæ his, qui ſenatorij ordinis erant. Tunc Cotta Meſſalinus ne imago Libonis exequias poſterorum comitaretur cenſuit: Gn. Lentulus ne quis Scribonius cognomentum Druſi adſumeret. ſupplicationum dies Pomponij Flacci ſententia conſtituti: vt dona Ioui, Marti, Concordiæ, vtque Iduum Septembrium dies, quo ſe Libo interfecerat, dies feſtus haberetur. L. P. & Gallus Aſinius, & Papius Mutilius, & L. Apronius decreuere, quorum auctoritates, adulationesq. retuli, vt ſciretur vetus id in Rep. malum.

IN Rebuſp. & Principatibus omnibus vetus malum ſemper ineſt, adulatio.

Facta & de Mathematicis Magiſq. Italia pellendis ſenatuſconſulta:

PELLENDI ſunt ex omni bene inſtituto dominatu, Mathemathici, & Magi. Nam eſt genus hominum, vt inquit idem Auctor, infra lib. i. Hiſt. regnantibus infidum, ſperantibus fallax.

quorum e numero L. Pituarius ſaxo deiectus eſt. In P. Martium conſules extra portam Exquilinam, cum claſſicum canere iuſſiſſent, more priſco aduertere. Proximo ſenatus die, multa in luxum ciuitatis dicta a Q. Haterio conſulari, Octauio Frontone prætura functo:

PRAECIPVA cura debet eſſe Principis, luxum coercere in ſuis ciuitatibus.

H decretumq.

decretumq. ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent; ne veſtis ſerica viros fœdaret:

VIRI fœdantur, veſtibus nimis luxurioſis & muliebribus vtendo. Et de iſtis veſtibus ſericis, vide Senec. de Benefic. lib. vij. cap. ix. qui earum turpitudinem ſub aſpectum ponit: & eundem in Epiſt. 91. de his etiam intellexit Auctor noſter infra lib. iij. Annal. cum inquit: promiſcuas viris, & fœminis veſtes.

Exceſſit Fronto, ac poſtulauit modum argento, Supellectili, familiæ. Erat quippe adhuc frequens ſenatoribus, ſi quid e Rep. crederent, loco ſententiæ promere.

IN nouo Principatu, aliquantulum temporis durat imago antiquæ Reip. arte noui Principis: qui ſinit Senatores, ſi quid e Rep. credunt, loco ſententiæ promere.

Contra Gallus Aſinius diſſeruit, auctu imperij adoleuiſſe etiam priuatas opes; idq. non nouum, ſed e vetuſtiſſimis moribus:

NON eſt nouum, ſed e vetuſtiſsimis moribus, auctu imperij adoleſcere priuatas opes. Et cum publica rei ſit quædam imago res priuata: ſequitur, vt quando publicæ facultates ſunt exiguæ aut nullæ; nullæ, vel exiguæ ſint etiam priuatæ. E conuerſo, ſi ingentes erunt opes publicæ, ingentes & priuatæ conſpicientur. Quod ante oculos Principis eſſe debet, quoties de coercendo luxu agitur: vt ſciat habere rationem conditionis tam publicæ, quàm priuatæ; hincq. illi modum adhibere.

alia apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam, & cuncta ad Remp. referri.

QVAE apud priuatos pecuniæ ſunt, & facultates; ea cuncta debent ad Remp. referri. Nam, vt inquit Cicero, Ciuitatis ſunt diuitiæ, ſingulorum facultates, & copiæ.

qua tenui, anguſtas ciuium domos; poſtquam eo magnificentiæ venerit, gliſcere ſingulos:

DVM Reſpub. eſt tenuis, anguſtæ ſunt ciuium domus: poſtquam ad magnificentiam peruenit, gliſcunt ſinguli

neque in familia & argento, quæque ad vſum parentur, nimium aliquid, aut modicum, niſi ex fortuna poſſidentis:

IN familia & argento, & in his, quæ ad vſum parantur; nihil eſt nimium vel modicum, niſi ex fortuna poſsidentis.

diſtinctos ſenatus & ęquitum cenſus, non quia diuerſi natura, ſed vt locis, ordinibus, dignationibus antiſtent,

CIVIVM inter ſe ſunt diſtincti cenſus, non quia ſint diuerſi natura; omnes enim ſunt ijdem: ſecundum Ariſt. i. Polit. Et tam eſt homo, mendicus homo, quàm rex: ſed vt locis, ordinibus, dignationibus antiſtent ij, qui ceteros conſilio virtute, & prudentia antecellunt. Prouenire hinc differentia illa inter dominos & ſeruos, claros & obſcuros, nobiles, & ignobiles, infames, & honeſtos: & ſimilia alia nomina, quæ hodie in vſu frequentantur. Ariſt. in Polit. de his plenius.

talesq. ad requiem animi aut ſalubritatem corporum parentur:

AD HAEC duo parantur omnia a nobis: nempe ad requiem animi, aut ſalubritatem corporum.

niſi forte clariſsimo cuiq. plures curas, maiora pericula ſubeunda, delenimentis curarum & periculorum carendum eſſe.

IVSTVM eſt clariſsimos viros, quibus plures curæ, & maiora pericula ſunt ſubeunda, delinimenta etiam curarum, & periculorum habere. Sed ſæpe hoc honeſto nomine teguntur inſtrumenta obſcænarum voluptatum.

Facilem adſenſum Gallo, ſub nominibus honeſtis, confeſſio vitiorum, & ſimilitudo audientium dedit.

CONFESSIO vitiorum ſub nominibus honeſtis; & ſimilitudo audientium; facilem nobis adſenſum præbet.

Adiecerat

Adiecerat & Tiberius, non tempus id cenſuræ:

IMPRVDENTIS eſt, de re aliqua tractare, cum eius occaſio & tempus non eſt.

nec ſi quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem.

EA, quæ in moribus labant, proprio auctori relinquenda ſunt, vt corrigantur.

Inter quæ L. Piſo ambitum fori, corrupta iudicia, ſæuitiam oratorum accuſationes minitantium increpans, abire ſe, & cedere vrbe, victurum in aliquo abdito & longinquo rure teſtabatur. ſimul curiam relinquebat. Commotus eſt Tiberius,

COMMOVENTVR Principes, & Tyranni, ſi ſubditi aliquanto audacius ac liberius, quàm deceat, loquuntur, & queruntur. Non enim niſi ab animi magnitudine proficiſci poteſt hæc generoſa libertas loquendi ſub Tyranno.

& quamquam mitibus verbis Piſonem permulſiſſet, propinquos quoque eius impulit, vt abeuntem auctoritate vel precibus tenerent. Haud minus liberi doloris documentum idem Piſo mox dedit, vocata in ius Vrgulania,

CONCVRRERE cum illo, quem amicitia Principis ſupra leges extollit, eſt ſignum liberi doloris.

quam ſupra leges amicitia Auguſtæ extulerat.

OBSERVENT Principes, ne amicitiæ ſuæ fauore aliquis ſupra leges extollatur. Inde enim maxima mala in vniuerſum erumpunt.

Nec aut Vrgulania obtemperauit, in domum Cæſaris, ſpreto Piſone, vecta,

ID eſt vere eſſe ſupra leges: non obtemperare magiſtratibus, cum in ius vocaris; & ſpernere præcepta eorum.

aut ille abſtitit, quamquam Auguſta ſe violari & imminui quereretur.

VIOLATVR, & imminuitur Principis decor, quando domui eius & amicis, abſq. vllo reſpectu, contumelia, & damnum infertur.

Tiberius hactenus indulgere matri ciuile ratus, vt ſe iturum ad prætoris tribunal, adfuturum Vrgulaniæ diceret,

SVNT termini, vſque ad quos Princeps poteſt indulgere propinquis ſuis, vt matri, ſorori, vxori & ſimilibus: & eſt ciuile. Secus in omnibus.

proceſſit palatio, procul ſequi iuſſis militibus.

CVM Princeps cum aliquo apud magiſtratus ſecundum leges diſceptat, tunc non vt Princeps, ſed vt priuatus in omnibus, & per omnia gerere ſe debet.

Spectabatur occurſante populo, compoſitus ore, & ſermonibus varijs tempus atque iter ducens, donec propinquis Piſonem fruſtra coercentibus, deferri Auguſta pecuniam, quæ petebatur, iuberet. Isq. finis rei, ex qua neque Piſo inglorius,

CVM potentiori contendere, etſi cum periculo ſit, tamen non ſine gloria eſt.

& Cæſar maiore fama fuit.

MAGNAM acquirit famam Princeps, cum ſe legibus ſubijcit, ac illis, vt ceteri priuati, obtemperat.

Ceterum Vrgulaniæ potentia adeo nimia ciuitati erat, vt teſtis in cauſa quadam, quæ apud ſenatum tractabatur, venire dedignaretur.

CIVITATIS tranquillitas tunc perturbatur, cum in ea ciues inueniuntur adeo nimia potentia, vt ad tribunal vocati accedere dedignentur. Omnes enim debent parere legibus.

Miſſus eſt prętor, qui domi interrogaret: cum virgines Veſtales in foro & iudicio audiri, quoties teſtimonium dicerent, vetus mos fuerit. Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Gn. Piſonis & Aſinij Galli ſuper eo negotio diuerſas ſententias noſcere. Piſo quamquam abfuturum ſe dixerat Cæſar; ob id magis agendum cenſebat, vt abſente principe, ſenatus & equites poſſent ſua munia ſuſtinere: decorum Reip. fore.

ABSENTE Principe, ſi ſuſtinentur munia a Senatoribus & Equitibus, & nihil intermittitur, tunc eſt decorum Reipublicæ.

Gallus, quia ſpeciem libertatis Piſo Præceperat, nihil ſatis inluſtre, aut ex dignitate populi Rom. niſi coram & ſub oculis Cæſaris:

RES, quæ aguntur coram, & ſub oculis Principis ab eius præſentia acquirunt dignitatem, & illuſtrantur.

eoq. conuentum Italiæ & adfluentis prouincias pręſentiæ eius ſeruanda dicebat. Audiente hæc Tiberio ac ſilente, magnis vtrinque contentionibus acta, ſed res dilatæ.

CVM duo coram Principe contendunt, & vnus eorum illi fauet: tunc ſi Princeps ſilet, videtur approbare quæ pro ſe dicuntur. & ferme ſemper prævalebit ſententia quæ illi placet, etſi forſan minus æqua.

Et certamen Gallo aduerſus Cæſarem exortum eſt. Nam cenſuit in quinquenniũ magiſtratuum comitia habenda: vtque legionum legati, qui ante præturam ea militia fungebantur, iam tum prætores deſtinarentur: princeps duodecim candidatos, in annos ſingulos, nominaret. Haud dubium erat, eam ſententiam altius penetrare, & arcana Imperij tentari.

IMPRVDENTIS Aulici eſt altius penetrare velle mentem Principis ſuſpicacis: & arcana Imperij tentare. Et hic obſeruanda eſt maxima Tiberij calliditas, qua haud immeritò dicitur omnes Principes ſuperaſſe; Imperij enim noui arcanum in hoc præcipue verſatur; vt Princeps omnia ad ſe trahat. Ad quod aſſequendum, tria capita reſpicere debet Princeps nouus; Primum ne magiſtratus ſint diuturni; ne ſcilicet temporis diuturnitate potentia magiſtratuum coaleſcat, quod vertit directè in Principis noui diminutionem. Huic capiti contradicebat primum illud ſententiæ Galli, ſcilicet vt in quinquennium haberentur magiſtratuum comitia. Secundum a Principe nouo conſiderandum caput eſt, vt penes vnum ſe, & non alium ſit arbitrium & poteſtas creandi quos velit magiſtratus; vt ſcilicet qui ea cupient, in eis aſſequendis Principem ſolum colant: & de aſſequutis illi ſoli gratias habeant. Porrò huic ſecundo capiti refragabatur in Galli ſententia illa pars, vbi cenſebat, vt legionum legati, qui præturâ functi non eſſent, non alij, neceſſario prætores fierent. Tertia conſideratio & vltima nouo Principi præ oculis habenda eſt, vt ipſe rationem habendo omnium qui dignitatum ſunt capaces, nominet paucos, creandos proximo anno: vt ijs iam ſibi deuinctis, alios ſubſequenti nominare, & ſic intra paucos annos, omnem nobilitatem ſibi obſtringere poſſit. Cui capiti aperte repugnabat illud in Galli ſententia; quod cenſebat, vt Princeps duodecim candidatos in ſingulos annos nominaret. Tiberius tamen prudentiſſime quaſi aliud ageret, omnia, Galli intellectum diſſimulando, eluſit.

Tiberius tamen quaſi augeretur poteſtas eius, diſſeruit, graue moderationi ſuæ tot eligere, tot differre.

PRVDENS Princeps, cum aliquid contra mentem ſuam ab aliquo proponitur, quod ſpeciem honoris ei tribuendi præſeferat: id reſpuere ſolet, quaſi ob modeſtiam, ne nimis augeatur eius potentia: non ob id, quòd vere ei diſpliceat. Et ſic internum animi condit.

vix per ſingulos annos offenſiones vitari, quamuis repulſam propinqua ſpes ſoletur:

VERISSIMVM eſt repulſas, a propinqua ſpe ſolatio affici. Romani Aulici hoc optime norunt; qui ferme omnes ſpei eſca illecti vitam in hac Vrbe tranſigunt.

quantum

quantum odij fore ab his, qui vltra quinquennium proijciantur? vnde proſpici poſſe quæ cuique tam longo temporis ſpatio mens, domus, fortuna?

QVAE in hominibus conſiderari maxime ſolent, hac ſunt: Mens, Domus, & fortuna. De quibus poſſe longo tempore proſpicere in quolibet homine, impoſsibile eſt.

ſuperbire homines etiam annua deſignatione,

HOC eſt naturale hominibus; ſuperbire honoribus non tantum; ſed etiam honorum deſignatione. Ideo qui Aulicus ſperat, & ſcit poſſe ſperare ſe breui aliquam inſignem dignitatem adepturum, caucat ab hac ſuperbia oſtentatione: immo humilius ſe gerere debet: ſic enim & illius, a quo dignitatem expectat, gratiam ſibi confirmabit: & communem peſtem aularum inuidiam effugiet.

quid ſi honorem per quinquennium agitent?

SVPRA etiam obſeruauimus, quòd quanto diuturniores ſunt magiſtratus, eo ſunt potentiores: ideoq. noui Principes eos coercere ſolent, pro ſua ſecuritate.

quintuplicari prorſus magiſtratus, ſubuerti leges, quæ ſua ſpatia exercendæ candidatorum induſtriæ, quærendisq. aut potiundis honoribus ſtatuerint.

LEGES ſtatuunt certe tempus candidatis exercenda eorum induſtria, & quarendis honoribus ſed id citra ambitum ſemper intelligendum. Hodie maximo cum malo omnium ſapius hac induſtria in ambitum conuertitur. Quod eſt tantundem, quàm a virtute in vitium declinare. Et hic in Tiberio obſeruanda eſt aliquorum Principum nouorum aſtutia: qui, ſi quando euenit, vt aliquid tentetur ab aliquo, quod ſit & contra auctoritatem illorum, & leges etiam, non queruntur ſibi iniuriam fieri: ſed illam diſsimulando, exclamant, ſubuerti leges, iura, & Rempublicam funditus euerti: vt fauorem ſibi concilient: & nomen iuſtorum conſeruent.

Fauorabili in ſpeciem oratione vim imperij tenuit;

ORATIONES & verba Principis debent ſemper eſſe ſpecie fauorabilia: ſed dirigenda tamen ad vim Imperij retinendam. Quod ſemper, retinere nempe vim Imperij, intelligimus in hiſce noſtris Commentarijs, ſaluis Chriſtiana religionis praceptis.

cenſusq. quorundam ſenatorum iuuit. Quo magis mirum fuit, quòd preces M. Hortali nobilis iuuenis in paupertate manifeſta ſuperbius accepiſſet. Nepos erat oratoris Hortenſij inlectus a diuo Auguſto liberalitate decies ſeſtertium ducere vxorem, ſuſcipere liberos, ne clariſſima familia extingueretur.

NE extinguantur clariſsima familia; debet Princeps liberalitate ſua inlicere ſi qui ex illis ſunt pauperes, ad ducendam vxorem, & ſuſcipiendum liberos.

Igitur quatuor filijs ante limen curiæ adſtantibus, loco ſententiæ, quum in palatio ſenatus haberetur, modo Hortenſij inter oratores ſitam imaginem, modo Auguſti intuens ad hunc modum cœpit:

TAMETSI Hortalus non flexit Tiberium, oratio tamen mire apta ad perſuadendum habita fuit: ſed ille negauit, quia ſenatores perſuaſi fuerunt.

Patres conſcripti, Hos, quorum numerum, & pueritiam videtis, non ſponte ſuſtuli, ſed quia princeps monebat, ſimul maiores mei meruerant vt poſteros haberent. Nam ego qui non pecuniam, non ſtudia populi, neque eloquentiam gentile domus noſtræ bonum varietate temporum accipere vel parare potuiſſem,

IN omnibus Rebuſpub. hac tria ſunt maxima munimenta ad potentiam: pecunia, ſtudium populi, & eloquentia.

ſatis habebam, ſi tenues res meæ nec mihi pudori, nec cuiquam oneri forent:

CVI rei ſunt tenues, & ipſe eſt nobilis: cauere debet, ne illa ipſi ſint pudori, & alijs oneri. Abſtineat ſcilicet a flagitijs, vnde pudeat: nec petat alios, quod illos grauet.

iuſſus ab imperatore vxorem duxi. En ſtirps & progenies tot conſulum, tot dictatorum. Nec ad inuidiam iſta, ſed conciliandæ miſericordiæ refero.

EADEM, quæ ab vno dicta concitare inuidiam poſſunt, ab altero prolata miſericordiam mouebunt. Nempe multum refert, quis ſit, qui verba habet.

Adſequentur, florente te, Cæſar, quos dederis honores.

HONORES, quos Princeps alicui dat, eum, qui dedit, adſequuntur.

interim Q. Hortenſij pronepotes, Diui Auguſti alumnos ab inopia defende. Inclinatio ſenatus incitamentum Tiberio fuit, quò promptius aduerſaretur,

SAEPISSIME accidit, vt inclinationes aliorum, ſint incitamentum Tyranno aduerſandi. Et praui ingenij hoc eſt. Vnde elici regula pro Aulico optima poteſt, quòd ſi quando aliquid a Principe conſequi ſtudet, id ita petat, vt vnius ipſius Principis neque cuiuſquam alius gratia, id beneficium conſecutum ſe fuiſſe appareat: & illi ſoli acceptum id referat. Tiberius enim non tam Hortalo pecuniam negauit, quòd ſibi eam concedere iniuſtum videretur: quàm quia videbat euenturum, vt non tam ſibi quàm ſenatui toto Hortalus talis beneficij gratias habiturus fuiſſet; & ideò illi aduerſatus eſt. Naturale enim ferme omnium Principum, & præcipue nouorum hoc eſt, vt tam in publicis quàm in priuatis rebus omnia ad ſe trahant. Principatus enim non aliter conſtat, quàm ſi vni tantum ratio reddatur; vt ſupra obſeruauimus.

his ferme verbis vſus:

ORATIONES omnes Tiberij grauiſsimæ ſunt, & ſententijs refertiſsimæ, quæ a Principibus oraculorum vice haberi poſſunt. Ideo diligenter ſunt notandæ.

Si quantum pauperum eſt, venire huc, & liberis ſuis petere pecunias cœperint, ſinguli numquam exatiabuntur, Reſpublica deficiet.

IN petendis pecunijs raro ſibi ipſi ſcit imponere modum priuatus: ideo Princeps aliquid incipiat negare, vt ille deſiſtat, & ſeipſum a tædio liberet.

Nec ſane ideo a maioribus conceſſum eſt egredi aliquando relationem, & quod in commune conducat loco ſententiæ proferre, vt priuata, negotia & res familiares noſtras hic augeamus,

IN loco, vbi communia tractantur, non conuenit priuata negotia agere, nec de rebus familiaribus conferre. Magiſtratus enim & qui publica munia ſuſtinent, non idcirco illa ſuſtinent, vt res priuatas agant & tractent, & augeant; ſed vt publicæ vtilitati conſulant, atque illam reſpiciant.

cum inuidia ſenatus & principum, ſiue indulſerint largitionem, ſiue abnuerint.

PRINCIPES Abnuendo, conſequentur odium, quod pro inuidia hic intelligitur a petentibus. Indulgendo, a ceteris omnibus, qui tale factum improbabunt.

Non enim preces ſunt iſtuc, ſed flagitatio intempeſtiua quidem, & improuiſa:

ALIAE ſunt preces: aliæ efflagitationes intempeſtiuæ, & improuiſæ. Illis facilem Princeps ſe præbere debet: has vero reſpuere.

cum alijs de rebus conuenerint patres, conſurgere, & numero, atq. ætate liberûm ſuorum vrgere modeſtiam ſenatus, eandem vim in me tranſmittere,

QVI importune nimis, aliquid a Principe efflagitat, illius modeſtiam quodammodo vrget, & vim in eum tranſmittit. Ab hoc prudens aulicus ſemper ſe abſtinebit: ne Princeps, quod ille petit, denegando, illum odio proſequatur tamquam repulſa offenſum. Sed moderate petendum eſt a Principe: vt det ille, negetue; nos æquo animo vtrumque exitum laturos eſſe cognoſcat. Denique numquam in animum ſibi inducat Aulicus, velle extorquere aliquid a Principe.

ac, velut perfringere ærarium;

PERFRINGIT ærarium Principis quodammodo ille, qui abſque vllo merito, tam impudenter a Principe aliquod efflagitat, vt tandem illud extorqueat,

quod

quod ſi ambitione exhauſerimus; per ſcelera ſupplendum erit.

PRINCEPS prodigus ſæpe per ambitionem exhauriens ærarium illud per ſcelera ſupplet: nempe extorſionibus, rapiniſq. Et quamuis in vniuerſum magis ametur Princeps, qui largiatur effuſe, quàm qui tenax eſt pecuniæ: tamen exitum pernicioſum, qui prodigum conſequitur, inſpiciendo, prudens Princeps magis ad tenacitatem accedet, quàm ad prodigalitatem. Sic ſe geſsit, vt multos alios omittam, prudentiſsimus ille FERDINANDVS Catholicus Hiſpaniarũ Rex: Sic ſe hodie præſtat ſapientiſsimus SIXTVS. V. P. M. cui compertum optime eſt, ſi ærarium ambitione exhauritur, per ſcelera id ſupplendum eſſe. Et ſatis eſt ad explendas boni Principis partes, quòd ille nemini res ſuas auferat: quod neceſſe habet facere prodigus: ex cuius immoderatis largitionibus plures ſunt, qui incommoda patiuntur rapinarum, & extorſionum, quàm qui beneficijs munerum ſuorum gaudent. Adde, quod prodigalitas, cum exercetur, ſeipſam conſumit, ac facultatem ſui ipſius exercendæ adimit. Quòd vero plerisque placeant Principes prodigi, id forſan erit in cauſſa quòd in hominibus valet ſpei affectus, quam timoris: vnde fit, vt maior numerus ſit illorum, qui aliquid ab ipſo conſequi poſſe ſperant, quàm illorum, qui ne ſpolientur timent.

Dedit tibi Hortale Diuus Auguſtus pecuniam, ſed non compellatus,

EA eſt vera munificentia, & quæ vere gaudere ille, in quem exercetur, poteſt: quæ a Principe non compellato prouenit, Vt hodie Romæ in vſu eſt, quando dicitur, Sanctiſſimus Dominus noſter, Motu proprio, &c. dedit &c. *Et ſæpe Princeps non compellatus multa dat, quæ compellatus negaret.*

nec ea lege vt ſemper daretur.

PRINCEPS aliquid alicui largiendo non dat ea lege, vt ſemper a ſucceſſoribus ſuis detur eidem. Immo iuſtitiæ diſtributiuæ munus eſt, vt qui ab vno Principe ditatus eſt, alium Principem alijs, quibus tenues ſunt facultates, relinquat. Hoc enim modo quiſque fruitur beneficijs Principum. Abuſus tamen aulæ Romanæ eo creuit, vt hodie multi etiam, qui ſub alijs Pontificibus res ſuas, & facultates commode amplicauerunt: auide irrepant ad ſucceſſoris ſeruitium: gratia auiditatis ſuæ explendæ, & in immenſum lucrandi, ne dicam expilandi, & furandi,

Langueſcet alioqui induſtria, intendetur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus, aut ſpes,

QVI politici, ædificatores vrbium debere ſitum ſterilem potius quàm fertilem eligere, contendunt: hac nimirum ratione adducuntur, vt habitatores hinc impulſi induſtriam exerceant, & ab otio ſe incorruptos conſeruent. Nam alioquin langueſcet induſtria, & intendetur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus, aut ſpes inerit· ſed ſecuri omnes aliena ſubſidia expectabunt, ſibi ignaui, Principi graues. Hinc ſcitum illud Plauti: De mendico male meretur, qui ei dat quod edat, aut quod bibat: nam & illud quod dat, perdit, & producit illi vitam ad miſeriam.

& ſecuri omnes aliena ſubſidia expectabunt, ſibi ignaui, nobis graues.

TAMQVAM Syrtim, & Charybdim, fugiat Aulicus hanc opinionem apud Principem: nempe vt ſibi ignauus, & illi grauis exiſtimetur. Cum enim Princeps nulli illum ſibi vſui eſſe videbit, numquam ad eum beneficentia proſequendum, animum applicabit, ſed tamquam ſibi grauem & oneroſum auerſabitur. Contrarium erit, ſi ijs partibus animi, & conditionibus Aulicus pollere ſtudebit, quæ vtilitatem Principi aliquam afferre poſsint. Quod medium præcipue honoribus & gratijs ab eo conſequendis aditum Aulico aperit, & omnes alios interceſſores auctoritate ſuperat: vt ſupra lib. j. in Clemente obſeruauimus.

Hæc, atque talia, quamquam cum adſenſu audita ab his, quibus omnia principum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt,

PAVCOS hodie reperias, quibus omnia Principum honeſta atque inhoneſta laudare mos non ſit. Adeo deforme obſequium inualuit in omnibus aulis. Cum tamen inter illud, & abruptam contumaciam iter reperiatur, quod poſsit pergere grauis & prudens aulicus; offenſione, & periculis vacuum. Et obſeruanda eſt pulchra hæc adulatorum deſcriptio, qua vtitur Auctor noſter. Nempe, quòd illi ſunt, quibus omnia Principum honeſta, atque inhoneſta laudare mos eſt.

Plures

plures per ſilentium, aut occultum murmur excepere.

In præſentia Principis non ſtatim approbare eius ſententiam, quam alij ſequuti ſunt, ſed eam per ſilentium aut occultum murmur excipere, ſignum eſt contradictionis, & repugnantiæ a Principis voluntate.

ſenſitq. Tiberius.

Cum Princeps, quæ agit, non plene probari a melioribus videat, ea in quantum poteſt, retractare ſtudeat, & abrogare: vt effugiat odium vniuerſale. Et in hoc ſagaciam magnam adhibere debet, vt ex extrinſecis illorum, quibuſcum rem habet, ſignis, quicquid habeant animi, cognoſcat.

Et cum paulum reticuiſſet, Hortalo ſe reſpondiſſe ait. ceterum ſi patribus videretur, daturum liberis eius ducena ſeſtertia ſingulis qui ſexus virilis eſſent.

Hinc diſcant a Tiberio Principes, & meditari quæ loquuntur; & diſtinguenda non confundere: & non omnia ex ſui animi ſententia agere velle, ſed aliqua aliorum voluntati, & inclinationi, præſertim Senatorum, & virorum grauium de ſua propenſione remittere. Eodem modo infra lib. xiy. Annal. Auctor inquit: Sed nobili familia honor auctus eſt, oblatis in ſingulos annos quingenis ſeſtertijs, quibus Meſſala innoxiam paupertatem ſuſtentaret.

egere alij grates, ſiluit Hortalus, pauore, an auitæ nobilitatis etiam inter anguſtias fortunæ retinens:

Viri magnanimi, & non degeneres, etiam inter anguſtias fortunæ retinent auitam nobilitatem.

neque miſeratus eſt poſthac Tiberius, quamuis domus Hortenſij pudendam ad inopiam dilaberetur.

Miseratione digna eſt domus illa, quæ quondam viris, & opibus florens, ad pudendam inopiam dilabitur. Et præcipuum malorum, quæ affert inopia, hoc eſt: quod pudorem affert. Aliter tamen viſum Stoicis: de quorum ſententia vide apud Senecam in Epiſtolis fere omnibus. Cic. in Philoſopho. Plut. & alios.

Eodem anno mancipij vnius audacia, ni mature ſubuentum foret, diſcordijs, armisq. ciuilibus Remp. perculiſſet.

Mature ſunt coercendi audaces, quos habet ſub ſe Princeps: nam ſæpe vnius audacia, diſcordys, & armis ciuilibus Rempub. percellit.

Poſthumi Agrippæ ſeruus, nomine Clemens, comperto fine Auguſti, pergere in inſulam Planaſiam, & fraude, aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos, non ſeruili animo, concepit.

Sæpe ſerui reperiuntur, quibus non eſt animus ſeruilis. Ideo non ſunt deſpiciendi: & multa ſuper hac materia vide apud Senecam in Epiſt. 47. ad Lucilium, in hoc genere elegantiſsime & grauiſsime. Et ſimilia habes infra apud Auctorem lib. ij. Hiſt. vbi inquit. Tunc ſeruus e Ponto: & quæ ſequuntur. Et poſtea, Extiterat Scribonianus quidam: &c.

Auſa eius impediuit tarditas onerariæ nauis.

Non eſt dubium omnia auſa feſtinatione, & celeritate valeſcere: & eis tarditatem officere. Huc referri debet illud Othonis infra lib. i. Hiſt. Nil opus eſſe cunctatione in eo conſilio, quod laudari magis: & quæ ſequuntur.

atque interim patrata cæde, ad maiora & magis præcipitia conuerſus, furatur cineres,

Proprium hoc eſt animi temerary & audacis: vt etſi prima cœpta non proueniunt, tamen non deſiſtat: ſed maiora aggrediatur, & moliatur.

vectusq.

vectusq. Coram Ethruriæ promontorium ignotis locis ſeſe abdit, donec crinem, barbamq. promitteret. Nam ætate & forma haud diſſimili in dominum erat. Tum per idoneos & ſecreti eius ſocios, crebreſcit viuere Agrippam,

QVI aliquam rem diſſeminari cupit: hac arte uti poteſt. Nempe per idoneos ac ſecreti ſocios, eam primum occultis ſermonibus crebreſcere curet: deinde vago rumore apud imperitiſsimi cuiusq. promptas aures; & rurſum apud turbidos & noua cupientes: mox ipſe poſtremò prodeat; & extremam manum, prout rei conditio poſtulauerit, imponat.

occultis primum ſermonibus, vt vetita ſolent,

VETITA ſolent crebreſcere occultis ſermonibus. Sic infra lib. ij. Hiſt. Et famam ſupprimentes augebant.

mox vaga rumore apud imperitiſſimi cuiusq. promptas aures.

IMPERITI eſt, ad omnem vagum rumorem adhibere promptas aures: nã vt ait ſapiens: Qui leuis eſt corde, cito credit. Et prudentes ſemper ſecundos, & tertios nuncios expectant, antequam de re aliqua magna deliberationem ineant. Primi enim rumores ſemper ſunt maiores, incertiores, & terribiliores; quàm reuera inueniantur. Hinc diſcat Aulicus prudens, parce credere.

aut rurſum apud turbidos. eoq. noua cupientes.

INGENIA turbida, ferme ſemper noua cupiunt. Ab his ergo caueat Princeps: & illa calleat.

Atque ipſe adire municipia obſcuro diei, neque propalam aſpici, neque diutius iiſdem locis.

QVI mendacium aliquod molitur; & ne illud detegatur, timet: obſcuro diei ſemper res agit, neque propalam ſe aſpici ſinit; neque diutius iiſdem in locis: ſed aut relinquit famam, aut præuenit. Sic infra Auctor lib. v. Annal. inquit. Iuuat credulitatem nox, & promptior inter tenebras affirmatio.

Sed quia veritas viſu & mora, falſa feſtinatione & incertis valeſcunt, relinquebat famam, aut præueniebat.

VERISSIME apud Gellium lib. xij. cap. ij. habetur: Veritatem eſſe temporis filiam. Nam ipſa viſu, & mora; contra falſa feſtinatione, & incertis valeſcunt. In hanc ſententiam Auctor lib. j. Hiſt. inquit. Scelera impetu, bona conſilia mora valeſcere.

Vulgabatur interim per Italiam ſeruatũ munere deum Agrippã, credebatur Romæ.

IMBECILLITATIS humanæ hæc eſt conditio, vt ſecundum Senecam Tragicum: Quod nimis miſeri volunt, hoc facile credunt. Ideo nil mirum, ſi Romanus populus iam ſæuitia Tiberij pertæſus credebat viuere Agrippam poſthumum, quem cupiebat.

iamque Hoſtiam inuectum multitudo ingens, iam in vrbe clandeſtini cœtus celebrabant,

CLANDESTINOS cœtus prohibeat Princeps in ſuis ciuitatibus, & omnibus modis tollat. Nihil enim boni vmquam ex illis emanauit; ſed ſemper coitiones, conſpirationes, & ſeditiones exortæ fuerunt. Contra Academias, in quibus virtutes exercentur, & ingenia excoluntur, foueat, amplificet, & honoribus augeat: vt ex illis, tamquam clariſsimorum virorum ſeminarijs, & ipſe fructum percipere poſsit, illorum opera & miniſterio in ſui vtilitatem vtendo. De hac materia vide pulcherrimam orationem Mæcenatis apud Auguſtum, in Dionis. lij.

cum Tiberium anceps cura diſtrahere,

SAEPE Princeps cum a cura ancipiti ſuper aliquo magno negotio diſtrahitur, ſolet dare negotium primario alicui ſuo miniſtro ſpectatæ fidei & virtutis: qui illud explicet. Et tunc iure diſtrahitur ab ancipiti cura Princeps, cum ab homine nouo tumultus excitantur. Vi enim illum coerceat, an vaneſcere rumorem ſinat, hinc inde periculum ipſi impendet diuerſis de cauſsis.

vi ne

vi ne militum ſeruum ſuum coerceret, an inanem credulitatem tempore ipſo vaneſcere fineret.

TEMPORE vaneſcit inanis credulitas. Claudus enim ille, de tempore loquor, vera a falſis diſtinguit.

modo nihil ſpernendum,

PRINCEPS nihil ſpernere debet: nam ſæpe a re leuiſsima maxima pendent momenta: & teſte Q. Curtio: Parua ſæpe ſcintilla contempta magnum excitauit incendium. Et ideo etiam in leuibus rebus Princeps accurratus, & prouidens eſſe debet.

modo non omnia metuenda,

ETSI nihil eſt ſpernendum a Principe, vt ſupra diximus, tamen non omnia ſunt metuenda: immo tam fortis, quàm ſapiens eſſe debet. Et acumine ingenij diſcernere quæ pericula ſint euitabilia, & quæ ineuitabilia. Hæc aſpernari: illa vero acriter ſubire: eaq. induſtria, & fortitudine ſua ſuperando, magna aggredi & perficere debet. Et Tucidides inquit; illos vere eſſe fortes, qui æque proſpera ac aduerſa æſtimando, nullum periculum, virtutis gratia reformidant. Sed oportet diſtinguere nomina: nec accipiendi ſunt ſtolide feroces, & impetu tantum validi, loco fortium. Illi enim abſque iudicio, ſed temeritate ſola impulſi, pericula ſubeunt. Hi vero ratione præuia ab illis virtute ſua ſe explicare poſſe ſperantes, illis ſe ſubijciunt.

ambiguus pudoris ac metus reputabat.

PVDEBAT Tiberium, hominem obſcurum coercendo vi militum, ne eum ſibi quaſi iuſtum hoſtem, æqualem redderet. Timebat porrò, ne inanis vulgi credulitas, cui iſte ſeruus innitebatur aliquid tumultus daret. Ideo non abſq. ratione erat ambiguus.

Poſtremo dat negotium Salluſtio Criſpo.

EGENT Principes miniſtris acribus, quando miniſterio acri opus eſt. Et quoniam hic locus ſe offert, ſciendum eſt, hanc præcipuam Principis debere eſſe curam, vt bonos & aptos miniſtros habeat, qui ea, quæ ipſe deliberat, exequantur. Ipſe enim eſt caput, vt ſupra diximus: miniſtri autem ſunt manus. Et magnam acquirit Princeps exiſtimationem ex qualitate bona miniſtrorum, quibus vtitur. ſicut econuerſo ex inſufficientia illorum non paruum dedecus in ipſum reſultat. Tria ergo, vt breuibus abſoluam, requiruntur in miniſtro, Probitas, Beneuolentia, & Prudentia. Prima vt appetat bona ſemper, & mala declinet. Secunda vt quæ vtilia ſunt Principi, curet, & perficiat. Tertia vt quæ appetit natura ſua, vt bona, & curat, vt beneuolus Principis, poſsit, vt prudens, ad bonum exitum perducere. Porro hæc prudentia quatuor modis acquiri poteſt, aut inſigni experientia, vt in Regibus & Principibus nobis exemplum dederunt priſci ſcriptores: aut longa ætate, vt in Neſtore: aut ex varia multorum populorum & prouinciarum cognitione, vt in Vlyſſe: aut ex multa diſciplinarum & hiſtoriarum peritia, vt in Socrate, & Solone, ijdem docuerunt. De his omnibus elegans admonitio eſt CAROLI. V. Imp. ad Philippum filium, in Regnorum renunciatione.

Ille e clientibus duos, quidam milites fuiſſe tradunt, deligit, atq. hortatur, ſimulata conſcientia, adeant, offerant pecuniam, fidem, atque pericula polliceantur.

DOLVS dolo: vt eſt in adagio. Qui facinoroſum decipere vult, ſimulet conſcientiam; polliceatur maria, & montes: hoc enim modo ipſe credens, incautus præcipitabitur.

Exequuntur vt iuſſum erat. Dein ſpeculati noctem incuſtoditam, accepta idonea manu, vinctum clauſo ore in palatium traxere.

POSTQVAM conſulueris, mature facto opus eſt: inquit Salluſtius Hiſtoricus. Ideo prudenter hic ſe egit in conſulendo Salluſtius Tiberij miniſter, & mature executi ſunt illi duo, quibus dedit negotium.

Percunctanti Tiberio, quomodo Agrippa factus eſſet? reſpondiſſe fertur, quomodo tu Cæſar.

DIFFERVNT inter ſe media, quæ tenentur ab hominibus: ſed vere dici poteſt, cupere omnes maxime ceteris omnibus dominari, & præeſſe: & hunc eſſe plurium finem. Et huc vergebat

reſponſio ſerui ad Tiberium, quaſi diceret: Tu Tiberi quibus potuiſti artibus ad dominationem peruenisti: idem ego, quibus poteram rationibus, aſſequi tentabam.

Vt ederet ſocios ſubigi non potuit. Nec Tiberius pœnam eius palam auſus, in ſecreta palatij parte interfici iuſſit, corpusq. clam auferri.

QVAE odium ſibi acquirere poſſunt, ea Princeps aut per alios, aut ſecreto faciat: & palam ea exequi omnino fugiat. præſertim ſi in aliquem exequenda ſunt, qui res nouas molitus ſit: ne ſcilicet, aut metu, aut deſperatione a conſcijs & complicibus eius maiores excitentur tumultus.

& quamquam multi e domo principis, equitesq. ac ſenatores ſuſtentaſſe opibus, iuuiſſe conſilijs dicerentur, haud quæſitum.

IN coniuratione, qua multos & primarios Principis amplectitur amicos: ſatius eſt diſſimulare ceteros, dummodo caput ipſius ſit ſublatum, & auctor extinctus; quàm in omnes velle animaduertere. Sic OCT. FARN. Plac. & Par. Dux, paucis ante eius obitum annis, in coniuratione in eum exorta, quamuis multi accuſarentur, noluit in omnes inquiri, ſed ſolum confeſſos, & conuictos, puniri permiſit: ceteros ſilentio obliterauit. Et obſeruandum eſt hic, quòd tantumdem, & ſæpe magis iuuamur conſilijs, quàm opibus. Huc pertinet illud Senecæ: lib. i. de Benefic. cap. ij. in fine: Alium re alium fide, alium gratia, alium conſilio, alium præceptis ſalutaribus adiuua.

Fine anni arcus propter ædem Saturni, ob recepta ſigna cum Varo amiſſa, ductu Germanici, auſpicijs Tiberij, & ædes Fortisfortunę Tiberim iuxta in hortis, quos Cæſar dictator populo Ro. legauerat, ſacrarium genti Iuliæ, effigiesq. diuo Auguſto apud Bouillas dicantur. C. Cælio. L. Pomponio Coſſ. Germanicus Cæſar ad vij. Cal. Iunias triumphauit de Cheruſcis Chattisq. & Angriuarijs, quæque aliæ nationes vſque ad Albim colunt: vecta ſpolia, captiui, ſimulacra montium, fluminum, præliorum: bellumque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur.

BELLVM, quod niſi prohibitus eſſes, confeciſſes, pro confecto a te intelligitur. Per te enim non ſtetit, quominus id factum non ſit. ſecundum Iuris conſult. De reg. iuris.

augebat intuentium viſus eximia ipſius ſpecies, curruſq. quinque liberis onuſtus.

DVCIS ſpecies eximia, & numerus filiorum, augent eius exiſtimationem, & maximum illi decus conferunt.

Sed ſuberat occulta formido reputantibus, haud proſperum in Druſo patre eius fauorem vulgi, auunculum eiuſdem Marcellum flagrantibus plebis ſtudijs intra iuuentam ereptum:

EX ſucceſſibus maiorum noſtrorum ſimilia a nobis expectantur.

breues & infauſtos pop. Rom. amores.

IN fauſti equidem ſunt populi amores illi ciui, qui propter virtutem, magnanimitatem, opes, nobilitatem, & gloriam, in ſuſpicionem Principis regnantis, affectatæ dominationis venire poteſt.

Ceterum Tiberius nomine Germanici trecenos plebi ſeſtertios viritim dedit, ſeq. collegam conſulatui eius deſtinauit. Nec ideo ſincere charitatis fidem adſecutus,

QVI in reliqua vita parte ſe ſincerum non præſtat, ſinceritatis fidem ex vno vel altero tantum actu ſimulato, acquirere non poteſt. Et non ſemper vera deducitur conſequentia, quòd illum alligat Princeps, cui honores confert. Nam ſæpe, aut ſimulatione, aut ſpecie, aut alia de cauſſa occulta illum, quem non amat, dignitate afficit.

amoliri iuuenem ſpecie honoris ſtatuit,

SOLENT Principes, quem metuunt, amouere ſpecie honoris ab oculis hominum. Sic infra lib. xiij. Annal. de Othone, Auctor. Ac ne æmulatus in vrbe ageret, prouinciæ Luſitaniæ præficitur?

ſtruxitq.

ſtruxitq. cauſas, aut forte oblatas arripuit.

PRVDENTIS eſt arripere occaſionem: quam, cum ſe offert, imprudentes non agnoſcunt: & elapſam poſtea ſuſpirant: vſuri ea bene, ſi denuo aduenerit, quod raro contingit. Ideo prudens Aulicus ſemper in occaſiones paratus animo ſit, vt eas ſtatim arripiat. Et eſt tanti occaſio, vt ſine ea virtus langueſcat, & iaceat. Vnde recte dicitur: Virtutis oſtendendæ materiam occaſionem eſſe: & virtutem efficere, ne occaſio infructuoſe pereat. Sic occaſio diſperſionis Athenienſium virtutem Theſei patefecit: ſeruitutis Perſarum, Cyri fortitudinem prodidit. & de ſimilibus poteſt dici idem.

Rex Archelaus quinquageſimum annum Cappadocia potiebatur inuiſus Tiberio, quòd eum Rhodi agentem nullo officio coluiſſet.

ALIQVO officio colat prudens aulicus omnes Principes, dummodo non ſint inimici illius, cui neceſſario inſeruit. alioquin illis inuiſus redditur: vnde multa mala. Et ſi non poteſt omnibus obſequium præſtare, ſaltem illos non contemnat, & talem ſuſpicionem euitet. Inter tot enim rerum humanarum variationes poteſt hodie qui rerum potitur, vt ita in genere loquar, extingui: & talis ſuccedere, qui a te ſpretus, debitas iniuriæ pœnas repoſcet. Et aduertendum eſt quòd læduntur Principes, non colendo eos aliquo officio. Nam quodam iure dignitatis, quam obtinent, debetur illis a mortalibus veneratio, & obſequium. Hinc lib. xvi. Annal. Thraſea accuſatur nullam aliam ob rem, niſi quòd ipſi ſoli incolumitas Neronis ſine honore eſſet. Et quemadmodum Tiberio Archelaus fuit inuiſus, quòd eum Rhodi agentem nullo officio coluiſſet, ita Sulpitium Quirinium, eo quod illum ibidem coluiſſet, laudauit Tiberius in Senatu, vt videbimus in lib. iij. Annal.

Nec id Archelaus per ſuperbiam omiſerat,

NON ad eos ſolos, qui nunc viuunt Principes, animum adeo vertat Aulicus, vt ceteros ſpernat, aut contemnat: etiamſi parum gratia apud regnantem Principem polleant. Nam ſæpe rerum humanarum facies voluitur; & qui iampridem ſine honore iacebant, nunc rerum potiuntur. Quos ſi deſpexeris, tuo damno lues pœnas. Hæc cauſſa fuit Archelao exitij: & hodie multis Aulicis. Idq. repetere voluimus: etſi proxime ſupra idem obſeruauimus: quia refert magis, quàm aliqui credant.

ſed ab intimis Auguſti monitus; quia florente C. Cæſare, miſſoq. ad res orientis, intuta Tiberij amicitia credebatur.

INTVTA eſt amicitia illius, qui exoſus eſt dominanti: ideo prudens Aulicus eam declinare omni ſtudio ſolet.

Vt verſa Cæſarum ſobole,

SIC ſupra lib. i. Annal. Igitur verſo ciuitatis ſtatu: ideſt Repub. extincta. Et infra lib. iij. Annal. Abolitas leges, funditus verſas. & quæ ſequuntur.

imperium adeptus eſt, elicit Archelaum matris litteris, quæ non diſſimulatis filij offenſionibus

DECIPITVR inimicus, cum non diſſimulatis offenſionibus noſtris, cum eo redire in gratiam fingimus. Sinceritas animi noſtri enim ex hoc apparet: quæ dolum abeſſe a nobis perſuadet: atque efficit, vt ille ſecurus dormiat, vt dicitur. Hac arte, vt Tiberius Archelaum, fit Cæſar Borgia Paulum Vrſinum, Vitellotium Vitellium, *& nonnullos alios proceres Romanos intercepit, & ſuſtulit. vt eſt apud Guicciar. Hiſt. Ital. lib. v. Sed quantum hoc expediat, indicent qui ſanioris ſunt conſilij.*

clementiam offerebat, ſi ad precandum veniret.

MAXIMA felicitas in rebus humanis exiſtimatur, inimicos ſuos proſtratos, & in ſua manu poſitos cernere. Sed quàm felix eſt ille, cui hoc de inimico contingit, tanto glorioſius eum ſe gerere decet: clementiam videlicet exercendo, & illis ignoſcendo. Contra Tyranni, vt ſe tutos reddant, eos e medio tollunt: vt hic Tiberius erga Archelaum: & temporibus recentioribus

Maximi-

Maximilianus Sfortia *erga* Nicolaum Comitem Scotum Placentinum: *vnde illud axioma a Iaſone Maino relatum: Mortui non mordent. quod prius dixerat Photinus de Pompeio. Plut. in Pompeij vita.*

Ille ignarus doli, vel ſi intelligere crederetur, vim metuens, in vrbem properat,

IN adagio eſt: Quod vendere non poſsis, id elargire. Ideo qui ad aliquid faciendum conſtringi poteſt a Principe, id libenter, & ex corde ſe facere oſtendat, ad eius animum leniendum.

exceptusq. immiti a principe, & mox accuſatus in ſenatu,

FERME ſemper aduerſus iniurias veteres ſunt immites Principes. Et veriſsima habetur regula illa: Ob recentia beneficia non obliterari in animis Principum iniuriarum veterum memoriam. Inde illud Virg. 1. Aeneid.

. . . manet alta mente repoſtum
Iudicium Paridis . . . .

Et illud eiuſdem. Ibidem.

Tantæ ne animis cæleſtibus iræ?

non ob crimina, quæ fingebantur, ſed angore, ſimul feſſus ſenio, & quia regibus æqua, nedum infima inſolita ſunt, finem vitæ ſponte an fato impleuit.

REGIBVS aqua, nedum infima inſolita ſunt: aquo enim iure cum ceteris in ordinem vita coire non poſſunt. Et ob hoc ſæpe, magis angore animi, quàm alia de cauſſa, pereunt. ſic, vt hic Archelaus, Ioannes Bentiuolus *tyrannus, tadio deceſsit; ex vrbe Bononia, & tyrannide a IVLIO. II. deiectus. Guicciard. Hiſt. Ital. lib. vij.*

Regnum in prouinciam redactum eſt, fructibusq. eius leuari poſſe centeſimæ vectigal profeſſus Cæſar, ducenteſimam in poſterum ſtatuit.

EX bonis damnatorum Princeps nihil ſibi vindicare debet, vel in propriam vtilitatem conuertere; nec Aulicum ſuum aliquem gratioſum remunerare: nam præbebit ſermonum contra ſe materiam hominibus, quaſi huius rei gratia calumnias innocentibus ſtruxerit. Sed ea bona in publicum beneficium, aut religionis conuertat.

Per idem tempus Antiocho Comagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur nationes, pleriſq. Romanum, alijs regium imperium cupientibus.

EX morte Principum, præſertim abſq. ſucceſsione, turbari ſolent nationes. Quibus hac calamitate nulla alia maior accidere poteſt. Aut enim inteſtinis diſcordijs expoſita remanent, aut externis bellis.

& prouinciæ Syria atq. Iudæa feſſæ oneribus, diminutionem tributi orabant.

PROVINCIAE feſſa ob onera, vt iuſte a Principe petunt imminui tributa: ſic aquum eſt illis Principem indulgere.

Igitur hæc, & de Armenia quæ ſupra memoraui, apud patres diſſeruit, nec poſſe motum Orientem niſi Germanici ſapientia componi.

AD componendum magnum aliquem prouincia motum, opus eſt Principis, & clari viri ſapientia. In quo prius multa prudentia ſint cognita experimenta.

Nam ſuam ætatem vergere, Druſi nondum ſatis adoleuiſſe.

AETAS bona ad res agendas eſt vigens, & media; nam ſenilis vergit, adoleſcentum autem nondum adoleuit,

Tunc decreto patrum permiſſæ Germanico prouinciæ, quæ mari diuiduntur; maiusq. imperium quoquo adiſſet, quàm his, qui ſorte, aut miſſu principis obtinerent. Sed Tiberius demouerat Syria Creticum Sillanum per affinitatem connexum Germanico, quia Sillani filia Neroni vetuſtiſſimo liberorum eius pacta erat:

TIRANNVS, qui aliqua vrgenti cauſſa impulſus claro alicui viro, ſed ſibi ſuſpecto, maximas prouincias mandare cogitur, illinc ſi forte prius eſt, omnes illius amicos vel affines demouere

ſolet: & contra illi aſſociare diſcordem aliquem & ferocem virum. Primum quidem agit: ne vterq. animis coniunctis aliquid in ipſum machinetur. Secundum porro: vt ſi aliquid tentari contra ſe cœperit ab illo, quem habet infenſum; impediatur & reueletur ab æmulo, & diſcordi, qui ibi ſecum degit: inter quos veriſimile non eſt, amicitiam coniungi poſſe.

præfeceratq. Gn. Piſonem ingenio violentum: & obſequij ignarum;

VIOLENTI ingenio ſunt ignari obſequij: quod Romano aulico eſt euitandum, qui obſequioſus eſſe apprime debet. Quam animi qualitatem præcipue in LEONE X. antequam Pontifex crearetur, extollit Guicciard. lib. xiiij. Hiſt.

inſita ferocia a patre Piſone,

A Patribus vt bona fortuna, ſic ſæpe animi qualitates hereditario iure accipimus. Et hinc a Tiberio diſcant omnes Principes prudentes ingenia ſubditorum & aulicorum cognoſcere: nempe quale ſit mite, quale ferox: & ſimilia. Vt pro temporis & rerum occaſione ſciant illis vti, & eorum miniſterium in propriam vtilitatem exercere.

qui ciuili bello reſurgentes in Africa partes acerrimo miniſterio aduerſus Cæſarem iuuit, mox Brutum & Caſſium ſecutus, conceſſo reditu, petitione honorum abſtinuit: donec vltro ambiretur delatum ab Auguſto conſulatum accipere.

VERISSIMVM eſt magnos, & ſtrennos viros a Principibus ambiri, vt honores accipiant. Nam in indignum honores collati, dedecus magnum Principibus acquirunt: vt ſupra in lib. i. Annal. in fine de Tiberio obſeruauit Auctor noſter. Hodie vero ambitio; repoſtera aulicorum, qui ſe demittunt, & varijs inſinuationibus Principum gratiam affectant, illos negligentiores reddit in electionibus faciendis: dum eam nimio ambitu præoccupare nituntur. Principes enim alias orarent viros ſtrenuos, & dignos, vt honores accipere vellent: cum illis opus omnino ſit miniſtris: nemini autem neceſſitas ſeruiendi incumbat.

ſed præter paternos ſpiritus, vxoris quoque Plancinę nobilitate, & opibus accendebatur,

Intolerabilius nihil eſt, quam femina diues:

CECINIT grauiſſime Iuuenalis. Quid ſi poſtea nobilitas decedat? Ideo cui vxor talis forte obtigerit, eam accurate regat: nam aliter omnis culpa erratorum vxoris erit apud maritum.

vix Tiberio concedere; liberos eius vt multum infra deſpectare: nec dubium habebat, ſe delectum, qui Syriæ imponeretur ad ſpes Germanici coërcendas.

O mentem hominum tumidam & ſuperbam: ferme ſemper hoc accidit, vt ſi Princeps alicui auctoritatem aliquam ſuper aliquo negotio det, is multo maiorem ſibi arroget, & inſolentiſſime ſe gerat.

Credidere quidam data & a Tiberio occulta mandata, & Plancinam haud dubie Auguſta monuit muliebri æmulatione Agrippinam inſectandi.

INTER mulieres haud eſt nouum acerrimas eſſe æmulationes; quæ ſæpe ad viros pertranſeunt, & incendia magna ſuſcitare ſolent.

diuiſa namque & diſcors aula erat, tacitis in Druſum aut Germanicum ſtudijs.

IN omni aula, magna præſertim, hoc eſt peculiare ſemper; vt illa ſit diuiſa & diſcors, tacitis hominum in hunc, vel illum potentem ſtudijs. Sic aulam maximi cuiuſdam Regis inter duos præpotentes aulicos adeo diſcordem quondam vidimus; vt qui vnò adhæreſceret, alterius odium incurreret: vnde omnium negotiorum pernicies ſequebatur. Et idem de omnibus alijs aulis dici poteſt. Prudens ergo aulicus qui ad Principi inſeruiendum nuper accedit, in cuius aula ſint hæ diſcordiæ, fugiat inquantum poteſt, alterutri adhæreſcere: & ſe neutralem conſeruet. Id ſi nequiuerit, illi adhæreat, qui acceptior Principi erit. Quod ſi ambo accepti æque fuerint,

erint, eligat illum, qui maiori prudentia, & fundamentis firmioribus apud Principem nititur. Nam hic tractu temporis franget amuli potentiam, & Principem arbitrio ſuo moderabitur.

Tiberius vt proprium & ſui ſanguinis Druſum fouebat.

N*ATVRALE eſt omnibus hominibus; proprios, & ſui ſanguinis pra ceteris fouere.*

Germanico alienatio patrui amorem apud ceteros auxerat.

E*X miſericordia amorem gigni, Ariſtoteles in 2. Rhet. teſtatur. Ideo alienatio a nobis illius qui fauere nobis deberet, apud ceteros auget noſtri amorem; cui prius praceſſit miſeratio. Hinc ſequitur pulcherrima concluſio Seneca in Epiſt. 92. Sape maiori fortuna fecit locum iniuria.*

& quia claritudine materni generis anteibat, auum M. Antonium, auunculum Auguſtum ferens.

I*N materno genere, claritudo etiam multum importare debet. In Hiſpania plurimum equidem hodie attenditur. In Italia non adeo aſtimari ſolet. Certe cum contenditur inter duos de nobilitate, ceteris paribus is debet praferri, qui claritudine materni generis amulum ſuperat. Videndus Tiraquellus de Nobilitate; Bartolus, & alÿ, qui plene examinant hanc quaſtionem.*

Contra Druſo proauus eques Rom. Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur.

S*ECVNDVM multitudinis opinionem, dedecet Principem vxor, qua ignobilis ſit, nec familia illuſtris fulgore conſpicua. Ideo hac in re prudens Princeps, multitudinis ſententia inſeruire debet.*

Et coniunx Germanici Agrippina, fecunditate ac fama Liuiam vxorem, Druſi præcellebat.

V*XORVM noſtrarum laudes nobis etiam laudem afferunt. Porro his duabus pracipue dotibus mulier pracellere aliam mulierem dicitur; fama, ſcilicet, & fecunditate.*

Sed fratres egregie concordes, & proximorum certaminibus inconcuſſi.

I*NTER fratres plerumq. ſolent proximi certamina accendere. Sed ipſi debent ſemper eſſe egregie concordes, & inconcuſſi. Nam concordia parua res creſcunt: diſcordia maxima dilabuntur. Salluſt. in bello Iugurt.*

Nec multo poſt Druſus in Illyricum miſſus eſt, vt ſueſceret militiæ, ſtudiaq. exercitus pararet:

I*VVENES Principes ſueſcere debent militia, & ſtudia exercitus parare: idq. pracipue illis in imperÿs, qua tota a militibus pendent: vt erat priſcum Romanum, & hodie Turcicum.*

ſimul iuuenem vrbano luxu laſciuientem melius in caſtris haberi Tiberius,

N*VLLA maior peſtis adoleſcentia eſt, quàm luxus & voluptas: qua de re extat pulcherrima illa oratio Scipionis ad Maſſaniſſam apud Liui. lib. x. Decadis. 3. Ideo ne Princeps iuuenis vrbano luxu laſciuiat, melius faciet pater, ſi illum in caſtris habebit.*

ſeque tutiorem rebatur, vtroque filio legiones obtinente.

P*RVDENTISSIME faciunt Principes, qui filÿs curas legionum, exercituum, & militum ſuorum obtinendas tradunt: Nam, vt idem Auctor lib. iiÿ. Hiſt. infra in perſona Titi ad Veſpaſianum patrem inquit; Ceteri amici varÿs de cauſsis alienantur, & imminuuntur: ſed iura ſanguinis ſemper ſunt eadem. Quod ſi Turcarum Principes, qui tyrannice imperitant,*

hac de cauſſa idem agunt, filijs validiſsimas præfecturas regnorum mandando: quanto magis id agere debent legitimi, ac boni Principes?

Sed Sueui prætendebantur auxilium aduerſus Cheruſcos orantes.

V*ARIIS prætenſionibus ſolet alere bella in finibus hoſtium prudens Princeps: vt otium, & eius mala e ſuorum animis tollat, & gloriam propriam hac via adaugeat.* Vt Ferdinandum Catholicum Caſtellæ Regem *numquam ſatis laudatum feciſſe, iam ſupra obſeruauimus.*

Nam diſceſſu Romanorum, ac vacui externo metu, gentis adſuetudine, & tum æmulatione gloriæ arma in ſe verterant.

F*EROCES gentes, expedit, quòd aliquos hoſtes habeant, cum quibus ſe exerceant, & bellum gerant. alioquin vacui externo metu, & adſuetudine ſua bellandi, cum æmulatione gloria iuncta, arma in ſe vertent. Hinc emanauit pulcherrimum illud Naſicæ conſilium: e Repub. non ſibi videri Carthaginem deleri: Nam dum illa, inquiebat ille, manet, occaſio nobis eſt otium vitandi, & foras arma ferendi. Quaſi ſublata fuerit, tunc hoſtium defectu, in noſipſos arma exercebimus. Vide Florum in Epit. & Plut. in Scipionis vita.*

Vis nationum, virtus ducum in æquo:

C*VM inter duos populos belligeratur, hæc conſiderantur; vis nationum, & virtutes ducum, qua ducis virtus tanti eſt momenti in victoria adipiſcenda; vt Chabrias Imp. fortiſsimus dixerit: Formidabiliorem eſſe exercitum ouium duce leone, quàm Leonum duce oue.*

ſed Marobodui regis nomen inuiſum apud populares:

S*CIVIT maximo cum ſuo damno Cæſar dict. quàm Regis nomen ſit inuiſum apud populares. Hoc enim ſolo titulo, & quia Lupercalibus ſedens pro Roſtris, inſigne Regium, quod ei impoſuerat Antonius, ita repulerat, vt non offenſus videretur: a Bruto, Caſſio, & cæteris interemptus eſt. Vide Pater. Plut. & cæteros.*

Arminium pro libertate bellantem fauor habebat.

P*RO libertate bellans fauorem apud Reſpub. & liberos populos acquirit: Nam vt priuatorum amicitias ſimilitudo fortunæ conciliat; ſic & principatuum animos & fœdera regiminis conformitas coniungit.*

Igitur non modo Cheruſci, ſocijq. eorum, vetus Arminij miles ſumpſere bellum, ſed e regno etiam Marobodui Sueuæ gentes, Semnones ac Langobardi defecere ad eum. Quibus additis præpollebat, ni Inguiomerus cum manu clientum ad Maroboduum perfugiſſet, non aliam ob cauſam, quàm quia fratris filio iuueni patruus ſenex parere dedignabatur.

I*VVENIBVS ſenes, & fratrum filijs patrui, & ſimiliter omnes, qui ætate, aut iure ſanguinis anteriores ſunt, parere inferioribus dedignantur. Inuidia enim pectis non a natura, nec ſanguinis vinculo, quominus ſerpat, & in immenſum virus ſuum effundat, vllo modo retinetur. Hinc Virg. xi. Æneid.*

Tunc ſenior ſemperq. odijs & crimine Drances.

Infenſus iuueni Turno. *& quæ ſequuntur.*

Diriguntur acies pari vtrinque ſpe, nec vt olim apud Germanos, vagis incurſibus, aut diſiectas per cateruas. Quippe longa aduerſus nos militia inſueuerant ſequi ſigna, ſubſidijs firmari, dicta Imperatorum accipere.

F*IVNT homines ab experientia. Et vt in omnibus rebus hoc contingit: ſic in longa militia adſueſcunt tyrones ſequi ſigna, ſubſidijs firmari, & dicta Imperatorum accipere: vnde optimi milites euadunt.*

At tunc

At tunc Arminius equo conluſtrans cuncta,

DVCEM in acie vbique oportet eſſe: omnia oculis colluſtrare: milites præſentia, voce, & alloquio firmare: præſertim cum iam cum hoſte conſeri debet prælium.

vt quoſque aduectus erat, reciperatam libertatem, trucidatas legiones,

IDEM Auctor infra lib. v. Hiſt. inquit: Exhortatio Ducum non more concionis apud vniuerſos, ſed vt quoſque eorum aduehebantur; & quæ ſequuntur.

ſpolia adhuc & tela Romanis direpta in manibus multorum oſtentabat:

TVNC vere poteſt de ſeipſo Dux prædicare, cum quæ dicit ore, facto oſtendit.

contra, fugacem Maroboduum appellans, præliorum expertem, Herciniæ latebris defenſum, ac mox per dona & legationes petiuiſſe fœdus, proditorem patriæ, ſatellitem Cæſaris, haud minus infenſis animis exturbandum, quàm Varum Quintilium interfecerint:

QVI patriam produnt, ſunt exturbandi animis non minus infenſis, quàm aperti hoſtes. Immo etiam digni maiori ſupplicio ſunt, tam quòd grauius delictum committunt: quàm quòd maiorem perniciem afferre poſſunt: cum ab illis non caueatur, ab hoſtibus ſic.

meminiſſent modo tot præliorum, quorum euentu, & ad poſtremum eiectis Romanis ſatis probatum, penes vtros ſumma belli fuerit.

CVM e finibus ſuis eijcit Princeps illum, qui illuc ad eius damna venerat: ſatis clare probat, penes ſe eſſe ſummam belli.

Neque Maroboduus iactantia ſui aut probris in hoſtem abſtinebat,

A ſui iactantia tantumdem abſtinere debet dux fortis, quàm a probris in hoſtem. Vtrumq. enim leuitatem, & animi paruitatem oſtendit.

ſed Inguiomerum tenens, illo in corpore decus omne Cheruſcorum, illius conſilijs geſta, quæ proſpere ceciderint, teſtabatur;

VT proſpere res gerantur, neceſſe eſt excellenti conſilio. Non enim viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur: ſed conſilio, auctoritate, & ſententia. Cic. in Catone Maiore. Sic Tiberius plura conſilio, & auſpicijs, quàm vi & armis egit: ſupra proxime.

vecordem Arminium, & neſcium alienam gloriam in ſe trahere,

NIHIL eſt impudentius, & flagitioſius, quàm alienam gloriam in ſe trahere: Hoc faciunt vecordes, & rerum neſcij. Exemplum elegans huius rei eſt ille, qui diſtichon Virgilij ſibi arrogauit:

Nocte pluit tota: redeunt ſpectacula mane
Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet.

Cui cum poſtea Virgilius ſubſcripſiſſet quater

Sic vos non vobis:

Ille, qui vſurpauerat neſciuit finem hiſce hemiſtichijs addere: quod Virgilius perficiendo, ſe auctorem diſtichi oſtendit.

quoniam tres vacuas legiones, & ducem fraudis ignarum perfidia deceperit,

DECIPERE perfidia aliquem ignarum fraudis, non eſt res laude digna, nec præclara:

magna cum clade Germaniæ & ignominia ſua, cum coniux, cum filius eius ſeruitium adhuc tolerent.

AD nos venit ignominia, ſi coniuges, ſi filij noſtri ſeruitium apud hoſtes tolerant.

At ſe duodecim legionibus petitum, duce Tiberio, illibatam Germanorum gloriam ſeruauiſſe, mox conditionibus æquis diſceſſum.

QVI a numeroſo exercitu ſub imperatore cautiſſimo petitus, gloriam ſuorum illibatam ſeruat, & æquis conditionibus abſcedit; habet abunde de quo glorietur.

neque pœnitere quod ipſorum in manu ſit, integrum aduerſum Romanos bellum, an pacem incruentam malint.

RECTE agitur res nobiſcum, cum in noſtra manu eſt, bellum an pacem cum aliquo malimus. Hoc enim potentiam ſignificat.

His vocibus inſtinctos exercitus propriæ quoque cauſſæ ſtimulabant, cum a Cheruſcis Langobardisq. pro antiquo decore aut recente libertate, & contra augendæ dominationi certaretur.

TRIBVS his de rebus plerumq. bella geruntur: pro antiquo decore: pro recenti libertate: & pro augenda dominatione. Peſſimum omnium genus eſt quartum, cum ob quærendas ſedes vbi habitent, externi populi inferunt bella. Tria enim prima bellorum genera, victoria ſola cum aliquo tributi, aut penſionis ſigno contenta ſunt. At hoc vltimum internecionem totius gentis reſpicit; cum alteruter populus ſtare debeat, altero ſublato. Huius generis aliquos bella perpeſſus eſt Romanus populus: quale fuit Gallorum ſub Brenno: Germanorum, & Cimbrorum, quos Marius deuicit; & Heluetiorum, quos Cæſar. Vide Liuium, & Plut. & Caſ. in Comment. Eſt & illud, quod aliquando geritur ad abolendam infamiam: de quo ſupra in i. lib. initio loquuti ſumus, cum de Augusti fine loqueremur. illuc lectorem remittimus.

Non alias maiore mole concurſum, neque ambiguo magis euentu, fuſis vtrinque dextris cornibus. Sperabaturq. rurſum pugna, ni Maroboduus caſtra in colles ſubduxiſſet. Id ſignum perculſi fuit.

SVBDVCERE caſtra, poſt collatum cum hoſte prælium, & locum pugnæ deſerere, ſignum eſt perculſi, & victi exercitus.

& transfugis paulatim nudatus in Marcomannos conceſſit, miſitq. legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Reſponſum eſt, non iure eum aduerſus Cheruſcos arma Romana inuocare, qui pugnantis in eundem hoſtem Romanos nulla ope iuuiſſet.

NON iure certe noſtram opem aduerſus alios inuocant, qui nos in eoſdem pugnantes prius nullo auxilio iuuerunt. Et ideo qui ab altero ſibi auxilia ferri vult, eum antequam ſibi neceſſitas ingruat, demereatur beneficio aliquo. Aliàs quod illi feceris, in anguſtiarum ſuarum tempore; non tibi, ſed neceſſitati tuæ acceptum referet.

Miſſus tamen Druſus, vt retulimus, pacis firmator. Eodem anno duodecim celebres Aſiæ vrbes conlapſæ, nocturno motu terræ, quo improuiſior grauiorq. peſtis fuit.

QVAE mala noctu accidunt, eò ſunt improuiſiora, & grauiora: vt incendia, terræmotus, & ſimilia.

Neque ſolitum in tali caſu effugium ſubueniebat in aperta prorumpendi,

IN motibus terræ, effugium eſt prorumpendi in aperta.

quia diductis terris hauriebantur.

MAXIMVS eſt ille terræmotus, qui etiam apertas terras diducendo, gentes haurit.

Sediſſe immēſos montes, viſa in arduo quæ plana fuerant, effulſiſſe inter ruinam ignes memorant. Aſperrima in Sardianos lues plurimum in eoſdem miſericordiæ traxit.

QVO aſperiori aliquis fortuna percellitur, eo maiori eſt dignus miſericordia.

nam centies ſeſtertium pollicitus Cæſar, & quantum ærario, aut fiſco pendebant, in quinquennium remiſit. Magnetes a Sipylo, proximi damno ac remedio habiti,

AEQVVM eſt Principem ſe exhibere munificum, etiam largiendo de ſuo, erga illos, qui nulla ſua culpa, ſed caſu afflicti reperiuntur.

Temnios

Temnios, Philadelphenos, Aegæatas, Apollonienſes, quiq. Moſceni aut Macedones Hircani vocantur, & Hierocæſaream, Myrinam, Cymen, Tmolum leuari idem in tempus tributis, mittiq. ex ſenatu placuit, qui præſentia ſpectaret, refoueretque.

CVM mala ſocijs ciuitatibus, aut ſubditis accidunt, eò grauem & prudentem aliquem virum mittere debet Princeps, qui præſentia ſpectet, refoueatque.

Delectus eſt M. Aletus e prætorijs, ne conſulari obtinente Aſiam æmulatio inter pares, & ex eo impedimentum oriretur.

AEMVLATIO ſecundum Ariſt. in 2. Rhet. bona eſt, & bonorum virorum: inuidia vero mala, & malorum: amulus enim ſemet accingit propter æmulationem, vt bona adipiſcatur; inuidus vero propter inuidiam, ne alter potiatur; & æmulatio eſt moleſtia ſuſcepta ex eo, quòd in ijs, qui natura ſimiles ſunt, honorata bona ineſſe videantur, quæ & ipſi conſequi poſſint: non quod alij, ſed quia non & ipſi potiantur. Vnde ſequitur, quòd ſemper inter pares ſit æmulatio, quæ diſcordiam inter eos gignit. Huius rei multa exempla & antiqua hiſtoria, & noua ſuppeditant. Ex quibus clara regula colligitur, quòd magno alicui negotio gerendo numquam duo pares præfici debent: inde enim ob æmulationem impedimentum oriri neceſſe eſt.

Magnificam in publicum largitionem auxit Cæſar, haud minus grata liberalitate, quòd bona Aemyliæ Muſæ locupletis inteſtatæ petita in fiſcum, Aemilio Lepido, cuius e domo videbatur, & Patulei diuitis equitis Romani hereditatem, quamquam ipſe heres in parte legeretur, tradidit M. Seruilio, quem prioribus, neque ſuſpectis tabulis ſcriptum compererat. nobilitatem vtriuſque pecunia iuuandam præfatus.

SVPRA annotauimus, & nunc etiam annotamus Principem debere ſemper adiuuare Nobiles pecunia, qui ſuum ſplendorem ob paternas anguſtias retinere nequeunt. Confinis enim cum ipſius dominatu eſt nobilitatis conditio. Ariſt. Pol. vij. Et vt ait ille,

Et genus & virtus, ſine re, vilior alga eſt.

Neque hereditatem cuiuſquam adijt, niſi cum amicitia meruiſſet. Ignotos & alijs infenſos, eoq. principem nuncupantes procul arcebat.

PRINCEPS in ijs, quæ pecuniam reſpiciunt, adeo moderate gerere ſe debet, vt nullius hereditatem adire eum conueniat, niſi eum amicitia meruerit. vnde apud Iuriſconſultos honorarij heredes appellantur. Ignotos porro, & alijs infenſos, eoq. Principem nuncupantes, procul ſemper arceat. Quia non amore Principis illud fit, ſed odio illius, cui id debebatur, & iniuſte ei detrahitur.

Ceterum vt honeſtam innocentium paupertatem leuauit, ita prodigos & ob flagitia egentes Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, Q. Vitellium mouit ſenatu, aut ſponte cedere paſſus eſt.

SI modum auferas, omnis virtus in vitium prolabetur. Hinc fit, quòd non erga omnes Princeps ſe æqualem, & munificum præbere debet. Nam honeſtam quidem innocentium paupertatem leuare conuenit: ſed prodigi, & ob flagitia egentes, ignominia, & pœnis ab eo notandi ſunt.

Iiſdem temporibus deum ædes vetuſtate aut igni abolitas, cœptaſq. ab Auguſto dedicauit. Libero liberæq. & Cereri iuxta Circum maximum, quas Aulus Poſthumius dictator vouerat; eodemq. in loco ædem Floræ ab Lucio & Marco Publicijs ædilibus conſtitutam; & Iano templum, quod apud forum olitorium C. Duillius ſtruxerat, qui primus rem Romanam proſpere mari geſſit, triumphumq. naualem de Pœnis meruit. Spei ædes a Germanico ſacratur: hanc Atilius vouerat eodem bello.

INTER præcipua Principis munia illud eſt, curam religionis, & Dei ſemper habere: & diligenter quæ ad diuinum cultum & pietatem pertinent, perficere. Vt inter cetera ſunt templorum & ædium ſacrarum reſtauratio, ſi ſunt collapſa, refectio, & etiam nouarum erectio. Nec hic omitti poteſt SIXTI. V. in hoc aſſidua diligentia: qui primo ſtatim ingreſſu Pontificatus, multis in locis Romæ celebriora templa, aut inſtaurauit, aut exornauit. Immo antequam eſſet Pontifex, maxima animi magnitudine, & vltra vires ſuas, ſacellum in honorem DEIPARAE Virginis ad Diuæ maioris inchoauit, quod nunc abſoluit Regia ſtructura, & pietate.

Adoleſce-

Adoleſcebat interea lex maieſtatis. Et Apuleiam Variliam ſororis Auguſti neptem, quia probroſis ſermonibus diuum Auguſtum ac Tiberium, & matrem eius inluſiſſet, Cæſariq. connexa adulterio teneretur, maieſtatis delator arceſſebat.

IVRE poteſt poſtulari maieſtatis, qui de Principe irreligioſe loquitur. Principis enim perſona, ſecundum Iurisconſultos, ſacra eſt.

De adulterio ſatis caueri lege Iulia viſum. Maieſtatis crimen diſtingui Cæſar poſtulauit, damnariq. ſi qua de Auguſto irreligioſe dixiſſet.

QVEM Princeps plectere vult; ſi de duobus criminibus is accuſatur, quorum vnum ſeipſum, alterum alios reſpiciat; ne videatur odio proprio illum perdere, de ſe dicta ad cognitionem vocari prohibeat: ſed de alijs eum iudicari, & condemnari ſinat. Hoc enim modo & iuſtitiæ ſatisfaciet, & malam famam nominis ſui euitabit.

In ſe iacta nolle ad cognitionem vocari.

PRINCEPS prudens ea, quæ de ſe dicuntur, non omnia debet ad cognitionem vocare. Sufficere enim illi debet agere poſſe quod velit, vt prudentiſsime dicebat Laurentius Medices Iuliano fratri ſuo *alijs ſolatium loquendi præbendo. Immo ab aliquibus Polyticis in tantum hoc verum eſſe affirmatur, vt dicant eſſe etiam vtile Principi, nonnullos de illo obloqui. Cum enim neceſſario aliqui de ipſo male ſentiant, & ſe læſos exiſtiment, præſtat illos hunc malum animum per querelas & maledicta effundere, quàm grauius aliquid in Principis vitam moliri. Nam alterutro modo opus eſt, vt hominum praui humores exhalent.*

Interrogatus a conſule quid de his cenſeret, quæ de matre eius locuta ſecus, argueretur, reticuit.

PRVDENTIS eſt non reſpondere aliquid, cum de re tali interrogamur, quæ parum ad nos pertinet: & in reſponſione facile errare, & nobis præiudicium afferre poſſumus. Notent Aulici Romani.

Dein proximo ſenatus die illius quoque nomine orauit, ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent: liberauitq. Apuleiam lege maieſtatis. Adulterij grauiorem pœnam deprecatus, vt exemplo maiorum propinquis ſuis vltra ducenteſimum lapidem remoueretur, ſuaſit. Adultero Manlio Italia, atque Africa interdictum eſt. De prætore in locum Vipſanij Galli, quem mors abſtulerat, ſubrogando, certamen inceſſit. Germanicus atque Druſus, nam etiamtum Romæ erant, Haterium Agrippam propinquũm Germanici fouebant. contra pleriq. nitebantur, vt numerus liberorum in candidatis præpolleret, quod lex iubebat.

IVRE merito, ceteris paribus, præferri debet in honoris ſeu dignitatis petitione in Republica, ille e duobus, qui numero liberorum præpollet, illi, qui illis caret. Liberi enim in vtilitatem Reipublicæ, & generantur, & educantur.

Lætabatur Tiberius cum inter filios eius & leges ſenatus diſceptaret.

IVRE lætatur Princeps, cum inter filios eius & leges diſcrimina oriuntur. Sic enim fidem legitimi, & obtemperantis legibus Principis, acquirit: cum nolle vti ſe, nec filios ſuos priuilegijs Principum, oſtendat. Qui quidem omnes ſunt ſoluti legibus. attamen legibus debent viuere. Sed diuerſo modo lætatur Tyrannus: hinc enim ſuam potentiam legibus ſupereminere cognoſcit. vt faciebat Tiberius.

Victa eſt ſine dubio lex: ſed neque ſtatim, & paucis ſuffragijs: quomodo, etiam cum valerent, leges vincebantur.

VBI valent leges, ibi viget Reſpublica. Contra vbi rerum omnium, & legum etiam penes vnum eſt poteſtas, ibi Principatus eſt.

Eodem

Eodem anno cœptum in Africa bellum, duce hoſtium Tacfarinate. Is natione Numida, in caſtris Romanis auxiliaria ſtipendia meritus, mox deſertor, vagos primum, & latrocinijs ſuetos ad prædam & raptus congregare, dein, more militiæ, per vexilla, & turmas componere, poſtremo non inconditæ turbæ, ſed Muſulanorum dux haberi.

OMNIA initia tenuia ſunt. Et quod hic de Tacfarinate dicitur, id viſum clare fuit in Othomanno primo tam magnæ familiæ, ac dominationis fundatore. Is enim ex paſtore miles, vagos primum & latrocinijs ſuetos ad prædam & raptus congregauit, dein more militiæ, per vexilla & turmas compoſuit; poſtremo non inconditæ turbæ, ſed iuſti exercitus dux effectus Imperio maximo originem quæſiuit. Proinde aduertendum ſemper ab omnibus Principibus, omne, etſi leue initium: nam ex his, vt ſupra dictum eſt, maxima incendia oriuntur.

Valida ea gens, & ſolicitudinibus Africæ propinqua, nullo etiam tum vrbium cultu cepit arma, Mauroſq. accolas in bellum traxit. Dux & his Mazippa. Diuiſusq. exercitus; vt Tacfarinas lectos viros, & Romanum in modum armatos caſtris attineret, diſciplina & imperijs ſueſceret: Mazippa leui cum copia incendia & cædes, & terrorem circumferret. compulerantq. Cinithios haud ſpernendam nationem in eadem, cum Furius Camillus proconſul Africæ legionem, & quod ſub ſignis ſociorum, in vnum conductos ad hoſtem duxit, modicam manum, ſi multitudinem Numidarum atque Maurorum ſpectares. Sed nihil æque cauebatur, quàm ne bellum metu eluderent.

TVNC dicitur eludi bellum, cum hoſtis ſimulando timorem, te trahit, moratur & detinet. Vt Iugurtha ſæpe aduerſus Metellum & Marium egit. Saluſt. in bello Iugurthino.

Spe victoriæ inducti ſunt, vt vincerentur.

O quoties accidit, & in negotijs etiam, vt ſpe victoriæ inducti aduerſarij noſtri vincantur. Caute igitur a prudentibus Aulicis obſeruatur, vt in omnibus negotijs ſerijs, quæ tractant, ſemper plus timeant de bono exitu, quàm ſperent. A timore enim diligentiores, & accuratiores fiunt: vt econtra proſperum euentum certum ſperantes, negligentius curant, & ſæpe fruſtrantur. Idem de Aulicis antiquis & nouis Principum dici poteſt. Plerumq. enim illi plus æquo ſibi de Principis fauore fidentes, incurioſius illi inſeruiunt. Et hinc nouis, qui omnia accurate circumſpiciunt, viam ad progrediendum aperiunt. Hoc facilius experientia diſcitur, quam verbis doceri poſſit.

Igitur legio medio, leues cohortes, duæque alæ in cornibus locantur. nec Tacfarinas pugnam detrectauit: fuſi Numidæ, multoſq. poſt annos Furio nomini partum decus militiæ. Nam poſt illum reciperatorem vrbis, filiumq. eius Camillum, penes alias familias imperatoria laus fuerat. Atque hic, quem memorauimus, bellorum expers habebatur. Eo pronior Tiberius res geſtas apud Senatum celebrauit.

TYRANNVS pronior eſt ad laudandos obſcuros & ignotos, quàm veteris famæ & exiſtimationis. Ratio eſt in promptu. Illi enim ſuſpecti iampridem ob nimiam potentiam, aucto fauore ex ipſius commendatione, conuellere Principatum poterunt. Hi autem cum nuper emergant, nihil ipſi metuendum afferunt.

& decreuere patres triumphalia inſignia. Quod Camillo ob modeſtiam vitę impune fuit.

SEMPER virtute præditos comitatur modeſtia, nam & ipſa virtus eſt. Et hæc efficit, vt honoribus temperanter vtamur; & a nobis omnem ambitionis ſuſpicionem amoueamus. Quæ de re fit, vt Tyrannis nullo modo ſuſpecti ſimus: ſed impune ſub illis agamus.

Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum conſules habuit. Sed eum honorem Germanicus inijt apud vrbem Achaiæ Nicopolim, quo venerat per Illyricã otam, viſo fratre Druſo in Dalmatia agente, Hadriatici, ac mox Ionij maris aduerſam nauigationem perpeſſus. Igitur paucos dies inſumpſit reficiendæ claſſi; ſimul ſinus Actiaca victoria inclutos, & ſacratas ab Auguſto manubias, caſtraq. Antonij cum recordatione maiorum ſuorum adijt. Namque ei, vt memoraui, auunculus Auguſtus, auus Antonius erant; magnaq. illic imago triſtium lætorumque.

EX imagine lætorum & triſtium, quæ aliquis in vita perpeſſus eſt, compoſitio & animi tranquillitas proficiſcitur. Nam nihil pure malum, ſiue pure bonum, conceditur mortalibus, ſed à

principio

principio in vita lucem producentibus vrna datur & malorum, & bonorum plena, vt eſt apud veterem Poëtam, hinc prudens compenſationem rerum ſuarum facere debet. Et ſic ſibi veram, & ſolidam animi tranquillitatem parare: Seneca & Plut. de animi tranquillitate.

Hinc ventum Athenas, fœderiq. ſociæ & vetuſtæ vrbis datum, vt vno lictore vteretur.

SIGNVM maximum honoris confert Princeps, in aliqua ciuitate verſando, detrahendo aliquid de potentia ſuæ inſignibus dum in ea commoratur. Sociam enim ſibi eam, non ſubiectam hoc modo oſtendit.

Excepere Græci quæſitiſſimis honoribus, vetera ſuorum facta dictaq. præferentes, quò plus dignationis adulatio haberet.

ASTVTISSIMVM genus hominum eſt illud aliquorum adulatorum: qui cum rem per ſe viliſſimam adulationem eſſe cernant, eam aliunde quæſitis honoribus exornant; quò plus dignationis apud adulatum habeat.

Petita inde Eubæa, tramiſit Lesbum, vbi Agrippina nouiſſimo partu Iuliam edidit. tum extrema Aſiæ, Perinthumq. ac Byzantium Thracias vrbes, mox Propontidis anguſtias, & os Ponticum intrat, cupidine veteres locos, & fama celebratos noſcendi:

TRAHVNT ad ſe videnda maximos quosque homines, loca factis & vetuſtate celebria.

pariterque prouincias internis certaminibus, aut magiſtratuum iniurijs feſſas refouebat.

DVABVS his potiſſimum rebus Prouinciæ & ciuitates affliguntur, & quaſſantur: internis certaminibus, & magiſtratuum iniurijs. Et hinc diſcant omni cura Princeps ea refouere etiã cum maxime curis vacui ſunt, & otio frui poſſunt: & ſemper inter iocos ſeria agere. Nam hæc eſt cauſa, quare expediat Principem locos ſui imperij ſæpius inuiſere. Subditorum enim grauamina ad eius aures deferuntur, & facilis in initio eſt prouiſio: mire ſatisfacit cum ſua præſentia ſubiectis omnibus: aufert occaſionem, & commoditatem magiſtratibus eas aliquo modo expilandi, & ſpoliandi: quæ omnia ſecus accidunt, vbi Princeps eſt abſens. Et huius rei clarum exemplum præbere Belgici populi *temporibus noſtris. In quibus ſi continuo reſidere potuiſſet PHILIPPVS REX HISPANIARVM nec ipſi alibi vrgentioribus de cauſis manendum fuiſſet, forſan numquam deſciuiſſent.*

Atque illum in regreſſu ſacra Samothracum viſere nitentem obuij aquilones depulere. Igitur aliaq. quæ ibi varietate fortunæ, & noſtri origine veneranda, relegit Aſiam, adpellitq. Colophono, vt Clarij Apollinis oraculo vteretur. Non femina illic, vt apud Delphos, ſed certis e familijs & ferme Mileto accitus ſacerdos numerum modo conſultantium & nomina audit: tum in ſpecum degreſſus, hauſta fontis arcani aqua, ignarus plerumq. literarum, & carminum, edit reſponſa, verſibus compoſitis ſuper rebus, quas quis mente concepit: & ferebatur, Germanico per ambages vt mos oraculis maturum exitium cecinisse.

PER ambages ſemper dæmones & oracula reſpondent: ad decipiendos hac arte melius animos hominum. Vnde ſcelus eſt, nedum vanitas, eorum reſponſis fidem præſtare.

At Gn. Piſo quo properantius deſtinata inciperet, ciuitatem Athenienſium turbido inceſſu exterritam oratione ſæua increpat,

QVI aliquem perdere vult; ab eius amicis, & partialibus initium ſumit, vt eum debiliorem reddat.

oblique Germanicum perſtringens, quòd contra decus Romani nominis non Athenienſes tot cladibus extinctos, ſed conluuiem illam nationum comitate nimia coluiſſet. hos enim eſſe Mithridatis aduerſus Sullam, Antonij aduerſus diuum Auguſtum ſocios. etiã vetera obiectabat, quæ in Macedones Improſpere, violenter in ſuos feciſſent, offenſus vrbi propria quoque ira, quia Theophilum quendam Areo iudicio falſi damnatum precibus ſuis non concederent.

MIRVM in modum ira accenditur ſuperbus, cum eius precibus ab aliquo aliquid denegatur quæ preces in potentiori ſemper vim iuſſionum obtinent.

Exin

Exin nauigatione celeri per Cycladas, compendia maris adſequitur Germanicum apud inſulam Rhodum, haud neſcium quibus inſectationibus petitus foret:

QVI ſcit ſe ab aliquo inſectationibus peti, & ſe non defendit, in ſua oppreſſione miſericordiam nullam meretur.

ſed tanta manſuetudine agebat, vt cum orta tempeſtas raperet in abrupta, poſſetq. interitus inimici ad caſum referri, miſerit triremeis, quarum ſubſidio diſcrimini eximeretur.

IS eſt vere manſuetus, qui cum inimicum ſuum capitalem in diſcrimen mortis adductum videt, quod poteſt ad caſum referri; eum tamen ſubſidio ſuo, periculo eximit.

Neque tamen mitigatus Piſo, & vix diei moram perpeſſus, linquit Germanicum, præuenitque.

NON ſemper prauorum animi beneficijs mitigantur, immo ſæpe malignius operantur.

& poſtquam Syriam, ac legiones attigit, largitione, ambitu infimos manipularium iuuando, cum veteres centuriones, ſeueros tribunos demoueret, locaq. eorum clientibus ſuis, vel deterrimo cuique attribueret, deſidiam in caſtris, licentiam in vrbibus, vagum, ac laſciuientem per agros militem ſineret, eo vſque corruptionis prouectus eſt, vt ſermone vulgi, parens legionum haberetur.

HIC eſt verus, & breuiſſimus modus corrumpendi exercitum: largitione, ambitu, infimos manipularium iuuare: veteres centuriones, ſeueros tribunos demouere: loca eorum clientibus ſuis, vel deterrimo cuiq. attribuere: deſidiam in caſtris, licentiam in vrbibus, & vagum, & laſciuientem per agros militem ſinere.

Nec Plancina ſe intra decora feminis tenebat, ſed exercitio equitum, decurſibus cohortium intereſſe:

TVRPE eſt in muliere, non tenere ſe intra decora feminis: Quarum, teſte Tucydide, præcipua laus eſt, apud neminem extra proprios lares fama notas eſſe, etiam leui.

in Agrippinam, in Germanicum contumelias iacere, quibuſdam etiam bonorum militum ad mala obſequia promptis, quòd haud inuito imperatore ea fieri occultus rumor incedebat.

CVM aliquid ab aliquo etiam ſi ſit malum haud inuito Principe fieri, rumor occultus incedit; mirum eſt quàm facile in ſui partes etiam bonos viros trahat. Adeo quiſq. magni æſtimat placere dominanti.

Nota hæc Germanico;

MAXIMAM curam ponere debemus in inueſtigandis æmulorum factis, & conſilijs; vt ire obuiam, ſi opus ſit, poſſimus.

ſed præuerti ad Armenios inſtantior cura fuit.

SIC debet ſe gerere ille, cui cura Reipublicæ aliqua, aut Principis incumbit: anteponere illam omnibus priuatis affectibus, & rebus: adeo vt etiam priuatas iniurias nihil æſtimet.

Ambigua gens ea antiquitus non modo ingenijs, ſed ſitu terrarum, quo noſtris prouincijs late prætenta, penitus ad Medos porrigitur, maximisq. imperijs interiecti, & ſæpius diſcordes ſunt, aduerſus Romanos odio, & in Parthum inuidia.

ODIVM ad remotos teſte Ariſt. ij. de Ret. extenditur; Inuidia proximos reſpicit.

Regem illa tempeſtate non habebant, amoto Vonone; ſed fauor nationis inclinabat in Zenonem Polemonis regis Pontici filium, quòd is prima ab infantia inſtituta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, proceres plebemque iuxta deuinxerat.

DEVINCIVNTVR populi miro erga Principem amore, ſi eum vident cultum ipſorum, & inſtituta æmulari.

Igitur

Igitur Germanicus in vrbe Artaxata adprobantibus nobilibus, circumfuſa multitudine, inſigne regium capiti eius impoſuit. ceteri venerantes regem, Artaxiam conſalutauere, quod illi vocabulum indiderant ex nomine vrbis. At Cappadoces in formam prouinciæ redacti Q. Veranium legatum accepere. Et quædam ex regijs tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium ſperaretur.

CVM noua prouincia acquiritur, conducit quadam ex eius prioribus tributis imminuere; vt mitius imperium ſperando, quietius in fide maneat: & facilius Principis præteriti memoriam obliuiſcatur.

Commagenis Q. Seruæus præponitur, tum primum ad ius prætoris tranſlatis. Cunctaq. ſocialia proſpere compoſita, non ideo lætum Germanicum habebant, ob ſuperbiã Piſonis, qui iuſſus partem legionum ipſe, aut per filium in Armeniam ducere, vtrumq. neglexerat.

VERE eſt ſuperbus ille, qui mandata ſui legitimi ſuperioris negligit.

Cyrri demum apud hyberna decumæ legionis conuenere, firmato vultu Piſo aduerſus metum, Germanicus ne minari crederetur: & erat, vt retuli, clementior.

OBSERVENT illi, qui animi ſui arcanos ſenſus intelligi nolunt, ita firmato vultu eſſe erga omnes affectus, vt nulla ratione perrumpi poſsint.

Sed amici accendendis offenſionibus callidi, intendere vera, adgerere falſa, ipſumq. & Plancinam, & filios varijs modis criminari:

FERME ſemper Principum vt amicitia, ita & odia gignuntur ex ingenijs amicorum, quos apud ſe habent, Qui ſæpe intendendo vera, adgerendo falſa, offenſiones eorum accendunt.

poſtremo paucis familiarium adhibitis, ſermo cæptus a Cæſare, qualem ira & diſſimulatio gignit.

SERMO, qui ab ira, & diſsimulatione gignitur; varius, & multiplex eſt: partim feruidus ob iram, partim compoſitus ob diſsimulationem.

Reſponſum a Piſone precibus contumacibus.

QVANDOQVE preces habent in ſe contumaciam: ſecundum ſcilicet modum, quo porriguntur. In quo modo porrigendi, omne punctum vertitur circa negotiorum ſubſtantiam.

diſceſſerantq. apertis odijs: poſtq. rarus in tribunali Cæſaris Piſo; & ſi quando adſideret, atrox, ac diſſentire manifeſtus. vox quoque eius audita eſt in conuiuio, cum apud regem Nabatæorum coronæ aureæ magno pondere Cæſari, & Agrippinæ; leues Piſoni, & ceteris offerrentur, principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari:

ALIVD eſt Princeps, aliud Rex: Principis enim nomine ſpecies libertatis quodam modo indicatur in Republica: Regis vero nomen abſolutiorem poteſtatem indicat. Hinc dictum Piſonis declaratur: qui vt non Regem Tiberium, ſed Principem, ſic Germanicum Principis, non Regis filium ferociter iactauit.

abiecitq. ſimul coronam, & multa in luxum addidit. Quæ Germanico, quamquam, acerba, tolerabantur tamen.

PRVDENS, omnia, quamquam acerba, tolerare debet, quouſque ad finem ſuum perueniat. Hoc eſt quod Romæ dicitur: Craſſumbibere.

Inter quæ ab rege Parthorum Artabano legati venere Miſerat, amicitiam ac fœdus memoraturos, & cupere renouari dextras: daturum honori Germanici, vt ripam Euphratis accederet:

MAGNI honoris ſignum prabet potens Princeps illi, ad quem propius ſe confert, quàm ſoleat.

petere

petere interim ne Vonones in Syria haberetur, neu proceres gentium propinquis nuntijs ad diſcordias traheret.

QVI dominatur nationibus ferocibus, & procerum plenis: is, ſi quiete regere vult eas, amulos omnes regni, procul a finibus habere ſtudeat. Aliter ſemper propinquis nuntijs eos ad diſcordias trahent.

Ad ea Germanicus, de ſocietate Romanorum, Parthorumq. magnifice: de aduentu regis, & cultu ſui cum decore ac modeſtia reſpondit.

MODVS eſt hic omnibus a legatis & illis, qui Principis perſonam ſuſtinent, ſeruandus: vt de illo & ſuis rebus magnifice ſemper; de ſuo vero cultu, & de his, qua ad ſeipſos pertinent, cum decore & modeſtia loquantur.

Vonones Pompeiopolim Ciliciæ maritimam Vrbem amotus eſt. Datum id non modo precibus Artabani, ſed contumeliæ Piſonis, cui gratiſſimus erat,

CONTVMELIA aliquem afficimus, cum eius amicos & ſectatores damno & iniuria proſequimur.

ob plurima officia & dona, quibus Plancinam deuinxerat.

OMNIVM aularum hoc eſt proprium, vt dona nobis aditum ad gratiã & fauorem apud Principes aperiant. Qua dona diuerſo modo grata eſſe hominibus aſſerit Ariſtoteles in 2. Rhet. Ambitioſis, ob honorem, quem eis impertiuntur: Auaris vero, ob rei pretium. Et hic repetere placet, quod ſupra diximus: nempe quòd prudens aulicus ſtudeat Principis propinquas, ſiue matres, ſiue vxores, ſiue ſorores ſint, demereri: plurimum enim ſemper ha apud illum poſſunt.

M. Sillano, L. Norbano Coſſ. Germanicus Aegyptum proficiſcitur cognoſcendæ antiquitatis,

NOBILE, & Principe dignum deſiderium eſt cognoſcendarum antiquitatum. Vnde generatur prudentia, miniſtra & regulatrix ſapientia.

ſed cura prouinciæ prætendebatur.

NON ſemper quod decet priuatum, id & Principi conuenit: qui in hoc ſolum intendere debet, vt ſeruiat vtilitati populorum, & publica. Hac de cauſſa Germanicus curam prouincia pratendit ad viſendum Aegyptum, ne ſtudio antiquitatis cognoſcenda, munus ſuum videretur omiſiſſe, & praueriſſe.

leuauitq. apertis horreis pretia frugum, multaq. in vulgus grata vſurpauit, ſine milite incedere pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu,

DECET Principem nonnumquam aliqua in vulgus grata vſurpare: ad eius amorem ſibi conciliandum. vt inter cetera ſine milite incedere.

P. Scipionis æmulatione, quem eadem factitauiſſe apud Siciliam, quamuis flagrante adhuc Pœnorum bello, accepimus.

QVI Princeps maxime emineri in aliqua re vult; is ſibi eligat ad imitandum aliquem ex ſuperioribus Principibus egregijs fama: & eius vitam ſibi exemplar proponat. Sic Cyrum ſibi propoſuit Scipio, Alexandrum Cæſar; *& ſimiliter alij.*

Tiberius cultu, habituq. eius lenibus verbis perſtricto,

QVAE in cultu, habituq. errata committuntur, ea lenibus verbis perſtringi debent. Ne, vt inquit Seneca, acriora remedia malis adhibeantur.

acerrime increpuit, quòd contra inſtituta Auguſti non ſponte principis Alexandriam introiſſet.

PRINCEPS nouus, obſeruet vice legis ſemper inſtituta fundatoris principatus ſui: ob rationes, quas alibi diximus.

Nam Auguſtus inter alia dominationis arcana,

DOMINATIONES omnes habent quædam arcana, quaſi a vulgo ſcirentur, multum auctoritatis eis detraherent.

vetitis, niſi permiſſu, ingredi ſenatoribus, aut equitibus Romanis inluſtribus, ſepoſuit Aegyptum: ne fame vrgeret Italiam quiſquis eam prouinciam, clauſtraq. terræ ac maris, quamuis leui præſidio aduerſum ingentes exercitus inſediſſet.

MVNVS illud, quod commoditatem magnam affert innouandi res, & potentiam auget, prudens Princeps numquam primarijs viris, & illuſtribus demandet: ſed nouo alicui, & ſtrenuo homini. Et de arcano hoc Auguſti circa Aegypti præfecturam, vide Dionem lib. lj. Hiſt. & Auctor infra. lib. i. Hiſt. inquit: Aegyptum copiasq. quibus coërceretur, iam inde a Diuo Auguſto equites Romani obtinent loco Regum. Ita viſum expedire, prouinciam aditu difficilem, annonæ fæcundam, ſuperſtitione ac laſciuia diſcordem, at mobilem, inſciam legum, ignaram magiſtratuum, domi retinere.

Sed Germanicus nondum comperto profectionem eam incuſari,

PRVDENS Aulicus ſemper amicos habere ſtudeat illos, qui continue Principi adſident. Hoc enim inter cetera commoda acquiret, vt ex illis, quæ laudet, & quæ incuſet Princeps, cognoſcendo, illa ſequi, hæc euitare poterit.

Nilo ſubuehebatur, orſus oppido a Canopo. Condidere id Spartani ob ſepultum illic rectorem nauis Canopum, qua tempeſtate Menelaus Græciam repetens diuerſum ad mare, terramq. Libyam delatus. Inde proximum amnis os dicatum Herculi, quem indigenæ ortum apud ſe, & antiquiſſimum perhibent, eosq. qui poſtea pari virtute fuerint, in cognomentum eius adſcitos.

MERENTVR hoc magni, & præclari viri, vt in eius cognomentum poſteri adſciſcantur.

Mox viſit veterum Thebarum magna veſtigia. & manebant ſtructis molibus litteræ Ægyptiæ priorem opulentiam complexæ: iuſſusq. e ſenioribus ſacerdotum patrium ſermonem interpretari, referebat habitaſſe quondam ſeptingenta millia ætate militari: atque eo cum exercitu regem Rhamſen Lybia, Æthiopia, Medisq. & Perſis, & Bactriano, ac Scythia potitum, quaqs. terras Suri, Armenijque, & contigui Cappadoces colunt. inde Bithynum, hinc Lycum ad mare imperio tenuiſſe. Legebantur & indicta gentibus tributa, pondus argenti & auri, numerus armorum, equorumque, & dona templis ebur, atque odores, quasq. copias frumenti & omnium vtenſilium quæq. natio penderet, haud minus magnifica, quàm nunc vi Parthorum, aut potentia Romana iubentur. Ceterum Germanicus alijs quoque miraculis intendit animum, quorum præcipua fuere Memnonis ſaxea effigies, vbi radijs Solijs icta eſt, vocalem ſonum reddens, disiectasq: inter & vix peruia arenas, inſtar montium eductæ pyramides certamine & opibus regum; lacusq. effoſſa humo ſuperfluentis Nili receptacula; atque alibi anguſtiæ, & profunda altitudo, nullis inquirentium ſpatijs penetrabiles. Exin ventum Elephantinen ac Syenen, clauſtra olim Romani imperij, quod nunc rubrum ad mare pateſcit. Dum ea æſtas Germanico plures per prouincias tranſigitur, haud leue decus Druſus quæſiuit inliciens Germanos ad diſcordias;

DVX Exercitus acquirit haud leue decus illiciendo ad diſcordias hoſtes: huic conſonat quod ſupra dixit de Tiberio: Multa magis conſilio, quàm manu egiſſe. &c.

vtq. fracto iam Maroboduo, vſque in exitium inſiſteretur. Erat inter Gothones nobilis iuuenis nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui, & tunc dubijs rebus vltionem auſus.

TVNC eſt pulchra occaſio ſumendi vltionem de inimico cum eius ſunt dubiæ res. Sed hoc ſemper iuſte fieri debet.

Is valida

Is valida manu fines Marcommannorum ingreditur, corruptiſq. primoribus ad ſocietatem, irrumpit regiam, caſtellumq. iuxta ſitum ſ.

QVI contra Principem aliquid moliri audet, innouandi ſtatus gratia, is primores corrumpere ad ſocietatem ſolet.

veteres illic Sueuorum prædæ, & noſtris e prouincijs lixæ, ac negotiatores reperti, quos ius commercij, dein cupido augendi pecuniam, poſtremum obliuio patriæ ſuis quemque a ſedibus hoſtilem in agrum tranſtulit.

HAEC eſt ſcala transfugiendi ad hoſtes: Ius commercij, vnde cupido augendi pecuniam, a qua demum obliuio patriæ naſcitur.

Maroboduo vndique deſerto, non aliud ſubſidium, quàm miſericordia Cæſaris fuit. tranſgreſſus Danubium, qua Noricam prouinciam præfluit, ſcripſit Tyberio, non vt profugus aut ſupplex, ſed ex memoria prioris fortunæ:

REGIA magnanimitas vere eſt, in rebus afflictis, non gerere ſe vt ſupplicem & degenerem: ſed ex memoria prioris fortunæ agere. Sic FRANCISCVS GAL. REX, etſi captiuus, ſemper mores & ſpiritus regios retinuit. Guic. & Iouius: & ceteri hiſtorici.

nam multis nationibus clariſſimum quondam regem ad ſe vocantibus Romanam amicitiam prætuliſſe. reſponſum a Cæſare, tutam ei honoratamq. ſedem in Italia fore, ſi maneret: ſin rebus ſuis aliud conduceret, abiturum fide, qua veniſſet.

PRINCIPIS eſt fidem ſeruare. Et tametſi aliqui dicant, eam violandam eſſe, cum ſic conducit conſeruationi Principatus: hoc tamen non eſt admittendum. Eueniunt nihilominus ſæpe accidentia improuiſa, quæ Principem ab obſeruantia promiſſorum excuſant. Quorum exempla vide apud Senec. in lib. iy. de Beneficijs.

ceterum apud ſenatum diſſeruit, non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum, aut Antiochum populo Rom. perinde metuendos fuiſſe. Extat oratio qua magnitudinem viri, violentiam ſubiectarum ei gentium, & quàm propinquus Italiæ hoſtis,

HAEC ſunt in hoſte metuenda: magnitudo eius, violentia, ſubiectarum ei nationum: & propinquitas. Et quis & quantus fuerit hic Maroboduus, vide Paterculum lib. ij. qui fuſe & dilucide admodum illum deſcribit.

ſuaq. in deſtruendo eo conſilia extulit.

CVM aliquid ex ſententia Principis in publicam vtilitatem ceſſit: tunc ſua conſilia in hoc perficiendo agitata, extollere conuenit: ſic enim exiſtimationem ſuam apud ſubditos augebit, apud quos iam res ipſa loquitur.

Et Maroboduus quidem Rauennæ habitus, ne, ſi quando inſoleſcerent Sueui, quaſi rediturus in regnum oſtentabatur.

DVCES hoſtium, qui in noſtra poteſtate ſunt, & liberati res innouare poſſunt, vtiliſſimi ſunt ad tenendos eos intra ſua regionis & modeſtiæ terminos. Sic infra in vita Agricolæ Auctor inquit: Agricola expulſum ſeditione domeſtica vnum ex regulis gentis exceperat, ac ſpecie amicitiæ in occaſionem retinebat.

ſed non exceſſit Italia per duodeuiginti annos conſenuitq. multum imminuta claritate, ob nimiam viuendi cupidinem.

HOC ſæpenumero accidit, vt ob nimiam viuendi cupidinem aliqui conſeneſcant, multum imminuta claritate. Quod etſi omnibus eſt indecorum, tamen claris viris, & Principibus maiorem infamiam, quam ceteris, parit. Hoc videns Cato Vticenſis, *maluit, ſibi mortem conſcire, quàm in hoc incurrere. Vide Plut. in eius vita.*

Idem Catualdæ caſus, neque aliud perfugium, pulſus haud multo poſt Hermundurorum opibus, & Vibilio duce, receptuſque, forum Iulium Narbonenſis Galliæ coloniam mittitur. Barbari vtrumque comitati, ne quietas prouincias immiſti turbarent, Danubium vltra inter flumina Marum & Cuſum locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum.

ADVENAS homines & feroces, a commiſtione ſubditorum Princeps arceat: ne quietas ciuitates turbent: Et eo amandet, vbi nihil tumultus concire poſsint.

Simul nuntiato regem Artaxiam Armenijs a Germanico datum, decreuere patres, vt Germanicus atque Druſus ouantes vrbem introirent. ſtructi & arcus circum latera templi Martis Vltoris cum effigie Cæſarum; lætiore Tiberio, quia pacem ſapientia firmauerat, quàm ſi bellum per acies confeciſſet.

ID ſemper debet eſſe cordi Principi, victoriam adipiſci incruentam de hoſtibus. Vnde prudentes Principes magis inclinant ad pacem ſapientia firmandam, quàm ad bellum per acies conficiendum. Hoc egregie omnibus artibus præſtitit ſemper PAVLVS. III. PONT. MAX. in toto ſuo Pontificatu.

Igitur Rheſcuporim quoque Thraciæ regem aſtu adgreditur.

SCITE dictum fuit; Centaurum Achillem erudijſſe. *Innuendo videlicet, quòd prudens Princeps loco & tempore, & hominis ſapientiam, & animalium brutorum ſolertiam exercere debet. Et cum Leonis ſpolium vtile non eſt ad aliquid perficiendum, Vulpinam pellem induere: iuxta Lyſandri dictum. Sic ergo Tiberius, quæ vi non poterat, aſtu aggrediebatur: & ſic agere ſolent omnes prudentes Principes.*

omnem eam nationem Rhæmetalces tenuerat, quo defuncto Auguſtus partem Thracum Rheſcuporidi fratri eius, partem filio Cotyi: quod incultum, ferox, adnexum hoſtibus, Rheſcuporidi ceſſit: ipſorumq. regum ingenia, illi mite, & amœnum, huic atrox, auidum, & ſocietatis impatiens erat.

TVNC recte ſe habent res, cum Principis ingenium populi moribus conformatur. Ideo ſapienter. Auguſtus Thraciam *diuidendo inter duos Reges, quorum alter erat miti, & amœno ingenio, alter atroci, auido, & ſocietatis impatienti; primo dedit arua, vrbes, & Græcis vicinas ſecundo regi vero, inculta, ferocia, & hoſtibus adnixa. Contrarium egit* Seruius Tullus *filias ſuas* Tarquinijs *in matrimonium iungendo: vnde diſsidia, & mala multa. Vide Dionis. Halican. Liui. & Plut.*

ſed primo ſubdola concordia egere;

PEIOR eſt, quàm bellum apertum, ſubdola concordia: Illud enim facile euitari, cum cernatur, poteſt. Hæc cum aliud præſeferat, te incautum opprimit. Sic inter Iugurtham, & Adherbalem euenit. Vide Salluſtium, in bello Iugurt.

mox Rheſcuporis egredi fines, vertere in ſe Cotyi data, & reſiſtenti vim facere, cunctanter ſub Auguſto, quem auctorem vtriuſque regni, ſi ſperneretur, vindicem metuebat.

ACERRIMVS vindex ſe præbeat ſemper Princeps aduerſus eos, qui ipſum ſpernunt, & eius mandata. Aliter enim baſis principatuum omnium, exiſtimatio, inquam, caderet, & contemnenda euaderet: quo nihil peſtilentius ipſi. Et huc pertinet illud ſcitum.

Oderunt peccare boni, virtutis amore;
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

enimuero audita mutatione principis, immittere latronum globos, excindere caſtella, cauſſas bello.

SVPRA in principio primi libri annotauimus, & hic denuo repetimus, mutationem Principis ſemper turbas, tumultus, & bella parere. Tunc enim quodam modo leges ſilent, & nequiſsimus quiſque ſine pœna præceps audacia fertur, & turbas concitat. Ideo tali tempore, quibus hæc cura incumbit, vigilantiam maximam ad cuſtodiam rerum adhibere debent, donec nouus Princeps in ſolio ponatur. Quod Romæ, tempore vacantis Sedis mirifice conſpicitur.

eſt, quod ſemper qui cum aliquo vicino belligerandi cauſſas quærere vult, is immittit primo latronum globos, & caſtella excindit; dehinc ad grauiora deſcendit.

Nihil æque Tiberium anxium habebat, quàm ne compoſita turbarentur.

S*EMPER in hoc curam intendat Princeps, ne compoſita turbentur: & nihil æque illum anxium habere debet, quam hac ſolicitudo. Certe ALFONSVS II. ESTENSIS præſens DVX FERRAR. Sereniſs. diligentiſſime origines cuiuſcumq. priuata inter Nobiles inimicitiæ exquirit; in eisq. componendis omnes auctoritatis ſuæ modos intendit. Nam, vt ſupra diximus,* ſæpe leuis fauilla contempta magnum excitauit incendium.

deligit centurionem, qui nuntiaret regibus, ne armis diſceptarent. ſtatimq. a Cotye dimiſſa ſunt quæ parauerat, auxilia. Rheſcuporis ficta modeſtia poſtulat eundem in locum coiretur; poſſe de controuerſijs colloquio tranſigi. nec diu dubitatum de tempore, loco, dein conditionibus: cum alter facilitate, alter fraude cuncta inter ſe concederent, acciperentque.

H*IC eſt modus inter partes breuiter omnia concedendi; cum altera eſt facilis, altera fraudulenta: prima natura ſua nihil negare nouit; ſecunda, vt decipiat, approbare omnia ſe fingit.*

Rheſcuporis ſanciendo vt dictitabat fœderi conuiuium adijcit. tractaq. in multam noctem lætitia per epulas ac vinolentiam, incautum Cotyn, & poſtquam dolum intellexerat, ſacra regni, eiuſdem familiæ deos, & hoſpitalis menſas obteſtantem, catenis onerat.

N*VLLAM meretur excuſationem, qui ſemel ab altero deceptus, iterum ſe eius fidei committit, & damnum incurrit.*

Thraciaq. omni potitus ſcripſit ad Tiberium, ſtructas ſibi inſidias, præuentum inſidiatorem:

N*ATVRA inſidiatorum & ſceleratorum hæc eſt; quod in alterum ipſi ſtruunt, id in ipſos ab illo ſtructum fuiſſe, fingere. Sic Iugurtha erga Adherbalem ſe geſſit. Saluſt. Bello Iug.*

ſimul bellum aduerſus Baſtarnas, Scythasq. prætendens, nouis peditum, & equitum copijs ſeſe firmabat.

F*ERME ſemper in militum copijs, & exercitu comparando, Principes falſas cauſſas prætendunt, & hoc militari diſciplina adherendo; vt improuiſos, quos animo conceperunt, hoſtes adoriantur.*

Molliter reſcriptum, ſi fraus abeſſet, poſſe eum innocentiæ fidere.

V*IRTVS* ſecuritatem parit: *vetus eſt dictum. Hinc, ſi fraus abeſt, quiſque poteſt fidere innocentiæ:*

> Quæ non eget Mauris iaculis, nec arcu,
> Nec venenatis grauida ſagittis, Pharetra.

ceterum neque ſe, neque ſenatum niſi cognita cauſſa, ius & iniuriam diſcreturos:

P*RINCEPS numquam niſi cognita cauſſa, ius & iniuriam diſcernat: hoc eſt iudicium ferat.*

proinde tradito Cotye veniret; transferretq. inuidiam criminis.

T*RANSFERTVR inuidia criminis, cum illum, qui nos accuſat, & quem nobis inſidiari accuſamus, libere ad cauſſam dicendam abire permittimus; nec vi detinemus: & illius accuſationem falſam; noſtram veram eſſe probamus.*

Eas litteras Latinius Pandus proprætor Mœſiæ cum militibus, quîs Cotys traderetur, in Thraciam miſit. Rheſcuporis inter metum & iram cunctatus, maluit patrati, quàm incœpti facinoris reus eſſe:

S*TRENVE ſcelerati ſemper malunt eſſe rei patrati, quàm incœpti facinoris.*

occidi Cotyn iubet, mortemq. ſponte ſumptam ementitur.

S*AEPE Tyranni aliquos occidi iubent in carcere, & poſtea ementiuntur mortem ab illis ſponte ſumptam: & ſimile habes infra lib. vi. Annal. de Agrippina: vbi inquit Auctor. Et poſtquam*

nihil de ſæuitia remittebatur, voluntate extinctam: niſi ſi negatis alimentis adſimulatus eſt finis, qui videtur ſponte ſumptus.

Nec tamen Cæſar placitas ſemel artes mutauit;

QVAE ſemel placuerunt artes, retineat ſemper Princeps: dummodo contrarium efficax aliqua & euidens ratio non ſuadeat. Inconſtantia enim deliberationum contemptum in Principem parit: Sic infra lib. vi. Annal. de Tiberio Auctor loquitur, inquienſt Deſtinata retinens, conſilijs & aſtu res externas moliri: arma procul habere.

ſed defuncto Pando, quem ſibi infenſum Rheſcuporis arguebat, Pomponium Flaccum veterem ſtipendijs, & arta cum rege amicitia, eoq. accommodatiorem ad fallendum, ob id maxime Mœſiæ præfecit.

AD fallendum aliquem, miniſterio illius vti ſolet Princeps, qui artam cum eo, qui fraude petitur, amicitiam habet. Hinc enim fit accommodatior ad decipiendum.

Flaccus in Thraciam tranſgreſſus, per ingentia promiſſa, quamuis ambiguum & ſcelera ſua reputantem perpulit, vt præſidia Romana intraret.

SCELERATI homines ſemper ambiguo conſilio ſunt ob conſcientiam, qua ſcelera ſua reputant.

Circumdata hinc regi ſpecie honoris valida manus;

SAEPE ſpecie honoris aliquis cuſtodia circumdatur, & in vincula conijcitur: præſertim ſi primarius homo ſit, & qui aperta vi adortus, tumultus mouere poſſet.

tribunique, & centuriones, monendo, ſuadendo, & quanto longius abſcedebat, apertiore cuſtodia, poſtremo gnarum neceſſitatis in vrbem traxere. Accuſatus in ſenatu ab vxore Cotyis damnatur, vt procul regno teneretur. Thracia in Rhemetalcen filium, quem paternis conſilijs aduerſatum conſtabat, inq. liberos Cotyis diuiditur:

SCELERA patrum filijs non debent nocere: præſertim ſi paternis conſilijs aduerſati ſunt. Cum etiam ſecundum Iuriſconſultos, actiones ex delicto in heredes non tranſeant.

iiſq. nondum adultis Trebellienus Rufus prætura functus datur, qui regnum interim tractaret,

PRINCIPIBVS nondum adultis, viri aliqui eximia fide, ac iuſtitia dari debent, qui res eorum tueantur, ac tractent.

exemplo, quo maiores M. Lepidum Ptolemæi liberis tutorem in Aegyptum miſerant.

QVOD exemplo fit, id etiam iure fieri putatur: inquit Iuriſconſultus.

Rheſcuporis Alexandriam deuectus, atque illic fugam tentans, an ficto crimine interficitur.

QVI in vinculis detinentur, facinoroſi viri; & ſi elaberentur, tumultus concitare per magnos poſſent, hos pro regni ſalute conducit, vel ficto crimine, de medio tollere.

Per idem tempus Vonones, quem amotum in Ciliciam memoraui, corruptis cuſtodibus, effugere ad Armenios, inde in Albanos Heniochosq. & conſanguineum ſibi regem Scytharum conatus eſt, ſpecie venandi. Omiſſis maritimis locis, auia ſaltuum petit, mox pernicitate equi ad amnem Pyramum contendit, cuius pontes accolæ ruperant, audita regis fuga, neque vado penetrari poterat. Igitur in ripa fluminis a Vibio Frontone præfecto equitum vincitur: mox Remmius euocatus priori cuſtodiæ regis adpoſitus, quaſi per iram gladio eum tranſfigit. Vnde maior fides, conſcientia ſceleris, & metu indicij mortem Vononi inlatam.

DVAE magnæ ſunt hæ cauſſæ ad aliquem ſocium interficiendum: conſcientia ſceleris, & metus indicij.

At Ger-

At Germanicus Aegypto remeans, cuncta quæ apud legiones, aut vrbes iuſſerat, abolita, vel in contrarium verſa cognoſcit. Hinc graues in Piſonem contumeliæ;

IVRE merito cauſſam conquerendi habet Princeps de illo, qui abolet, vel in contrarium vertit iuſsiones ſuas.

nec minus acerba, quæ ab illo in Cæſarem tentabantur. Dein Piſo abire Suria ſtatuit. mox aduerſa Germanici valetudine detentus, vbi recreatum accepit, votaque pro incolumitate ſoluebantur, admotas hoſtias, ſacrificalem apparatum, feſtam Antiochenſium plebem, per lictores proturbat.

EST in Adagio Italico: Qui habet in ore amarum, dulce ſpuere nequit. *Hinc fit, vt cum aliquem odimus, omnia, quæ in eius damnum, vel improperium agere poſſumus, non omittamus. Quod & malum eſt, & vitandum.*

Tum Seleuciam degreditur opperiens ægritudinem, quæ rurſum Germanico acciderat. ſæuam vim morbi augebat perſuaſio veneni a Piſone accepti.

AEGROTI perſuaſio multum refert ad augendam, vel minuendam vim morbi. Idem etiam euenit erga Medicum, qui illum curat.

& reperiebantur ſolo, ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, & deuotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis inſculptum, ſemiuſti cineres, ac tabe obliti, aliaq. maleficia, quîs creditur animas numinibus infernis ſacrari,

VVLGVS ſuperſtitione plenum, multum credit in his maleficijs, quæ a noſtro Auctore enumerantur, & dicuntur vernacula lingua incantamenta: *tamen nulla eſt his fides adhibenda. Et vetat religio noſtra credi, quod per hæc deſtineantur morti animæ viuentium.*

ſimul miſſi a Piſone incuſabantur, vt valetudinis aduerſa rimantes.

PRAVI viri ac æmuli, ſemper quaſi aliud agentes, res noſtras per homines ad hoc immiſſos, rimantur: præſertim aduerſas.

Ea Germanico haud minus ira, quàm per metum accepta,

INIMICORVM potentium offenſa ferme ſemper hos duos affectus generant; iram nempe, ac metum.

ſi limen obſideretur, ſi effundendus ſpiritus ſub oculis inimicorum foret,

MAXIMAM iræ ac timoris cauſſam habet, qui ægrotus limen ſuum obſideri ab inimico videt; & pene ſub oculis eius effundere cogitur ſpiritum.

quid deinde miſerrimæ coniugi, quid infantibus liberis euenturum?

ARGVMENTVM a maiore ad minus. Si enim viri maximi, & victores gentium feroci ſſimarum perduntur per inſidias ab inimicis, quid erit de vidua, & pupillis?

lenta videri veneficia: feſtinare & vrgere vt prouinciam, vt legiones ſolus habeat: ſed non vſque eo defectum Germanicum, neque præmia cędis apud interfectorem manſura.

VTINAM hanc ſententiam ſcelerati corde in ſuo reputarent: Quòd raro cædis præmia apud interfectorem manent: *profecto a multis impietatibus ſe abſtinerent. Conſonat huic ſententia, illud ſacra ſcriptura:* Viri ſanguinum, & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos.

componit epiſtolas, quîs amicitiam ei renuntiabat.

O admirabilem manſuetudinem Germanici. Petitus inuidijs, veneno, & mori ab inimico adactus; ſatis vltionis ſumere prætendit, ſi ei amicitiam per Epiſtolas renunciat. vide Tranquillum in Caligula.

Addunt plerique iuſſum prouincia decedere. nec Piſo moratus vltra, nauis ſoluit, moderabaturq. curſui, qui propius regrederetur, ſi mors Germanici Suriam aperuiſſet; Cæſar paulisper ad ſpem erectus, dein feſſo corpore, vbi finis aderat, adſiſtentes amicos in hunc modum adloquitur. Si fato concederem, iuſtus mihi dolor etiam aduerſus deos eſſet, quòd me parentibus, liberis, patriæ intra iuuentam præmaturo exitu raperent:

IVSTE quodam modo dolemus, ſi aliquem noſtrum, intra iuuentam, præmaturo exitu eripi nobis, & patria videmus. Et hac oratio Germanici affectuum pleniſsima eſt: & vix in ea legenda a lacrymis temperari poteſt.

nunc ſcelere Piſonis & Plancinæ interceptus vltimas preces pectoribus veſtris relinquo: referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus inſidijs circumuentus miſerrimam vitam peſſima morte finierim.

IS vere dicitur miſerrimam vitam peſſima morte finire, qui inimicorum acerbitatibus dilaceratus, atque inſidijs circumuentus, ante diem ſuum decedit.

Si quos ſpes meæ, ſi quos propinquus ſanguis, etiam quos inuidia erga viuentem mouebat, illacrymabunt,

NON eſt nouum, eum, quem viuentem inuidia proſequitur aliquis ob virtutem; defunctum, lacrymis deſiderari ab eodem: Nam, vt rectè cecinit Flaccus.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Et correlatiua ſunt inuidere florenti, & miſereri afflicto.

quondam florentem, & tot bellorum ſuperſtitem, muliebri fraude cecidiſſe.

QVID poteſt dici miſerabilius, quàm virum florentem, & magnorum, & multorum bellorum ſuperſtitem, muliebri fraude cadere?

Erit vobis locus querendi apud ſenatum, inuocandi leges. Non hoc præcipuum amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignauo queſtu, ſed quæ voluerit, meminiſſe, quæ mandauerit, exequi.

PRAECIPVVM amicorum munus non eſt proſequi defunctum ignauo queſtu, ſed quæ voluerit, meminiſſe; quæ mandauerit, exequi.

flebunt Germanicum etiam ignoti. vindicabitis vos, ſi me potius, quàm fortunam meam fouebatis.

VERI amici, amicum, non fortunam fouent: Adulatores contra; fortunam, non amicum. Qua verſa, illum deſerunt. Vtriusq. exempla Roma vrbs omni tempore paſsim ſuppeditat.

Oſtendite populo Rom. diui Auguſti neptem, eandemq. coniugem meam: numerate ſex liberos.

NEMO tam ferus & barbarus eſſet, qui non moueretur ad miſericordiã viduæ, & pupillorum ex patre homine inſigni relictorum: præſertim extincto fraude inimici, & non vi bellorum.

Miſericordia cum accuſantibus erit:

FERME ſemper fauorabilior eſt cauſſa rei, quam accuſatoris apud Iudices: ſed cum crimen eſt adeo atrox, vt omnem miſericordiam iure exuperet, tunc illa eſt cum accuſatore. Quo modo eam nunc intelligit Auctor noſter hic.

fingentibusq. ſceleſta mandata, aut non credent homines, aut non ignoſcent.

VNVM ex duobus ſaltem merentur ſceleſti, qui facinora ſua excuſando, mandata ſibi a Principe ea fingunt: vt illis aut non credatur, aut non ignoſcatur. Sed quid ſceleſtius poteſt dici, quàm patrem mandare, vt filius necetur?

Iurauere amici, dextram morientis contingentes,

SIGNVM veri amici, & qui promiſſa defuncto ſeruare vult amico, eſt: dextram eius morientis contingere.

ſpiritum ante, quàm vltionem amiſſuros.

ET hoc dictum infixum perpetuo in cuiuſcumque amici corde erga amicum eſſe deberet: Spiritum ante, quàm eius vltionem, amittendum eſſe.

Tum ad vxorem verſus, per memoriam ſui, per communes liberos orauit,

CVM aliquem valide rogare intendimus, per ea quæ ille chariora habet, aut habere debet, orare conuenit. Porro vxori nihil charius eſſe poteſt, nec debet, quam memoria mariti defuncti, & communes liberi.

exueret ferociam, ſæuienti fortunæ ſubmitteret animum;

PRVDENTIAE pars eſt, cum tempus poſtulat, exuere ferociam, & ſæuienti fortunæ ſubmittere animum: ita tamen, quod flectamur, non frangamur, vt ille inquit. Et huc quadrat, quod Cicero in Epiſt. fam. ad Lent. dicit: Tempori cedere.

neu regreſſa in vrbem æmulatione potentiæ, validiores irritaret.

VALIDIORES numquam ſunt irritandi æmulatione potentiæ. Nam, ſecundum vulgatum adagium Hiſpanicum, a debiliori latere filum rumpitur. *Et quamuis plus iurit in debiliori ſit, tamen potentiori ſuccumbit. Vnde Tucidides protulit: Non hodie nec heri hoc fieri incipere: ſed ſemper accidiſſe, vt infirmior potentiori ſubiaceret. Idem Guic. lib. iij. Hiſt. Ital.*

Hæc palam, & alia ſecreto, per quæ oſtendere credebatur metum ex Tiberio. Neque multo poſt extinguitur ingenti luctu prouinciæ, & circumiacentium populorum.

VIRTVTIS hic eſt effectus, vt in quo perſpecta eſt, illius exitum agro animo feramus, & luctu proſequamur.

Indoluere exteræ nationes regeſque: tanta illi comitas in ſocios, manſuetudo in hoſtes: viſuq. & auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem & grauitatem ſummæ fortunæ retineret, inuidiam & adrogantiam effugerat.

IN quo viro hæ qualitates reperiuntur, magnum illum eſſe fatendum eſt. Nempe vt ſit comis in ſocios, manſuetus in hoſtes: viſu & auditu iuxta venerabilis: & magnitudinem, & grauitatem ſummæ fortunæ retineat; inuidiam & adrogantiam effugiat. Et hoc legere & obſeruare multi deberent, qui nouiter exaltati arrogantiſſime ſe gerunt: & hoc modo ſe ſummam rerum dignitatem retinere putant. Cum contra illa in hoc conſiſtat, vt adrogantiam, & inuidiam effugiat.

Funus ſine imaginibus & pompa, per laudes, & memoriam virtutum eius celebre fuit.

NVLLA maior imago, aut pulchrior pompa in funere alicuius magni viri exhiberi poteſt, quàm laudes, & memoria virtutis eius.

Et erant qui formam, ætatem, genus mortis ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interijt, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam vtrumque corpore decoro, genere inſigni, haud multum triginta annos egreſſum, ſuorum inſidijs externas inter gentes occidiſſe;

IN maximis Imperatoribus & Regibus hoc ſæpe contingit, vt forma, ætate, genere mortis, & multis alijs conditionibus inter ſe adæquentur.

ſed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, vno matrimonio, certis liberis egiſſe;

LAVDABILE valde in magno Principe apparet, mitem eſſe erga amicos, modicum voluptatum, vno matrimonio & certis liberis agere.

neque

neque minus præliatorem, etiam ſi temeritas abſuerit,

TEMERITAS non facit aliquem digniorem nomine præliatoris.

præpeditusq. ſit perculſas tot victorijs Germanias ſeruitio premere. quòd ſi ſolus arbiter rerum, ſi iure & nomine regio fuiſſet, tanto promptius adſecuturum gloriam militiæ,

MVLTVM intereſt ad magnas res gerendas, quòd aliquis ſit ſolus arbiter rerum, & iure, ac nomine regio. Hinc exit um Pompey in campis Pharſaliæ accidit; cum multi pari auctoritate Imperatores diuerſa vellent, & vnus ipſe ſuo arbitrio res gerere nequiret. Plut. in Pomp. & alij.

quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus præſtitiſſet.

AD militiæ gloriam aſſequendam, non ſolum ſufficit magnum eſſe præliatorem: ſed oportet, quòd clementia, temperantia, & ceteris bonis artibus præſtet.

Corpus antequam crematetur, nudatum in foro Antiochenſium, qui locus ſepulturæ deſtinabatur. Prætuleritne veneficij ſigna, parum conſtitit. Nam vt quis miſericordia in Germanicum, & præſumpta ſuſpicione, aut fauore in Piſonem pronior, diuerſi interpretabantur.

PRAECLARE inquit apud Salluſtium Cæſar: *Omnes homines, qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. & quæ ſequuntur. Nam in re aliqua narranda, diuerſa interpretationes dantur ei, prout quiſque a ſuis affectibus rapitur. Vnde emergit pulchrum illud conſilium Mæcenatis Auguſto datum apud Dionem de Auſcultatoribus loquendo: vt conſideret, ne quis priuato odio adductus, perniciem inimico machinetur.*

Conſultatum inde inter legatos, quiq. alij ſenatorum aderant, quiſnam Suriæ præficeretur; & ceteris modice niſis, inter Vibium Marſum, & Gn. Sentium diu quæſitum. dein Marſus ſeniori, & acrius tendenti Sentio conceſſit.

CVM inter duos de al qua dignitate contenditur, ceteris paribus, is debet præferri, qui ætate antecedit,

Isq. infamem veneficijs ea in prouincia, & Plancinæ percharam nomine Martinam in vrbem miſit, poſtulantibus Vitellio, ac Veranio, ceterisq. qui crimina & accuſationem, tamquam aduerſus receptos iam reos, inſtruebant.

PERSAEPE mulieres inueniuntur, quæ veneficio adeo pollent, vt quemlibet ætate, ac ſanitate vigentem, deperdere poſſint. Cui vitio ſemper it comes impudicitia.

At Agrippina quamquam defeſſa luctu, & corpore ægro, omnium tamen, quæ vltionem morarentur, intolerans, aſcendit claſſem cum cineribus Germanici, & liberis,

MVLIERVM eſt proprium, vt vltionem erga eos qui ipſas læſerunt, exoptent, & quærant. Cuius deſiderium vbi acriter reſedit, adeo alte figit radices, vt nec luctum, nec ægritudinem corporis ſentire ſinat, ſed omnia ſuperet.

miſerantibus cunctis, quòd femina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonia inter venerantis gratantisq. aſpici ſolita, tunc feralis reliquias ſinu ferret, incerta vltionis, anxia ſui, & infelici fœcunditate fortunæ toties obnoxia.

DIGNVS eſt miſeratione ille, qui e feliciſſimo vitæ ſtatu, repente in calamitates ærumnoſas ſine ſpe euadendi inciderit. Quarum calamitatum merito maxima cenſentur incertitudo vltionis in iniuria inſigni, & anxietas ſui, cum infelici fœcunditate.

Piſonem interim apud Coum inſulam nuntius adſequitur, exceſſiſſe Germanicum. Quo intemperanter accepto, cædit victimas, adit templa, neque ipſe gaudium moderans,

IMPRVDENTIS eſt, intemperanter accipere nuntium mortis inimici, & gaudium non moderari, vt hic Piſo erga Germanicum. Non ſic Cæſar, qui ad caput occiſi Pompei lacrymatus eſt.

& magis

& magis inſoleſcente Plancina,

NON eſt nouum, mulieres ſemper magis ob res lætas inſoleſcere, quàm viri non faciunt: ob fragilitatem, & impotentiam ſexus.

quæ luctum amiſſæ ſororis, tum primum læto cultu mutauit.

IN boni nuncij ſignum, ſolemus mutare læto cultu luctum, quem prius indueramus ob alicuius noſtrum mortem. Et hic mos hodie etiamnum retinetur.

Adfluebant centuriones, monebantque, prompta illi legionum ſtudia, repeteret prouinciam non iure ablatam & vacuam.

DVM aqua profluit, optimum eſt bibere: eſt in adagio. Huc quadrat hoc Auctoris dictum; quod dum prompta ſunt hominum ſtudia, quilibet debet repetere ſuum non iure ablatum.

Igitur quid agendum conſulanti M. Piſo filius properandum in vrbem cenſebat: nihil adhuc inexpiabile admiſſum, neque ſuſpiciones imbecillas, aut inania famæ pertimeſcenda:

SVSPICIONES imbecilles, & inania fama non ſunt pertimeſcenda ab illo, qui nihil inexpiabile admiſit.

diſcordiam erga Germanicum odio fortaſſe dignam, non pœnam.

MVLTA ſunt odio digna, quæ non merentur pœnam.

& ademptione prouinciæ ſatisfactum inimicis.

QVOD in mari ſæuiente gubernator nauis peritus facit, vt parte mercium eam exonerando, ceteras ſaluet: hoc debet quilibet prudens in hac vita agere, cum a multis inimicis circumuenitur: nempe aliquibus eorum quoquo modo ſatisfacere, vt erga ceteros ſe tutari queat:

Quòd ſi regrederetur, obſiſtente Sentio, ciuile bellum incipi; nec duraturos in partibus centuriones militeſque, apud quos recens Imperatoris ſui memoria, & penitus infixus in Cæſares amor præualeret.

MIRVM eſt dictu, quantum apud milites poſſit Imperatoris dilecti memoria; & infixus in ſuos duces antiquos amor.

Contra Domitius Celer ex intima eius amicitia diſſeruit, vtendum euentu

HOC eſt, quod vulgo dicitur Sapientem oportere frui beneficio temporis. *Sed hoc magnam diſcretionem requirit.*

Piſonem non Sentium Suriæ præpoſitum. Huic faſces & ius prætoris, huic legiones datas: Si quid hoſtile ingruat, quem iuſtius arma oppoſiturum, qui legati auctoritatem, & propria mandata acceperit?

IS iuſte officium exercet, qui eius auctoritatem ac propria mandata a Principe accepit.

Relinquendum etiam rumoribus tempus, quo ſeneſcant.

VERITATEM eſſe filiam temporis, vt ſupra notauimus, dixerunt antiqui: proinde ſequitur, vt idem tempus ſeneſcere rumores faciat: & hoc eſt munus ſapientis, relinquere illi tempus ſeneſcendi.

Plerumque innocentes recenti inuidiæ impares.

SEMPER cum magno impetu ingruunt, quæ recentia veniunt. Vnde prudenter aget quiſquis, etiamſi innocens ſit, ſi in carcerem ſe duci non ſinet; cum de aliquo crimine accuſatur. Nam plerumque innocentes ſunt recenti inuidiæ impares.

Atſi

At ſi teneat exercitum, augeat vires,

I*N omni dubio euentu conducit ſemper tenere exercitum, & augere vires: ſic enim ab æmulis & inimicis tutum te reddis. Hoc ſciuit* Cæſar, *& noluit legiones dimittere, ne inermis a* Pompeio, *& inimicis opprimeretur. Tranquil. Plut. & alij.*

multa, quæ prouideri non poſſunt, fortuito in melius caſura.

S*AEPE multa, quæ prouideri non poſſunt, fortuito in melius cadunt. Sed non ob hoc prudens relinquat negotiorum curam fortunæ: immo vbi poteſt, omnia ratione praua prouideat.*

An feſtinamus cum Germanici cineribus adpellere, vt te inauditum & indefenſum planctus Agrippinæ, ac vulgus imperitum, primo rumore rapiant?

A*PVD vulgus imperitum primi rumores maximam habent efficaciam: præſertim cum adiuuantur a mulie ri planctu.*

Eſt tibi Auguſtæ conſcientia, eſt Cæſaris fauor, ſed in occulto:

Q*VI habet fauorem Principis in occulto, circumſpecte ſe gerere debet. Ad minimam enim e.us oſtenſionem illum amittit. Roma hoc præceptum vſu venit.*

& periiſſe Germanicum nulli iactantius mœrent, quàm qui maxime lætantur.

S*IMVLATIO, quæ propria dicitur eſſe Principum comes, ſicut in ceteris eos non deſerit, ſic in hoc ſemper apparet; vt quem periiſſe maxime in corde letentur, hunc iactantius omnibus mœreant. Lacrymæ Cæſaris ad oblatum caput Pompeij, huc pertinent.*

Haud magna mole Piſo promptus ferocibus in ſententiam trahitur.

C*ONSILIARIVS Principis facile in ſuam ſententiam Principem trahit, cum ea, quæ eius ingenio arrident, ſuadet. Et dubia ſunt ſuper aliquo negotio ſententia. Sic ſupra lib. j. Annal.* Auctor: Promptum ad aſperiora ingenium Druſo erat.

miſſisq. ad Tiberium epiſtolis incuſat Germanicum luxus & ſuperbiæ: ſeq. pulſum, vt locus rebus nouis pateſieret: curam exercitus eadem fide, qua tenuerit, repetiuiſſe.

O *Admirandum ſcelus. interfici, prodi, & euerti virum aliquem clarum, & innocentem: & poſtea ab auctore ſceleris eundem incuſari proditionis. Tale ſcelus ſupra vidimus lib. i. in Rheſcuporide Thraciæ Rege erga Cotym fratrem. Sed vt ille dedit pœnas, ſic & Piſo eas rependet.* Lento enim gradu diuina procedit ira, ſed tarditatem ſupplicij grauitate compenſat.

Simul Domitium impoſitum triremi vitare litorum oram, præterq. inſulas lato mari pergere in Suriam iubet. concurrentes deſertores per manipulos componit, armat lixas traiectisq. in continentem nauibus, vexillum tyronum in Suriam euntium intercipit. Regulis Cilicum, vt ſe auxilijs iuuarent, ſcribit, haud ignauo ad miniſteria belli iuuene Piſone, quamquam ſuſcipiendum bellum abnuiſſet.

H*AEC eſt vera probitas: ſuadere Principi, & amico, & propinquo bonum: & ſi illi aliter viſum fuerit, tamen in omni fortuna illum ſequi, & fidelem illi operam nauare. Magis etiam in filio erga patrem id laudandum eſt: qui ſemper obſequens illi eſſe debet.*

Igitur oram Lyciæ ac Pamphyliæ prælegentes obuijs nauibus, quæ Agrippinam vehebant, vtrinque infenſi arma primo expediere: dein mutua formidine, non vltra iurgium proceſſum eſt.

C*VM inter potentes agitur; ne ad extrema veniant inter ſe, ſemper in cauſſa eſt mutua formido.*

Marſusq. Vibius nuntiauit Piſoni, Romam ad dicendam cauſſam veniret. Ille eludens reſpondit adfuturum, vbi prætor, qui de veneficijs quæreret, reo atque accuſatoribus diem prædixiſſet.

Neſcia mens hominum fati, ſortisq. futuræ:

S*CITE cecinit Virgilius: Veniet tempus, cũ Piſonem horum dictorũ pœnitebit, & magno pretio emere cupiet nihil horum dixiſſe & feciſſe. Proinde ſemper actione in omni reſpiciendus eſt finis.*

Interim

Interim Domitius Laodiceam vrbem Syriæ adpulſus, cum hyberna ſextæ legionis peteret, quòd eam maxime nouis conſilijs idoneam rebatur, a Pacuuio legato præuenitur.

QVI aliquid innouare tentat, inprimis & ante omnia comites, & ſocios ſibi eos adiungat, qui maxime nouis conſilijs idonei ſibi videbuntur. Nam ſi in hac prima re hallucinatus fuerit, nihil ſolidi ædificij ſtruere poterit.

Id Sentius Piſoni per litteras aperit, monetq. ne caſtra corruptoribus, ne prouinciam bello tentet.

PRAESES vel exercitus, vel prouincia, vel domus etiam priuata, ſi rite res adminiſtrare cupiet; a ſuis corruptores omnimodo arceat. Qui ſint iſti, facile illi, cum mentem adhibuerit, innoteſcet. Et eſt inter capita legis Iuliæ maieſtatis, caſtra corruptoribus, & bello prouinciam tentare.

Quoſq. Germanici memores, aut inimicis eius aduerſos cognouerat, contrahit, magnitudinem imperatoris identidem ingerens, & Remp. armis peti: ducitq. validam manum, & prælio paratam.

IN quacumque re ſe immiſceat prudens, ſemper obniti debet, vt illi rei maiorem auctoritatem addat, tam nomine, & titulo, quam ceteris oſtenſionibus. Hoc enim multum ad augendum ſectatorum numerum refert. Hac de cauſa Sertorius *etſi exul, & pauper, in Luſitania degeret; tamen illic Senatum eſſe, & Rempub. nomine prætendebat. Plut. in eius vita.*

Nec Piſo, quamquam cœpta ſecus cadebant, omiſit tutiſſima e præſentibus.

PRVDENS, & fortis vir in ardua aliqua actione, quamquam ſua cœpta ſiniſtre cadant; numquam tamen omittat tutiſſima e præſentibus. Hoc eſt, quod vulgo dicitur, (Ricco di partiti.)

Sed caſtellum Ciliciæ munitum admodum, cui nomen Celenderis, occupat. Nam admiſtis deſertoribus, & tyrone nuper intercepto, ſuiſq. & Plancinæ ſeruitijs, auxilia Cilicum, quæ Reguli miſerant, in numerum legionis compoſuerat. Cæſariſq. ſe legatum teſtabatur prouincia, quam is dediſſet, arceri, non a legionibus earum quippe accitu venire ſed a Sentio, priuatum odium falſis criminibus tegente:

HOC non raro in ciuitatibus, & Rebuspub. euenit, vt priuatum odium falſis criminibus tegatur. Sic infra lib. xiij. Annal. inquit Auctor: Et Suetonio diſcors bonum publicum priuatis ſimultatibus impediebat.

conſiſterent in acie, non pugnaturis militibus, vbi Piſonem ab ipſis parentem quondam appellatum, ſi iure ageretur, potiorem, ſi armis non inualidum vidiſſent.

IS qui, ſi iure agitur, potior eſt in cauſa, ſi vero armis decertandum eſt, non eſt inualidus; nihil habet, quod de aduerſarijs timeat: ſed de bono exitu ſecurus eſſe poteſt.

Tum pro munimentis caſtelli manipulos explicat, colle arduo & derupto. Nam cetera mari cinguntur. Contra veterani ordinibus ac ſubſidijs inſtructi, hinc militum, inde locorum aſperitas. Sed non animus, non ſpes, ne tela quidem, niſi agreſtia ad ſubitum vſum properata. Vt venere in manus, non vltra dubitatum, quàm dum Romanæ cohortes in æquum eniterentur: vertunt terga Cilices, ſeq. caſtello claudunt.

NIHIL aut parum habet Dux peritus, vnde fidat de milite tumultuario, & inexperto.

Interim Piſo claſſem haud procul opperientem adpugnare fruſtra tentauit: regreſſuſq. & pro muris modo ſemet afflictando, modo ſingulos nomine ciens, præmijs vocans ſeditionem cœptabat: adeoque commouerat, vt ſignifer legionis ſextæ ſignum ad eum tranſtulerit.

QVI omnia alia tentando, nihil per vim ſibi ſuccedere cernit; optime aget, ſi quacumque via poterit, ſeditionem mouere in hoſtium exercitu tentauerit.

Tum Sentius occanere cornua, tubaſq. & peti aggerem, erigi ſcalas iuſſit, ac promptiſſimum quemq. ſuccedere: alios tormentis haſtas, ſaxa, & faces ingerere:

DVX peritus, cum ſeditionem a ſuis militibus timet, optime ſibi conſulet, ſi illos ad prælium educet, aut alio aliquo modo ab otio amouebit, & in opere continebit.

Tandem victa pertinacia Piſo orauit, vti traditis armis maneret in caſtello, dum Cæſar, cui Syriam permitteret, conſulitur. Non receptæ conditiones: nec aliud quàm naues, & tutum in vrbem iter conceſſum eſt.

CVM ſceleſtis & pertinacibus, poſtquam victi acie ſunt, inclementer eſt agendum. Ne ipſi denuo bonis periculum faceſſant.

At Romæ poſtquam Germanici valitudo percrebuit, cunctaq. vt ex longinquo aucta in deterius adferebantur, dolor, ira, & erumpebant queſtus.

QVAE ex longinquo veniunt, cuncta in deterius aucta ſemper afferuntur. Fama huius effectum ſcite admodum effingit Maro noſter in 4. Aeneid.

Ideo nimirum in extremas terras relegatum: ideo Piſoni permiſſam prouinciam: hoc egiſſe ſecretos Auguſtæ cum Plancina ſermones:

PRINCEPS, qui æmulum validum occulte tollere vult, eum ſpecie honoris in extremas terras relegat, ac illi adiungit inimicum, qui occaſionem præcipitandi præbet. vt alias ſæpe obſeruauimus.

vera prorſus de Druſo ſeniores locutos, diſplicere regnantibus ciuilia filiorum ingenia:

ET qua alia poteſt eſſe ratio, ob quam diſplicent regnantibus ciuilia filiorum ingenia, niſi quod hinc timent, ne populus eis regnum eripiat, vt filijs porrigat, tamquam mitius dominaturis? Omitto nunc quòd ex ciuilitate talium iuuenum arguitur ipſorum tyrannicus animus: quo nihil grauius ipſis accidere poteſt.

neque ob aliud interceptos, quàm quia populum Roma. æquo iure complecti, reddita libertate, agitauerint.

HOC eſt vere aliquem iure æquo complecti, cum illi libertatem reddimus: nàm iure naturali omnes erant liberi. Vide in Pandectis, de iuſtitia & iure; & Budæum ibi: & Inſt. Iuſt. eod.

Hos vulgi ſermones audita mors adeo incendit, vt ante edictum magiſtratuum, ante ſenatus conſultum, ſumpto iuſtitio, desererentur fora, clauderentur domus, paſſim ſilentia & gemitus, nihil compoſitum in oſtentationem.

VERISSIMA & certiſſima hæc ſunt. dolentis populi de Principis morte ſigna: cum videlicet ante edictum magiſtratuum, ante ſenatus conſultum, ſumpto iuſtitio deſerit fora, clauſdit domus, paſſim ſunt ſilentia & gemitus: & nihil adeſt compoſitum in oſtentationem.

Et quamquam neque inſignibus lugentium abſtinerent, altius animis mœrebant.

MAGNVS dolor & alte animis ſedit, & inſignia ſui etiam profert.

Forte negotiatores, viuente adhuc Germanico, Syria egreſſi, lætiora de valitudine eius attulere. Statim credita, ſtatim vulgata ſunt.

IMBECILLITATIS humanæ hoc eſt proprium, vt quod maxime optat, facile credat: quod credit, ſtatim vulget. Huc pertinet illud Tragicum. Quod nimis miſeri volunt, hoc facile credunt.

Vt quiſque obuius quamuis leuiter audita in alios, atque illi in plures cumulata gaudio transferunt; curſant per vrbem, moliuntur templorum fores. Iuuat credulitatem nox, & promptior inter tenebras adfirmatio.

NOX ſemper credulitatem iuuat; & inter tenebras eſt promptior affirmatio. Lux enim, quæ erubeſcentiam in mentiente argueret, ſublata eſt. Sic ſupra lib. 1. Auctor de ſeruo Agrippa inquit: Atque ipſe adire municipia obſcuro diei, neque propalam aſpici, neque diutius ijſdem locis.

Nec obſti-

Nec obſtitit falſis Tiberius, donec tempore ac ſpatio vaneſcerent.

CVM rumor aliquis etiam moleſtus ſibi, per ciuitatem vulgatur, quem eſſe falſum certo ſcit Princeps, eum ſtatim vi non cohibeat, ne tumultus excitet: ſed ſinat tempus & ſpatium fluere, quo tandem veritas patebit, & falſa vaneſcent.

Et populus quaſi rurſum ereptum acrius doluit.

QVEM prius luximus mortuum, & poſtea falſo gaudemus viuentem; ſi denuo certo cognoſcimus vere mortuum eſſe, quaſi rurſum ereptus ſit, acrius dolemus.

Honores, vt quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti, decretique:

AD conferendos honores alicui, requiritur in conferente amor magnus in eum, & ingenium validum. Ille enim volet, hoc ſciet reperire illos, & decernere.

vt nomen eius ſaliari carmine caneretur, ſedes curules ſacerdotum Auguſtalium locis, ſuperq. eas querceæ coronæ ſtatuerentur; ludos Circenſes eburna effigies præiret, neue quis Flamen aut Augur in locum Germanici, niſi gentis Iuliæ, crearetur. Arcus additi Romæ, & apud ripam Rheni, & in monte Syriæ Amano, cum inſcriptione rerum geſtarum, ac mortem ob Remp. obijſſe:

GLORIOSA eſt mors, quæ pro Repub. in acie obitur.

ſepulchrum Antiochiæ vbi crematus: tribunal Epidaphne, quo in loco vitam finierat. Statuarum, locorumue, in quîs coleretur, haud facile quis numerum inierit.

DIGNI ſunt obſeruatione equidem honores hi, qui ab Auctore noſtro recenſentur. Et ſunt inter ſummos, qui mortuis Principibus deferri poſſunt. Quorum aliqui etiamnum hodie in conſuetudine ſeruantur.

Cum cenſeretur clypeus auro & magnitudine inſignis, inter auctores eloquentiæ, adſeruit Tiberius ſolitum, paremq. ceteris dicaturum. Neque enim eloquentiam fortuna diſcerni, & ſatis inluſtre, ſi veteres inter ſcriptores haberetur.

NON diſcernitur fortuna eloquentia. Bonum enim eſt animi hæc, quæ nihil cum illa habet commune. Et vide quantum honorem habuerit antiquitas eloquentiæ: vt maxime Principes non minus hanc, quàm bellicam laudem concupiuerint.

Equeſter ordo cuneum Germanici appellauit, qui iuniorum dicebatur, inſtituitq. vti turmæ Idibus Iulijs imaginem eius ſequerentur. Pleraq. manent, quædam ſtatim omiſſa ſunt, aut vetuſtas obliterauit.

MVLTVM pollet ad res obliterandas longa vetuſtas. Hinc ſcite dictum a Virgilio.

Tantum æui longinqua valet mutare vetuſtas.

de Sicilia & Italia loquens, lib. 3. Aeneid.

Ceterum recenti adhuc mæſtitia, ſoror Germanici Liuia, nupta Druſo, duos virilis ſexus ſimul enixa eſt. Quod rarum, lætumq. etiam modicis penatibus, tanto gaudio principem adfecit, vt non temperauerit, quin iactaret apud patres, nulli ante Romanorum eiuſdem faſtigij viro geminam ſtirpem editam.

GEMELLORVM donum etiam modicis penatibus eſt rarum, & lætum: quanto magis Principibus?

Nam cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat.

PRVDENS Princeps, omnia etiam fortuita ad gloriam vetere ſtudeat: vt venerabilior ſubditis appareat.

Sed populo tali in tempore id quoque dolorem tulit, tamquam auctus liberis Druſus domum Germanici magis vrgeret.

DOMVS illa principis vrgetur, cum alter Princeps æmulus augetur liberis, præſertim ſi apud regnantem principem ambo pari conſanguinitate veniunt. Nam ſolidioribus fundamentis innititur, qui multitudine liberorum alterum ſuperat: & maiore cum difficultate euertitur.

Eodem anno grauibus ſenatus decretis libido feminarum coercita;

GRAVIBVS decretis debent Principes coërcere feminarum libidinem. Nam, ſi ciuitatum felicitates ex cuiusq. felicitate proueniunt, patet infeliciſſimam fore ciuitatem, in qua eius dimidia pars (ſexum femineum intelligo) vitiorum plena erit; quæ prorſus felicitatem eripiunt, ſolum a virtute in hac vita prouenientem. Hinc inter cetera multa bona, hoc etiam Roma SIXTO. V. debet, quòd ſeueriſſima Conſtit. in ſui Pontificatus anno II. adulteros omnes & adulteras, lenones, & ſimiles coercuit: vt in ipſa videri poteſt.

cautumq. ne quęſtum corpore faceręt, cui auus, aut pater, aut maritus ęques Rom. fuiſſet. Nam Viſtilia prætoria familia genita, licentiam ſtupri apud ædiles vulgauerat, more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum aduerſum impudicas in ipſa profeſſione flagitij credebant.

IVSTISSIMA eſt opinio, quòd ſatis pœnarum aduerſus impudicas mulieres ſit in ipſa profeſſione flagitij. Cum enim nihil peius poſſit dici mulieri, præſertim nobili, & illuſtri, quàm meretrix, & impudica: credibile eſt nullam fere reperiri poſſe adeo proiecta impudentiæ & libidinis, vt quod ab alijs audire deterrimum & ſpurciſſimum eſt, ipſa ore proprio vulgare, & profiteri non erubeſcat.

Exacta & a Titidio Labeone Viſtiliæ marito, cur in vxore delicti manifeſta vltionem legis omiſiſſet.

POENAM meretur, & eſt infamis maritus, qui in vxore delicti manifeſta, vltionem legis omittit.

atque illo prætendente ſexaginta dies ad conſultandum datos, necdum præterijſſe, ſatis viſum de Viſtilia ſtatuere. Eaq. in inſulam Seriphon abdita eſt.

SIC ſupra lib. j. de Iulia Auctor inquit: Ob impudicitiam, *olim a patre Auguſto Pandateria Inſula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clauſa. Vnde annotandum eſt, quòd nobiles feminæ impudicæ in longinquas terras amoueri, & claudi debent a Principibus.*

Actum & de ſacris Ægyptijs, Iudaicisq. pellendis.

SACRA, & carimoniæ externæ ſemper ſunt pellendæ ex optimo ſtatu Reipub. Valent enim multum ad innouandum. Vnde prudenter Mæcenas in oratione ſua apud Auguſtum in lib. lij. Dio. inquit: Peregrinarum vero religionum auctores odio, & ſupplicijs proſequere: & quæ ſequuntur.

Factumq. patrum conſultum, vt quattuor millia libertini generis ea ſuperſtitione infecta, quîs idonea ætas, in inſulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrocinijs, & ſi ob grauitatem cæli interijſſent, vile damnum: ceteri cederent Italia, niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent.

GENS infecta, & maculoſa, quæ in ciuitate malum parare poteſt; aliquo debet mitti ad coercenda latrocinia: aut ad aliquod bonum opus patrandum. Nam etſi interibit, erit vile damnum: & interea ea peſte ciuitas liberabitur. Et hic eſt vnus illorum caſuum, in quibus prudens Princeps inſtrumentis non bonis ad præclaras actiones vti poteſt, & debet.

Poſt quæ retulit Cæſar capiendam virginem in locumOcciæ, quæ ſeptem & quinquaginta per annos ſumma ſanctimonia Veſtalibus ſacris præſederat: egitq. grates Fonteio Agrippæ, & Domitio Pollioni, quòd offerendo filias, de officio in Remp. certarent.

MAGNAM laudem merentur, qui de officio in Rempub. certant: & illis grates ſunt agendæ. Quod fecerunt VENETI in tempore ſuo calamitoſiſſimo aduerſus confœderatos Cameraci, erga aliquos Senatores, qui de officio in Remp. certabant. Vide Guicciard. lib. 8. & Bembum in Hiſt. Veneta.

Prælata eſt Pollionis filia, non ob aliud, quàm quòd mater eius in eodem coniugio manebat.

QVAE mulier in eodem coniugio manet, præferenda eſt illi, quæ ad ſecunda vota tranſijt: cum hoc ſit ſignum intemperantiæ.

Nam

Nam Agrippa diſſidio domum imminuerat.

VERISSIMVM eſt, Diſsidio domeſticorum domus imminui. Et ideo prudentis eſt, bene ſe habere cum fratribus & propinquis, in quantum ipſi licet; & aliquas offenſiunculas tolerare, antequam ad hoc diſsidium perueniatur. Adſunt enim multa commoditates, cum propinqui ſe recte diligunt, quæ non viſuntur, niſi cum diſsidio orto, contraria emergunt.

& Cæſar quamuis poſthabitam, decies ſeſtertij dote ſolatus eſt.

PRINCEPS diſcrete ſemper aget, ſi quem in aliqua dignitate, aut aliquo munere alicui poſthabet, illum alia in re conſolabitur: ne ſcilicet in deſperationem illum adducat. Multa ſuper hac materia de SIXTO. V. adducere poſſem exempla: quibus optime hanc regulam ipſum exercuiſſe probaretur: ſed quia omnibus nota ſunt, illa omitto.

Sæuitiam annonæ incuſante plebe, ſtatuit frumento pretium, quod emptor penderet; binosq. nummos ſe additurum negotiatoribus in ſingulos modios.

DIXIMVS ſupra & obſeruauimus in Auguſto, quòd plebem annona copia ſibi deuinxit, innuendo ad omnes Principes: quibus hac potiſsimum cura incumbere debet, vt annonam ſubleuent, ad conſeruandam in officio & quiete plebem. Ergo nunc etiam repetimus, quòd quando in ciuitate magna ea eſt ſæuitia & charitas, Princeps ipſe debet frumento pretium ſtatuere, & de ſuo aliquid etiam ſoluere.

Neque tamen ob ea parentis patriæ delatum & antea vocabulum adſumpſit,

PRINCEPS, præſertim nouus, etſi ob ſua merita illi deferre ſponte velint ſubditi magnos honores, & ſpecioſos titulos; illos tamen ſemper recuſare debet. Vt ſcilicet inuidiam & odium declinet, & a ſe omnem tyrannici animi ſuſpicionem amoueat.

acerbeq. increpuit eos, qui diuinas occupationes, ipſumq. dominum dixerant.

COERCERE debet Princeps nouus ſemper illos, qui in fœdiſsimam adulationem lapſi, in illum congerere titulos odioſos nimis volunt. Si hoc Cæſar feciſſet, forſan Coniurationem euitaſſet ciuium ſuorum.

Vnde anguſta & lubrica oratio, ſub principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.

SVB Principe, qui loquendi libertatem metuit, & adulationem odit; anguſta, & lubrica eſt ſemper cum illo loquentium oratio. Anguſta, quia omnes pauca loqui ſtudent, ne carpantur in ſermone. Lubrica, quia nemo tam circumſpectus in loquendo eſſe poteſt, quin princeps ſuſpicioſus ſiniſtre illud interpretetur.

Reperio apud ſcriptores ſenatoresq. eorundem temporum, Adgandeſtrij principis Chattorum lectas in ſenatu litteras, quibus mortem Arminij promittebat, ſi patrandæ neci venenum mitteretur: reſponſumq. eſſe, non fraude, neque occultis, ſed palam & armatum populum Rom. hoſtes ſuos vlciſci.

VERE decet generoſum, & fortem; vlciſci hoſtes ſuos, non fraude neque occultis, ſed palam & armatum. Idq. maxime Principi eſt neceſſarium: & in hac re recuſare operam illorum, qui ſibi talia pollicentur, vt videatur ſemper honeſtum præ oculis habere.

Qua gloria æquabar ſe Tiberius priſcis Imperatoribus, qui venenum in Phyrrhum regem vetuerant, prodiderantq.

DVBIVM non eſt, Orbem hunc terrarum, qualis nunc eſt, talem fuiſſe antiquitus: & ſi rerum nomina mutantur, naturas tamen eaſdem eſſe ac qualitates. Ideo in æmulandis priſcorum virtutibus, quilibet (dummodo huc velit ingenium & animum intendere) eos æquabit, & forſan etiam ſuperabit. Et de hac materia plura diximus ſupra lib. 1. vbi etiam exemplum inſigne appoſuimus PII. V. PONTIFICIS MAXIMI.

Ceterum Arminius abſcendentibus Romanis, & pulſo Maroboduo, regnum adfectans, libertatem popularium aduerſam habuit.

IN libera ciuitate, ſemper populares inimicos habebit, qui regnum affectabit. Manlius, Gracchi, & complures alij ſunt exemplo.

petitusq. armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit.

SAEPE accidit, vt qui a bellorum magnorum caſibus tutus euaſerit, & aduerſus hoſtes potentiſſimos feliciter dimicauerit, is dolo propinquorum cadat. Ad quod euitandum, nullum ſatius eſt remedium, quàm ſe tam mitem, & manſuetum gerere, vt propinquorum interſit, ipſum viuere. Hinc enim fiet, vt illi cuſtodes euadent ſui ipſius.

Liberator haud dubie Germaniæ, & qui non primordia populi Ro. ſicut alij reges ducesq. ſed florentiſſimum Imperium laceſſierit:

MVLTVM intereſt in laceſſendo hoſte, illum ne aggrediaris in primordio ſuæ potentiæ; an florentem, et iam diuturnitate Imperij ſolidatum.

prælijs ambiguus, bello non victus.

MAGNAM gloriam adipiſcitur, qui cum potentiſsimo hoſte rem habens ſæpe, numquam bello victus diſcedit, etſi prælijs ambiguus.

Septem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ expleuit: caniturq. adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, ſua tantum mirantur:

SVPERBI & vani eſt, ſua tantum mirari: a quo prudens Aulicus Romæ degens, tamquam à ſcopulo pedem remouebit: alioquin vniuerſale odium incurret.

Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incurioſi.

ETSI vetera ob quamdam religionem, quam præſeferunt ob antiquitatem, ſunt in magno pretio habenda, & extollenda: tamen recentium numquam debemus eſſe incurioſi: vt recte actiones noſtras regere & dirigere valeamus. Cum prudentis officium (ſecundum Senecam) ſit tempus præteritum aptare præſenti, vt ex vtriuſque tenore futura prævidere, & prouidere poſsimus.

Commentariorum in Secundum Librum Annalium P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI
IN P. CORNELII TACITI
Annales Commentarij.

Ex Lib. III. Annal. P. Cornelij Taciti.

NIHIL intermiſſa nauigatione hyberni maris Agrippina Corcyram inſulam aduehitur, litora Calabriæ contra ſitam. Illic paucos dies componendo animo inſumit,

AD aggrediendum opus aliquod arduum, & difficile, oportet animum habere compoſitum. Sic enim recte iudicio fungetur.

violenta luctu, & neſcia tolerandi.

QVI diu in magna felicitate vixerunt, mutationem fortunæ neſciunt tolerare. Prudens itaq. ſemper caſus varios præ oculis habebit, vt ſi quando aduerſa res ei contigerint, firmiter & intrepide eas excipiat. Et valeat vere cum vate diuino dicere.

Non vlla laborum,
O Virgo, noua mi facies, inopinaue ſurgit:
Omnia præcepi ante animo, mecumq. ipſe peregi.

Terentius quoque ſuper hac re nobis miram tradidit doctrinam, cum in Actu ſecundo ſcena prima Phormionis, dixit.

Omnes, cum ſecundæ res ſunt maxime, tum maxime
Meditari ſecum oportet, quo pacto aduerſam ærumnam ferant:
Pericla, damna, exilia, peregre rediens ſemper cogites,
Aut filij peccatum, aut vxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia eſſe hæc, fieri poſſe: vt ne quid animo ſit nouum:
Quidquid præter ſpem eueniat, omne id deputare eſſe in lucro:

Plura de hoc vide apud Senecam in epiſtolis ad Lucilium: & Plutarcum, De animi tranquillitate.
Interim aduentu eius audito, intimus quiſque amicorum, & plerique militares, vt quique ſub Germanico ſtipendia fecerant, multiq. etiam ignoti vicinis e municipijs, pars officium in principem rati,

OSTENDITVR in principem officium, non ſolum ipſius perſonæ illud exhibendo, ſed etiam illius propinquis, affinibus, & coniunctis. Et obſeruent hoc Aulici Romani.

plures illos ſecuti, ruere ad oppidum Brunduſium, quod nauiganti celerrimum, fidiſſimumq. adpulſu erat. Atque vbi primum ex alto viſa claſſis, complentur non modo portus & proxima maris, ſed mœnia ac tecta, quaq. longiſſime proſpectari poterat, mærentium turba, & rogitantium inter ſe, ſilentione, an voce aliqua egredientem exciperent. Neque ſatis conſtabat, quid pro tempore foret,

SEMPER conſiderandum eſt, quid pro tempore agere conueniat. Circumſtantia enim hæc temporis validiſsima in actionibus hominum eſt; adeo vt quod nunc optimum eſſet agere, cras forſan (mutatione temporis) inutile & malum erit.

cum claſſis paulatim ſucceſſit, non alacri, vt adſolet, remigio, ſed cunctis ad triſtitiam compoſitis. Poſtquam duobus cum liberis feralem vrnam tenens egreſſa naui, defixit oculos, idem omnium gemitus: neque diſcerneres proximos, alienos, virorum, feminarumue planctus, niſi quòd comitatum Agrippinæ longo mærore feſſum, obuij & recentes in dolore anteibant. Miſerat duas prætorias cohortes Cæſar, addito vt magiſtratus Calabriæ, Appuliq. & Campani, ſuprema erga memoriam filij ſui munera fungerentur. Igitur tribunorum, centurionumq. humeris cineres portabantur. Præcedebant incompta ſigna, verſi faſces. atque vbi colonias tranſgrederentur, atrata plebs, trabeati equites, pro opibus loci veſtem, odores, aliaq. funerum ſollemnia cremabant.

PRINCIPVM corpora debent ad ſepulturam portari humeris digniſsimorum hominum, quibus debent praecedere incompta ſigna, & verſi faſces: atque vbi perditionis ſuæ ciuitates tranſgrediuntur, plebs atrata, equites trabeati: hoc eſt, lugubri veſte inducti, & quiſque pro opibus loci veſtem, odores, aliaq. funerum ſollemnia cremare debet.

Etiam quorum diuerſa oppida, tamen obuij, & victimas, atque aras Dijs Manibus ſtatuentes, lacrymis, & conclamationibus dolorem teſtabantur. Druſus Tarracinam progreſſus eſt, cùm Claudio fratre, liberisq. Germanici, qui in vrbe fuerant. Conſules, M. Valerius & M. Aurelius (iam enim magiſtratum occeperant) & ſenatus, ac magna pars populi viam compleuere, diſiecti, & vt cuique libitum, flentes. Aberat quippe adulatio, gnaris omnibus lætam Tiberio Germanici mortem male diſſimulari.

RECTE poteſt dici abeſſe adulationem ab illa actione, qua contra voluntatem Principis viuentis emergit a ſubditis.

Tiberius atque Auguſta publico abſtinuere, inferius maieſtate ſua rati, ſi palam lamentaretur.

EST inferius maieſtate Principis, in publico lamentari.

an ne omnium oculis vultum eorum ſcrutantibus falſi intelligerentur?

QVI timet, ne omnium oculis in ſe coniectis, & vultum ſuum ſcrutantibus falſus appareat: is a publico abſtinere debet.

Matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurna actorum ſcripta, reperio vllo inſigni officio functam cum ſuper Agrippinam, & Druſum & Claudium, ceteri quoque conſanguinei nominatim perſcripti ſint: ſeu valetudine præpediebatur, ſeu victus luctu animus magnitudinem mali perferre viſu non tolerauit.

ANIMVS victus luctu, magnitudinem mali viſu perferre non tolerat.

facilius crediderim, Tiberio & Auguſta, qui domo non excedebant, cohibitam: vt par mæror, & matris exemplo auia quoque & patruus attineri viderentur.

QVI erga propinquum defunctum munere debito non fungitur, is comitem hac in re habere ſtudeat alterum defuncto propinquiorem. Sic enim non proprio malo affectu, ſed propinquioris exemplo ſe attineri videbitur.

Dies, quo reliquiæ tumulo Auguſti inferebantur, modo per ſilentium vaſtus, modo ploratibus inquies, plena vrbis itinera, collucentes per campum Martis faces.

SIGNA in populo veri doloris e morte Principis ſunt, cum modo per ſilentium, diem agit vaſtum: modo ploratibus inquietem: vrbis ſunt plena itinera: & celebriora loca facibus collucent.

Illic miles cum armis, ſine inſignibus magiſtratus, populus per tribus, concidiſſe Remp. nihil ſpei reliquum clamitabant,

OB mortem praeclari Principis, vere poteſt dici concidere Reſpub. & nihil eſſe ſpei reliquum.

promptius, apertiusq. quàm vt meminiſſe imperitantium crederes.

MAGNVS eſt ex animo dolor, qui ſine freno aliquo erumpit. Et non diſtinguit, conducat nec ne, libere lamentari.

Nihil

Nihil tamen Tiberium magis penetrauit, quàm ſtudia hominum accenſa in Agrippinam, cum decus patriæ, ſolum Auguſti ſanguinem, vnicum antiquitatis ſpecimen appellarent, verſiq. ad cælum ac deos, integram illi ſobolem, ac ſuperſtitem iniquorum precarentur.

TYRANNVM nihil magis penetrat, quàm ſtudia hominum accenſa in aliquem, qui ipſi in dominatione æmulus eſſe poſſit. Hinc enim arguit, male affectas ſibi eſſe ſubditorum voluntates: nec de ſtatu ſuo ſecurus eſſe poteſt, antequam illum e medio tollat.

Fuere qui publici funeris pompam requirerent, compararētq. quæ in Druſum patrem Germanici honora & magnifica Auguſtus feciſſet. Ipſum quippe aſperrimo hiemis, Ticinum vſque progreſſum, neque abſcendentem a corpore ſimul vrbem intrauiſſe: circumfuſas lecto Claudiorum Iuliorumq. imagines, defletum in foro, laudatum pro roſtris, cuncta a maioribus reperta, aut quæ poſteri inuenerint, cumulata. At Germanico ne ſolitos quidem & cuicunque nobili debitos honores contigiſſe. Sane corpus ob longinquitatem itinerum externis terris quoquo modo crematum, ſed tanto plura decora mox tribui par fuiſſe, quanto prima fors negauiſſet.

CVI ſiniſtri temporis conditio negat prima decora, tanto plura mox tribui par eſt.

Non fratrem, niſi vnius diei via, non patruum ſaltem porta tenus obuium. vbi illa veterum inſtituta? præpoſitam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, & laudationes & lacrymas, vel doloris imitamenta. Gnarum id Tiberio fuit.

PRINCEPS debet ſcire omnia, quæ vulgus agit & dicit, vt poſſit pro tempore illius ſermones coercere, & premere.

vtq. premeret vulgi ſermones, monuit edicto, multos inluſtrium Romanorum ob Remp. obijſſe, neminem tam flagranti deſiderio celebratum. Idq. & ſibi & cunctis egregium, ſi modus adijceretur.

OMNIBVS in rebus modus eſt neceſſarius: qui ſi non aderit, nihil erit egregium. Vulgatum eſt illud Horatianum:

1.1. Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra, citraq. nequit conſiſtere rectum.

Et virtus ipſa in medio, & non alibi, conſiſtit. Ariſt. in moral.

non enim eadem decora principibus viris, & Imperatori, populoq. modicis domibus, aut ciuitatibus.

NON ſunt eadem decora Principibus viris, & Imperatori, populoq. modicis domibus, aut ciuitatibus.

conueniſſe recenti dolore luctum, & ex mærore ſolatia. Sed referendum iam animum ad firmitudinem,

CONVENIT recenti dolore luctus, & ex mærore ſolatium. Sed tandem decet referre animum ad fortitudinem: & proprijs affectibus dominari.

vt quondam diuus Iulius amiſſa vnica filia, vt diuus Auguſtus ereptis nepotibus abſtruſerint triſtitiam.

CAVEAT Princeps in publico ab omni affectuum exceſſu: ſi ſe vult venerabilem apud ſubditos conſeruare. Et ideo in ſuorum iactura triſtitiam omni modo abſtrudere debet.

Nil opus vetuſtioribus exemplis; quoties populus Romanus clades exercituum, interitum ducum, funditus amiſſas nobiles familias conſtanter tulerit.

MAGNA laus & admirabilis videri ſolet, Caſus aduerſos tuliſſe ſapienter, & conſtanter, non fractum eſſe fortuna: retinuiſſe in rebus aſperis dignitatem. Cicero. 2. de Oratore. Et cum exemplis nos vti conuenit, aduertendum eſt, ea domeſtica ſumere, non aliena. Sic enim magis audientes commouentur.

Principes

Principes mortales, Remp. æternam eſſe.

PRINCIPES ſunt mortales, Reſpublica vero æterna. Et ſic quaſi aliud agens, refellit Tiberius edicto argumentum, quo vtebatur Romanus in dolore, inquiens: concidiſſe Rempublicam,& cetera.

Proin repeterent ſollemnia:& quia ludorum Megalenſium ſpectaculum ſuberat, etiam voluptates reſumerent.

TEMPVS ridendi, tempus lugendi. Et ideo numquam in vno rerum ſtatu eſt excedendum. Sed poſt debitum luctus modum, voluptates ſunt reſumendæ. Quarum tamen laudabilis eſt parſimonia. Et magna laus in homine eſt, dici voluptatum modicus: vt inquit Seneca de filio Martiæ in Conſolat.ad eam. Et de hac materia pulcherrima eſt oratio Scipionis ad Maſſaniſſam apud Liuium ſupra a me allegata.

Tum exuto iuſtitio, redirum ad munia,& Druſus Illyricos ad exercitus profectus eſt, erectis omnium animis petendæ e Piſone vltionis, & crebro queſtu, quòd vagus interim per amœna Aſiæ atque Achaię, adroganti & ſubdola mora, ſcelerum probationes ſubuerteret.

MAGNA eſt ſcelerati arrogantia, ſubterfugere iudicium, & ſcelerum probationes ſubuertere.

Nam vulgatum erat miſſam, vt dixi, a Gn. Sentio famoſam veneficijs Martinam ſubita morte Brundiſij extinctam, venenumq. nodo crinium eius occultatum,nec vlla in corpore ſigna ſumpti exitij reperta.

DILIGENTER excutiendus eſt,& perquirendus ille,a quo Iudex aliquid magni momenti exprimere vult. Nam ſæpe, ne conſiteri delictorum complices adigatur, venenum, ferrum, & omnia inſtrumenta necis ſibi conſciſcenda,in quouis loco occultat.

At Piſo, præmiſſo in vrbem filio, datiſq. mandatis, per quę principem molliret.

QVI aliqua in re Principem offendit, eum placare omni arte ſtudeat, & mollire.

ad Druſum pergit, quem haud fratris interitu trucem, quàm remoto æmulo æquiorem ſibi ſperabat.

SAEPE tam valida eſt æmulatio,vt etiam iura ſanguinis inter fratres tollat.

Tiberius quo integrum iudicium oſtentaret.

PROPRIVM eſt Principis, integrum iudicium omnibus oſtentare. Id SIXTVS. V. recte adimplet, tam ſuos, quam externos,ſi deliquerint, acriter,& ſeuere puniendo. Sicut in Nicolao Azzolino pridem oſtendit.

exceptum comiter iuuenem, ſueta erga filios familiarium nobiles liberalitate auget.

ADOLESCENTES nobiles debent a Principe præmijs & liberalitate augeri, & promoueri,vt diſcant in dies eum amare,& reuereri.

Druſus Piſoni, ſi vera forent, quæ iacerentur, præcipuum in dolore ſuum locum reſpondit: ſed malle falſa & inania, nec cuiquam mortem Germanici exitioſam eſſe. Hæc palam, & vitato omni ſecreto:

CVM palam loquitur Princeps,& vitato ſecreto,debet ſemper verba proferre grauitatis plena, & generalitatem reſpicientia.

neque dubitabatur præſcripta & a Tiberio, cum incallidus alioqui, & facilis iuuenta, ſenilibus tum artibus vteretur.

IVVENVM eſt propria ſimplicitas, ſenum calliditas: teſte Ariſt. 2. Ret. Ideo cum iuuenis aliquis prudenter ſe gerit,credendum eſt, illum aut ſenis alicuius conſilio, aut ſaltem ſimilibus artibus vti.

Piſo

Piſo, Dalmatico mari tramiſſo, relictiſq. apud Anconam nauibus per Picenum, ac mox Flaminiam viam adſequitur legionem, quæ e Pannonia in vrbem, dein præſidio Africę ducebatur. Eaq. res agitata rumoribus, vt in agmine atque itinere crebro ſe militibus oſtentauiſſet.

QVI in aliqua ſuſpicione apud Principem alicuius delicti eſt; omnia ea debet vitare, quæ eius rumorem agitent, & eam augeant.

Ab Narnia, vitandæ ſuſpicionis, an, quia pauidis conſilia in incerto ſunt?

VERISSIMVM eſt, Conſilia in incerto eſſe pauidis. Vnde Aulici callidi, qui æmulum aliquem concutere volunt, ſtudent aliqua ratione magnum illi pauorem inÿcere; vt hinc ille conſilium rectum amittat. Idem actitare ſolent Senatores in conſilÿs publicis, cum factionem aliquam euertere, aut diſſipare volunt: ſicut eos legentibus patent paſſim exempla.

Nare ac mox Tiberi deuectus auxit vulgi iras, quia nauem tumulo Cæſarum adpulerat, dieq. & ripa frequenti, magno clientium agmine ipſe, feminarum comitatu Plancina, & vultu alacres inceſſere. Fuit inter irritamenta inuidiæ domus foro imminens feſto ornatu, conuiuiumq. & epulæ,

A Prudente Aulico euitanda ſemper ſunt incitamenta inuidiæ. De hac re pulchre & docte Seneca in Epiſtolis ad Lucilium fere omnibus.

& celebritate loci nihil occultum.

NIHIL poteſt eſſe occultum, vbi locus eſt celeber. Et ideo viuens in aula Romana, ſi progredi vult, ſtudeat nihil pudendum committere; nam celebritate loci nihil erit occultum.

Poſtera die Fulcinius Trio Piſonem apud conſules poſtulauit. Contra Vitellius ac Veranius, ceteriq. Germanicum comitari tendebant, nullas eſſe partes Trioni: neque ſe accuſarores, ſed rerum indices & teſtes mandata Germanici perlaturos. Ille dimiſſa eius cauſæ delatione, vt priorem vitam accuſaret, obtinuit: petitumq. eſt à principe, cognitionem exciperet: Quòd ne reus quidem abnuebat, ſtudia populi & patrum metuens. contra, Tiberium ſpernendis rumoribus validum.

DEBET eſſe Princeps validus ſpernendis rumoribus: illis ſcilicet qui inanes ſunt, & nullis fundamentis innituntur.

& conſcientiæ matris innexum eſſe: veraq. aut in deterius credita, iudice ab vno facilius diſcerni, odium & inuidiam apud multos valere.

AB vno iudice facilius diſcernuntur vera, aut in deterius credita: odium, & inuidia apud multos valet.

Haud fallebat Tiberium moles cognitionis, quaq. ipſe fama diſtraheretur.

SVPRA annotauimus, & hic etiam repetimus, Principem prudentem debere per multas aures audire; videlicet: vt nihil eorum, quæ per vrbem dicuntur, aut aguntur, eum fallat: & ſciat qua fama diſtrahatur. Sic enim vbi opus erit, recte prouidebit.

Igitur paucis familiarium adhibitis, minas accuſantium, & hinc preces audit, integramq. cauſſam ad ſenatum remitrit.

IN cauſſa, quæ ad ſe ſpectet, vel ad ſuos; debet ſe Princeps paſsionis expertem oſtendere: & audire hinc minas accuſantium, inde preces reorum: poſtea integram cauſſam ad iudices remittere. Sic OCTAVIVS FARNESIVS Plac. & Parmæ Dux ſereniſſimus *erga Coniuratos fecit.*

Atque interim Druſus rediens Illyrico, quamquam patres cenſuiſſent ob receptum Maroboduum, & res priore æſtate geſtas, vt ouans iniret, prolaro honore vrbem intrauit. Poſtquam reo T. Arruntium, Fulcinium, Aſinium Gallum, Æſerninum, Marcellum, Sext. Pompeium patronos petenti, iiſq. diuerſa excuſantibus.

FERME ſemper qui in odium Principis inciderunt, patronis carent: etſi quemquam requirunt, is diuerſa excuſat. Et vnde hoc? niſi quod amicorum verorum in Aulis magna raritas inuenitur.

inuenitur. Cum, vt aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici ſoleat. Sed in Aulis amici inueniuntur, qui hirundinum naturam ſapiunt. Nam, vt hirundines æſtiuo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt: ſic falſi & Aularum amici ſereno vitæ tempore præſto adſunt: ſimulac fortunæ hiemem viderint: deuolant omnes. Et hæc eſt præcipua Aularum infelicitas, carere nempe tam deſiderabili, & neceſſario bono, quantum eſt amicitia. Cuius proprium eſt, & firmum, idem velle, & idem nolle. Et niſi in re dubia iuuat re, vbi eſt re opus, is non eſt amicus: teſte Plauto. Qui tunc maxime certus apparet, cum res eſt incerta: vt præclare inquit Ennius.

Tu vero Aulice,
Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

M. Lepidus, & L. Piſo, & Liueneius Regulus adfuere, arrecta omni ciuitate,

M*AGNARVM actionum hæc eſt conſequentia, vt ciuitatem omnem arrigant, & in ſe conuertant.*

quanta fides amicis Germanici, quæ fiducia reo, ſatin cohiberet ac premeret ſenſus ſuos Tiberius, an promeret.

I*N Principe eſt pars eſſentialis, cohibere ſenſus ſuos, & premere. Hinc enim multæ illi eueniunt vtilitates: vt e conuerſo damna, ſi eos promit.*

iis haud alias intentior populus, plus ſibi in principem occultæ vocis, aut ſuſpicacis ſilentij permiſit.

P*OPVLI licentia hæc eſt, vt ſibi & occultæ vocis & ſuſpicacis ſilentij in Principem plus quam par eſt, permittat.*

Die ſenatus, Cæſar orationem habuit meditato temperamento:

P*RINCIPIS oratio ſemper debet eſſe meditati temperamenti. Nam eius dicta vice legis obſeruantur.*

Patris ſui legatum atque amicum Piſonem fuiſſe, adiutoremq. Germanico datum a ſe, auctore ſenatu, rebus apud Orientem adminiſtrandis: illic contumacia & certaminibus aſperaſſet iuuenem, exituq. eius lætatus eſſet, an ſcelere extinxiſset, integris animis dijudicandum.

A*LIVD eſt, aſperare contumacia & certaminibus aliquem, & eius exitu lætari; aliud ſcelere extinguere: primum enim odium ſolum, ſecundum & odium & pœnam meretur. Et eſt contumacia proprium illius vitium, qui parere recuſat illi, cui deberet. Vide Iuriſc. in tit. ff. de Dolo & contumacia.*

Nam ſi legatus officij terminos, obſequium erga imperatorem exuit, eiuſdemq. morte, & luctu meo lætatus eſt, odero, ſeponamq. a domo mea,

Q*VI luctu noſtro lætantur, & noſtrorum morte; nobis ſunt odio habendi, & a domo noſtra ſeponendi.*

& priuatas inimicitias non principis vlciſcar:

P*RINCEPS habet duas perſonas; priuatam ſcilicet, & regiam: ideo offenſas quæ priuatam eius perſonam reſpiciunt, priuato modo vlciſci debet; ſeponendo videlicet à domo ſua, qui eas intulerunt. Offenſas vero quæ regiam perſonam, & maieſtatem publicam lædunt, legibus & ſeueritate punire debet. Hoc eſt quod dicit hic Tiberius: Priuatas inimicitias non principis vlciſcar.*

Sin facinus in cuiuſcunque mortalium nece vindicandum detegitur,

E*XTINGVERE aliquem veneno, eſt facinus in quocumque mortali vindicandum.*

Vos vero & liberos Germanici, & nos parentes iuſtis ſolatiis adficite: ſimulq. illud reputate, turbide & ſeditioſe tractauerit exercitus Piſo, quæſita ſint per ambitionem ſtudia militum, armis repetita prouincia, an, falſa hæc in maius vulgauerint accuſatores.

N*ON omnia ſunt credenda accuſatoribus, nam ſæpe falſa in maius vulgant.*

quorum

quorum ego nimijs ſtudijs iure ſuccenſeo. nam quo pertinuit, nudare corpus, & contrectandum vulgi oculis permittere: deferriq. etiam per externos, tamquam veneno interceptus eſſet, ſi incerta adhuc iſta, & ſcrutanda ſunt.

INCERTA & ſcrutanda non ſunt habenda pro certis & ſcrutatis.

Defleo equidem filium meum, ſemperq. deflebo: ſed neque reum prohibeo quo minus cuncta proferat, quibus innocentia eius ſubleuari, aut ſi qua fuit iniquitas Germanici, coargui poſſit.

PRINCEPS, etſi de cauſſa ſuorum agitur, non tamen debet prohibere reum, quo minus cuncta proferat, quibus innocentia eius ſubleuari poſſit, etſi qua fuit ſuorum iniquitas, coargui.

voſq. oro, ne, quia dolori meo cauſſa connexa eſt, obiecta crimina pro adprobatis accipiatis.

IVDEX, etſi aliqua cauſſa eſt connexa dolori Principis, vtpote quia de illius re agatur; non tamen debet accipere obiecta crimina pro approbatis.

Si quos propinquus ſanguis, aut fides ſua patronos dedit, quantum quiſque eloquentia & cura valet, iuuate periclitantem.

PROPRIVM eſt patronorum eloquentia, & cura iuuare periclitantem clientem. Quæ nomina vnde ortum habuerint, vide Dyonis. Halic. lib. ij. Antiquit. Roman.

Ad eumdem laborem, eamdem conſtantiam accuſatores hortor. Id ſolum Germanico ſuper leges præſtiterimus, quòd in curia potius, quàm in foro, apud ſenatum, quam apud iudices de morte eius anquiritur. cetera pari modeſtia tractentur. nemo Druſi lacrymas, nemo mæſtitiam meam ſpectet, nec ſi qua in nos aduerſa finguntur.

ADVERSVS lacrymas & mæſtitiam reorum debet eſſe immobilis Iudex: & talis, vt neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia aliquo modo poſſit. Cir. pro Cæcina.

Exin biduum criminibus objiciendis ſtatuitur, vtq. ſex dierum ſpatio interiecto reus per triduum defenderetur. Tum Fulcinius vetera & inania orditur, ambitioſe, auareq. habitam Hiſpaniam. quod neque conuictum noxę reo, ſi recentia purgaret: neque defenſum abſolutioni erat, ſi teneretur maioribus flagitijs.

EA ſunt inania obiecta reo ab accuſatore, quæ neque conuicta ſunt noxæ reo, ſi alia purget; neque defenſa abſolutioni, ſi maioribus teneatur flagitijs.

Poſt quem Seruæus, & Veranius, & Vitellius conſimili ſtudio, ſed multa eloquentia Vitellius obiecere: odio Germanici, & rerum nouarum ſtudio, Piſonem vulgus militum per licentiam & ſociorum iniurias eo vſque corrupiſſe, vt parens legionum a deterrimis appellaretur.

ODIO alicuius æmuli, & rerum nouarum ſtudio, facile impelluntur homines ad iniuriam alteri inferendam.

contra in optimum quemque, maxime in comites & amicos Germanici ſæuiſſe: poſtremo ipſum deuotionibus & veneno peremiſſe: ſacra hinc & immolationes nefandas ipſius atque Plancinæ: petitam armis Remp. vtq. reus agi poſſet, acie victum. Defenſio in ceteris trepidauit. nam neque ambitionem militarem, neque prouinciam peſſimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem aduerſum imperatorem inficiari poterat. ſolum veneni crimen viſus eſt diluiſſe. Quod ne accuſatores quidem ſatis firmabant, in conuiuio Germanici, cum ſuper eum Piſo diſcumberet, infectos manibus eius cibos arguentes. quippe abſurdum videbatur inter aliena ſeruitia, & tot aſtantium viſu, ipſo Germanico coram id auſum. Offerebatq. familiam reus, & miniſtros in tormenta flagitabat.

MAXIMVM indicium innocentiæ in reo eſt, cum offert familiam, & miniſtros in tormenta.

Sed iudices per diuerſa implacabiles erant: Cæſar ob bellum prouinciæ inlatum; Senatus, numquam ſatis credito, ſine fraude Germanicum interijſſe. ſcripſiſſent expoſtulantes.

HIC deſiderari multa, certum eſt.

quod haud minus Tiberius, quàm Piſo abnuere. Simul populi ante curiam voces audiebantur, non temperaturos manibus, ſi patrum ſententias euaſiſſet. effigiesq. Piſonis traxerant in Gemonias, ac diuellebant, ni iuſſu principis protectæ, repoſitæq. forent. Igitur inditus lecticæ, & a tribuno prętoriæ cohortis deductus eſt: vario rumore, cuſtos ſalutis, an mortis exactor ſequeretur. Eadem Plancinæ inuidia, maior gratia.

FERME ſemper gratiam magnam magna comitatur inuidia. Aulici hoc bene norunt.

eoq. ambiguum habebatur quantum Cæſari in eam liceret. Atque ipſa donec mediæ Piſoni ſpes, ſociam ſe cuiuſcunque fortunæ, & ſi ita ferrent, comitem exitij promittebat. vt ſecretis Auguſtę precibus veniam obtinuit, paularim ſegregari a marito, diuidere defenſionem cœpit.

DVM res dubiæ ſunt, multi volunt eſſe ſocij tuæ fortunæ. Sed ſi caſus dabit, vt aliunde ſibi opem aliquis ferat, omnes paulatim ſegregantur, & diuidere res ſuas incipiunt. Adeo rara auis in terris, nigroq. ſimillima cygno eſt fides.

Quod reus poſtquam ſibi exitiabile intelligit, an adhuc experiretur dubitans, hortantibus filijs durat mentem,

OPVS eſt hoc viri fortis; in rebus aduerſis durare mentem, & firmiter omnia excipere.

ſenatumq. rurſum ingreditur: redintegratamq. accuſationem, infenſas patrum voces, aduerſa & ſæua cuncta perpeſſus, nullo magis exterritus eſt, quàm quòd Tiberiũ ſiue miſeratione, ſiue ira, obſtinatum clauſumq. vidit, ne quo adfectu perrumperetur.

EA eſt vera Principis laus, ſine miſeratione, ſine ira in iuſtitia ſeruanda, ſe obſtinatum & clauſum exhibere, ne quo affectu perrumpatur. Talem hodie ſe præſtat SIXTVS. V. PONT. MAX.

Relatus domum, tamquam defenſionem in poſterum meditaretur, pauca conſcribit obſignatq. & liberto tradit. Tum ſolita curando corpori exequitur. Dein multam poſt noctem, egreſſa cubiculo vxore, operiri fores iuſſit: & cæpta luce perfoſſo iugulo, iacente humi gladio, repertus eſt. Audire me memini ex ſenioribus, viſum ſæpius inter manus Piſonis libellum, quem ipſe non vulgauerit: ſed amicos eius dictitauiſſe, litteras Tiberij, & mandata in Germanicum contineri: ac deſtinatum promere apud patres, principemq. arguere, ni eluſus a Seiano per vana promiſſa foret:

HOC eſt proprium Principum, per aliquem ipſis fidum & gratioſum vanis promiſſis eludere homines. Cautus ideo Aulicus grauem in credendo, & ſperando ſe præſtet: nec omnia pro veris, nec omnia pro falſis habeat, ſed ſemper aliquid minus credat rerum illarum, quæ ſibi promittuntur a Principe.

nec illum ſponte extinctum, verum immiſſo percuſſore: quorum neutrum adſeuerauerim. neque tamen occulere debui narratum ab ijs, qui noſtram ad iuuentam durauerunt.

ET hic aliqua deſiderantur.

Cæſar flexo in mæſtitiam ore,

DEBENT Principes, prout occaſio poſtulat, os & vultum in mæſtitiam & gaudium flectere. ſic de COSMO MEDICE Magno Hetrurię Duce *fertur, ipſum ſolitum eſſe, ſe Ducem induere, & rurſum exuere loco & tempore: & ſalua Principis maieſtate.*

ſuam in-

ſuam inuidiam tali morte quæſitam apud ſenatum; crebriſq. interrogationibus exquirit qualem Piſo diem ſupremum, noctemq. exegiſſet. Atque illo pleraque ſapienter quædam inconſultius reſpondente, recitat codicillos a Piſone in hunc ferme modum compoſitos: Conſpiratione inimicorum & inuidia falſi criminis oppreſſus, quatenus veritati & innocentiæ meæ nuſquam locus eſt,

SAEPE conſpiratione inimicorum, & inuidia falſi criminis eo vſque opprimitur aliquis, vt nullus detur veritati, & innocentiæ locus.

deos immortales teſtor, vixiſſe me Cæſar cum fide aduerſum te, neque alia in matrem tuam pietate.

ERGA Principem cum fide ac pietate viuere conuenit.

voſq. oro liberis meis conſulatis, ex quibus Gn. Piſo qualicumque fortunæ meæ non eſt adiunctus, cum omne hoc tempus in vrbe egerit. M. Piſo repetere Syriam dehortatus eſt. atque vtinam ego potius filio iuueni, quàm ille patri ſeni ceſſiſſet.

PLERVMQVE melius conſulit filius iuuenis, quàm pater ſenex. Nam etſi veriſſimum eſt, quod inquit Philoſophus, Prudentiam dari in ſenibus, negari in adoleſcentibus: *id non ſemper habet locum. Nam aliquando iuuenes reperiuntur tam acri, & raro ingenio præditi, vt multorum annorum prudentiam exæquare valeant. Vidit hoc antiquitus Romana Reſpub. & ideo vt ſupra etiam annotanimus, Conſulatum, & omnes alias dignitates ſine diſcrimine ætatis dabat, ſi quando in iuuene aliquo ſuo ciue virtutem eminentem conſpiciebat. Patuit hoc in* Scipione, *in* Pompeio, *in* Marcello, *& alijs multis: de quibus vide Liuium, Plutarcum, & ceteros.*

eo impenſius precor ne meæ prauitatis pœnas innoxius luat.

INNOXII non debent luere pœnas alienæ prauitatis.

Per quinque & quadraginta annorum obſequium, per collegium conſulatus quondam diuo Auguſto parenti tuo probatus,

ILLVM dicitur Princeps probare, cui ſponte, & motu proprio aliquem honorem defert. In Aula Romana rari hi viſuntur. Nam ferme ſemper Aulicorum ambitio, qui ſe ad petendos honores varijs modis inſinuant, Principis electionem anticipat: & omnia confundit. In SIXTO. V. tamen multa exempla conſpiciuntur electionum libere factarum ſponte & ob merita virtutum. Talis fuit inexpectata promotio ad cardinalatum nuperrime facta in perſona Fratris Conſtantij de Sernano. *qui nunc ea dignitate præfulgens meritiſſimum ſe in dies tanta Principis gratia oſtendit operibus ſuis, & ſcriptis.*

& tibi amicus, nec quidquam poſt hæc rogaturus ſalutem infelicis filij rogo. De Plancina nihil addidit. Poſt quę Tiberius adoleſcentem crimine ciuilis belli purgauit: patris quippe iuſſa, nec potuiſſe filium detractare:

PATRIS iuſſa non poteſt filius detrectare.

ſimul nobilitatem domus, etiam ipſius, quoque modo meriti, grauem caſum miſeratus. Pro Plancina cũ pudore & flagitio diſſeruit, matris preces obtendens: in quem optimi cuiuſque ſecreti queſtus magis ardeſcebant. Id ergo fas auię, interfectricem nepotis aſpicere, adloqui, eripere ſenatui.

A Debito ſupplicio ſaluare ſceleſtum, eſt in cauſſa, cur optimi cuiuſque viri queſtus ardeſcant. Nam vt grauiter a SIXTO. V. PONT. MAX. dum adhuc eſſet Cardinalis, audire memini: Qui ſceleſto vni mortem infert, vitam centum bonis tuetur; *ſicut econuerſo, qui ſceleſtum vnum tolerat in vita, centum bonis diem adimit.*

quod pro omnibus ciuibus leges obtineant, vni Germanico non contigiſſe. Vitellij & Veranij voce defletum Cæſarem: ab Imperatore, & Auguſta defenſam Plancinam. proinde venena, & artes tam feliciter expertas verteret in Agrippinam, in liberos eius, egregiamq. auiam, ac patrum ſanguine miſerrimę domus exatiaret. Biduum ſuper hæc imagine cognitionis abſumptum, vrgente Tiberio liberos Piſonis matrem vti tuerentur.

NON eſt vere cognitio, ſed imago cognitionis ea, in qua Iudex fauore ſuo in vnam partium inclinat.

Et cum accuſatores ac teſtes certatim perorarent, reſpondente nullo, miſeratio, quam inuidia augebatur.

SAEPE illum, quem in inuidiam adducere volumus, niſi circumſpecti erimus, miſeratione dignum efficiemus, Et hinc contrary noſtro deſiderio effectus ſuccedent.

Primus ſententiam rogatus Aurelius Cotta conſul, nam referente Cæſare magiſtratus eo etiam munere fungebantur, nomen Piſonis radendum faſtis cenſuit, partem bonorum publicandam, pars vt Gn. Piſoni filio concederetur, isq. pręnomen mutaret. M. Piſo exuta dignitate, & accepto quinquagies ſeſtertio in decem annos relegatur, conceſſa Plancinæ incolumitate, ob preces Auguſtæ.

ITERVM repetimus, & ſæpe repetemus: Mulierum preces, apud Principes propinquos multum valere. Hinc prudens Aulicus earum gratiam aucupari liqua aratione ſtudeat.

Multa ex ea ſententia mitigata ſunt a principe.

EST clementis Principis, quando ſeuerior in aliquem a ſuis Iudicibus eſt lata ſententia; multa ex ea mitigare.

ne nomen Piſonis faſtis eximeretur, quando M. Antonij, qui bellum patriæ feciſſet, Iulij Antonij, qui domum Auguſti violaſſet, manerent: & M. Piſonem ignominiæ exemit, conceſſitq. ei paterna bona, ſatis firmus, vt ſæpe memoraui aduerſum pecuniam,

PRINCEPS in omnibus actionibus præſeferat contemptionem pecuniæ: hoc eſt, ſe firmum oſtendat aduerſus eam. Nam dici non poteſt quàm contemnendus efficiatur priuatus quiſque, qui nimio amore pecuniæ ducitur Sed quid erit in Principe? Sic Auctor infra lib. 2. Hiſt. de Veſpaſiano inquit: Egregie firmus aduerſus militarem largitionem.

& cum pudore abſolutæ Plancinæ placabilior.

HOC Eſt proprium hominum, qui plures ſibi infenſos habent; cum alicuius vindicta ſe ſatiauerint, erga ceteros ſe placabiliores oſtendere. Vnde prudenter Orator ille Græcus non prius ad ſuam cauſſam dicendam Athenis prodire in concionem voluit, quàm populus alterum quendam illi valde infenſum condemnaſſet. Cuius ſupplicio exſatiatus, placabilem ſe illi poſtea reddidit.

Atque idem cum Valerius Meſſalinus ſignum aureum in æde Martis Vltoris, Cæcina Seuerus aram Vltioni ſtatuendam cenſuiſſent, prohibuit: ob externas ea victorias ſacrari dictitans; domeſtica mala triſtitia operienda.

OSTENTATIONES lætitiæ fieri debent ob eternas victorias. Sed domeſtica mala ſunt operienda triſtitia. Simili modo CAROLVS. V. inuictiſſimus Imp. *cum nuncium accepiſſet victoriæ* Ticinij *contra* FRANCISCVM Galliæ Regem *partæ, in qua Rex ipſe captus fuit, omnia lætitiæ publica ſigna prohibuit: ipſe vero pedes* DEI *Templum adyt vna cum ſuis proceribus ei gratias immenſas ob tantum proſperum rerum ſuarum ſucceſſum agens; & ſupplicationes ſollemnes indixit in honorem* Sanctæ Dei Genitricis, *cum multis alys pietatis, ſollemnibus ſignis. Sed publicas lætitiæ oſtentationes fieri vetuit, eo quod contra Chriſtiani nominis Regem victoria adepta fuiſſet. Guic. Lib. 16. hiſt.*

Addiderat

Addiderat Meſſalinus, Tiberio, & Auguſtæ, & Antoniæ, & Agrippinę Druſoq. ob vindictam Germanici, grates agendas, omiſeratq. Claudij mentionem.

AVLICVS prudens gerere ſe multum circumſpecte debet in obſequijs, & exterioribus reuerentiæ ſignis erga quemcumque cuiuſque conditionis virum: tanto magis erga Principem. Nam nimia omiſſio maximas ſecum trahit odij, & maleuolentiæ cauſſas.

& Meſſalinum quidem L. Aſprenas ſenatu coram percontatus eſt, an prudens prętериſſet: ac tum demum nomen Claudij adſcriptum eſt. Mihi quanto plura recentium, ſeu veterum reuoluo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotijs obuerſantur.

HOC, quod de ſe dicit Tacitus noſter, vere affirmare quilibet prudens de ſe ipſo poteſt. Scilicet quòd quanto plus aliquis recentia, & vetera reuoluit; tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotijs obuerſantur. Hinc duæ illæ emanarunt Philoſophorum naturæ diuerſæ: Democriti *nempe, &* Heracliti. *Quorum prior ſemper ridebat, ſecundus vero flebat. Cuius rei elegans Emblema habetur apud Alciatum.*

Quippe fama, ſpe, veneratione potius omnes deſtinabantur imperio, quàm quem futurum principem fortuna in occulto tenebat.

RARO tenetur princeps futurus in occulto: nam fama, ſpe, & veneratione omnes ferme potius deſtinantur imperio. In Cardinalibus ſenibus & ad pontificatum tendentibus hæc ſententia Romæ vſitatius verificatur, quàm explanatione egeat. Immo & in Aulicis ad Cardinalatum progredientibus id conſpicere licet.

Paucis poſt diebus Cæſar auctor ſenatui fuit, Vitellio, atque Veranio, & Seruæo ſacerdotia tribuendi. Fulcinio ſuffragium ad honores pollicitus monuit, ne facundiam violentia præcipitaret.

NON ſolum facundia, ſed ceteræ, immo omnes præclaræ animi dotes, & ingenij violentia præcipitantur. Hinc prudentiſſime SIXTVS. V. ſolet dicere: Nimia feſtinatione ſæpe iter pulcherrimum interrumpi.

Is finis fuit vlciſcenda Germanici morte, non modo apud illos homines, qui tum agebant, etiam ſecutis temporibus vario rumore iactata.

RERVM magnarum hæc eſt conditio, vt earum ſucceſſus non ſolum temporibus, quibus aguntur, ſed etiam ſequentibus vario rumore iactentur. Et forſan hæc eſt ratio, quòd à paucis admodum veræ earum cauſſæ penetrantur, qui illas non pandunt. Vnde quilibet, prout vario ducitur affectu, ſuo libito cauſſas alias fingit, & vulgat.

Adeo maxima quæque ambigua ſunt: dum alij quoquo modo audita pro compertis habent; alij vera in contrarium vertunt; & gliſcit vtrumque poſteritate.

AMBIGVA ſunt maxima quæque: dum alij quoquo modo audita pro compertis habent, alij vera in contrarium vertunt: & gliſcit vtrumque poſteritate.

At Druſus vrbe egreſſus, repetendis auſpicijs, mox ouans introijt. Paucosq. poſt dies Vipſania mater eius exceſſit, vna omnium Agrippæ liberorum miti obitu. Nam ceteros manifeſtum ferro, vel creditum eſt, veneno, aut fame extinctos.

PAVCI admodum Tyrannorum miti decedunt obitu. Nam plerique ferro, veneno, aut alia mortis violentæ ſpecie extinguuntur. Inde illud ſcitum Iuuenalis.

Ad generum Cereris ſine cæde, & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

Eodem anno Tacfarinas, quem priore æſtate pulſum a Camillo memoraui, bellum in Africa renouat: vagis primum populationibus & ob pernicitatem inultis:

PRAEDONVM, & exulum iniuriæ ſæpe inultæ ob pernicitatem euadunt. Sed ſiquis remedium adhiberet, quod SIXTVS. V. in ſui Pontificatus initio adinuenit, nihil eis pernicitas

prodeſſet. Nam ſolo nomine, intra pauciſſimos menſes ipſorum ope ipſos e medio ſuſtulit. Adeo vt vere cani illud Prophetæ poſſit. Vindicabor de inimicis meis cum inimicis meis.

dein vicos excindere, trahere graues prædas: poſtremo haud procul Pagyda flumine cohortem Romanam circumſedit. Præerat caſtello Decrius impiger manu, exercitus militia, & illam obſidionem flagitij ratus.

P*RAEFICI debent vrbibus & arcibus viri impigri manu, & exerciti militia.*

Is cohortatus milites, vt copiam pugnæ in aperto facerent, aciem pro caſtris inſtruit. Primoq. impetu pulſa cohorte, promptus inter tela occurſat fugientibus, increpat ſigniferos, quod inconditis, aut deſertoribus miles Romanus terga daret. Simul excepta vulnera.

E*T hic deſunt aliqua.*

Et quamquam tranfoſso oculo, aduerſum os in hoſtem intendit, neque prælium omiſit, donec deſertus a ſuis caderet.

V*IR fortis ſatius ducit mortem in prælio oppetere, quàm fugam inire, & terga vertere.*

Quæ poſtquam L. Apronio, nam Camillo ſucceſſerat, comperta, magis dedecore ſuorum, quàm gloria hoſtis anxius, raro ea tempeſtate, & e vetere memoria facinore,

V*TILISSIMVM eſt pro tempore, res ad earum initium reducere: vt hoc modo mala euitentur, & ea in priſtinam formam regrediantur. Sic prudentiſſime SIXTVS QVINTVS antiquiſſimum inſtitutum Pontificum in adeundis cum ſacro Cardinalium cœtu Stationibus Baſilicis, & ibi diuinis miſſarum ſollemnibus peragendis, pene extinctum; ingenti cum ſua gloria reuocauit, & exornauit.*

decumum quemq. ignominioſæ cohortis ſorte ductos fuſte necat. Tantumq. ſeueritate profectum, vt vexillum veteranorum non amplius quingenti numero eaſdem Tacfarinatis copias præſidium, cui Thala nomen, adgreſſas fuderint,

F*VNDAMENTVM, & baſis præcipua omnium dominationum, & regiminum, eſt ſeueritas. Sine qua omnis clementia eſt pernicioſa. Et cum ſubditi veniam, & non ſupplicium malefactorum attendunt, diſciplina ſe bene non habet. Porro in exercitibus, ſi alicubi, hæc ſententia habet locum. In quibus dici non poteſt, quantum ſeueritas proficiat.*

quo prælio Rufus Heluius gregarius miles ſeruati ciuis decus retulit, donatusq. eſt ab Apronio torquibus & haſta. Cæſar addidit ciuicam coronam, quòd non eam quoque Apronius iure proconſulis tribuiſſet, queſtus magis, quàm offenſus.

E*RGA Miniſtros ſæpe Principes aliquando offenduntur, & de his non queruntur: aliquando de eis queruntur, ſed non offenduntur. Exempli gratia, Si Miniſter pro auctoritate, quam apud Principem habet, multum ſe extendit, & multa diſponit; offendere poteſt Principem, etſi ipſe aperte non queratur: tractu tamen temporis offenſionem expromit, eum amouendo, & alterum in illius locum ſubrogando. Si vero Miniſter non omnia, quæ poteſt, efficit, ſed multa arbitrio Principis reſeruat, quæ ipſe terminare poſſet; queritur quidem palam Princeps, quod Miniſter non vtatur ſuo iure, & ſibi relinquat potius ea negotia, ſed non offenditur. Prudens ergo Miniſter ſic ſe in officio ſuo gerat, vt magis de ſe Princeps queratur, quàm offendatur.* Mahometes *equidem Viſir primus trium principum* Othomanorum, *cum quibus pari gratia ſemper viguit, dicere ſolebat, ſe numquam etiam de re minima, etſi ſe id poſſe facere certo ſciret, inſciente Principe determinare voluiſſe.*

Sed Tacfarinas, perculſis Numidis, & obſidia aſpernantibus ſpargit bellum, vbi inſtaretur cedens, ac rurſum in terga remeans.

D*ICITVR ſpargere bellum ille, qui vbi ab hoſte inſtatur, cedit; ac rurſum in terga remeat. Sic Iugurtha multum temporis erga Metellum ſe geſſit, & eum ludificatus eſt. Salluſt. in bello Iugurt.*

& dum

& dum ea ratio barbaro fuit, inritum, feſſumq. Romanum impune ludificabatur. Poſtquam deflexit ad maritimos locos, inligatus præda, ſtatiuis caſtris hęrebat.

PRAEDA ſæpe cauſa excidij eſt exercitui: nam ea inligatus diſcedere, & locum mutare cum nequeat, ab hoſte opprimitur. In Euryalo Virgilius mire hoc exprimit lib. ix. Aeneid. cum inquit:

> Euryalum tenebræ ramorum, oneroſaq. præda
> Impediunt: *& quæ ſequuntur:*

miſſuq. patris Apronius Ceſianus cum equite, & cohortibus auxiliarijs, quis velociſſimos legionum addiderat, proſperam aduerſus Numidas pugnam facit, pellitq. in deſerta. At Romæ Lepida, cui ſupet Æmyliorum decus L. Sulla ac Gn. Pompeius proaui erant, defertur ſimulauiſse partum ex P. Quirinio diuite atque orbo. adijciebantur adulteria, venena, quæſitumq. per Chaldeos in domum Cęſaris, defendente ream Manio Lepido fratre. Quirinius poſt dictum repudium adhuc infenſus, quamuis infami ac nocenti miſerationem addiderat.

NIMIVM alicuius nocendi ſtudium alteri; ſæpe illi miſerationem & auxilium affert, quamuis infami, & nocenti vt ſupra etiam obſeruauimus. Ideo modus eſt adhibendus.

Haud facile quis deſpexerit illa in cognitione mentem principis: adeo vertit, ac miſcuit iræ & clementiæ ſigna,

MAXIMA commoda Principi veniunt, vt ſupra non ſemel obſeruauimus, ſi mens eius difficulter a gentibus diſpicitur: nam cum nemo profundos eius ſenſus penetrare queat, ad optatum exitum fere ſemper, quæ molitur, perducet. Ideo non ſemper affectuum ſuorum ſimplicium, ſigna præferre debet: ſed pro tempore, iræ & clementiæ; odij & amoris; quorumlibet aliorum diuerſorum affectuum indicia miſcere ſtudeat.

deprecatus primo ſenatum ne maieſtatis crimina tractarentur. Mox M. Seruilium e conſularibus aliosq. teſtes inlexit ad proferenda quæ velut reticere voluerat.

SAEPE Principes inliciunt homines ad patefaciendum ea, quæ velut reticeri prius ſimulauerant.

idemq. ſeruos Lepidæ, cum militari cuſtodia haberentur, tranſtulit ad conſules: neque per tormenta interrogari paſsus eſt de his, quæ ad domum ſuam pertinerent.

CIVILITER agit Princeps, qui de his, quæ ad domum ſuam pertinent, nihil vult per tormenta in aliquem anquiri.

Exemit etiam Druſum conſulem deſignatum dicendæ primo loco ſententiæ. quod alij ciuile rebantur, ne ceteris adſentiendi neceſſitas fieret. quidam ad ſæuitiam trahebant; neque enim ceſſurum, niſi damnandi officio.

RARO facta Principis adeo pure laudabilia apparent, vt diuerſam interpretationem non ſortiantur. In cauſſa eſt, affectus hominum: qui ſi beneuoli erint, in bonum ſenſum, ſi maleuoli, in prauum interpretabuntur. Hinc patet, firmiſſimam omnium dominationum radicem eſſe Populorum amorem; quidquid alij aliter ſenſerint.

Lepida ludorum diebus qui cognitionem interuenerant, theatrum cum claris feminis ingreſſa, lamentatione flebili maiores ſuos ciens, ipſumq. Pompeium, cuius ea monimenta & aſtantes imagines viſebantur, tantum miſericordiæ permouit, vt effuſi in lacrymas, ſæua & deteſtanda Quirinio clamitarent, cuius ſenectæ atque orbitati & obſcuriſſimæ domui deſtinata quondam vxor L. Cęſari, ac diuo Auguſto nurus, dederetur.

ARMA mulierum ſunt lacrymæ. Sed ab illis, tamquam a veneno cauendum. Semper enim ſimulata, & inſidiarum ſunt plena.

dein tor-

dein tormentis ſeruorum patefacta ſunt flagitia, itumq. in ſententiam Rubellij Blandi, a quo aqua atque igni arcebatur. Huic Druſus adſenſit, quamquam alij mitius cenſuiſſent, mox Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum, ne bona publicarentur. Tum demum aperuit Tiberius compertum ſibi etiam ex P. Quirini ſeruis, veneno eum a Lepida petitum. At enim haud multum diſtanti tempore Calpurnij Piſonem, Æmilij Lepidam amiſerant, inluſtrium domuum aduerſa Solatio adfecit D. Sillanus Iuniæ familiæ redditus. Caſum eius paucis repetam. Vt valida diuo Auguſto in Remp. fortuna, ita domi improſpera fuit.

HOC plerumque accidit, vt quibus foris ſunt valida & ſecunda res, domi improſpera eueniant, ob impudicitiam ſuarum mulierum. Et hac eſt humana ſortis conditio, in qua, vt ſcite cecinit Horatius,

nihil eſt ab omni
Parte beatum . . . .

Et, vt eſt apud Euripidem:

Seiungier non poſſunt a bonis mala:
Sed eſt eorum, vt res habeant ſatis bene,
Commixtio quædam.

ob impudicitiam filiæ ac neptis,

INTER improſpera magnæ & potentis domus eſt præcipuum, mulierum impudicitia.

quas vrbe depulit, adulterosq. earum morte aut fuga puniuit.

MAXIMAM pœnam merentur adulteri, vt ſuperius adnotauimus, huius rei plures cauſſas aſſignando.

Nam culpam inter viros ac feminas vulgatam graui nomine læſarum religionum, ac violatę maieſtatis apellando, clementiam maiorum, ſuasq. ipſe leges egrediebatur.

TYRANNVS, cum aliquod delictum acrius punire cupit, grauius nomen illi prabet: vt hoc pratextu clementiam maiorum, & ſuas leges egredi poſſit.

Sed aliorum exitus, ſimul cetera illius ætatis memorabo, ſi effectis, in quæ tendi, plures ad curas vitam produxero. D. Sillanus in nepti Auguſti adulter, quamquam non vltra foret ſæuitum, quam vt amicitia Cęſaris prohiberetur, exiliũ ſibi demonſtrari intellexit.

QVI ab amicitia Principis, qua prius vtebatur, prohibetur; is omnimodo quantocyus ſe ab illo ſubtrahat: ac pro exilio denunciato ſibi id intelligat. Et hoc modo loquendi vtitur etiam Auctor infra lib. 6. Annal. de Blaſiis loquendo inquiens: Quod ſignum mortis intellexere, & executi ſunt.

nec niſi Tiberio imperitante deprecari ſenatum, ac principem auſus eſt, M. Sillani fratris potentia,

FRATRVM potentia maximi ponderis vbique eſt.

quiper inſignem nobilitatem & eloquentiam præcellebat.

QVI nobilitati eloquentiam, & bonas artes addit; is vere præcellit, & gratioſus apud quemcunque Principem euadit.

Sed Tiberius grates agenti Sillano patribus corã reſpondit, ſe quoque lætari quòd frater eius e peregrinatione longinqua reuertiſſet, idq. iure licitum, quia nõ ſenatus conſulto, non lege pulſus foret.

QVI non ſenatuſconſulto, nec lege pulſus eſt, ſed voluntarie ſe patria abdicauit: non ab exilio vere regreditur, ſed e peregrinatione.

ſibi tamen aduerſus eum integras parentis ſui offenſiones: neque reditu Sillani diſſoluta, quæ Auguſtus voluiſſet.

SI fieri poteſt, caueat Princeps, ne vmquam diſſoluat, qua eius preceſſor ſtatuit, & ſancinit. Mire enim imperij exiſtimationi hoc conducit. In hoc obſeruando diligẽtiſſimus eſt FRANCISCVS MEDI-

MEDICES Magnus Dux Hetruriæ: *qui vice legis omnia placita, & ſcripta* COSMI *anteceſſoris ſui obſeruat.*

fuit poſthac in vrbe, neque honores adeptus eſt.

E*SSE in vrbe, & honores adipiſci non poſſe; nobili eſt tamquam non eſſe.*

Relatum deinde de moderanda Papia Poppæa, quam ſenior Auguſtus poſt Iulias rogationes, incitandis cælibum pœnis, & augendo ærario, ſanxerat.

H*IC multa tenebræ ſunt: multa textus immutatio. Et cum librorum antiquorum exempla deſint: nihil certi affirmare in emendando Auctore poſſumus.*

nec ideo coniugia & educationes liberum freqentabantur, præualida orbitate. Ceterum multitudo periclitantium gliſcebat: cum omnis domus delatorum interpretationibus ſubuerteretur: vtq. ante hac flagitijs, ita tunc legibus laborabatur.

R*ES humanæ aliquando eo recidunt; vt ſicut flagitijs, ita & legibus laboretur. Id nimirum accidit, cum aut ſuperflue, aut imprudenter, aut inopportune leges feruntur, & promulgantur. Cui rei etſi* Iuſtinianus Imperator *temporibus ſuis ſatis prouiderit, tamen hodie tantus eſt librorum in hac materia aceruus, vt vere dici poſſit, quòd non minus legibus, quam flagitijs laboremus.*

Ea res admonet, vt de principijs iuris, & quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum peruentum ſit, altius diſſeram.

D*E Iuris principijs, & quibus modis ad hanc multitudinem legum peruentum ſit: vide præter ceteros Pomponium in l. 2. ff. de orig. iuris. Horat. in fine Satj. 3. Ariſt. in 3. Polit. Polybium in lib. vlt. nam nimis longum eſſet hic recenſere.*

Vetuſtiſſimi mortalium nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoq. ſine pœna aut coercitionibus agebant: neque præmijs opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & vbi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.

P*RAEMIA inuenta ſunt ad inuitandos homines ad bene agendum: & pœnæ, ad deterrendos a malo. Quod ſi honeſta ſuopte ingenio peterentur, nihil eſſet opus præmijs: & vbi nihil contra morem cuperetur, nihil opus eſſet per metum vetare.*

At poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore, ambitio & vis inſidebat, prouenere dominationes,

A*B initio omnes homines liberi & pares naſcebantur. Sed poſtquam exui equalitas cœpit: & pro modeſtia, ac pudore, vis & ambitio inceſſit: prouenere dominationes. Et hic videndus eſt Ariſtoteles in 1. Politic.*

multosq. apud populos æternum manſere. Quidam ſtatim, aut poſtquam Regum pertæſum, leges maluerunt.

I*NTER omnes hominum laudabilium ſpecies, maxime digni ſunt laude priſci legum inuentores. Qui ſi non primum inter mortales, certe ſecundum dignitatis merentur locum. Vide Ariſt. in 3. Polit.*

Hæ primo rudibus hominum animis ſimplices erant

L*EGES quæ primum rudibus hominum animis latæ fuerunt, ſimplices fuerunt.*

maximeq. fama celebrauit Cretenſium, quas Minos: Spartanorum, quas Lycurgus: ac mox Athenienſibus quæſitiores iam & plures Solon perſcripſit. Nobis Romulus, vt libitum, imperitauerat: dein Numa religionibus & diuino iure populum deuinxit, repertaq. quædam a Tullo & Anco: ſed præcipuus Seruius Tullius ſanctor legum fuit, quis etiam reges obtemperarent

D*IGNISSIMVS laude eſt, qui inuenit leges, quibus etiam Principes obtemperent: nam vt habetur apud Iuriſconſultos: etſi Princeps ſolutus eſt legibus, attamen legibus debet viuere*

De hac

De hac re elegantiſſime etiam Sanazarius in quodam Epig. ad FEDERIC. *ARAG.* REG. *NEAP. in fine inquit: Tunc publicam rem ſe bene habere, cum primus quæ Rex præcipit, ipſe facit.*

Pulſo Tarquinio, aduerſum patrum factiones multa populus parauit, tuendæ libertatis, & firmandæ concordiæ:

I*N quacumque Ciuitate, & in omni vniuerſitate orbis terrarum, vt etiam ſupra obſeruauimus, hæ duæ factiones reperiuntur, Populi nempe, & Optimatum. Horum fere ſemper finis & obiectum eſt, populum opprimere: Populi autem, ſe ab oppreſſione optimatium tueri. Vnde ſæpe ob has diſcordias externi vocantur, qui vtriſque iugum imponunt.*

creatiq. decemuiri, & accitis quæ vſquam egregia, compoſitæ duodecim tabulæ, finis æqui iuris. Nam ſecutæ leges, etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſæpius tamen diſſenſione ordinum, & apiſcendi inlicitos honores, aut pellendi claros viros aliaq. ob praua per vim latæ ſunt.

V*ERE eſt corrupta ciuitas, in qua leges, quæ ferri deberent ad tuendam libertatem, parandam concordiam, & puniendos maleficos ex delicto, promulgantur & feruntur gratia apiſcendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, & ob alia praua.*

HincGracchi, & Saturnini turbatores plebis, nec minor largitor nomine ſenatus Druſus, corrupti ſpe aut inluſi per interceſſionem ſocij. Ac nec bello quidem Italico mox ciuili omiſſum, quin multa & diuerſa ſciſcerentur, donec L. Sulla dictator abolitis, vel conuerſis prioribus, cum plura addidiſſet, otium ei rei haud in longum parauit; ſtatim turbidis Lepidi rogationibus: neque multo poſt Tribunis reddita licentia quoquo vellent populum agitandi. Iamq. non modo in commune, ſed in ſingulos homines latæ quæſtiones, & corruptiſſima Rep. plurimæ leges. Tum Gn. Pompeius tertium conſul corrigendis moribus delectus, & grauior remedijs quàm delicta erant.

C*AVEAT Iudex, & princeps, & quicunque habet iuriſdictionem, ne grauior ſit remedijs, quam delicta requirant. Commenſuranda enim eſt pœna delicto: vt aperte Iuriſconſulti docet.*

ſuarumq. legum auctor idem ac ſubuerſor,

E*T quid ſperet Princeps de legum ſuarum a ſubditis obſeruantia, ſi ipſe primus eas ſubuertit? Non ſic* Brutus, *qui proprios in filios ſeuere latam a ſe legem de tyrannide exercuit. Liuius lib. 2. & Dyonis. Halic. lib. 5.*

quæ armis tuebatur, armis amiſit.

S*AEPE quæ armis tuemur, armis amittimus. Ideo alia armis ſunt adiungenda auxilia, ſi firmiter dominari volueris: nempe amor populorum, conſilium, prudentia, amici multi, ac boni, & alia ſimilia.*

Exin. continua per viginti annos diſcordia, non mos, non ius, deterrima quæque impune, ac multa honeſta exitio fuere.

Q*VANDO in ciuitate regnat diſcordia, non ſeruatur mos, non ius: ſed deterrima quæque impune, ac multa honeſta exitio ſunt.*

Sexto demum conſulatu Cæſar Auguſtus potentiæ ſecurus, quæ triumuiratu iuſſerat, aboleuit, deditq. iura quîs pace & principe vteremur.

F*INIS omnium dominationum, & præſertim nouarum, eſt ſecuritas auctore Ariſt. pluribus locis Polit. Ethic. & Rhet. 2. Proinde dum non eſt ſecurus potentiæ Princeps, ignoſci poteſt, ſi aliquid contra leges ad tempus efficiat, vel permittat. Sed cum eſt potentiæ ſecurus, debet abolere omnia, & dare iura, quîs in pace & cum Principe vtantur ſubditi. Sicut prudenter egit* Auguſtus *hic a Tacito allegatus.*

acriora ex eo vincla, inditi cuſtodes, & lege Pappia Poppæa præmijs inducti viſi a priuilegijs parentum ceſſaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. Sed altius penetrabant.

R*ARO accidit, vt iuſſa principum non profundos habeant ſenſus; & altius non penetrent, quam ceteri putent.*

vrbemq.

vrbemq. & Italiam, & quod vſqnam ciuium corripuerant: multorumq. exciſi ſtatus, & terror omnibus intenrabatur, ni Tiberius ſtatuendo remedio quinque conſularium, quinque e prætorijs, totidem e cetero ſenatus orte duxiſſet, apud quos exoluti plerique legis nexu, modicum in præſens leuamentum fuere. Per idem tempus Neronem e liberis Germanici iam ingreſſum iuuentam commendauit patribus, vtq. munere capeſſendi vigintiuiratus ſolueretur, & quinquennio maturius, quàm per leges Quæſturam peteret, non ſine inriſu audientium, poſtulauit.

MERITO ridendi occaſionem præbet ille, qui quod ſuo iure agere poteſt, eius rei licentiam ab alio petit.

Prætendebat ſibi atque fratri decreta eadem, petente Auguſto. Sed neque tum fuiſſe dubitauerim, qui eiuſmodi preces occulti inluderent: attamen initia faſtigij Cæſaribus erant,

MVLTA conceduntur, & tolerantur in initio faſtigij principatus, quæ poſtea inconuenientia apparent.

magisq. in oculis vetus mos,

SEMPER quidem Principum in oculis vetus mos eſſe deberet: ſed diſcrete agendum eſt ſecundum conditionem temporum præſentium; ne innouationibus occaſio detur.

& priuignis cum vitrico leuior neceſſitudo, quàm auo aduerſum nepotem.

VBI leuior neceſſitudo, ibi eſt minus vrgens cauſſa proſequendi aliquem beneficio.

Additur pontificatus, & quo primum die forum ingreſſus eſt, congiarium plebi, admodum lætæ quod Germanici ſtirpem iam puberem aſpiciebat. Auctum dehinc gaudiũ nuptijs Neronis & Iuliæ Druſi filię. Vtq. hæc ſecundo rumore,

ACTIONVM, quæ à Principe in vulgus prodeunt, aliæ ſecundo rumore, aliæ aduerſis animis accipiuntur: Hinc FERDINANDVS Catholicus Hiſp. Rex, *quo omnia ſua facta a gentibus ſecundo rumore acciperentur, ſtudebat, vt earum rerum quas, aggrediebatur, ſemina quædam in vulgus iacerentur, antequam eas inchoaret. Vnde ſemper indicabant homines: Rex hoc, & hoc agere deberet. Adeo vt publicando id quod omnibus iam acceptum erat, mirum erat, quanto cum applauſu & laude ſuæ emanarent deliberationes.*

ita aduerſis animis acceptum, quod filio Claudij ſocer Seianus deſtinatetur: polluiſſe nobilitatem familiæ videbantur.

NOBILITATEM familiæ polluit, qui ignobili viro in matrimonium filiam nobilem collocat.

ſuſpectumq. iam nimię ſpei Seianum vltro extuliſſe.

NON recte agit Princeps, qui viros iam nimiæ ſpei ſuſpectos extollit: immo ſatius eſt, eos deprimere.

Fine anni conceſſere vita inſignes viri, L. Voluſius, & Salluſtius Criſpus. Voluſio vetus familia, neque tamen præturam egreſſa. Ipſe conſulatum intulit, cenſoria etiam poteſtate legendis equitum decurijs functus, opumq. quîs domus illa immenſum viguit, primus adcumulator. Criſpum equeſtri ortum loco C. Salluſtius rerum Romanarum florentiſſimus auctor, ſororis nepotem in nomen adſciuit. Atque ille, quamquam prompto ad capeſſendos honores aditu, Mæcenatem æmulatus, ſine dignitate ſenatoria multos triumphalium, conſulariumq. potentia anteijt,

SVNT multi, qui etſi habeant promptum ad capeſſendos honores aditum; tamen ſpernunt: & ſine dignitate, multos alios ea ſulgentes, potentia apud principem anteeunt.

diuerſus

diuerſus a veterum inſtituto, per cultum & munditias, copiaq. & affluētia luxu propior. ſuberat tamen vigor animi ingentibus negotijs par, eo acrior quò ſomnum & inertiam magis oſtentabat.

IN viro, qui vere hoc nomine ſit dignus, requiritur animi vigor, ingentibus negotijs par. Qui eo eſt acrior, quo ſomnum, & inertiam magis oſtentat, ignis viuaciſſimi ad inſtar, qui ſub cineribus conditus, etſi nihil apparet, vim tamen magnam incendendi retinet.

Igitur incolumi Mæcenate proximus, mox præcipuus cui ſecreta imperatorum inniterentur.

APVD Principem vere poſſunt illi, quibus præcipuis ſecreta Principum innituntur: & qui ſunt omnium arcanorum conſcij. Et tales, priuſquam digni hac poteſtate cenſeantur a Principe, debent diligenter examinari.

& interficiendi Poſthumi Agrippę conſcius, ætate prouecta, ſpeciem magis in amicitia principis, quàm vim tenuit.

IN amicitia Principis alij tenent ſpeciem, alij vim, & raro vtramque ſimul. Sed ſatius eſt vim ſine ſpecie, quàm ſpeciem ſine vi tenere. Sic infra lib. xvi. Annal. Auctor inquit: E quibus Senecio præcipua familiaritate Neronis, ſpeciem amicitiæ etiam tum retinens: &c.

Idq. & Mæcenati acciderat: fato potentiæ raro ſempiternæ;

RARO eſt ſempiterna potentia, & notent Aulici, qui ea intemperanter vtuntur.

an ſatias capit, aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum eſt, quod cupiant.

EVENIT hoc inter Principes, & Aulicos; vt ſæpe ſatias capiat illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam reliquum nihil eſt, quod cupiant. Sed neſcio an hodie talium Aulicorum multi reperiantur. Cum potius hirudinum more omnia cupiant, omnibus inhient: & numquam ſatientur.

Sequitur Tiberij quartus, Druſi ſecundus conſulatus patris atque filij collegio inſignis. Nam biennio ante Germanici cum Tiberio idem honor neque patruo lætus, neque natura tam connexus fuerat. Eius anni principio Tiberius quaſi firmandæ valetudini in Campaniam conceſſit, longam & continuam abſentiam paulatim meditans,

PRINCEPS non ſemper quod habet in animo, expromit: ſed aliud agens, aliud intendit. Sic meditantes longam, & continuam abſentiam ab vrbe, ſimulant diſcedere cauſſa firmandæ valetudinis.

ſiue vt, amoto patre, Druſus munia conſulatus ſolus impleret.

HAEC eſt optima occaſio, quam Principes dant filijs, addiſcendi artem regendi ſubditos. Nempe ſe a negotijs aliquantiſper ſubtrahere, vt illi ſoli munia principatus impleant: & hinc optimi gubernatores ſubditorum fiant. Sic COSMVS MEDICES *cum* FRANCISCO filio *nunc* Magno Duce Hetruriæ *egit.*

At forte parua res magnum ad certamen progreſſa præbuit iuueni materiam apiſcendi fauoris.

PRVDENTIS eſt nullam rem, etſi paruam, ſpernere. Nam ſæpe e parua re materia præbetur apiſcendi fauoris, & odij.

Domitius Corbulo prętura functus de L. Sulla nobili iuuene queſtus eſt apud ſenatum, quòd ſibi inter ſpectacula gladiatorum loco non deceſſiſſet.

DECET iuuenes cedere loco ſenioribus: & iuuentutis irreuerentia grauibus decretis notari debet. Et huc pertinet inſtitutum illud Spartanorum: de quo vide apud Ariſtotelem in Politica: & Plut. in Licurgo.

pro Cot-

Pro Corbulone ætas, patrius mos; ſtudia ſeniorum erant: contra, Mamercus Scaurus, & L. Arruntius, alijq. Sullæ propinqui nitebantur: certabantq. orationibus, & memorabantur exempla maiorum, qui iuuentutis inreuerentiam grauibus decretis notauiſſent: donec Druſus apta temperandis animis diſſeruit,

PROPRIVM eſt eloquentis, cum inter aliquos coorta eſt diſcordia, apta temperandis animis diſſerere: vt illi ſe inuicem componant, Idq. maxime Principi conuenit.

& ſatisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus ſimul ac vitricus Sullæ, & oratorum ea ætate vberrimus erat. Idem Corbulo plurima per Italiam itinera fraude mancipum, & incuria magiſtratum interrupta, & imperuia clamitando,

NIHIL poteſt dici peius illo qui Magiſtratum aliquem obtinet, quàm incuria accuſari. Cum ipſius proprium ſit curam, & diligentiam adhibere.

executionem eius negotij libens ſuſcepit. quod haud perinde publice vſui habitum, quam exitioſum multis, quorum in pecuniam atque famam damnationibus, & haſta ſæuiebat.

MVLTI prætextu publici boni magiſtratum exercendo, ſunt exitioſi gentibus: ſæuiendo in famam & pecuniam, damnationibus, hac occaſione.

Neque multo poſt miſſis ad ſenatum literis Tiberius motam rurſum Africam incurſu Tacfarinatis docuit, iudicioq. patrum deligendum proconſulem, gnarum militiæ, corpore validum; & bello ſuffecturum.

DVX ad bellum deligi debet, his conditionibus præditus; ſit gnarus militiæ, corpore validus, & bello ſuffecturus.

quod initium Sext. Pompeius agitandi aduerſus M. Lepidum odij nactus vt ſocordem, inopem, & maioribus ſuis dedecorum,

NOBILES, ſi ſunt ſocordes; ſunt maioribus ſuis dedecori.

eoq. etiam Aſie ſorte depellendum incuſauit, aduerſo ſenatu, qui Lepidum mitem, magis quam ignauum,

SAEPE nomina vitiorum virtutibus imponuntur, & econuerſo. Sic mites ab inuidis ignaui appellantur.

paternas ei anguſtias & nobilitatem ſine probro actam, honori quam ignominiæ habendam ducebat.

PATERNAE anguſtia, & nobilitas ſine probro acta; honori, quàm ignominia habenda ſunt.

Igitur miſſus in Aſiam. Et de Africa decretum vt Cæſar legeret cui mandãda foret. Inter quæ Seuerus Cęcinna cenſuit, ne quem magiſtratum, cui prouincia obueniſſet, vxor comitaretur: multum ante repetito, concordem ſibi coniugem, & ſex partus enixam: ſeque quæ in publicum ſtatueret domi ſeruauiſſe,

PRINCEPS, quæ in publicum ſtatuit, domi ſeruare debet.

cohibita intra Italiam, quamquam ipſe pluris per prouincias quadraginta ſtipendia expleuiſſet. haud enim fruſtra placitum olim, ne feminæ in ſocios, aut gentes externas traherentur. ineſſe mulierum comitatui quæ pacem luxu, bellum formidine morentur,

COMITATVI mulierum multa inſunt, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur.

N & Roma-

& Romanum agmen ad ſimilitudinem barbari inceſſus conuertant: non imbecillem tantum, & imparem laboribus ſexum, ſed ſi licentia adſit, ſæuum, ambitioſum, poteſtatis auidum,

SEXVS muliebris non tantum eſt imbecillis & impar laboribus; ſed ſi licentia adſit, ſæuus, ambitioſus, & poteſtatis auidus. De ſæuitia, exemplum notabile habemus in Thomyri apud Herodotum 2. Hiſt. & in Paryſatide Artoxerſis matre, in Artoxerſe apud Plutarcum. De ambitione, & auiditate poteſtatis, Agrippina Neronis mater, & ſemiramis Nini vxor clara ſunt documenta. Auctor noſter infra lib. xiy. Annal. & Iuſtinus, & Diodorus Siculus.

incedere inter milites, habere ad manum centuriones: præſediſſe nuper feminam exercitio cohortium, decurſu legionum: cogitarent ipſi quoties repetundarum aliqui arguerentur, plura vxoribus obiectari: his ſtatim adhæreſcere deterrimum quemque prouincialium.

MVLIERIBVS apud Principem potentibus, deterrimus quiſque adhereſcit, & qui parum virtute ſua nitur.

ab his negotia ſuſcipi, tranſigi:

MALE ſe habent regna, & principatus, cum a mulieribus negotia ſuſcipiuntur, & tranſiguntur.

duorum egreſſus coli, duo eſſe prætoria, peruicacibus magis & impotentibus mulierum iuſſis,

HAVD dubium eſt, quin iuſſa mulierum ſint magis peruicacia & impotentia, quàm virorum: ob debilitatem ſexus.

quæ Oppijs quondam, alijsq. legibus conſtricte, nunc vinclis exolutis, domos, fora iam & exercitus regerent.

STVDEANT Principes in obſeruatione legum a ſubditis praſtanda. Si enim inceperint earum vincula exſoluere; iam nec domus, nec fora, nec urbes, nec exercitus manebunt.

Paucorum hæc adſenſu audita plures obturbabant. neque relatum de negotio, neque Cęcinnam dignum tantæ rei cenſorem.

NON ſufficit quòd aliquis ſententiam recte ſuper negotio aliquo proferat. Sed inſpiciendum, & conſiderandum eſt, num tempus id requirat: & perſona ſua id munus ſit.

mox Valerius Meſſalinus, cui parens Meſſala, ineratq. imago paternæ facundiæ, reſpondit:

FILIIS, ſicut faciei, ita & facundia paterna, & aliarum animi qualitatum, ineſt ſæpe imago.

Multa duritie veterum melius & lætius mutata.

MVLTA in dies a duritie veterum melius, & lętius mutantur. Idq. iure merito fieri ſolet, cum ſic ratio & conditio temporis poſtulat: qua ſemper ante oculos Principis eſſe debet.

Neque enim, vt olim, obſideri vrbem bellis, aut prouincias hoſtilis eſſe, & pauca feminarum neceſſitatibus concedi, quæ ne coniugum quidem penates, adeo ſocios non onerent: cerera promiſcua cum marito: nec vllum in eo pacis impedimentum. bella plane accinctis obeunda,

OBEVNDA ſunt bella viris accinctis.

ſed reuertentibus poſt laborem quòd honeſtius, quàm vxorium leuamentum?

HONESTISSIMVM eſt vxorium leuamentum viris reuertentibus poſt laborem.

At quaſdam

At quaſdam in ambitionem, aut auaritiam prolapſas. Quid? ipſorum magiſtratuum nonne pleroſque varijs libidinibus obnoxios? non tamen ideo neminem in prouinciam mitti. corruptos ſepe prauitatibus vxorum maritos, num ergo omnes cœlibes integros? placuiſſe quondam Oppias leges, ſic temporibus Reip. poſtulantibus:

CVM tempora Reipub. Et principatus ſic poſtulant, tunc hæc vel illa lex placere debet, & ſeruari: vt proxime annotauimus.

remiſſum aliquid poſtea, & mitigatum, quia expedierit.

HOC eſt quod dicunt Canones etiam: Diſcretionem eſſe virtutum matrem. *Nam, quando expedit, remitti aliquid, & mitigari debet ex rigore legum.*

fruſtra noſtram ignauiam alia ad vocabula transferri:

FRVSTRA transfertur ad alia vocabula noſtra ignauia: quod eſt proprium humanæ naturæ vitium.

nam viri in eo culpam, ſi fœmina modum excedat.

VIRI eſt culpa in eo, ſi fæmina modum excedit: ipſe enim debet eam regere, & continere in officio, ne peccet.

Porro ob vnius, aut alterius imbecillum animum, male eripi maritis conſortia rerum ſecundarum aduerſarumq.

OB vnius aut alterius imbecillum animum non debent eripi maritis conſortia rerum ſecundarum, & aduerſarum.

ſimul ſexum natura inualidum deſeri, & exponi ſuo luxu, cupidinibus alienis:

SÆPE cum maritus ab vxore abeſt, tunc vere ſexus natura inualidus deſeritur, & exponitur ſuo luxu, & cupidinibus alienis.

vix præſenti cuſtodia manere inlæſa coniugia; quid fore, ſi per plures annos in modum diſſidij obliterentur?

CVSTODIA præſenti vix manent inlæſa coniugia: quid erit poſtea, ſi in modum diſſidij per plures annos vxores obliterentur?

Sic obuiam irent ijs quæ alibi peccarentur, vt flagitiorum vrbis meminiſſent. Addidit pauca Druſus de matrimonio ſuo. Nam principibus adeunda ſæpius longinqua imperij.

PRINCIPES debent adire omnia loca imperij. Multa enim mala hinc euitantur. Et maxime ſatisfiunt homines & ſubditi ex aſpectu Principis: vt alias obſeruauimus.

Quoties diuum Auguſtum in Occidentem, atque Orientem meauiſſe comite Liuia? ſe quoque in Illiricum profectum, & ſi ita conducat, alias ad gentes iturum, haud ſemper æquo animo, ſi ab vxore chariſſima, & tot communium liberorum parente diuelleretur. Sic Cæcinnę ſententia eluſa. Et proximi ſenatus die, Tiberius per literas caſtigatis oblique patribus, quòd cuncta curarum ad Principem reijcerent,

ETSI Principi placere debet, quòd nihil ſine ſuo conſenſu & auctoritate a ſenatu & proceribus fiat: tamen aliquando oſtendere debet, ſibi non placere, quòd cuncta curarum ad ſe reijciantur, Et hoc modo dicitur illum oblique caſtigare illos.

M. Lepidum & Iunium Blæſum nominauit, ex quîs proconſul Africæ legeretur. Tum audita amborum verba, intentius excuſante ſe Lepido, cum valetudinem corporis, ætatem liberûm, nubilem filiam obtenderet.

EX verbis, & modo proferentis, facile eſt intelligere, quis intente aliquid recuſet & vere: & quis ficte, & in ſpeciem. & obſeruanda ſunt hæ cauſſæ excuſationis a muneribus publicis: nempe valetudo corporis, ætas liberum, & nubilis filia.

intelligereturq. etiam, quod ſilebat, auunculum eſſe Seiani Blæſum, atque eo præualidum. Reſpondit Blæſus, ſpecie recuſantis, ſed neque eadem adſeueratione, & conſenſu adulantium auditus eſt.

MVLTI ſpecie recuſantis flagrantiſſime cupiunt: & ideo non ſemper extrinſecis ſignis credendum eſt. Idem ſupra de Tiberio: lib. 1. ab initio.

Exin promptum, quod multorum intimis quæſtibus tegebatur.

SVB Tyranno teguntur ſubditorum odia & male inclinati animi intimis queſtibus: ſed cum aliqua ſe offert commode occaſio, tunc ſe promunt, & palam faciunt.

Incedebat enim deterrimo cuique licentia impune probra, & inuidiam in bonos excitandi, arrepta imagine Cæſaris:

MALE ſe habent res in ciuitate, quando licentia eſt deterrimo cuique, excitandi impune probra, & inuidiam in bonos: atque id cum anſa Principis, aut rerũ à Principe dependentium.

libertiq. etiam ac ſerui, patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, vltro metuebantur.

ET quid reliquum eſt iuris humani, & diuini in ciuitate illa, vbi liberti & ſerui, poſſunt & voces & manus intentare patrono, & domino, & vltro metui?

Igitur C. Ceſtius ſenator diſſeruit, principes quidem inſtar deorum eſſe, ſed neque à dijs niſi iuſtas preces ſupplicum audiri: neque quemquam in Capitolium, aliaue vrbis templa perfugere, vt eo ſubſidio ad flagitia vtatur.

CVM vices Dei in terris Principes gerant, vere dicitur eos eſſe inſtar Dei. Sed hac de cauſſa non putent Principes ſe poſſe quicquid libuerit facere; aut hac poteſtate abuti. Nam neque a Deo quem repreſentant, niſi iuſta ſupplicum preces audiuntur; neque quiſquam in eius templa perfugit, vt eo ſubſidio ad flagitia vtatur. Et nulla re alia magis poſſunt Deo Principes ſimiles, quam iuſtitia. Quàm virtutem, vt cum adhuc in minori ſtatu erat SYXT. V. adamauit eximie, ſic poſtquam ad Pontificatus apicem euectus eſt, mirifice obſeruari, & exerceri curat.

Abolitas leges, & funditus verſas, vbi in foro, in limine curiæ ab Annia Rufilla, quam fraudis ſub iudice damnauiſſet, probra ſibi & minæ intendantur, neque ipſe audeat ius experiri, ob effigiem imperatoris oppoſitam.

TVNC dicuntur abolita leges, & funditus verſa; cum in foro, cum in limine curia a mulieribus damnatis ſub iudice, probra & mina intenduntur bonis viris: qui non audeant ius experiri, ob effigiem Imperatoris oppoſitam.

Haud diſſimilia alij, & quidem atrociora circunſtrepebant: pręcabanturq. Druſum daret vltioni exemplum,

INDISTINCTAM debet Princeps ſeruare iuſtitiam; nec proprijs filijs parcere: ſi ita caſus ferat. Hoc modo Torquati illi, Bruti, & reliqui ſe geſſerunt. Nec alio modo melius in ciuitatibus obuiam itur flagitijs, quam inſigni ſeueritatis alicuius publica exemplo.

donec accitam conuictamq. attineri publica cuſtodia iuſſit. Et Conſidius Æquus, & Cælius Curſor equites Rom. quòd fictis maieſtatis criminibus Magium Cæcilianum prætorem petiuiſſent, auctore principe, ac decreto ſenatus puniti.

QVANTO vtiles in ciuitatibus liberis ſunt accuſationes, tanto deteſtabiles ſunt calumnia & ficta crimina. Illa enim malos deterrendo, bonis ſecuritatem pariunt. Ha vero perniciem innocentibus machinando, intuta omnia ſimplicitati & probitati reddunt. Iudicantem ergo oportet omnia diligenter rimari, circumſpectum eſſe: ne in aliquod damnum irreparabile incidat. Et diſcernere debet inter lepram & lepram, vt canunt ſacre litera.

Vtrum-

Vtrumque in laudem Druſi trahebatur: ab eo in vrbe inter cœtus & ſermones hominum obuerſante, ſecreta patris mitigari.

CVM Principis filius iuuenis in vrbe inter cœtus hominum & ſermones obuerſans, ſecreta patris ſaui mitigat; rem agit magna laude dignam.

Neque luxus in iuuene adeo diſplicebat.

AETATES varias varia decent oblectationes. Ideo in iuuene luxus non adeo diſplicere debet, qui alioquin in ſene vituperabilis eſſet. Tamen mirum eſt quantam etiam iuueni auctoritatem conciliet, voluptatum parſimonia.

huc potius intenderet, diem ędificationibus, noctem conuiuijs traheret.

HONESTVS eſt luxus in Principe iuuene, cum ſolum verſatur, & ſe occupat in trahendo diem ambulationibus, & noctem conuiuijs.

quàm ſolus & nullis voluptatibus auocatus mæſtam vigilantiam, & malas curas exerceret.

SEMPER ferme contingit, vt qui ſoli viuunt, & nullis voluptatibus auocati, mæſtam vigilantiam, & malas curas exerceant.

Non enim Tiberius, non accuſatores fatiſcebant. Et Ancharius Priſcus Cæſium Cordum proconſulem Cretæ poſtulauerat repetundis, addito maieſtatis crimine, quod tum omnium accuſationum complementum erat.

SVB Tyranno, maieſtatis crimen omnium accuſationum complementum ſolet eſſe.

Cæſar Antiſtium veterem e primoribus Macedoniæ abſolutum adulterij, increpitis iudicibus, ad dicendam maieſtatis cauſſam retraxit, vt turbidum, & Rheſcuporidis conſilijs permixtum, qua tempeſtate Cotye fratre interfecto, bellum aduerſus nos voluerat.

HOMINES ingenio turbidi, ſemper ſunt & debent eſſe Principi ſuſpecti.

Igitur aqua & igni interdictum reo, adpoſitumq. vt teneretur inſula, neque Macedoniæ neque Tracię opportuna.

QVANDO ab aliquo timetur, ne tumultus alicubi cicat; illum quam longe ab illis locis amouere oportet.

Nam Thracia, diuiſo imperio in Rhęmetalcen & liberos Cotyis, quis ob infantiam tutor erat Trebellienus Rufus, inſolentia noſtri diſcors agebat.

SVB Principe nouo, & abſente ſemper ſubditi diſcordes agunt.

neque minus Rhœmetalcen, quàm Trebellienum incuſans, popularium iniurias inultas ſinere.

QVI Princeps plures habet prouincias ſub ſe, nec illis ipſe poſſit omnibus adeſſe, illis præficere ſtudeat miniſtros tales, quorum ingenia ab ingenijs popularium non multum diſtent. Alioquin damna maxima, & tumultus erumpent. Sic ſcite admodum & prudenter conſulit CAROLVS V. Imp. PHILIPPVM filium in quibuſdam Commentarijs. Nec minus ſapienter PHILIPPVS ipſe paterna præcepta exequitur: Monarchiæ ſuæ partes idoneis, & conuenientibus in hac parte miniſtris demandando.

Cœlaletæ, Odruſæq. & alij, validæ nationes arma cœpere, ducibus diuerſis, & paribus inter ſe per ignobilitatem:

QVANDO in tumultu ciuili nemo ob nobilitatem, aut ob alias præclaras animi dotes adeo eminet, vt illum ducem ceteri velint; tunc fiunt varij & diuerſi duces, & pares inter ſe ob ignobilitatem.

quæ cauſa fuit, ne in bellum atrox coaleſcerent.

NON poteſt coaleſcere in bellum atrox prouincia aut gens, varijs partibus & factionibus diſtracta. Sicut amnis in diuerſos ramos ſectus violenter fluere non valet.

Pars turbant præſentia, alij montem Hæmum tranſgrediuntur, vt remotos populos concirent. Plurimi ac maxime compoſiti regem, vrbemq. Philippopolim a Macedone Philippo ſitam, circumſidunt. Quæ vbi cognita P. Velleio, is proximum exercitum præſidebat, alarios equites ac leues cohortium mittit in eos, qui prædabundi, aut adſumendis auxilijs vagabantur. Ipſe robur peditum ad exoluendum obſidium ducit. Simulq. cuncta proſpere acta, cæſis populatoribus, & diſſentione orta apud obſidentes, regisq. opportuna eruptione, & aduentu legionis. Neque aciem aut prælium dici decuerit, in quo ſemermes ac palantes trucidati ſunt ſine noſtro ſanguine.

CERTE aciei, & prælij nomen non debet dari, quando ſine vllo victorum ſanguine, hoſtes ſemermes, ac palantes trucidantur.

Eodem anno Galliarum ciuitates ob magnitudinem æris alieni rebellionem cœptauere:

NIHIL nouum eſt, quòd ob magnitudinem æris alieni prouinciæ rebellionem cœptent. Nam hac de cauſſa etiam ſæpe priuati homines coniurationes ineunt. Proinde Principes ab his diligenter caueant. Et videndus eſt Plutarchi elegans tractatus, de vitando ære alieno.

cuius extimulator acerrimus inter Treueros Iulius Florus, apud Æduos Iulius Sacrouir. Nobilitas ambobus, & maiorum bona facta,

QVI in prouincia aliqua res nouare volunt, & multitudinem ſecum trahere; hi ſemper oportet vt nobiliſſimi ſint, & maiorum præclaris geſtis præfulgeant: adhoc vt progreſſus magnos agere poſſint.

eoq. Romana ciuitas olim data, cum id rarum, nec niſi virtuti pretium eſſet.

EQVIDEM raræ dignitates niſi virtuti pretium eſſe non deberent. Sed neſcio quo modo plerumque contingit, vt res humanæ multum longe agantur ab eo, quod deberet agi. Qui ſapit intelligit.

Ij ſecretis conloquijs, ferociſſimo quoque adſumpto,

CONIVRATIONES publicas ſemper ſecreta colloquia præcedunt. Hinc ſunt neceſſarij Principi auſcultatores, quorum ope poſſit principijs obſtare.

aut quibus ob egeſtatem, ac metum ex flagitijs maxima peccandi neceſſitudo, componunt Florus Belgas, Sacrouir propriores Gallos concire.

PECCANDI maxima venit neceſſitudo ob egeſtatem, ac metum ex flagitijs. Sic Sallust. in Catil. coniurat. inquit: Quibus maxima neceſſitudo, & plurimum audacia inerat.

Igitur per conciliabula & cœtus ſeditioſa diſſerebant de continuatione tributorum, grauitate fenoris, ſæuitia ac ſuperbia præſidentium:

SECRETIS colloquijs ſuccedūt ſermones ſeditioſi per conciliabula ac cœtus: cum aliqui innouare res volunt. In quibus ferme ſemper agitur de continuatione tributorum, grauitate fenoris, ſæuitia, ac ſuperbia præſidentium, ac ſimilibus.

& diſcordare militem audito Germanici exitio: egregium reſumendæ libertati tempus, ſi ipſi florentes, quàm inops Italia, quàm imbellis vrbana plebes, nihil validum in exercitibus, niſi quod externum, cogitarent.

TVNC eſt tempus opportunum reſumendæ ſub Tyranno libertatis, cum miles eius diſcordat, ipſe eſt inops, & nullo exercitu valido fretus.

Haud

Haud ferme vlla ciuitas intacta ſeminibus eius motus fuit. Sed erupere primi Andecaui, ac Turonij. Quorum Andecauos Acilius Auiola legatus excita cohorte, quę Lugduni pręſidium agitabat, coercuit. Turonij legionario milite, quem Viſellius Varro inferioris Germaniæ legatus miſerat, oppreſſi, eodem Auiola duce, & quibuſdam Galliarum primoribus, qui tulere auxilium, quo diſſimularent defectionem, magisq. in tempore efferrent.

INEVITABILES ſunt illi hoſtes, qui in motus alicuius magni initio tibi ſe fingunt amicos; & proditionem diſſimulant, quo magis in tempore eam efferant.

Spectatus & Sacrouir intecto capite pugnam pro Romanis ciens, oſtentandæ, vt ferebat, virtutis. Sed captiui, ne inceſſeretur telis, adgnoſcendum ſe prębuiſſe arguebant.

IN eo, qui iure ſuſpectus eſſe poteſt, omnia conducit ad ſiniſtriorem ſenſum detorquere; quo magis ab illo cauere poſſimus.

Conſultus ſuper eo Tiberius aſpernatus eſt indicium, aluitq. dubitatione bellum.

PRINCIPES ſæpe indicium alicuius coniurationis, aut belli aſpernando, illi alimentum præbet dubitatione ſua.

Interim Florus inſiſtere deſtinatis,

IN negotio magno oportet inſiſtere deſtinatis. Parum enim prodeſt res magnas recte aggredi, niſi obſtinate vſque ad finem eas proſequamur.

pellicere alam equitum, quæ conſcripta Treueris, militia diſciplinaq. noſtra habebatur, vt cæſis negotiatoribus Romanis bellum inciperet.

SIC fere ſemper ſolent ſumere initia bellorum illi populi, qui a Principe deficiunt: interficere nempe illos, qui ſunt e ſua gente, & apud ipſos morantur: quamuis quieti ſint, & negotiatores.

Pauciq. equitum corrupti, plures in officio manſere. Aliud vulgus obæratorum aut clientium arma cepit, petebantq. ſaltus, quibus nomen Arduenna, cũ legiones vtroque ab exercitu, quas Viſellius, & C. Silius aduerſis itineribus obiecerant, arcuerunt. Præmiſſusq. cum delecta manu Iulius Indus e ciuitate eadem, diſcors Floro, & ob id nauādæ operæ auidior, inconditam multitudinem adhuc diſiecit.

CLAVVS truditur clauo, & ars arte. *Sic aduerſus aliquem, qui res innouat, opponere oportet aliquem ex eadem ciuitate illi diſcordem, qui ob id nauanda opera cupidior, illius primi conatus franget. Et hac eſt præcipua vtilitas, quam Princeps percipit ex cognitione amicitiarum, & inimicitiarum, qua inter ſuos ſubditos vigent. Illis enim ipſis, cum ſibi conducit vtitur ad res ſuas conficiendas.*

Florus incertis latebris victores fruſtratus, poſtremo viſis militibus, qui effugia inſederant, ſua manu cecidit.

FINIS eſt hic ſemper coniuratorum, & innouatorum ſtatuum; vt male pereant, aut ſua manu, aut aliena. Proinde aurea illa eſt ſententia eiuſdem Auctoris infra lib. iiij. Hiſt. Tempora præterita ſunt laudanda; præſentibus parendum: boni Imperatores ſunt voto expetendi; qualeſcumque autem tolerandi.

Isq. Treuerici tumultius finis. Apud Æduos maior moles exorta, quanto ciuitas opulentior, & comprimendi procul pręſidium.

VBI eſt maior gentis opulentia, & longinquius comprimendi præſidium; ibi maior moles & ſeditionis, & belli exoritur.

Auguſto-

Auguſtodunum caput gentis armatis cohortibus Sacrouir occupauerat, nobiliſſimam Galliarum ſubolem liberalibus ſtudijs ibi operaram, vt eo pignore parentes propinquosq. eorum adiungeret.

V*ERE qui habet in poteſtate hoſtium filios, is poteſt dici, quòd eo pignore adiunctos ſibi teneat & parentes & propinquos eorum. Hac de cauſſa ſceleſtus ille* Faliſcorum *Pædagogus* Camillo *dare quarebat iuuentutem illam ſua cura commiſſam: quamuis Romana magnanimitate ipſe illud reſpuerit: vt eſt apud Dyonis. & Liu. hiſt.*

Simul arma occulte fabricata iuuentuti diſpertit. Quadraginta millia fuere, quinta ſui parte legionarijs armis, ceteri cum venabulis & cultris, quæque alia venantibus tela ſunt. Adduntur e ſeruitijs gladiaturę deſtinati, quibus, more gentico, continuum ferri tegimen, Crupellarios vocant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles. Augebantur hæ copiæ vicinarum ciuitatum vt nondum aperta conſenſione, ita viritim promptis ſtudijs,

C*VM nondum eſt aperta ciuitatis in aliquam ſeditionem conſenſio, ſed prompta ſunt viritim ſtudia; ferri iudicium poteſt, quòd breui etiam illa ſequetur.*

& certamine ducum Romanorum, quos inter ambigebatur, vtroque bellum ſibi poſcente.

D*ISSENSIO ducum multum prodeſt, ad augendos & prouehendos hoſtium motus.*

mox Varro inualidus ſenecta vigenti Silio conceſſit.

I*NVALIDITAS ſenectutis ferme ſemper eſt contemnenda. Et ideo in Principe requiritur vigor, ſi non corporis & animi, quòd ſatius eſſet; ſaltem animi. Sic infra de Galba Hiſt. i. idem Auctor: Inualidum ſenem: &c.*

At Romæ non Treueros modo & Æduos, ſed quattuor & ſexaginta Galliarũ ciuitates deſciuiſſe, adſumptos in ſocietatem Germanos, dubias Hiſpanias, cuncta, vt mos famæ, in maius credita.

M*OS eſt famæ, cuncta quæ ex longinquo nunciantur in maius vulgare, & credere. Sic lib. iiij. Hiſt. inquit Auctor: Veraq. & falſa, more famæ, in maius innotuere.*

Optimus quiſque Reip. cura mœrebat: multi odio præſentium, & cupidine mutationis, ſuis quoque periculis lætabantur.

I*N publicis malis non omnes mærent Reipub. cauſſa: ſed ſolum id fit ab optimis quibuſque. Nam multi odio præſentium, & cupidine mutationis lætantur quoque ſuis periculis. Idq. ſi in vlla Reipub. euenit, Romæ proculdubio accidit. Adeo vt nec propria pericula curent, dummodo id ſequatur. Ex varia enim hominum hic habitantium commixtione, variæ ſpes, & affectus dominantur.*

increpabantq. Tiberium, quòd in tanto rerum motu, libellis accuſatorum inſumeret operam.

R*IDICVLVS eſt Princeps, qui in magno rerum ſuarum motu, nihil ſolicitus in adhibendo remedio vanis operibus terit tempus.* Vguccionis Fagioli Lucenſium tyranni *celebris eſt ignauia. Cui cum prandere incipienti nuncius allatus eſſet, Piſas defeciſſe; ac ſi propere iuiſſet, proculdubio omnia in tuto collocaſſet: noluit tamen vſque ad finem prandij, iter illac arripere. Quo temporis ſpatio coaluit ſeditio, nec ipſe in tempore adeſſe potuit. Et ſic cum prandij vnius ſuauitatem amittere noluiſſet, duas vrbes amiſit. Nam eodem etiam tempore,* Luca, *vbi ipſe erat, deſciuit, & illum inopem conſilij exire coegit. Vnde illud ſcomma in ipſum iactum:* ad menſam Canis ſcaligeri; *a Petro Nano: de eius voracitate. Paulus Iouius in eius Elogio.*

An Iulium Sacrouirum maieſtatis crimine reum in ſenatu fore? extitiſſe tandem viros qui cruentas epiſtolas armis cohiberent.

A*RMIS cohibentur cruentæ epiſtolæ.*

miſeram

miſeram pacem vel bello bene mutari.

HAVD dubium eſt, quod bene mutatur vel bello miſera pax.

Tanto impenſius in ſecuritatem compoſitus, neque loco, neque vultu mutato ſed, vt ſolitum, per illos dies egit:

MAGNVM ſignum grauitatis in Principe eſt, ſpernere rumores vulgi, atque in ſecuritate compoſitum neque locum, neque vultum mutare: ſed, vt ſolitum eius eſt, ſemper agere.

altitudine animi,

DECET maxime Principem animi altitudo: Et vt ait Mecenas apud Dionem: Auguſto, ſublimiorem ſe omni iniuria reddere.

an compererat modica eſſe, & vulgatis leuiora?

DE rebus Principum, quarum cauſſas reconditas vulgus ignorat, & ideo rectum de ijs ferre non poteſt iudicium; ſi quando murmurat populus, & Principi obloquitur: nihil ipſe ſe mouere debet, dummodo compererit modica eſſe, & vulgatis leuiora.

Interim Silius cum legionibus duabus incedens, præmiſſa auxiliari manu, vaſtat Sequanorum pagos, qui finium extremi, & Aeduis contermini, ſocijq. in armis erant. Mox Auguſtodunum petit propero agmine certantibus inter ſe ſigniferis, fremente etiam gregario milite, ne ſuetam requiem, ne ſpatia noctium opperireur:

DIGNVS eſt ardor militum, qui in eundo aduerſus hoſtes, fremunt, & certant inter ſe, ne ſuetam requiem, ne ſpatia noctium Dux opperiatur; quo citius hoſtes conſpiciant, & ab eis conſpiciantur. Sic Auctor infra lib. i. Hiſt. inquit: Nullo tribunorum, centuriorumue adhortante, ſibi quiſque dux, & inſtigator.

viderent modo aduerſos, & aſpicerentur; id ſatis ad victoriam.

SOLO aſpectu & viſu terret fortis ignauum.

Duodecimum apud lapidem Sacrouir, copiæq. patentibus locis apparuere. In frontem ſtatuerat ferratos, in cornibus cohortes, a tergo ſemermos. Ipſe inter primores equo inſigni adire, memorare veteres Gallorum glorias, quæque Romanis aduerſa intuliſſent; quam decora victoribus libertas:

NON poteſt plene explanari, quàm decora ſit victoribus libertas. Quæ, vt ait ille, non bene pro toto venditur auro.

quanto intolerantior ſeruitus iterum victis.

ITERVM victis intolerantior eſt ſeruitus. A defectione enim eorum iterata domini admoniti, durius iugum eis imponunt, ne ſic de facili arma reſumere valeant.

Non diu hæc, nec apud lætos. Etenim propinquabat legionum acies; inconditiq. ac militię neſcij oppidani, neque oculis, neque auribus ſatis comperebant.

MILITES inconditi, & militia neſcij, nec oculis, nec auribus ſatis competunt. Quod ſi quando accidit, vt præ timore id etiam in bono milite eueniat; tunc eſt prudentis Ducis officium, & munus receptui canere: ne ſcilicet cladi aperta ſe exponat. Sic egit, vt eſt apud Curtium lib. iiij. Alexander: *qui cognito pauore exercitus, ſigna, vt conſiſterent, dari, ipſos arma deponere, ac leuare corpora iuſſit.*

Contra Silius, etſi præſumpta ſpes hortandi cauſas exemerat,

PARVM eſt opus hortatione erga illum militem, qui tam animo alacri ſpem victoriæ præſumpſit.

clamitabat tamen, pudendum ipſis, quod Germaniarum victores, aduerſum Gallos tamquam in hoſtem ducerentur.

VERE eſt pudendum eum, qui fortiorem vicerit, in diſcrimen cum debiliori venire.

Vna nu-

Vna nuper cohors rebellem Turonium, vna ala Treuerum, paucæ huius ipſius exercitus turmę profligauere Sequanos. Quanto pecunia dites & voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles Æduos euincite, & fugientibus conſilite.

QVANTO magis aliqui ſunt dites pecunia, & opulenti, hoc magis imbelles eos eſſe, conſentaneum rationi eſt. Ariſt. in 2. Rhet.

Ingens ad ea clamor, & circumfudit eques, frontemq. pedites inuaſere. Nec cunctatum apud latera. Paulum moræ attulere ferrati, reſtantibus laminis aduerſum pila & gladios. Sed miles correptis ſecuribus & dolabris, vt ſi murum perrumperet, cædere tegmina & corpora. Quidam trudibus aut furcis inertem molem proſternere. Iacentesq. nullo ad reſurgendum niſu, quaſi exanimes linquebantur. Sacrouir primo Auguſtodunum, dein, metu deditionis, in villam propinquam cum fidiſſimis pergit. Illic ſua manu, reliqui mutuis ictibus occidere. Incenſa ſuper villa omnes cremauit.

QVOD ſupra annotauimus, hic etiam annotandum eſt: Infelicem ſemper exitum conſequi rerum nouarum auctores.

Tum demum Tiberius ortum patratumq. bellum ſenatui ſcripſit.

AVCTORITATEM magnam acquirit Princeps, qui in magno ciuitatis metu, vno eodemq. tempore & ortum, & patratum bellum oſtendit re ipſa.

Neque dempſit, aut addidit vero,

PRINCIPIS oratio grauis & inaffectata eſſe debet: in qua nihil dematur, neque addatur vero.

Sed fide ac virtute legatos, ſe conſilijs ſuperfuiſſe.

PROPRIA hæc ſunt cuiuſlibet magiſtratus munera. Legatorum nempe & Ducum fides, & virtus: Principis vero conſilium. Sic infra lib. 1. Hiſt. in Othonis perſona milites alloquentis, inquit Auctor: Vobis arma & animus ſit, mihi conſilium, & virtutis veſtræ regimen relinquite.

Simul cauſſas, cur non ipſe, non Druſus profecti ad id bellum forent, adiunxit, magnitudinem imperij extollens; neque decorum principibus, ſi vna alteraue ciuitas turbet, omiſſa vrbe, vnde in omnia regimen.

MAGNO Principi non eſt decorum, ſi vna vel altera ciuitas imperij turbet, omittere vrbem, vnde in omnia regimen.

Nunc quia non metu ducatur.

STVDEAT Princeps in omnibus ſuis actionibus oſtendere animi fortitudinem: vt nemo ſuſpectare poſſit eum metu duci.

iturum, vt præſentia ſpectaret, componeretq.

CERTISSIMVM eſt, vt etiam ſupra non ſemel annotauimus, præſentia Principis, multa componi: quæ ſi ipſe non ſpectauerit, ſemper turbata permanebunt.

Decreuere patres vota pro reditu eius, ſupplicationesq. & alia decora. Solus Dolabella Cornelius dum anteire ceteros parat, abſurdam in adulationem progreſſus, cenſuit vt ouans e Campania vrbem introiret.

MVLTORVM hæc eſt aulicorum vanitas, vt dum cæteros in obſequio anteire parant; in abſurdam adulationem ſæpe prolabantur.

Igitur ſecutæ Cæſaris litteræ, quibus ſe non tam vacuum gloria prædicabat, vt poſt ferociſſimas gentes perdomitas, tot receptos in iuuenta, aut ſpretos triumphos iam ſenior peregrinationis ſuburbanæ inane præmium peteret.

VANITATIS notam merito incurrit ille; qui poſt præclariſſimos in iuuentute conſequutos honores, aut ſpretos; iam ſenior, inane præmium, & futilem gloriam ſequitur. Non ſic

Petrus

Petrus Soderinus ; *qui cum Vexillifer Florentiæ fuiſſet, atque eo gradu, qui ea tempeſtate maximus Florentiæ erat, deiectus, Romam ſe contuliſſet; maluit reliquum vitæ tempus in otio priuato degere; quam eos honores, quos ſibi* L E O. X. P O N T. M A X. *magna animi munificentia offerebat, accipere. Vtpote minores multo prioribus, quos in iuuentute geſſerat. Vide Paulum Iouium in Elogio eius. lib. v.*

Sub idem tempus, vt mors Sulpitij Quirinij publicis exequijs frequentaretur, petiuit a ſenatu. Nihil ad veterem & patritiam Sulpitiorum familiam. Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuuium, ſed impiger militię, & acribus miniſterijs conſulatum ſub diuo Auguſto, mox, expugnatis per Ciliciam Homonadenſium caſtellis, inſignia triumphi adeptus,

I *MPIGRI militia, acribus miniſterijs quoſcunque honores velint, ſub Principe adipiſci poſſunt.*

datusq. rector C. Cæſari Armeniam obtinenti.

V *ETVS ſemper fuit mos, vt ſupra etiam obſeruauimus, & iure merito, vt principibus iuuenibus darentur rectores viri aliqui longa experientia, & virtute probati.*

Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat:

N *VMQVAM ſic preſentium dominorum curam habeas, vt ſucceſſorum eam abijcias. Sed temperate agendo prudens Aulicus cum preſentibus debitum obſequium ſeruet, futuros tamen colat: quantum ſalua fide ei licet. Romæ hoc eſt vtiliſſimum præceptum: vt ſupra etiam obſeruauimus.*

quod tunc patefecit in ſenatu, laudatis in ſe officijs, & incuſato M. Lollio, quem auctorem C. Cæſari prauitatis & diſcordiarum arguebat.

M *AGNAM pœnam certe merentur, qui ſunt inter Principes, præſertim affines; prauitatis, & diſcordiarum auctores. Sicut econuerſo non ſatis vnquam laudari poſſunt, qui amicitiam, & concordiam inter eos generare ſtudent, & enituntur.*

ſed ceteris haud læta memoria Quirinij erat, ob intenta, vt memoraui, Lepidæ pericula, ſordidamq. & præpotentem ſenectam. Fine anni C. Lutorium Priſcum equitem Romanum poſt celebre carmen, quo Germanici ſuprema defleuerat, pecunia donatum à Cęſare,

D *EBET Princeps ſemper liberalitate, & munificentia proſequi eos qui virtutibus operam impendunt: & in eius laudem ingenium exercent. Vt hoc modo ceteri ab inertia & deſidia excitentur.* Honos enim alit virtutes, & præmia fouent artes bonas. *Hac in re excelles mirifice* S I X T V S V. P. M. *Et multa exempla huius rei de illo poſſent adduci; quæ tamquam nota omnibus, omitto: vt illud in* Guilielmo Blanco Albienſi, *cui ob aliquot carmina in ſui laudem compoſita, & pecuniam, & prioratum in Gallia donauit: Eum etiam motuproprio in Cubiculariorum intimorum, qui Honorarij appellantur cœtum adſcribendo.*

corripuit delator, obiectans ægro Druſo compoſuiſſe, quod ſi extinctus foret, maiore præmio vulgaretur. Id C. Lutorius in domo P. Petronij, ſocru eius Vitellia coram, multisq. inluſtribus feminis per vaniloquentiam legerat.

A *Vaniloquentia caueant omnes prudentes Aulici: multos enim illa peſſundat. Et Romæ præſertim ſatius eſt, ſe exibere attentum aliorum auditorem; quàm eloquentem propriorum ſenſuum enunciatorem. Sic infra lib. xiiij. Annal. inquit Auctor de Antiſtio prætore: probroſa aduerſus Principem carmina factitauit, vulgauitq. celebri conuiuio, dum apud Oſtorium ſcapulam epulatur.*

Vt delator extitit, ceteris ad dicendum teſtimonium exterritis, ſola Vitellia nihil ſe audiuiſſe adſeuerauit.

P *OTIVS egregia & laude quodammodo digna ſunt ea mendacia, quibus alicui innocenti ſalutem comparamus; quam flagitioſa, & mala. Idem Auctor infra lib. iiij. Hiſt. inquit: Seruus egregio mendacio ſe eſſe Piſonem reſpondit, ac ſtatim obtruncatur.*

Sed arguen

Sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit.

IN rebus quæ ſpectant crimen læſæ maieſtatis, ſemper creditur plus teſtibus contra reum, quàm pro reo deponentibus. Sic lib. xiiij. Annal. inquit Auctor: Et cum Oſtorius nihil audiuiſſe pro teſtimonio dixiſſet, aduerſis teſtibus creditum,

Sententiaq. Haterij Agrippæ conſulis deſignati indictum reo vltimum ſupplicium. Contra M. Lepidus in hunc modum exorſus eſt. Si P. C. vnum id ſpectamus, quàm nefaria voce C. Lutorius Priſcus mentem ſuam, & aures hominum polluerit,

POLLVIT mentem ſuam prius, poſtea aures hominum, quicumque de Principe obloquitur.

neque carcer, neque laqueus, ne ſeruiles quidem cruciatus in eum ſuffecerint. Sin flagitia & facinora ſine modo ſunt, ſupplicijs ac remedijs principis moderatio, maiorumq. & veſtra exempla temperant, & vana a ſceleſtis, dicta a maleficijs differunt:

PRINCIPEM, & Iudicem in puniendo oportet eſſe prudentem, & diſcretum. Nam delictorum, vana a ſceleſtis, dicta a maleficijs differunt. Sceleſta enim & maleficia quidem atroci ſupplicio ſunt vindicanda: vana vero, & dicta mediocri caſtigatione debent corrigi: niſi forte dicta impie in Deum, aut ſeditioſe in Rempub. vel Principem fuiſſent iacta. Tunc enim æquantur maleficijs.

eſt locus ſententiæ per quam neque huic delictum impune ſit, & nos clementiæ ſimul ac ſeueritatis non pœniteat.

IN ſententijs ferendis, laudabilis multum eſt moderatio: ob quam nec delicta impune ſint; nec iudicem clementiæ ſimul, & ſeueritatis pœniteat: quæ in vno iudice ſimul eſſe poſſunt. In hanc ſententiam Auctor & infra lib. xiiij. Annal. inquit: Eſſe pœnas legibus conſtitutas, quibus ſine iudicum ſæuitia, & temporum infamia ſupplicia decernerentur.

Sępe audiui principem noſtrum conquerentem, ſi quis ſumpta morte, miſericordiam eius præueniſſet. Vita C. Lutorij in integro eſt, qui neque ſeruatus in periculum Reipub. neque interfectus in exemplum ibit. ſtudia illi, vt plena vecordiæ, ita inania & fluxa ſunt;

QVAE ſtudia ſunt plena vecordiæ, eadem ſunt inania & fluxa. Et ex hac Lepidi oratione obſeruent Principes quòd ſicut flagitioſum hominem ſeruare, eſt Reipub. periculum creare: ita clementia & ornamentum, & ſalus eſt omnium Principum. Proinde ſumma prudentia eſt vtendum in infligendis pœnis: cum tranſeant in exemplum.

nec quicquam graue, ac ſerium ex eo metuas, qui ſuorum ipſe flagitiorum proditor, non virorum animis, ſed muliercularum adrepit.

NIHIL graue ac ſerium ex eo eſt metuendum qui ſuorum ipſe flagitiorum proditor, non virorum animis, ſed muliercularum adrepit.

cedat tamen vrbe, & bonis amiſſis aqua & igni arceatur. Quod perinde cenſeo, ac ſi lege maieſtatis teneretur. Solus Lepido Rubellius Blandus e conſularibus adſenſit. Ceteri ſententiam Agrippæ ſecuti. Ductusq. in carcerem Priſcus, ac ſtatim exanimatus.

MIRVM non eſt, ſi in dubia re ſententiæ maioris partis ſemper inclinent, quo voluntas principis fertur. Adeo prona ſunt in adulationem omnia: præſertim in Principatus primordijs, vt ſupra non ſemel obſeruauimus.

Id Tiberius ſolitis ſibi ambagibus apud ſenatum incuſauit,

AGERE per ambages verborum, & actionum, ſemper maxima afferet Principi commoda. Sic enim fiet, vt nemo illius interiores ſenſus recte percipere valeat, nec ei dominari. Et notanda eſt Tiberij ars: qui incuſabat adulatores: vt clementiam in ſe eſſe palam faceret, non impediebat tamen, quin punirentur qui eum offendebant. Et ſic talibus ambagibus, abſque inuidia nominis ſui, ſibi ipſi conſulebat.

cum ex-

cum extolleret pietatem quamuis modicas principis iniurias acriter vlciſcentium.

*E*ST *pietatis proprium, vlciſci iniurias Principis, quamuis modicas. Sed quia ſunt tria hæc verba, quæ multum referunt, & diſtant inter ſe, Pietas, Sanctitas & Religio: vide de omnibus his Platonem in Alcibiade 2. & ſuper eo Marſ. Ficin. in Argum.*

deprecaretur tam præcipitis verborum pœnas,

*C*VM *ſint, ſecundum Homerum, voces pennatæ: & vt ait Horatius grauiſſime: Lapſum volet irreuocabile verbum: multum, & multum oportet, vt nos in loquendo noſmetipſos circumſpiciamus. Præſertim ſi verba noſtra pœnam alicui irrogant. Hoc enim modo cauebimus a damno irreparabili, quod incurrunt præcipites iudices, qui pœnas verbis ſtatim important.*

laudaret Lepidum, nec Agrippam argueret. Igitur Factum S. C. ne decreta patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur, idq. vitæ ſpatium damnatis prorogaretur.

*V*ANA *& fruſtratoria ſunt decreta omnia, quæ in ſpeciem a Principe conduntur: ſi ipſe primus ea exemplo ſuo ſeruari non doceat.*

Sed non ſenatui libertas ad pœnitendum erat,

*C*VM *Iudici poſt latam ſententiam de alicuius fama, vel capite, libertas ad pœnitendum non detur; diligenter quantum poteſt, perpendere omnia debet, antequam illam ferat.*

neque Tiberius interiectu temporis mitigabatur.

*S*AEVITIAE *hoc eſt proprium, & inclementiæ, vt temporis interiectu non mitigetur. De eodem Tiberio infra lib.vi. Annal. Auctor inquit: Non enim Tiberium, quamquam triennio poſt cædem Seiani, quæ ceteros mollire ſolent, tempus, preces, ſatias mitigabant, quin incerta, vel abolita pro grauiſſimis & recentibus puniret.*

C.Sulpitius, D. Haterius conſules ſequuntur. Inturbidus externis rebus annus, domi ſuſpecta ſeueritate aduerſum luxum, qui immenſum proruperat ad cuncta, quis pecunia prodigitur.

*S*AEPE *hoc accidit in magnis ciuitatibus, vt cum inturbida ſint externis rebus tempora, domi luxus ad immenſa prorumpat ad cuncta, quis pecunia prodigitur. Nec mirum, nullum enim ſibi præfinit finem, nec terminum luxuria, vbi ſemel introijt.*

Sed alia ſumptuum quamuis grauiora, diſſimulatis plerumque pretijs occultabantur,

*Q*VAE *ſunt grauiora ſumptuum vitia, ea fere ſemper diſſimulatis pretijs occultantur.*

ventris, & ganeæ paratus adſiduis ſermonibus vulgati, fecerant curam, ne princeps antiquæ parſimoniæ durius aduerteret.

*S*VMPTVVM *ea, quæ magis mortalium oculis ſunt expoſita, & maius ſcandalum afferunt, ea vulgata faciunt curam, vt Princeps duriùs aduertat: & antiquam parſimoniam renouet. Quæ eſt ſcientia vitandi ſumptus ſuperuacuos, aut ars re familiari moderate vtendi, vt eſt apud Senecam lib.7.de Benef. cap.34.*

Nam incipiente C. Bibulo, ceteri quoque ædiles diſſeruerant, ſperni ſumptuariam legem,

*A*LIAS *dixi, & nunc repeto: cauendum eſſet principi, & magiſtratui, qui Rempub. regit, ne leges ſpernantur. Inde enim vniuerſa imperij moles corruit.*

vetitaq. vtenſilium pretia augeri in dies, nec mediocribus remedijs reſiſti poſſe.

*Q*VANDO *ad ſummum mala creuerunt, mediocribus remedijs reſiſti non poteſt: & tunc acria adhiberi debent.*

& conſulti patres integrum id negotium ad principem diſtulerant. Sed Tiberius ſæpe apud ſe penſitato, an coerceri tam profuſæ cupidines poſſent:

PRINCEPS apud ſe penſitare debet ſemper, cum aliquid magni momenti agit, quid ſit id, de quo agit, quomodo id agendum, an agendum: poſſit nec ne id perficere: & ceteras omnes circumſtantias, ſine quibus negotia ad rectum non perducuntur finem: ne attrectata, & non conſecuta finem, indecora illi euadant.

num coercitio plus damni in Rempub. ferret,

QVID eſt in cauſſa, quòd coercitio flagitiorum attrectata in Repub. nec ad finem perducta, plus damni, quam vtilitatis in eam inferat? ea forſan, quòd proborum hominum inſufficientia, & impoſſibilitas in corrigendis ſceleſtis palam ſit: vnde flagitioſis creſcit audacia, probis vero pudor, & dolor oritur.

quàm indecorum adtrectare, quod non obtineretur,

NON tam Principibus, quàm Aulicis omnibus, qui exiſtimationem ſuam conſeruare, & augere apud homines cupiunt, vtiliſſimum & neceſſarium eſt hoc præceptum: Indecorum eſſe, attrectare, quod obtineri nequeat.

vel retentum ignominiam & infamiam virorum inluſtrium poſceret:

NVMQVAM laudabitur ille, qui ad finem ſuum peruenit cum ignominia & infamia virorum illuſtrium. Media enim talia eſſe debent, quales fines, ſecundum Philoſ. in lib. ij. & iij. Ethic. Si finis eſt bonus, medijs bonis ad illud contendendum. Secus agere, viri boni non eſt officium.

poſtremo litteras ad ſenatum compoſuit, quarum ſententia in hunc modum fuit:

SENTENTIARVM pleniſſima eſt hac Tiberij epiſtola: quæ vice oraculorum omnibus Principibus eſſe poſſent: proinde diligenter eſt obſeruanda.

Ceteris forſitan in rebus P. C. magis expediat me coram interrogari, & dicere quid e Rep. cenſeam. In hac relatione ſubtrahi oculos meos melius fuerit, ne denotantibus vobis ora, ac metum ſingulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipſe etiam viderem eos, ac velut deprehenderem.

CVM ſententia in voce profertur ab aliquibus, ora ſingulorum denotari poſſunt, atque ipſi argui & velut deprehendi. Secus eſt, cum oculi ſubtrahuntur: nam tunc liberius & loqui, & votum ſuum enunciare quiſque poteſt. Et hic calliditas Tiberij eſt aduertenda. Qui cum ſciret vitiorum, de quorum coercitione relatum erat, multos eſſe in ſenatu reos, maluit per litteras agere cũ Senatu abſens, quam præſens aſpectu ſuo offendere illos, qui vitiorum ipſorum erant in ſenatu ſuſpecti. Cum vix fieri potuiſſet, vt qui ſub ipſius Principis oculis accuſati fuiſſent, non ſeipſos rubore indicaſſent eſſe tali in flagitio deprehenſos.

Quòd ſi mecum ante viri ſtrenui ædiles conſilium habuiſſent, neſcio an ſuaſurus fuerim omittere potius prævalida, & adulta vitia, quàm hoc adſequi, vt palam fieret, quibus flagitijs impares eſſemus.

PRVDENTIS Principis eſt, omittere potius adulta, & præualida vitia, quàm hoc adſequi, vt palam fiat, quibus vitijs impar ſit. Inde enim oriretur ſui contemptus.

Sed illi quidem officio functi ſunt, vt ceteros quoque magiſtratus ſua munia implere velim.

OMNIVM magiſtratuum hoc eſt officium, implere ſua munia. Quæ verba plus referunt, quàm aliqui exiſtiment. Adeo vt in hoc ſolo vniuerſi orbis ſalus conſiſtat, nempe præficere magiſtratui virum, qui ſciat, & velit munia ſua implere.

Mihi

Mihi autem neque honeſtum ſilere, neque proloqui expeditum.

IN ancipiti res verſantur, cum Principi neque ſilere honeſtum eſt, nec proloqui expeditum. In hoc caſu prudentia magna requiritur.

quia non ædilis, aut prætoris, aut conſulis partes ſuſtineo. Maius aliquid aut excelſius a principe poſtulatur: & cum recte factorum ſibi quiſque gratiam trahat, vnius inuidia ab omnibus peccatur.

INTER cętera onera, quæ principale faſtigium comitantur, hoc non eſt leuiſſimum; quòd ab illo in rebus gerendis maius aliquid & excelſius poſtulatur, cum ipſe ſolus ſingulorum magiſtratuum onera ſuſtineat: adeo vt recte factorum quiſque ſibi gratiam trahat, & vnius illius inuidia ab omnibus peccetur: & omnia, quæ in Repub. ſiniſtre eueniunt, illius ſolius culpæ aſcribi ſoleant.

Quid enim ptimum prohibere, & priſcum ad morem recidere adgrediar?

IN reformandis gentium moribus, multum diſcretionis adhibere oportet, qui regit. Nam nec ſtatim, nec omnia vno tempore effici poſſunt. Alloquin turbas, & tumultus magnos dabit. Sed ſenſim agere oportet: vt prudentiſſime ſicut omnia a leuibus incipiendo, & quaſi aliud agere vellet; fecit & pergit facere SIXTVS. V. PONT. MAX.

Villarum ne infinita ſpatia, familiarum numerum, & nationes? argenti & auri pondus? æris, tabularumq. miracula? promiſcuas viris & feminis veſtes? atque illa feminarum propria, quis lapidum cauſſa pecuniæ noſtræ ad externas, aut hoſtilis gentes transferuntur?

IN his fere verſatur, & conſiſtit omnis huius mundi luxus: Nempe villas habere infiniti ſpatij, familiarum numerum magnum, & nationes diuerſas, argenti & auri grande pondus, æris, tabularumq. miracula, veſtes viris cum feminis promiſcuas: feminarumq. ſuarum propria habere illa, quis lapidum cauſſa pecunia virorum ad externas, ſeu hoſtiles gentes transferuntur. Quod vltimum hercle eſt ceteris omnibus magis pudendum. Et a Principe hac in re maxima adhiberi cura deberet, ne ſuccederet.

Nec ignoro in conuiuijs, & circulis incuſari iſta, & modum poſci. Sed ſi quis legem ſanciat, pœnas indicat, ijdem illi ciuitatem verti, ſplendidiſſimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt.

QVI indicant de regimine Principum, quod ſæpe fit in conuiuijs, & circulis; incuſant multa, & modum eis poſcunt. Sed ſi Princeps legem ſuper illis rebus ſanciat, pœnas indicat; ijdem illi ciuitatem verti, ſplendidiſſimo cuiq. exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt. Naſcitur hoc a diuerſitate ſtatus Principis, & populi indicantis. Cum enim hic trutina alia, quam oporteat, Principum facta ponderet; mirum non eſt, ſi in iudicio de illis ferendo, toto, vt dicitur, cælo aberrat.

Atqui ne corporis quidem morbos veteres, & diu auctos, niſi per dura & aſpera coerceas. Corruptus ſimul & corruptor, æger & flagrans animus haud leuioribus remedijs reſtinguendus eſt, quam libidinibus ardeſcit.

VTILISSIMVM pro omnibus dominantibus dogma eſt hoc, a metaphora agrorum ſumptum. Nempe quòd corporis morbi veteres, & diu aucti, niſi per dura & aſpera non coercentur: ita & corruptus ſimul & corruptor, animus æger & flagrans haud leuioribus remedijs reſtinguendus eſt, quam libidinibus ardeſcat.

Tot a maioribus repertæ leges, tot quas diuus Auguſtus tulit, illæ obliuione, hæ quod flagitioſius eſt, contemptu abolitæ ſecuriorem luxum fecere.

EX obliuione, & contemptione legum, efficitur ſecurior luxus. Quæ duæ conditiones ſunt, ob quas omnes leges abolentur. Sed contemnere eas, eſt flagitioſius, quam obliuiſci. Nam vt ſupra obſeruauimus, omnis Reſpub. & Principatus intercidet, in qua leges contemnentur.

O 2 Nam ſi

Nam ſi velis quod nondum vetitum eſt, timeas ne vetere. At ſi prohibita impune traſcenderis, neque metus vltra, neque pudor eſt.

Si velis quod nondum vetitum eſt, timeas ne vetere: hoc eſt, poteſt ſperari de te, quòd ſimulac cognoueris id eſſe lege vetitum, ab illo abſtineas: at ſi prohibita impune tranſcenderis, neque metus vltra, neque pudor eſt. Quæ duo, ſunt maxima vitiorum fræna.

Cur ergo olim parſimonia pollebat? quia ſibi quiſque moderabatur.

Ibi parſimonia pollet, vbi ſibi quiſque moderatur, & ſibi quiſque lex eſt: & honeſta ſuopte ingenio petuntur. Rarum noſtra tempeſtate exemplum in SIXTO V. habemus: qui etſi ad ſummum Pontificatus faſtigium euectus eſt, nihil tamen ex antiqua ſua parſimonia, & frugalitate relaxauit.

quia vnius vrbis ciues eramus.

Ciuem vnius vrbis eſſe, intelligi debet, patrios mores, & inſtituta maiorum retinere: nec in peregrinas viuendi rationes tranſire: vnde oritur corruptio Rerumpublicarum. Hac de cauſſa motus Licurgus Spartanorum Rex, in ſuis legibus vetuit aurum & argentum a Spartanis exerceri: vt ſic peregrinis incitamenta merces ibi aduehendi auferendo, ſuos ciues integros ab externorum morum colluuia conſeruaret.

ne inritamenta quidem eadem intra Italiam dominantibus.

Vbi ſunt vitiorum irritamenta, eſt rara virtutis ab illis ſe abſtinere. Vnde illud beati Gregorij dictum: Magnum eſt Romæ bene vixiſſe.

Externis victorijs aliena, ciuilibus etiam noſtra conſumere didicimus.

Hoc ſemper euenire ſolet, vt externis victorijs aliena, ciuilibus noſtra conſumere diſcamus.

Quantulum iſtud eſt, de quo ędiles admonent? Quàm, ſi cetera reſpicias, in leui habendum.

Ridiculum eſt, cum maxima nos premant mala, leniora velle curare, & illa negligere.

At hercule nemo refert quòd Italia externæ opis indiget.

Felix eſt ille principatus, qui nihil alienæ opis indiget: & totus a ſe pendet. Et hoc idem de vnoquoque Aulico virtute prædito, & ſtrenuo dici poteſt.

quòd vita populi Romani. per incerta maris & tempeſtatum quotidie voluitur.

Qui amari & ventis ſubſidia vitæ ſuæ neceſſaria expectat, dici poteſt: Quòd eius vita per incerta maris, & tempeſtatum quotidie voluatur. Ideo præcipuam ſemper curam adhibeat Princeps, ne ea prouincia, vel ciuitas, quæ ſui imperij eſt ſedes, & caput, hoc malo laboret: ſed omnia ad victum neceſſaria abunde illi ſuppetant, abſque externæ opis auxilio. hæc enim omiſſa funditus Rempublicam trahet.

ac niſi prouinciarum copiæ & dominis & ſeruitijs, & agris ſubuenerint, noſtra nos, ſcilicet, nemora, noſtræq. villæ tuebuntur?

Cum rerum omnium aliæ parentur ad neceſſarios vſus, aliæ vero ad voluptatem: illarum prior ratio eſt ſemper habenda.

Hanc P. C. curam ſuſtinet princeps. Hæc omiſſa funditus Rempub. trahet. reliquis intra animum medendum eſt.

Vitiis, quæ mortales premunt, intra animum medicina adhibenda eſt. Ibi enim eſt illorum ſedes.

Nos pudor

Nos pudor, pauperes neceſſitas, diuites ſatias in melius mutet.

HAEC ſunt remedia a natura prouidentia omnibus hominibus data, quibus vitia ipſi expellere, aut imminuere poſſunt. Principes quidem, pudor: Pauperes, neceſſitas; Diuites ſatias in melius mutare debet. Et ſic omnium legum auxilium ſuperfluum erit: cum in ſe quiſque legem & remedium habeat.

Aut ſi quis ex magiſtratibus tantam induſtriam ac ſeueritatem pollicetur, vt ire obuiam queat, hunc & laudo, & exonerari laborum meorum partem fateor.

VITIIS itur obuiam ſeueritate, & induſtria. Hac prouidet ne peccetur; illa peccata plectit.

Sin accuſare vitia volunt, dein cum gloriam eius rei adepti ſunt, ſimultates faciunt, ac mihi relinquunt.

REPERIVNTVR multi huius natura, vt vitia in vniuerſum accuſent: dein cum gloriam eius rei adepti ſunt, ſimultates faciant, & eas principibus relinquant. Quod non eſt laudandum.

Credite P. C. me quoque non eſſe offenſionum auidum:

NEMO, præſertim Princeps, debet eſſe offenſionum auidus. Cum pulcherrimus ſit hominis theſaurus, Gentium amor. Obſeruet etiam id Romanus aulicus prudens; cum præcipuum in Romana aula progrediendi præceptum ſit, Neminem lædere, & vnius cuiuſque gratiam ſibi conciliare.

quas cum graues, & plerumque iniquas pro Rep. ſuſcipiam, inanes & inritas neque mihi aut vobis vſui futuras iure deprecor.

EST quidem fortis principis, & ciuis amantis patriæ: graues offenſiones, & plerumque iniquas pro Repub. ſuſcipere. Sed inanes atque irrita neque ipſi neque ciuibus vſui futuræ, merito fugiendæ illi ſunt.

Auditis Cæſaris litteris, remiſſa ædilibus talis cura. luxusq. menſæ a fine Actiaci belli, ad ea arma, quîs Serg. Galba rerum ſummam adeptus eſt, per annos centum profuſis ſumptibus exerciti paulatim exoleuere. Cauſas eius mutationis quærere libet. Dites olim familiæ nobilium, aut claritudine inſignes ſtudio magnificentiæ prolabebantur.

PROPRIVM eſt animi nobilis, & claritudine inſignis; prolabi ſtudio magnificentiæ: præſertim cum ſuppetunt diuitiæ.

Nam etiam tum plebem, ſocios, regna colere, & coli licitum: vt quiſque opibus, domo paratu ſpecioſus, per nomen & clientelas inluſtrior habebatur.

NON eſt dubium, quod vt quiſque domo, opibus & paratu eſt ſpecioſus; eo inluſtrior habeatur per nomen, & clientelas.

Poſtquam cædibus ſæuitum, & magnitudo famæ exitio erat, ceteri ad ſapientiora conuertere:

SVB tyrannico ſtatu, magnitudo famæ eſt exitio. Inde callidum illud Bruti conſilium ſe ſtultum ſimulantis ſub Tarquiniorum dominatu. Et hæc magnitudo famæ his potiſſimum tribus de cauſſis alicui paratur: Fortitudine, Sapientia, & Iuſtitia. Fortes metuit Tyrannus, ne aliquid audeant libertatis amore: Sapientes, ne quid machinentur: Iuſtos vero, ne multitudo cupiat ſe ab illis gubernari. Xenophon copioſe de his omnibus, in Hierone, ſiue Tyranno.

Simul noui homines e municipijs & colonijs, atque etiam prouincijs in ſenatum crebro adſumpti domeſticam parſimoniam intulerunt. & quamquam fortuna vel induſtria plerique pecunioſam ad ſenectam peruenirent, manſit tamen prior animus.

NOVI homines, qui ad magnam aliquam dignitatem euehuntur, fere ſemper domeſticam parſimoniam in illo ſtatu retinent. Et quamuis fortuna, vel induſtria ad pecunioſam ſenectam

peruenient; manet tamen illis prior animus. Et duobus his modis magna parantur diuitiæ: Induſtria, & proſperitate temporum: quæ ab antiquis falſo nomine fortuna appellabatur.

Sed præcipuus adſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu victuq. obſequium inde in principem, & æmulandi amor, validior quam pœna ex legibus & metus:

SI Nulla alia ratione & cauſa impellerentur Principes ad recte agendum, & virtutem colendam: hac ſola certe deberent moueri: quia ex eorum exemplo cadit in ſubditos obſequium, & æmulandi amor, validior, quàm pœna ex legibus, aut metus.

niſi forte rebus cunctis ineſt quidam velut orbis, vt, quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur;

INEST rebus cunctis quidam velut orbis; vt quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur. Et hac ſemper fuit ſapientiorum opinio.

nec omnia apud priores meliora, ſed noſtra quoque ætas multa laudis & artium imitanda poſteris tulit.

NON ſemper omnia ſunt apud priores meliora; ſed noſtra quoque atas multa laudis & artium immitanda poſteris fert.

verum hæc nobis maiores: certamina ex honeſto maneant.

LAVDABILE eſt, poſteros certare cum maioribus virtute, & probitate: & hic locus corruptus eſt.

Tiberius fama moderationis parta, quòd ingruentis accuſatores repreſſerat, mittit literas ad ſenatum, quîs poteſtatem tribunitiam Druſo petebat. Id ſummi faſtigij vocabulum Auguſtus reperit, ne regis aut dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliqua cætera imperia præmineret.

PRINCEPS nouus, vt ſupra annotauimus, debet reperire aliquod vocabulum ſummi faſtigij, quo cetera imperia ciuium præmineat appellatione: ſed ea quæ ſunt populo odioſa, nullo modo aſſumere. Exemplo Cæſaris edoctus, quam ſint pernicioſa: Regis enim nomen, illi mortis cauſa fuit: vt ſupra dictum eſt.

Marcum deinde Agrippam ſocium eius poteſtatis; quo defuncto, Tiberium Neronem delegit, ne ſucceſſor in incerto foret ſic cohiberi prauas aliorum ſpes rebatur,

QVANDIV ſucceſſor eſt in incerto, praua multorum ſpes aluntur. Sed poſtquam ille delegitur, cohibentur penitus.

ſimul modeſtiæ Neronis, & ſuæ magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo Tiberius Druſum ſummæ rei admouet,

DEBET ſemper in mente habere omnia acta, & exempla præceſſoris, princeps nouus. Cum enim iiſdem artibus imperia conſeruentur, quibus acquiruntur; poterit quoties ipſi conducet, ad illa recurrere: & conſilia ſua dirigere.

cum incolumi Germanico integrum inter duos iudicium tenuiſſet.

PRINCEPS ſemper inter ſuos propinquos pari affinitate ſibi connexos, integrum debe t tenere iudicium. Cum enim poſtpoſiti contumelia incendantur: vt Auctor ſupra dixit, poſſet tumultus concitare illi, quem ipſe præteriret.

Sed principio literarum veneratus deos, vt conſilia ſua Reip. proſperarent,

VENERATIO Deorum in principio literarum Principis eſt adhibenda: vt conſilia ſua Reipub. proſperent. hoc ſolent Pontifices facere in principijs Conſtitutionum, & Bullarum (ſic eas appellant) ſuarum.

modica

modica de moribus adoleſcentis, neque in falſum aucta retulit:

VERACEM decet in ſermone eſſe & in litteris Principem: præſertim cum de aliquo ſententiam ſuam profert. alias fidem amittet.

eſſe illi coniugem & tres liberos, eamq. ætatem, qua ipſe quondam a diuo Auguſto ad capeſcendum hoc munus vocatus ſit. Neque nunc propere, ſed per octo annos capto experimento, compreſſis ſeditionibus, compoſitis bellis, triumphalem & bis conſulem, noti laboris participem ſumi.

AD dignitates magnas, propere non debent iuuenes promoueri: ſed per aliquot annos capto experimento eorum, poſtea debent ſumi participes noti laboris a Principe. Quòd diligentiſſime obſeruauit SIXTVS. V. erga quoſdam iuuenes, quos noluit promouere, etſi maxime a multis Principibus efflagitarentur, niſi prius dediſſent ſui experimentum per aliquod tempus in aula Romana. Et hic obſeruandum eſt, quod Principis perſonam ſuſtinere: eſt ſemper in labore degere: nam qui Princeps ſecus facit, & ſe voluptatibus & delitijs emancipat; iam Principis perſonam exuit, & viliſſimam, & contemnendam induit.

Præceperant animis orationem patres, quo quæſitior adulatio fuit:

CVM animis præcipitur oratio Principis, quæſitior inde eſt adulatio.

nec tamen repertum, niſi vt effigies principum, aras deum, templa & arcus, aliaq. ſolita cenſerent, niſi quod M. Sillanus ex contumelia conſulatus, honorem principibus petiuit:

EX contumelia vnius dignitatis, petere honorem alteri; indecorum eſt. Huc pertinet illud, quod infra in perſona Neronis inquit auctor, lib. xiij. Annal. Quod ſi maxime continentia tua laudetur, non tamen ſapienti viro decorum fuerit, vnde amico infamiam parit, inde gloriam ſibi recipere.

dixitq. pro ſententia, vt publicis, priuatisq. monimentis, ad memoriam temporum, non conſulum nomina præſcriberentur, ſed eorum qui tribunitiam poteſtatem gererent.

DVRAT etiam num hodie hic mos, vt publicis, & priuatis monimentis ad memoriam temporum præſcribantur nomina Principum eorum, ſub cuius ditione conficiuntur. Et eſt inter maximos honores, qui Principi alicui tribui poſſit.

Atque Haterius cum eius diei ſenatus conſulta aureis literis figenda in curia cenſuiſſet, derididiculo fuit, ſenex fœdiſſimæ adulationis tantum infamia vſurus.

VERISSIMVM eſt, quod etſi ab adulatione multa ſæpe veniunt commoda, præſertim Aulicis ea vafre vtentibus: tamen ea ſemper eſt fœdiſſima & inimiciſſima exiſtimationi. Et tractu temporis infamiam parit. Idq. præſertim in ſene, qui eam exerceat.

Inter quæ prouincia Africa Iunio Blæſo prorogata. Seruius Maluginenſis Flamen dialis, vt Aſiam ſorte haberet, poſtulauit, fruſtra vulgatum dictitans non licere Dialibus egredi Italia: neque aliud ius ſuum quàm Martialium, Quirinaliumq. Flaminum: porro ſi hi duxiſſent prouincias, cur dialibus id vetitum? nulla de eo populi ſcita, non in libris ceremoniarum reperiri. Sæpe Pontifices dialia ſacra feciſſe, ſi Flamen valitudine, aut munere publico impediretur. duobus & ſeptuaginta annis poſt Cornelij Merulæ cædem neminem ſuffectum: neque tamen ceſſauiſſe religiones. Quod ſi pet tot annos poſſit non creari, nullo ſacrorum damno, quanto facilius abſuturum ad vnius anni proconſulare imperium? Priuatis olim ſimultatibus effectum, vt a pontificibus maximis ire in prouincias prohiberentur: nunc deum munere ſummum Pontificum etiam ſummum hominum eſſe, non æmulatione, non odio, aut priuatis adfectionibus obnoxium.

DIGNVM certe eſt hoc obſeruatione. Si apud gentiles, quibus fidei lumen & veritatis nondum affulſerat, Summus Pontifex cenſebatur ſummus hominum, deum munere; non obnoxius æmulationi,

æmulationi, non odio, non affectibus priuatis: quanto magis hoc eſt præſtandum a Pontifice Maximo Chriſtianorum præſenti? Qui ſemper præ oculis habere debet pacem vniuerſi generis; & huc ſemper incumbere. Huc pertinent, quæ apud Guicciardinum lib. xvi. Hiſt. nomine CLEMENTIS VII. diſſerebantur a Ioanne Corſo *Florentino oratore cum* CAROLO. V. *Imperatore.*

Aduerſus quæ cum augur Lentulus, alijq. varie diſſererent, eo decurſum eſt, vt Pontificis Max. ſententiam opperirentur. Tiberius dilata notione de iure Flaminis, decretas ob tribunitiam Druſi poteſtatem cæremonias temperauit, nominatim arguens inſolentiam ſententię, aureasq. literas contra patrium morem.

MERETVR magnam laudem princeps, cum nimias in ſui honorem decretas cæremonias temperat: & inſolentiam ſententiarum arguit: & aureas literas contra patrium morem.

Recitatæ & Druſi epiſtolæ quamquam ad modeſtiam flexæ, pro ſuperbiſſimis accipiuntur.

SAEPE actionis alicuius, quamquam ad modeſtiam flexæ, pro ſuperbiſſimis accipiuntur.

Huc decidiſſe cuncta, vt, ne iuuenis quidem tanto honore accepto, adiret vrbis deos, ingrederetur ſenatum: auſpicia ſaltem gentile apud ſolum acciperet. Bellum, ſcilicet, aut diuerſo terrarum diſtineri, litora & lacus Campaniæ tum maxime peragrantem:

IVSTVM eſt, illum, qui abſens inſignem aliquem honorem vel beneficium ab altero adeptus eſt: dummodo poſſit ipſum adire & illi gratias agere. Per litteras enim id faciendi ſemper ſuperbe agere iudicabitur.

ſic imbui rectorem generis humani,

PRINCIPES, dicuntur & ſunt Rectores generis humani.

id primum e paternis conſilijs diſcere.

FILII creduntur, quæ gerunt, ea e paternis conſilijs diſcere.

Sane grauaretur aſpectum ciuium ſenex imperator, feſſamq. ætatem, & actos labores prætenderet: Druſo quod niſi ex adrogantia impedimentum?

IN ſene Principe multa excuſantur ob feſſam ætatem, & actos labores: quæ in iuuene arrogantiam indicant. Et hic in textu Auctoris nonnulla deſiderantur.

Sed Tiberius vim principatus ſibi firmans, imaginem antiquitatis ſenatui præbebat, poſtulata prouinciarum ad diſquiſitionem patrum mittendo.

PRINCEPS nouus, etſi ante omnia ſibi vim principatus firmare debet, tamen imaginem antiquitatis ſenatui, & ciuibus præbere ſtudeat; aliqua ad diſquiſitionem eorum mittendo: vt ſic eos declinat.

Crebreſcebat enim Græcas per vrbes licentia atque impunitas aſyla ſtatuendi. Complebantur templa peſſimis ſeruitiorum. Eodem ſubſidio obærati aduerſum creditores, ſuſpectiq. capitalium criminum receptabantur.

CAVERE debent Principes, & magiſtratus, ne inuenta ad honorem Dei, & regum: ſint ſubſidio ſceleſtis & facinoroſis hominibus: vt ſunt Aſyla, templa, & loca omnia religioſa.

Nec vllum ſatis validum imperium erat coercendis ſeditionibus populi,

CVM ſeditiò populi multum creuit, pauca ſatis valida inueniuntur imperia ad eam coercendam.

flagitia hominum vt cæremonias deûm protegentis.

SEMPER eſt exitialis, & praua, populi ſeditio omnis: ſed ea maxime, quæ protegit flagitia hominum, vt cæremonias Dei. Quod illi ex imperitia contingere ſolet: confundendo res contrarias; & ſimul miſcendo.

Igitur

Igitur placitum vt mitterent ciuitates iura, atque legatos. Et quædam, quod falſo vſurpauerant, ſponte omiſere.

QVI aliquid falſo vſurpant, melius ſibi conſulent, ſi prius ſponte illa ommittent, quàm coacti iure, aut legibus. Nullum enim habent ius vſurpatores.

Multæ vetuſtis ſuperſtitionibus, aut meritis in populum Romanum fidebant. Magnaq. eius diei ſpecies fuit, quo ſenatus maiorum beneficia, ſociorum pacta, regum etiam, qui ante vim Romanam valuerant decreta, ipſorumq. numinum religiones introſpexit,

VETVSTISSIMVM ius eſt, vt beneficia maiorum, & eorum merita poſteris proſint. Qua in re ſingularia exempla pro PIO. V. PONT. MAX. adduci poſſent: qui & memorem, & gratum ad ſummum, in Pontificatu ſuo ſe præſtitit erga poſteros illorum, qui vel minima in re ipſum quocumque vita ſua priuata ſtatu iuuiſſent.

libero, vt quondam, quid firmaret, mutaretue.

INNVIT hoc ad illud quod ſupra dixit. Sed Tiberius vim principatus ſibi firmus, imaginem antiquitatis ſenatui præbebat: &c.

Primi omnium Epheſij adiere memorantes, non, vt vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos; eſſe apud ſe Cenchrium amnem locum Ortygiam, vbi Latonam partu grauidam, & oleæ, quæ tum etiam maneat, adniſam, edidiſſe ea numina, deorumq. monitu ſacratum nemus. Atque ipſum illic Apollinem poſt interfectos Cyclopas Iouis iram vitauiſſe. Mox Liberum patrem bello victorem, ſupplicibus Amazonum, quæ aram inſederant, ignouiſſe.

SVPPLICES hoſtes, qui ad templa deorum confugiunt, ſeruari debent.

Auctam hinc, conceſſu Herculis, cum Lydia potiretur, cærimoniam templo, neque Perſarum ditione diminutum ius. Poſt Macedonas, dien nos ſeruauiſſe. Proximo Magnetes, L. Scipionis, & L. Sullæ conſtitutis nitebantur. quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulſis, fidem, atque virtutem Magnetum decorauere, vti Dianæ Leucophryenæ perfugium inuiolabile foret.

SVBDITORVM, ac ſociorum fides, ac virtus decoranda ſemper ſunt, & honeſtanda.

Aphrodiſienſes poſthac, & Stratonicenſes dictatoris Cæſaris, ob vetuſta in parteis merita, & recens diui Auguſti decretum adtulere. Laudati quòd Parthorum inruptionem, nihil mutata in populum Romanum conſtantia, pertuliſſent.

QVI ob te hoſtis potentis tui vim perferunt, nihil mutata animi conſtantia, laudem, & præmium merentur.

Sed Aphrodiſienſium ciuitas, Veneris, Stratonicenſium, Iouis, & Triuiæ religionem tuebantur. Altius Hierocæſarienſes expoſuere Perſicam apud ſe Dianam, delubrum rege Cyro dicatum. & memorabantur Perpernæ. Iſaurici, multaq. alia imperatorum nomina, qui non modo templo, ſed duobus millibus paſſuum eandem ſanctitatem tribuerant. Exin Cyprij tribus delubris, quorum vetuſtiſſimum Paphiæ Veneri auctor Ærias, poſt filius eius Amathus Veneri Amathuſiæ, & Ioui Salaminio Teucer, Telamonis patris ira profugus, poſuiſſent. Audite aliarum quoque ciuitatum legationes. Quotum copia feſſi patres,

QVI ad multa & grauia negotia animum ſemper applicatum tenent; copia & dicacitate aliquorum hominum defatigantur. Et ideo prudens Aulicus cum talibus viris ſtudeat eſſe breuiſſimus in re ſua tractanda: ne hoc vitium incurrat, eos tædio afficiendi.

& quia ſtudijs certabatur.

MALE agitur, cum in diſceptatione aliqua inter partes magis ſtudijs certatur, quàm amore veritatis. Et tunc in Iudice requiritur magna prudentia, ad dignoſcendam veritatem.

conſulibus

conſulibus permiſere vt perſpecto iure, & ſi qua iniquitas inuolueretur, rem integram rurſum ad ſenatum referrent.

SIMILEM modum loquendi habes in Auctore infra lib. xiij. Annal. cum inquit: Cuius rei iudicium Princeps Senatui, Senatus Conſulibus permiſit.

Conſules ſuper eas ciuitates, quas memoraui apud Pergamum, Æſculapij compertum aſylum retulerunt: ceteros obſcuris ob vetuſtatem initijs niti.

ETSI nobilitatis præcipua hæc eſt dos, vt ſit antiqua: tamen non adeo vetuſta debet habere ſua initia, vt ſint obſcura.

Nam Smyrneos oraculum Apollinis, cuius imperio Stratonicidi Veneri templum dicauerint: Tenios eiuſdem carmen referre, quo ſacrare Neptuni effigiem, ædemq. iuſſi ſint. Propiora Sardianos, Alexandri victoris id donum: neque minus Mileſios Dario rege vti, ſed cultus numinum vtriſque Dianam, aut Apollinem venerandi. Petiere & Cretenſes ſimulacro diui Auguſti. Factaq. ſenatuſconſulta quis multo cum honore, modus tamen præſcribebatur. iuſſiq. ipſis in templis facere aras ſacrandam ad memoriam, neu ſpecie religionis in ambitionem delaberentur.

NONNVMQVAM multi ſpecie religionis, in ambitionem delabuntur. Quod deteſtabile eſt, & multa mala parere ſolet.

Sub idem tempus Iuliæ Auguſtæ valitudo atrox, neceſſitudinem principi fecit feſtinati in vrbem reditus, ſincera adhuc inter matrem filiumq. concordia, ſiue occultis odijs.

SAEPE cum inter aliquos videtur eſſe ſincera concordia, ſunt occulta odia: præſertim inter Principes.

Neque enim multo ante, cum haud procul theatro Marcelli effigiem diuo Auguſto Iulia dicaret, Tiberij nomen ſuo poſtſcripſerat. Idq. ille credebatur, vt inferius maieſtate principis, graui & diſſimulata offenſione abdidiſſe.

QVAE inferius maieſtate Principis agi videntur, ea Principes graui & diſſimulata offenſione abdunt, donec tempus proferendi veniat. Et iure offenditur Princeps, cum in publicis locis, illius imagini, vel nomini, alia alicuius Principis imago, ſiue nomen, nemine excepto, anteponitur. Inferius enim ſua maieſtate eſt.

Sed tum ſupplicia dijs ludiq. Magni ab Senatu decernuntur, quos Pontifices, & Augures, & Quindecim viri, Septem viris ſimul & ſodalibus Auguſtalibus ederent. Cenſuerat L. Apronius vt feciales quoque ijs ludis præſiderent. Contradixit Cæſar, diſtincto ſacerdotiorum iure, & repetitis exemplis. Neque enim vmquam fecialibus hoc maieſtatis fuiſſe. Ideo Auguſtales adiectos, quia proprium eius domus ſacerdotium eſſet, pro qua vota perſoluerentur. Exequi ſententias haud inſtitui, niſi inſignes per honeſtum, aut notabili dedecore. quod præcipuum munus annalium reor: ne virtutes ſileantur, vtq. prauis dictis factiſq. ex poſteritate & infamia metus ſit.

PROPRIVM & præcipuum annalium & hiſtoriæ munus eſt, exequi ſententias inſignes per honeſtum, aut notabili dedecore: ne virtutes ſileantur: vtq. prauis dictis, factiſq. ex poſteritate & infamia metus ſit.

Ceterum tempora illa adeo infecta, & adulatione ſordida fuere,

SEMPER euenit, vt ſub tyrannide, tempora ſint infecta, & ſordida adulatione: Libertas enim obeſt. Immo nec ſentire, quæ velis licet; nedum agere, quæ ſentis.

vt non modo primores ciuitatis, quibus claritudo ſua obſequijs protegenda erat,

DEBENT primores ciuitatis protegere claritudinem ſuam obſequijs erga Principem.

ſed omnes

ſed omnes conſulares, magna pars eorum, qui prætura functi, multiq. etiam pedarij ſenatores certatim exurgerent, fœdaq. & nimia cenſerent. Memoriæ proditur, Tiberium quoties curia egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui ſolitum: O HOMINES AD SERVITVTEM PARATOS.

HINC licet aduertere, quàm ſit vilis, & odioſa adulatio: eum Tiberius, ſuperbus alioquin tyrannus, & qui libertatem publicam nollet; tamen tam proiectam ſeruientium patientiam ſtomachabatur.

Scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectæ ſeruientium patientiæ tædebat.

NEMO debet mirari temporibus noſtris aliquos inueniri populos, erga dominantes demiſſe ſe gerentes, & iugum tolerantes: cum Romani, totius orbis victores, adeo fœde adularentur, & ſeruirent Tiberio, vt eum tam proiecta patientia taderet.

Paulatim dehinc ab indecoris ad infeſta transgrediebantur.

AB indecoris ſæpe fit tranſitus ad infeſta. Et hoc periculum ſemper incurrunt, qui a virtute declinant.

C. Sillanum proconſulem Aſiæ repetundarum à ſocijs poſtulatum Mamercus Scaurus e conſularibus, iunius Otho Prætor, Brutidius Niger Ædilis ſimul corripiunt, obiectantq. violatum Auguſti numen, ſpretam Tiberij maieſtatem. Mamercus antiqua exempla iaciens, L. Cottam a Scipione Africano, Ser. Galbam a Catone Cenſorio, P. Rutilium a M. Scauro accuſatos: videlicet Scipio & Cato talia vlciſcebantur, aut ille Scaurus, quem proauum ſuum, opprobrium maiorum Mamercus infami opera dehoneſtabat.

PRINCIPI nonniſi in rebus honeſtis eſt inſeruiendum. Et quid ſi inhoneſta iubeat? Ab eo proculdubio, dicant alij quidquid velint, eſt recedendum; & maiores ſuos dehoneſtant, qui infamem aliquam operam operantur: & vere dicuntur eorum opprobria.

Iunio Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit, mox Seiani potentia Senator, obſcura initia impudentibus auſis propolluebat.

NOVORVM hominum ſub Tyranno hæc eſt conſuetudo, vt obſcura initia impudentibus auſis propolluant: & audacia ſola maxima quaque aggrediantur.

Brutidium artibus honeſtis copioſum, & ſi rectum iter perageret, ad clariſſima quæque iturum.

QVI artibus honeſtis eſt copioſus, is ad clariſſima quaque, rectum iter peragendo, peruenire poteſt. Aulici Romani hoc obſeruent.

Feſtinatio extimulabat, dum æqualeis, dein ſuperiores, poſtremo ſuaſmet ipſe ſpes anteire parat.

SAEPE obeſt feſtinatio illi Aulico, qui primo æquales, dein ſuperiores, poſtremo ſuaſmet ipſe ſpes anteire parat. Quod fugiendum eſt illi, qui Romæ viuit, & progredi vult.

Quod multos etiam bonos peſſum dedit, qui ſpretis quæ tarda cum ſecuritate, præmatura, vel cum exitio properant.

PESSVNDANTVR multi boni ab importuna feſtinatione, dum ſpretis, quæ tarda cum ſecuritate, præmatura, vel cum exitio, præhabent.

Auxere numerum accuſatorum Gellius Publicola, & M. Paconius, ille quæſtor Sillani, hic legatus. Nec dubium habebatur, ſæuitiæ, captarumq. pecuniarum teneri reum. Sed multa adgerebantur etiam inſontibus periculoſa.

NON ſufficit inſontem eſſe, adhoc vt ſis bene ſub tyranno ſecurus: nam multa ibi inueniuntur periculoſa etiam innocentibus.

cum ſuper

cum ſuper tot ſenatores aduerſos, facundiſſimis totius Aſiæ, eoq. ad accuſandum delectis reſponderet ſolus, & orandi neſcius proprio in metu, qui exercitam quoque eloquentiam debilitat.

DEBILITAT exercitam quoque eloquentiam proprius metus: id eſt, qui ex proprio periculo naſcitur.

non temperante Tiberio, quin premeret voce, vultu, eo quòd ipſe creberrime interrogabat. Neque refellere, aut eludere dabatur. ac ſæpe etiam confitendum erat, ne fruſtra quæſiuiſſet.

ET quid ſpei habet reus ſub Tyranno? cum ſi ab eo interrogatur de crimine, confiteri id debeat, etſi innocens; ne fruſtra ipſe quæſierit?

Seruos quoque Sillani, vt tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat. Et ne quis neceſſariorum iuuaret periclitantem, maieſtatis crimina ſubdebantur, vinclum & neceſſitas ſilendi.

CVM maieſtatis crimen ſubditur, imponitur omnibus vinclum, & neceſſitas ſilendi: ne ſcilicet illo crimine videantur aſtricti.

Igitur petito paucorum dierum interiectu, defenſionem ſui deſeruit, auſis ad Cæſarem codicillis, quibus inuidiam & preces miſcuerat.

VERE audax eſt ſubditus ille, qui codicillos ad Principem componit, in quibus inuidiam, & preces miſcet. Sed in innocente oppreſſo, quæ libertas eſt noua, vel miranda?

Tiberius quæ in Sillanum parabat, quo excuſatius ſub exemplo acciperentur, libellos diui Auguſti de Voleſo Meſſalla eiuſdem Aſiæ proconſule, factumq. in eum ſenatuſconſultum recitari iubet. Tum L. Piſonem ſententiam rogat. Ille multum de clementia principis præfatus, aqua atque igne Sillano interdicendum cenſuit, ipſumq. in inſulam Gyarum relegandum. Eadem ceteri, niſi quòd Gn. Lentulus ſeparanda Sillani materna bona, quippe alia parente geniti, reddendaq. filio dixit, adnuente Tiberio. At Cornelius Dolabella dum adulationem longius ſequitur, increpitis C. Sillani moribus addidit, ne quis vita probroſus, & opertus infamia, prouinciam ſortiretur, idq. princeps dijudicaret.

CAVENDVM eſt maxime Principi, ne quis vita probroſus, & infamia opertus, dignitatem aliquam adipiſcatur: inde enim dedecus ipſi acquiritur. Ideo prudentiſſime SIXTVS V. in Conſtitutione de S. R. E. Card. creandorum numero, ætate, tempore, qualitate, & officio inter cetera capita inquit: Ne quis reſperſus alicuius criminis nota, vel infamia, ad id faſtigium peruenire poſſit.

Nam a legibus delicta puniri. Quanto fore mitius in ipſos, melius in ſocios, prouideri, ne peccaretur.

PVNIVNTVR quidem delicta a legibus. Sed melius foret, & mitius generi humano, prouidere, ne peccaretur.

Aduerſum quæ diſſeruit Cæſar: non quidem ſibi ignara, quæ de Sillano vulgabantur, ſed non ex rumore ſtatuendum.

NON eſt ſtatuendum ex rumore. Simile ſupra de Tiberio: Spernendis rumoribus validum.

multos in prouincijs, contra quàm ſpes aut metus de illis fuerit, egiſſe.

MVLTI in magiſtratibus, contra quàm ſpes aut metus de illis ſit, agunt. Et hinc concludendum eſt, quod numquam de hominum moribus, integrum poteſt ferri iudicium. Mutantur enim ſæpiſſime.

excitari

excitari quoſdam ad meliora magnitudine rerum, hebeſcere alios. neque poſſe principem ſua ſcientia cuncta complecti:

MAGNITVDINE rerum quidam homines excitantur ad meliora, hebeſcunt alij: neque poteſt Princeps omnia ſua ſcientia complecti.

neque expedire, vt ambitione aliena trahatur.

SI quemadmodum hoc verum eſt, quòd non expedit, vt Princeps aliena ambitione trahatur, ita a Principibus ſeruaretur; res humanæ equidem multo melius ſe haberent. Sed in pleriſque Aulis hodie ſecus accidit: non ſine magno bonorum mœrore, & Rerumpub. detrimento.

ideo leges in facta conſtitui, quia futura in incerto ſint.

HINC conſtituta ſunt leges in facta, quia futura in incerto ſunt.

ſic a maioribus inſtitutum, vt ſi antiſſent delicta, pœnæ ſequerentur.

VETVSTISSIMVM hoc eſt inſtitutum, vt ſi delicta anteeunt, pœnæ ſequantur. Vt econuerſo, cum egregia facta praceduut, præmia ſtatim ſuccedere deberent. Quod an hodie ſeruetur a Principibus, iudicent, quibus Aularum præcipuarum Europæ cognitio eſt.

ne verterent ſapienter reperta, & ſemper placita.

SAPIENTER reperta, & ſemper placita non debent verti.

ſatis onerum principibus, ſatis etiam potentiæ:

VT eſt ſatis potentia Principibus, ſic ſatis deberet eſſe onerum. Et hoc eſt quod ſacra innuunt Scriptura in perſona SALVATORIS noſtri: Principatus ſuper eum poſitus eſt, non ipſe ſuper principatum. Et: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

minutura, quoties gliſcat poteſtas;

IVRA proculdubio minuuntur, & minora fiunt, quoties gliſcit poteſtas. Et poteſt etiam legi hic, minui iura.

nec vtendum imperio, vbi legibus agi poſſit.

VBI legibus agi poteſt, non eſt vtendum imperio.

Quanto rarior apud Tiberium popularitas, tanto lætioribus animis accepta.

IN Principe quanto rarior eſt popularitas & aliquod aliud virtutis genus, tanto lætioribus animis accipitur. Et ſic etiam infra lib. vi. Annal. inquit Auctor: Millies Seſtertium ea munificentia collocatum, tanto acceptius in vulgum, quanto modicus priuatis ædificationibus.

Atque ille prudens moderandi.

PRINCEPS debet eſſe prudens moderandi, cum ſe occaſio offert.

ſi propria ira non impelleretur,

EVITENT Principes omni ſtudio & conatu iram. Adimit enim prudentiam, & rationem penitus tollit. Plura dicerem, ſed me ad Senecam, & Plutarchum, in tractatibus De ira cohibenda, remitto: vbi nihil circa hanc materiam deſiderari poteſt. Et ſupra etiam nonnulla in hac materia diximus: exemplis ſacrarum Litterarum etiam appoſitis.

addidit inſulam Gyarum immitem & ſine cultu hominum eſſe: darent Iuniæ familiæ & uiro quondam ordinis eiuſdem, Cytheram potius concederet.

SEMPER aliquid dandum eſt honori alicuius familia illuſtris, & perſonarum ſanctimonia celebrium.

Id ſororem quoque Sillani Torquatam priſcæ ſanctimoniæ virginem expetere. In hanc ſententiam facta diſceſſio. Poſt auditi Cyrenenſes, & accuſante Anchario Priſco, Cæſius Cordus repetundarum damnatur. L. Ennium equitem Romanum maieſtatis poſtulatum, quod effigiem principis promiſcuum ad vſum argenti vertiſſet, recipi Cæſar inter reos vetuit, palam aſpernante Ateio Capitone, quaſi per libertatem: non enim debere eripi patribus vim ſtatuendi,

PRINCEPS nouus non debet eripere patribus vim ſtatuendi. Sed hoc per adulationem a Capitone fuit dictum: vt ſupra lib. i. Neque in ijs, quæ ad Remp. pertinerent, conſilio niſi ſuo vſurum, vel cum periculo offenſionis.

neque tantum maleficium impune habendum.

MAGNA maleficia non ſunt impune habenda.

ſane lentus in ſuo dolore eſſet, Reip. iniurias ne largiretur.

PRINCIPEM etſi lentum in ſuo dolore eſſe decet, tamen eum non conuenit largiri iniurias Reipublicæ.

Intellexit hæc Tiberius vt erant, magis quam vt dicebantur, perſtititq. intercedere.

IN hoc cognoſcitur ſagacitas Principis, vt quando aliquid ſimulate a ſubditis profertur, intelligat id magis vt eſt, quàm vt dicitur.

Capito inſignior infamia fuit, quòd humani diuiniq. iuris ſciens, egregium publicum, & bonas domi artes dehoneſtauiſſet.

ILLE eſt inſignior infamia, qui bonis artibus ceteroqui pollens; adulatione viliſſima dehoneſtat illas, & egregium publicum. Huc pertinet illud ſcitum Iuuenalis.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

Inceſſit dein religio quonam in templo locandum foret donum, quod pro valitudine Auguſtæ equites Romani vouerant Equeſtri Fortunæ. Nam etſi delubra eius deæ multa in vrbe, nullum tamen tali cognomento erat. repertum eſt ædem eſſe apud Antium, quæ ſic nuncuparetur,

MAGNOS ſemper effectus Romæ operata eſt mutatio rerum, quæ ab antiquis appellata eſt fortuna. Vnde nil mirum, ſi veritatis lumine carentes, illi aras, & delubra poſuerint multis in locis: & præcipue apud Antium. Vnde emanauit pulcherrima illa Horatij ode: qua incipit.

O diua, gratum quæ regis Antium: & quæ ſequuntur.

cunctaſq. cærimonias Italicis in oppidis, templaq. & numinum effigies iuris atque imperij Romani eſſe. Ita donum apud Antium ſtatuitur. Et quando de religionibus tractabatur, dilatum nuper reſponſum aduerſus Seruium Maluginenſem Flaminem Dialem promiſit Cæſar: recitauitq. decretum pontificum. Quoties valitudo aduerſa Flaminem Dialem inceſſiſſet, vt Pontificis Maximi arbitrium, ne pluſquam binoctium abeſſet, dum ne diebus publici ſacrificij neu ſæpius, quàm bis eundem in annum.

LOCVS eſt adeo corruptus, vt nullo modo reſtitui poſſit.

Quę principe Auguſto conſtituta ſatis oſtendebant, annuam abſentiam & prouinciarum adminiſtrationē Dialibus non concedi; memorabaturq. L. Metelli Pontificis Maximi exemplum, qui Aulum Poſthumium Flaminem attinuiſſet. Ita ſors Aſiæ in eum, qui conſularium Maluginenſi proximus erat, conlata. Iiſdem diebus Lepidus a ſenatu petiuit vt baſilicam Pauli, Æmilia monumenta, propria pecunia firmaret, ornaretq. erat etiam tum in more publica munificentia. Nec Auguſtus arguerat Taurum Philippum, Balbum, hoſtiles exuuias, aut exundantis opes ornatum ad vrbis, & poſterum gloriam conferre.

ET quam in rem conuerti melius, & magnificentius impendi poſſunt hoſtiles exuuiæ, aut exundantis opes; quàm ad ornatum vrbis, & gloriam poſterorum?

quo tum

quo tum exemplo Lepidus, quamquam pecuniæ modicus, auitum decus recoluit. At Pompeij theatrum igne fortuito hauſtum, Cæſar extructurum pollicitus eſt, eo quod nemo e familia reſtaurando ſufficeret, manente tamen nomine Pompeij. ſimul laudibus Seianum extulit, tamquam labore, vigilantiaq. eius tanta vis vnum intra damnum ſtetiſſet.

CRESCIT laudata virtus, inquit ille. Ideo Princeps, numquam debita defraudet laude ciues, qui labore & vigilantia ſua aliquid egregium efficiunt.

Et cenſuere patres effigiem Seiano, quæ apud theatrum Pompeij locaretur. neque multo poſt Cæſar cum Iunium Blęſum proconſulem Africæ triumphi inſignibus attolleret, dare id ſe dixit honori Seiani,

SAEPE honores dantur alicui a Principe ob alterius, quàm ob illius merita.

cuius ille auunculus erat.

HOC eſt proprium magnorum virorum, & virtute excellentium: vt non ſolum ipſis eximij deferantur a Principe honores; ſed etiam in eorum gratiam, propinqui, amici, affines ipſorum extollantur.

Ac tamen res Blæſi dignæ decore tali fuere. Nam Tacfarinas quamquam ſæpius depulſus, reparatis per intima Africæ auxilijs, huc adrogantiæ venerat, vt legatos ad Tiberium mitteret, ſedemq. vltro ſibi, atque exercitui ſuo poſtularet, aut bellum inexplicabile minitaretur.

EX proſpero rerum ſucceſſu adeo inflantur hominum animi, vt etiam impoſſibilia aggrediantur, & ſperent.

Non alias magis ſua populiq. contumelia Rom. indoluiſſe Cæſarem ferunt, quàm quòd deſertor, & prædo, hoſtium more ageret.

INTER prædonem, & hoſtem maxima eſt differentia. Nam cum hoc ſalua dignitate poteſt agi de pace, & inducijs. Sed ille ſolum ferro exturbandus eſt, & coercendus.

ne Spartaco quidem poſt tot conſularium exercituum clades inultam Italiam vrenti quamquam Sertorij, atque Mithridatis ingentibus bellis labaret Reſp. datum, vt pacto in fidem acciperetur, nedum pulcherrimo populi Rom. faſtigio, latro Tacfarinas pace & conceſſione agrorum redimeretur. Dat negotium Blæſo, ceteros quidem ad ſpem proliceret arma ſine noxa ponendi, ipſius autem ducis quoquo modo potiretur.

ISTE eſt modus optimus prædones tollendi. Nempe ſocios eorum ad ſpem prolicere ponendi arma ſine noxa, vt ipſorum ducum quoquo modo potiamur.

Et recepti ea venia plerique. mox aduerſum artes Tacfarinatis, haud diſſimili modo belligeratum. Nam quia ille robore exercitus impar, furandi melior, pluris per globos incurſaret, eluderetq. & inſidias ſimul tentaret, tres inceſſus, totidem agmina parantur: ex quîs Cornelius Scipio legatus præfuit, qua prædatio in Leptinos & ſuffugia Garamantum. alio latere ne Cirtenſium pagi impune traherentur, propriam manum Blæſus filius duxit. Medio, cum delectis caſtella & munitiones idoneis locis imponens, dux ipſe arta & infenſa hoſtibus cuncta fecerat: quia quoquo inclinarent, pars aliqua militis Romani in ore, in latere, & ſæpe a tergo erat. multiq. eo modo cæſi, aut circumuenti. Tunc tripartitum exercitum pluresq. in manus diſpergit, præponitq. centuriones virtutis expertæ, nec vt mox fuerat, acta æſtate, retrahit copias, aut in hibernaculis veteris prouinciæ componit: ſed vt in limine belli diſpoſitis caſtellis per expeditos, & ſolitudinum gnaros mutantem mapalia Tacfarinatem proturbabat; donec fratre eius capto, regreſſus eſt, properantius tamen, quàm ex vtilitate ſociorum, relictis per quos reſurgeret bellum. Sed Tiberius pro confecto interpretatus, id quoque Blæſo tribuit, vt imperator a legionibus ſalutaretur, priſco erga duces honore, qui bene geſta Rep. gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur. erantq. plures ſimul imperatores, nec

ſuper ceterorum æqualitatem: conceſſit quibuſdam & Auguſtus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blæſo. Poſtremum obiere eo anno viri inluſtres, Aſinius Saloninus, M. Agrippa, & Pollione Aſinio auis, fratre Druſo inſignis, Cæſariq. progener deſtinatus. Et Capito Ateius, de quo memoraui, principem in ciuitate locum ſtudijs ciuilibus adſecutus,

MVLTI ſunt modi, quibus aliqui principem locum in ciuitate aſſequi poſſunt. Alij id conſequuntur ſtudijs ciuilibus, alij prudentia, alij arte bellica, & alij alijs modis. Dummodo in ea profeſſione, quam ſibi propoſuerunt, ſupra ceteros emineant.

ſed auo centurione Sullano patre prætorio. Conſulatum ei adcelerauerat Auguſtus, vt Labeonem Antiſtium iiſdem artibus pręcellentem dignatione eius magiſtratus anteiret. Namque illa ætas duo pacis decora ſimul tulit.

MAGNI litterati, & eruditi viri, merito appellantur pacis decora.

Sed Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebratior. Capitonis obſequium dominantibus magis probabatur.

EX incorrupta libertate efficitur ſane aliquis fama celebratior. Sed dominantibus magis probatur obſequium. Ideo prudens Aulicus, Romæ præſertim, illam quidem non aſpernetur, hoc tamen exerceat.

Illi, quòd præturam intra ſtetit, commendatio ex iniuria: huic, quòd conſulatum adeptus eſſet, odium ex inuidia oriebatur.

HOC ſemper vſu venit, vt ex iniuria bonis viris commendatio acquiratur: malis vero odium ex inuidia. Et vere ſit iniuria bonis viris, & virtute præditis, cum illis denegantur honores a Principe. Sicut indigno alicui collati, illi pariunt inuidiam, ex qua gignitur odium.

Et Iunia ſexageſimoquarto poſt Philippenſem aciem anno, ſuppremum diem explenit, Catone auunculo genita, C. Caſſij vxor, M. Bruti ſoror. Teſtamenrum eius multo apud vulgum rumore fuit: quia in magnis opibus, cum ferme cunctos proceres cum honore nominauiſſet, Cæſarem omiſit. quod ciuiliter acceptum,

MVLTA debet accipere ciuiliter Princeps: etſi non in ſui honorem acta videantur.

neque prohibuit quo minus laudatione pro roſtris, ceteriſq. ſollemnibus funus cohoneſtaretur. Viginti clariſſimarum familiarum imagines antelatæ ſunt, Manlij, Quinctij, aliaq. eiuſdem nobilitatis nomina: ſed præfulgebant Caſſius atque Brutus, eo ipſo, quòd effigies eorum non viſebantur.

MAGNI viri, etſi non conſpiciuntur, & in oculis hominum non verſantur; tamen eo magis præfulgent.

Commentariorum in Tertium Librum Annalium P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI
IN P. CORNELII TACITI
Annales Commentarij.

Ex Lib. IV. Annal. P. Cornelij Taciti.

CAIO Aſinio, C. Antiſtio Coss. nonus Tiberio annus erat compoſitæ Reip. florentis domus, nam Germanici mortem inter proſpera ducebat,

AEMVLI mors inter proſpera duci ſolet tam a Principe, quàm ab Aulico. Sed legi noſtra Chriſtiana hoc aduerſatur: & ideo fugiendum.

cum repente turbare fortuna cœpit, ſæuire ipſe, aut ſæuientibus vires præbere.

QVANDO Princeps a vera ratione regiminis deflectit habenas, aut ſæuiendo ipſe, aut ſæuientibus vires prabendo; tunc certe turbari incipiunt res illius.

Initium & cauſſa penes Ælium Seianum cohortibus prætorijs præfectum, cuius de potentia ſupra memoraui. Nunc originem, mores, & quo facinore dominationem captauerit expediam.

OPERAEPRETIVM eſt, cum hic ſe locus offerat loquendi de Seiano, qui ſolertiſſimus fuit & callidiſſimus Aulicus; breuiter recenſere, & obſeruare auſa eius, modum, & ceteras circumſtantias. Quarum etſi pleraque ſcelesta fuerunt, & turpia; tamen vt ea euitentur, libenter adponimus, haud ſine legentium fructu.

Primum *ergo magnum fuit illud, quod ad potentiam ſibi comparandam, aſtutiſſime confecit: intendendi ſcilicet vim prafectura, modicam antea, diſperſas per vrbē cohortes in vnum congregando, vt ſimul imperia acciperent: numeroq. & robore, & viſu inter ſe, fiducia ipſis, metus in ceteris crederetur. Vnde colligere poſſumus, hanc eſſe veram artem Aulici: aliud pratendendo, potentiam ſibi comparare, & res ſuas augere. Alias enim ob nimiam inuidiam, ſemper initia conſiliorum, qua aperte ab Aulico in ſui ipſius incrementum inchoantur, ab amulis pracidi, & praeoccupari ſolent.*

Secundum *fuit magnum illud Seiani, poſt congregationem cohortium, eas omnes ſtudioſe ſibi conciliare, & penitus demereri: irrependo, adeundo, appellando: centuriones, & tribunos deligendo, & cetera omnia agendo, qua pulchre hic enumerat Auctor noſter. Sed quoniam ad finem quem ſibi maximum propoſuerat, non ſufficiebant ſolum ſubſidia militaria; ideo callide aggreſſus eſt*

Tertiam *rem magnam, que fuit: Senatorum magnam partem ambitu ſibi acquirere: honoribus ac prouincijs clientes ſuos ornando. Vnde duplex vtilitas illi parabatur, & copia inſtrumentorum in perficiendis deſtinatis, qua inſtrumenta erant viri illi ab ipſo honoribus ac beneficijs affecti: & argumentum magnum illius potentia apud Principem, cuius fama plura adminicula in dies illi aggregabantur, & exiſtimationem ſuam augebant.*

Quartum *ſequitur facinus, tribus pradictis vt turpius, ſic magis arduū, corruptio nempe, & adulterium cum Liuia Druſi vxore: quo medio, & ad callenda amuli arcana opportune vſus eſt, & ſucceſſiue illum e medio tollere potuit. Et certe maxima admirationis fuit res hæc, vt obſeruat Auctor noſter, Liuiam adeo fuiſſe artibus praui & ſolertis Aulici pellectam, vt neptis Auguſti, nurus Ti-*

berij, & ex Druſo principis filio mater, ſe ac maiores ac poſteros municipali adultero fœdaret: & pro honeſtis ac præſentibus, flagitioſa & incerta expectaret. Nec eſt negligendum.

Quintum *conſilium Seiani, in ſumendo in conſcientiam Eudemum Medicum & amicum Liuiæ: qui ſpecie artis frequens erat ſecretis. Nã raro inueniuntur magna patrata facinora Principum, quorum Medicus aliquis particeps non fuerit. Hac enim artis ſpecie, ferme omnes ſunt ſolertes, curioſi, inſidiatores, & omnium ſecreta rimantur: & ab illis difficulter caueretur, ſi diffidentiam erga ipſos exercere in animum induceremus.*

Sextum *fuit Seiani conſilium, pellere domo Apicatam vxorem, ne pollici Liuiæ ſuſpectaretur. Quo nihil aſtutius ad eius beneficium excogitari potuit. Inueniuntur enim ſæpe multi, qui vnanimi conſilio aliquod magnum facinus inchoant: ſed in perficiendo illo, cauſſis varijs oboriuntur ſuſpiciones, quibus inuicem inter ſe alienantur complices facinoris, et facinorum exitus interrumpuntur. Quod ne ſuccederet, callidiſſime Seianus cauſſas ſuſpicionum, quæ ab ipſo Liuiam, ſine qua nihil agere poterat, alienarent, ſubmouit, pellendo vxorem.*

Septimum *conſilium Seiani fuit, maturatio rei, in tollendo Druſum. Nam ſæpe, dum differuntur magna facinora, & tempus interlabitur; panduntur arcana, & omnia ſubuertuntur. Et vt ipſe Auctor infra lib. i. Hiſt. inquit: Opportuni ſunt magnis conatibus rerum tranſitus: & Nihil vtilius feſtinatione in conſilio illo, quod laudari non niſi perfectum poteſt. Vnde vidimus, legimus, & audiuimus multas coniurationes aduerſus Principes, nullam aliam ob rem magis ante factum euerſas fuiſſe, quàm ob temporis prolatationem. Callide ergo Seianus maturauit.*

Octauum *fuit, modus tollendi Druſum: veneno nempe, quo paulatim irrepente, fortuitus morbus adſimularetur. Nam venena illa, quæ ſtatim mortem inferunt, vt ſunt illi, in quem exercentur, ineuitabilia, & lethalia; ſic econuerſo illi, qui ea exercet, ſunt periculoſa, & ſuſpicionem maximam conflant, indicium non leue contra ipſum ſubminiſtrando his, qui extincti mortem aut in iudicio, aut alio modo vlciſci vellent. Et experientia cognouimus, aliquos ſceleſtos, qui alioquin latuiſſent, ob hoc ſolum deprehenſos, & conuictos facinoris fuiſſe; quòd aperte nimis, & ſignis euidentibus venenum, quod exercuerant, graſſatum fuerat.*

Nonum *fuit aſtutiſſimum conſilium, perſonæ electio, quæ venenum porrigeret. Principibus enim ad hanc curam, eſculentorum ſcilicet, & poculentorum fidiſſimi ſemper aſſiſtunt, qui omnia prægustare conſueuerunt, antequam Principi in os dentur. Aſtutiſſime ergo vſus eſt Lygdo Spadone, & illum elegit, qui ætate, ac forma charus erat domino, & inter primores miniſtros: & commoditatem fallendi Druſum habebat.*

Decimum *& vltimum ſolertiſſimum fuit conſilium, & ſceleſtiſſimum, vincire ſtupro animum Lygdi Spadonis; quo promptiorem, & fidiorem operam illi exhiberet. Nec abſque ratione ad finem ſceleris imponendum, hoc effectum eſt a Seiano. Multi enim inueniuntur, qui magna pollicentur, pecuniam accipiunt, ſe velle patrare dicunt, aſſerunt, & aſſeuerant. Sed poſtea, alius mutatione, alius timore, alius charitate erga dominum, cui nondum fidem penitus exuit; illi inſidias patefaciunt, & perniciem graſſanti acquirunt. Vt ergo hoc periculum effugeret Seianus, ſolerter, etſi ſceleſte, ſtupro ſibi animum Lydi deuinxit. Hoc enim modo & illum ſibi ſocietate flagitij inligauit, & audaciorem ad ſecundum ſcelus in morte Druſi patrandum reddidit. Et hinc elicitur regula generalis pro his omnibus, qui ad aliquid magni momenti efficiendum, adiutoribus & miniſtris indigent: nihil potius eis eſſe debere, quàm omni meliori & fortiori modo, eorum animos ſibi deuincere: & ſocietate ſcelerum obſtringere vſque adeo, vt ipſis nec pœnitentiæ nec mutationi, nec veniæ locus detur. Sic infra lib. iij. Hiſt. Ciuilem feciſſe videbimus in concitandis populis aduerſus Veſpaſianum: ſic temporibus noſtris Aurantius Princeps in Belgica aduerſus PHILIPPVM Regem Hiſpaniarum egit. Vnde reaſſumendo omnia, quæ diximus, decem capita hæc obſeruanda ſunt, quæ Seianus in extinguendo Druſo & potentia comparanda, exercuit.*

1 Congregatio in vnum cohortium diſperſarum.
2 Fauor militum acquiſitus, & eorum ſtudia
3 In ſenatu & magiſtratibus, clientum ſuorum auctio.
4 Corruptio Liuiæ, & adulterium cum illa.
5 Sumptio in conſilium Eudemi Medici Liuiæ.
6 Expulſio e domo vxoris Apicatæ.
7 Maturatio facinoris.
8 Electio veneni paulatim irrepentis.
9 Miniſtri acquiſitio in dando veneno
10 Deuinctio animi miniſtri ſtupro, vt fidiore illo vteretur.

Genitus Vulſinijs, patre Seio Strabone equite Romano, & prima iuuenta C. Cæſarem diui Auguſti nepotem ſectatus, non ſine rumore Apicio diuiti & prodigo

DIVITES & prodigi ferme ſemper ad omnia ſcelera & vitia procliues ſunt. Ariſt. in 2. Rhet.

ſtuprum venum dediſſe,

RARO fit, vt qui adoleſcentiam probroſam egit, non ſit in ſequenti ætate & vitijs addictus

mox Tiberium varijs artibus deuinxit, adeo vt obſcurum aduerſum alios, ſibi vni incautum, intectumq. efficeret,

REQVIRVNTVR equidem variæ artes in Aulico, & magna ſolertia, ad deuinciendum adeo Principem, vt illum obſcurum aduerſum alios, ſibi vnum incautum, intectumq. efficiat.

non tam ſolertia; quippe iiſdem artibus victus eſt,

SCELESTI homines fere ſemper iiſdem artibus vincuntur, quibus alios perdunt.

quàm deum ira in rem Romanam, cuius pari exitio viguit, ceciditq.

MAGNORVM hominum, qui res innouant, hoc eſt conſequens: vt pari exitio Reipub. vigeant, cadantq. Cum enim non ſine multo hominum conſenſu, res innouare tentent; ſit ſemper vt illorum ſtrages & ruina ceteros omnes, qui illos ſequuti ſunt; trahat, & extinguat.

Corpus illi laborum tolerans, animus audax, ſui obtegens, in alios criminator. iuxta adulatio & ſuperbia, palam compoſitus pudor, intus ſumma apiſcendi libido, eiuſq. cauſſa, modo largitio & luxus, ſæpius induſtria, ac vigilantia,

VERVM Aulicum hic effingit Auctor: nempe, vt corpus ſit illi laborum tolerans, animus audax, ſui obtegens, in alios criminator: iuxta adulatio & ſuperbia: palam compoſitus pudor, intus ſumma apiſcendi libido eiuſq. cauſſa, modo largitio & luxus, ſæpius induſtria & vigilantia; haud minus noxia, quoties parando regno finguntur. Et ſimilem fere deſcriptionem habes in Salluſtio, cum de Catilina loquendo, inquit: Corpus patiens inediæ, vigiliæ, algoris, ſupra quàm cuiquam credibile. Animus audax, ſubdolus, varius. Et quæ ibi ſequuntur.

haud minus noxiæ, quoties parando regno finguntur.

QVI ob parandum regnum fingit virtutes, haud minus cum illis nocet, quàm ſi aperte vitia profiteretur.

Vim præfecturæ modicam antea intendit,

HAEC eſt ſolertia virorum, vt munia, quæ habent & dignitates, alioquin parum honorificas & validas; ipſi arte, & conſilio intendant, & in exiſtimationem adducant. Sic Piſiſtratus erga Athenienſes, debili initio, tyrannidem adeptus eſt: ſic Pandulphus Petrucius Senarum dominationem inuaſit: cum vterque illorum aliquot militibus, qui fori cuſtodia præerant, præpoſitus, paulatim illorum ope patriam ſuam occupauerit.

diſperſas per vrbem cohortes vna in caſtra conducendo, vt ſimul imperia acciperent, numeroq. & robore, & viſum inter ſe, fiducia ipſis, in ceteros metus crederetur.

HAVD dubie intenditur vis præfecturæ militum, cum dux eos diſperſos per vrbem vna in caſtra conducit, efficiendo, vt ſimul imperia accipiant: numeroq. & robore, & viſu inter ſe ſequitur hoc, vt fiducia ipſis, in ceteros metus credatur. Simile in 2. Hiſt. Auctor, cum inquit: Nam Cacinna non ſimul cohortes, ſed ſingulas acciuerat. Quæ res in prælio trepidationem auxit, cum diſperſos, nec vſquam validos pauor fugientium abriperet. Hinc regula elici poteſt pro militari diſciplina, quod diſperſus exercitus non æque eſt firmus, atque is, qui ſimul eſt.

Prætende-

Prætendebat laſciuire militem diductum. Si quid ſubitum ingruat, maiore auxilio pariter ſubueniri,

MILES, cum diductus eſt laſciuit: etſi quid ſubitum ingruat, maiore auxilio pariter ſubuenitur.

& ſeuerius acturos, ſi vallum ſtatuatur procul vrbis inlecebris.

VBI ſunt illecebra, ſeueritas male habet locum. Proinde dux, qui ſuos milites ſeuere habere vult, eos ab illecebris vrbium procul ſtatuat. Capua Annibali exitium & infamiam hoc modo peperit. Liuius. Et infra etiam lib. xiiij. Annal. inquit Auctor: Miles theatrali licentia non permixtus, incorruptior eſſet.

Vt perfecta ſunt caſtra, inrepere paulatim militares animos, adeundo, appellando: ſimul centuriones ac tribunos ipſe deligere. Neque ſenatorio ambitu abſtinebat, clientes ſuos honoribus aut prouincijs ornando,

HOC modo gerere ſe ſolent homines noui, qui potentiam ſtruere ſibi, & principatum deſiderant. Nempe irrepere animos militum paulatim, adeundo, appellando: ſimul deligere ipſi tribunos & centuriones. Quo vero ad ciues & ſenatum, illius fauorem ambitu acquirere: clientes ſuos honoribus aut præmijs ornare, & ſimilia, quæ aſtute a Seiano fiebant.

facili Tiberio, atque ita prono, vt ſocium laborum, non modo in ſermonibus, ſed apud patres & populum celebraret, coliq. per theatra & fora effigies eius, interq. principia legionum ſineret.

IMPRVDENTER ſe gerit Princeps, qui adeo extollit Aulicum, & ſibi parem facit, vt nihil illi deſit, præter nomen Principis. Semper enim eueniet, vt ille cæco ſui amore ductus, hoc affectans, ipſi Principi vitam eripere conetur; vt commodius ſolus dominetur. Sic Seianus erga Tiberium ſe geſſit, Perennius erga Commodum, Plautianus erga Seuerum: & multi alij, quorum Hiſtoria antiqua ſunt plena.

Ceterum plena Cæſarum domus, iuuenis filius, nepotes adulti moram cupitis adferebant;

INCOMPARABILIS equidem eſt illius audacia, qui imperium ſubuertere & eripere Principi illi aggrediatur, qui præter ſe, plenam habeat domum filiorum, nepotum adultorum, & propinquorum: quos omnes impoſſibile eſt ſimul tollere. Hac in parte audaciſſima fuit Claudij Landi in Oct. Farn. Plac. & Par. Ducem coniuratio. Cui etſi datum fuiſſet ipſum Ducem extinguere: ſupererant tamen adhuc Alexander frater Cardinalis, Alexander Princeps filius, Rainutius & Odoardus nepotes. Vnde efficiebatur fruſtratorius illius conatus.

& quia vi tot ſimul corripere intutum,

MVLTOS corripere ſimul vi, intutum eſt.

dolus interualla ſcelerum poſcebat:

DOLVS aduerſus multos, poſcit interualla ſcelerum.

placuit tamen occultior via, & a Druſo incipere, in quem recenti ira ferebatur. Nam Druſus impatiens æmuli, & animo commotior, orto forte iurgio intenderat Seiano manus, & contra tendentis os verberauerat.

CAVEAT Aulicus Romanus, ne ob impatientiam æmuli, animo commoueatur: adeo vt erga eum aliquid indecore palam ob iram agat. Sic enim ſe deſtruet, & illum ſubleuabit. Sed debet prudenter & quiete ſe gerere: & ab illo cauere quidem, ſed illum non lædere, nec palam contemnere.

Igitur cuncta tentanti promptiſſimum viſum ad vxorem eius Liuiam conuertere.

AD tollendum e medio aliquem, nulla equidem breuior via dari poteſt, etſi ſceleſta, quàm illos corrumpere, & ſocios ſcelerum facere, quibus illi magis fidunt, & quos chariores habent. Vt erga vxorem Druſi callidiſſime egit Seianus.

Quæ

Quæ ſoror Germanici formæ initio ætatis indecoræ, mox pulchritudine præcellebat.

IN multis mulieribus hoc conſpicitur, vt initio ætatis ſint forma indecora: mox pulchritudine præcelleant.

Hanc, vt amore incenſus, adulterio pellexit,

AD mulieres pelliciendas adulterio, hæc eſt adulterorum ars, vt amore ſe incenſos ſimulent.

& poſtquam primi flagitij potitus eſt.

QVI prima flagitia ſecundum ſui animi votum perficit, ad maiora animum conuertit.

neque femina, amiſſa pudicitia, alia abnuerit ad coniugij ſpem, conſortium regni, & necem mariti impulit.

AMISSA pudicitia, femina nihil abnuit, & omnia ſcelera nihil æſtimat.

Atque illa, cui auunculus Auguſtus, ſocer Tiberius, ex Druſo liberi, ſeq. ac maiores, & poſteros municipali adulrero fœdabat,

ETSI omnis mulier nupta, adulterium committendo ſe fœdat; tamen magis hoc euenit in muliere nobili & illuſtri: præſertim ſi cum ignobili adultero ſe commiſcet.

vt pro honeſtis & pręſentibus flagirioſa, & incerta expectaret.

INSIPIENTIS & ſceleſti ſimul eſt, pro honeſtis & præſentibus, expectare flagitioſa & incerta.

Sumitur in conſcientiam Eudemus amicus ac medicus Liuiæ, ſpecie artis frequens ſecretis.

IN magnorum ſcelerum conſcientiam ferè ſemper ſumuntur Medici: nã ſpecie artis ſunt frequentes ſecretis. Sic infra lib. xij. Annal. de Agrippina loquens: Promiſam iam ſibi Xenophontis medici conſcientiam adhibet. Cum veneno Claudium ſuſtulit.

Pellit domo Seianus vxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne pellici ſuſpectaretur.

PRIMVM & illud maximum malum, quod ab adulterijs prouenit; hoc eſt: quòd viri vxores ſuas, & vxores viros ſuos odio proſequi incipiunt: & ſe inuicem quærunt tollere, ne pellices & adulteri ſuſpectent.

Sed magnitudo facinoris metum, prolationes, diuerſa interdum conſilia adferebat.

ETSI homo ad agenda facinora firmo animo ſatis eſt & audaci; tamen ferè ſemper ſequitur, vt cum magnum aliquod facinus aggrediatur, illi afferatur metus, prolatio, & interdum noua conſilia. Quod præcipue euenit illis, qui in Principem aliquem conſpirarunt. Hoc expreſſit pulchre Liuius in Alexamene ad occidendum Nabidem Tyrannum Spartanorum ab Aetolis miſſo, his verbis vtens: Colligit & ipſe animum tantæ confuſum imaginatione rei. Vide hiſtoriam apud Liuium lib. v. Decadis. iij.

Interim anni principio Druſus ex Germanici liberis togam virilem ſumſit, quæq. fratri eius Neroni decreuerat ſenatus, repetita. addidit orationem Cæſar multa cum laude filij ſui, quòd patria beneuolentia in fratris liberos foret.

MVLTAM laudem meretur patruus, qui patria vtitur beneuolentia erga fratris liberos.

Nam Druſus, quamquam arduum ſit eodem loci potentiam & concordiam eſſe,

EODEM loci eſſe potentiam & concordiam, arduum eſt. Etheocles, & Polinices ſint exemplo pro omnibus.

æquus

æquus adoleſcentibus, aut certe non aduerſus habebatur. Exin vetus & ſæpe ſimulatum proficiſcendi in prouincias conſilium refertur. Multitudinem veteranorum prætexebat imperator, & delectibus ſupplendos exercitus.

DISCANT hinc a Tiberio omnes Principes, etſi pacifica quiete domi fruantur, præcipuam exercituum curam agere: dando miſſionem illis, quibus æquum eſt, ſoluendo militia, delectus ſupplendo, & cetera omnia agendo, quæ ad militiam maxime ſpectant. Nam, vt ſupra non ſemel obſeruauimus, ſi Princeps contemptum effugere vult, vt debet; militiæ ſemper intentus eſſe debet, hancq. artem præcipue profiteri.

Nam voluntarium militem deeſſe. ac ſi ſuppeditet, non eadem virtute ac modeſtia agere: quia plerumque inopes ac vagi ſponte militiam ſumant.

SVMVNT ſponte militiam inopes & vagi: atque hæc eſt præcipua cauſſa, cur voluntarij milites numquam eadem virtute ac modeſtia agant, ac hi, qui ex delectibus conſcribuntur.

Percenſuitq. curſim numerum legionum, & quas prouincias tutarentur.

ET hoc omnis Princeps præ oculis habere debet. Scire ſcilicet, quibus rebus imperium contineatur, quid in eo validum, quid infirmum, quid minui oporteat, & quid augeri: vt quando opus erit, poſſit ſubuenire Reipublicæ.

Quod mihi quoque exequendum reor, quæ tum Romana copia in armis, qui ſocij reges, quanto ſit anguſtius imperitatum.

MVNVS præcipuum hoc eſt illius, qui res Principis alicuius ſcribere aggreditur: diligenter exequi, quibus exercitibus, opibus, & viribus contineatur illius Principis imperium: vt eius forma vno aſpectu conſpici a lectore poſſit.

Italiam vtroque mari duæ claſſes, Miſenum apud, & Rauennam, proximumq. Galliæ litus roſtratę naues præſidebant, quas Actiaca victoria captas Auguſtus in oppidum Foroiulienſe miſerat valido cum remige.

SVB Tiberio fuit pulcherrimum Romani imperij culmen. Porro hoc totam fere complectebatur Europam, Aſiam, ac non leuem Africæ partem. Tenebatur hoc tam magnum imperium quinque & viginti legionibus Romanis: quæ ex Italico milite omnes cōſcribebantur. Totidem erant auxilia ſociorum. Diſpoſitæ erant ſemper in vtroque mari, Adriatico, & Tyrrheno, duæ validiſſimæ claſſes, erantq. inſuper Reges, qui regna dono a populo Romano acceperant: & illi omnes, qui ſub vmbra Romanæ potentiæ protegebantur. Hoc totum elicitur hic ex Auctore noſtro.

Sed præcipuum robur Rhenum iuxta, commune in Germanos, Galloſq. ſubſidium, octo legiones erant.

VBI magis timetur, ibi maius eſt adhibendum ſubſidium.

Hiſpaniæ recens perdomitæ tribus habebantur. Mauros Iuba rex acceperat, donum populi Rom. Cetera Africæ per duas legiones, pariq. numero Ægyptus. dehinc initio ab Suria vſque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum ſinu ambitur, quattuor legionibus coercitum, accolis Hybero, Albanoq. & alijs regibus, qui magnitudine noſtra proteguntur aduerſum externa imperia. & Thraciam, Rhœmetalces, ac liberi Cotyis ripamq. Danubij, legionum duæ in Pannonia, duæ in Mœſia attinebant: totidem apud Dalmatiam locatis, quæ poſitu regionis a tergo illis, ac ſi repentinū auxilium Italia poſceret, haud procul accirentur. quamquam inſideret vrbem proprius miles, tres vrbanæ, nouem prętoriæ cohortes, Hetruria ferme Vmbriaq. delectæ, aut vetere Latio, & colonis antiquitus Romanis. At apud idonea prouinciarum ſociæ triremes, alæq. & auxilia cohortium; neque multo ſecus in ijs virium: ſed perſequi incertum fuit: cum ex vſu temporis huc illuc mearent, gliſcerent numero, & aliquando minuerentur. Congruens crediderim recēſere ceteras quoque Reip. partes, quibus modis ad eam diem habitæ ſint, quando Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit. Iam primum publica negotia, & priuatorum maxima apud patres tractabantur.

IN bene conſtituta dominatione iuſtum eſt, vt omnia publica negotia, & priuatorum maxima tractentur apud Senatum.

dabaturq.

dabaturq. primoribus diſſerere, & in adulationem lapſos cohibebat ipſe.

DEBET prudens Princeps primores, qui apud ipſum diſſerunt, cum in adulationem labuntur, cohibere.

Mandabatq. honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militiæ; inluſtres domi artes ſpectando, vt ſatis conſtaret, non alios potiores fuiſſe.

HOC ab omnibus deberet obſeruari Principibus, in mandandis honoribus, & dignitatibus: nempe vt ſpectaretur nobilitas familiæ, claritudo militiæ, illuſtres domi artes: ſic, vt ſatis constaret, non alios potiores eſſe. Si hoc ſemper a Principibus ſeruaretur, certe non tanta querelarum copia referta eſſent Aulæ noſtri temporis: in quibus ſæpe indignis conferuntur honores, & digni & excellentes viri negliguntur, & ſine honore iacent.

Sua conſulibus, ſua præroribus ſpecies. Minorum quoque magiſtratuum exercita poteſtas, legesq. ſi maieſtatis quæſtio eximeretur, bono in vſu.

IN bene conſtituta Repub. & principatu, Magiſtratus tam maiores, quam minores ſuam exercent poteſtatem, & leges ſunt ſemper in bono vſu. Secus in male conſtituta.

At frumenta, & pecuniæ vectigales, cetera publicorum fructuum, ſocietatibus equitum Romanorum agitabantur. Res ſuas Cæſar ſpectatiſſimo cuique, quibuſdam ignotis ex fama mandabat.

ET hæc eſt prudentis Principis firmiſſima regula, vt res ſuas mandet ſpectatiſſimo cuique: quibuſdam etiam ignotis, ex fama. PAVLVS. III. in hoc mirificum præbuit omnibus Principibus exemplum.

ſemelq. adſumpti renebantur, prorſus ſine modo, cum plerique ijſdem negotijs inſeneſcerent.

PLERVMQVE contingit, vt ſemel aſſumpti a Principe ad negotia ſua gerenda, teneantur prorſus ſine modo: & plerique illis negotijs inſeneſcant. Cauſſas varias tradidit ſupra in fine 2. lib. Tacitus noſter, quæ videri poſſunt.

Plebes acri quidem annona fatigabarur. Sed nulla in eo culpa ex principe. Quin infecunditati terrarum, aut aſperis maris obuiam ijr, quantum impendio, diligentiaq. poterat.

PROVIDEAT ante omnia Princeps, ne plebs acri annona fatigetur. Immo præter cetera remedia, quæ huic malo adhibere debet; obuiam ibit infecunditati terrarum, aut aſperis maris, quantū impendio, & diligentia poterit. Vt præclare temporibus noſtris fecit SIXTVS. V. P. M. curando, vt Pomptinæ paludes ſiccentur.

& ne prouinciæ nouis oneribus turbarentur, vtq. vetera ſine auaritia aut credulitate magiſtratuum tolerarent, prouidebat.

CVRET etiam Princeps, ne ditionis ſuæ prouinciæ nouis oneribus turbentur: vtq. vetera tolerent, ſine auaritia, ac crudelitate magiſtratuum.

corporum verbera, ademptiones bonorum aberant.

HAEC duo, cum Princeps ab illis ſe non abſtinet, ſæpe coniurationum in eum ſunt cauſſa: corporum nempe verbera, & ademptiones bonorum. Abſint ergo ab omni recte inſtituto Principe.

Rari per Italiam Cæſaris agri modeſta ſeruiria, intra paucos libertos domus: ac ſi quando cum priuatis diſceptaret, forum & ius.

CIVILIS equidem eſt ille Princeps, qui ſic in ſuo principatu ſe gerit, vt raros habeat proprios agros, modeſta ſeruitia, domum intra paucos libertos: ac ſi quando cum priuatis diſceptet, forum & ius adeat. Felix Reſpublica ſub tali Principe equidem eſt, ſicubi reperitur.

Quæ

Quæ cuncta non quidem comi via, ſed horridus ac plerumque formidatus, retinebat tamen, donec morte Druſi verterentur. Nam dum ſuperfuit, manſere: quia Seianus incipiente adhuc potentia, bonis conſilijs noteſcere volebat.

CALLIDI eſt, cum potentia incipit, noteſcere bonis conſilijs. Hoc enim modo, auctoritatis & exiſtimationis valida iaciuntur fundamenta, quibus poſtea ſuperſtruitur quidquid velis.

& vltor metuebatur, non occultus odijs, & crebro quærens incolumi filio adiutorem imperij alium vocari, & quantum ſupereſſe vt collega dicatur?

DIFFERVNT inter ſe collega, & adiutor. Ille parem cum collega poteſtatem exercet, hic minime. Porro adiutorem Principes ferre poſſunt, ſalua dignitate, collegam neminem.

Primas dominandi ſpes in arduo, vbi ſis ingreſſus, adeſſe ſtudia & miniſtros,

HOC recte ſciunt experientia Aulici Romani, quod Auctor noſter hic ſententioſe inquit: nempe, Primas dominandi ſpes eſſe in arduo. Nam vt ad hoc peruenias, opus eſt opibus, artibus egregijs, acri animo, & felicitate etiam: ſed vbi ſis ingreſſus, adſunt ſtudia & miniſtri. Sufficit enim ad promotionem peruenire, quo effecto, cetera adijciuntur. Nam affluunt vndique miniſtri, & prompta ſectantium ſtudia.

extructa iam ſponte præfecti caſtra, datos in manum milites: cerni effigiem eius in monumentis Gn. Pompeij: communes illi cum familia Druſorum fore nepotes, precandam poſt hæc modeſtiam, vt contentus eſſet.

VERE poteſt dici de illo Aulico, quē extraordinarie Princeps & praproperé extollit: Quod precanda poſt hac eius ſit modeſtia, vt contentus exiſtat. Et extraordinarie elatus poteſt dici ille priuatus, qui cum validiſſimis copijs imminet tam Principi, quàm vrbi, ſuam inſerit effigiem clariſſimorum virorum monumentis, & demum cum Principe ipſo affinitatem contrahit.

Neque raro neque apud paucos talia iaciebat; & ſecreta quoque eius corrupta vxore prodebantur.

SI vir proditur ab vxore propria, quam & bonorum & malorum omnium conſortem illi fecit matrimonij vinculum; ecquid ſpei habebit in ceteris? Miſerendum vere eſt illius, cui hoc contigerit: nempe vt vxor eius ab inimico corrupta, illi mariti ſecreta patefaciat. Sed tamen, ſiue pudica, ſiue impudica ſit vxor; numquam vir prudens illi ſecretum animi ſui patefacere debet. Vt ſupra in lib. i. initio obſeruauimus.

Igitur Seianus maturandum ratus, deligit venenum, quo paulatim inrepente, fortuitus morbus adſimularetur.

VENENORVM illud eſt lethale, & quaſi ineuitabile, quo paulatim irrepente, fortuitus morbus aſſimulatur. Et tale venenum appellatur lentum, & tabificum. Hincq. obſeruandum, quod cum in mora eſt periculum, maturandum eſt: ſed non in alterius perniciem.

Id Druſo datum per Lygdum ſpadonem, vt octo poſt annos cognitum eſt.

FRVSTRA ſperant ſceleſti facinora ſua occultatum iri: nam eſſi per aliquod tempus in abſcondito iacent, poſtremo in lucem veniunt: cum nihil tam ſit occultum, quod aliquando non reueletur.

Ceterum Tiberius per omnes valitudinis eius dies, nullo metu, an vt firmitudinem animi oſtentaret? etiam defuncto, necdum ſepulto curiam ingreſſus eſt,

IN tolerandis aduerſis, vere oſtenditur firmitudo animi.

conſulesq. ſede vulgari per ſpeciem mæſtitiæ ſedentes,

SIGNVM mæſtitiæ eſt in magiſtratu, ſedere ſede vulgari, & locum honoris ſui relinquere.

honoris

honoris, lociq. admonuit, & effuſum in lacrymas ſenatum, victo gemitu, ſimul oratione continua erexit.

P*RINCEPS oratione ſua erigit cęterorum animos; etiamſi effuſi fuerint in lacrymas?*

Non quidem ſibi ignarum poſſe argui, quòd tam recenti dolore ſubierit oculos ſenatus: vix propinquorum adloquia tolerari, vix diem aſpici a pleriſque lugentium: neque illos imbecillitatis damnandos, ſe tamen fortiora ſolatia e complexu Reipub. petiuiſſe.

Q*VI recenti dolore, ob iacturam alicuius propinqui, non ſubeunt oculos vulgi, vix tolerant alloquia propinquorum, & vix diem aſpiciunt lugentes; non ſunt damnandi imbecillitatis: humanum enim hoc eſt. Sed fortiora ſolatia debet tali in caſu Princeps petere e complexu Reipub. Huc pertinet admonitio illa Georgij Card. Portugallenſis ad ALEXANDRVM. VI. P. M. qui ob mortem Franciſci Borgia Candia Ducis filij ſui, nimium fractus animo, a conſpectu publico ſe abſtinebat. Hieronymus Garimber. in lib. ij. De fortuna cap. 2.*

miſeratusq. Auguſtæ extremam ſenectam, rudem adhuc nepotum, & vergentem ætatem ſuam, vt Germanici liberi, vnica præſentium malorum leuamenta, inducerentur, petiuit. Egreſſi conſules firmatos alloquio aduleſcentulos, deductosq. ante Cæſarem ſtatuunt. Quibus adprehenſis: Patres Conſcripti, hos, inquit, orbatos parente,

D*IGNA obſeruatione Oratio eſt hæc, & ad commouendum affectum validiſſima. Et prudentiſſime ſe geſſit Tiberius, commendando precibus accuratiſſimis Senatui illos, qui ſibi ſuccedere debebant. Senatus enim fauore, retinere & conſeruare principatum, opus illis erat.*

tradidi patruo ipſorum, precatusq. ſum, quamquam eſſet illi propria ſuboles, ne ſecus quàm ſuum ſanguinem foueret, ac tolleret, ſibiq. & poſteris confirmaret. Erepto Druſo, preces ad vos conuerto, dijsq. & patria coram obteſtor, Auguſti pronepotes, clariſſimis maioribus genitos ſuſcipire, regite: veſtram, meamq. vicem explete. Hi vobis Nero & Druſe parentum loco: ita nati eſtis, vt bona malaq. veſtra ad Remp. pertineant.

O*BSERVENT hinc Principes, quòd adeo cum Repub. connexi ſunt, vt bona, malaq. ipſorum ad illam etiam pertineant: & nihil illis accidere poteſt, quod idem non attingat Rempublicam.*

Magno eo fletu, & mox precationibus fauſtis audita. Ac ſi modum orationi poſuiſſet, miſericordia ſua, gloriaq. animos audientium impleuerat.

I*N omni actione noſtra modus eſt adhibendus: qui ſi in oratione adeſt, quoſcunque velit orator affectus commouebit. Sed ſi ad vana & irriſa prolabetur, demet fidem etiam vero & honeſto. Id præſertim in Principis ſermone obſeruandum eſt: qui grauitatis, & fidei plenus eſſe debet. Et huc pertinent, quæ docte admodum ac eleganter a Gellio traduntur cap. 6. lib. i. Noctium Atticarum in examinanda oratione Metelli Numidici.*

Ad vana & toties inriſa reuolutus, de reddenda Rep. vtq. conſules, ſeu quis alius regimen ſuſciperent, vero quoque & honeſto fidem dempſit. Memoriæ Druſi eadem vero, quæ in Germanicum decernuntur, pleriſque additis, vt ferme amat poſterior adulatio.

A*DVLATIONES poſteriores ſemper ferme addunt aliqua prioribus: vtpote quæ illis ſunt exquiſitiores.*

Funus imaginum pompa maxima inluſtre fuit, cum origo Iuliæ gentis Æneas, omnesq. Albanorum reges, & conditor vrbis Romulus, poſt Sabina nobilitas, Appius Claudius, ceteræq. Claudiorum effigies longo ordine ſpectarentur. In tradenda morte Druſi, quę plurimis maximeq. fidis auctoribus memorata ſunt, tetuli: ſed non omiſerim eorundem temporum rumorem validum adeo, vt nondum exoleſcat.

H*ISTORICI hoc eſt munus, vt in re aliqua memorabili tradenda, referat quæ plurimis, & maxime fidis auctoribus memorata ſunt. Sed non ideo omittere debet eorundem temporum rumorem, ſi adeo eſt validus; vt nondum exoleſcat.*

Q Corrupta

Corrupta ad ſcelus Liuia, Seianum Lygdi quoque ſpadonis animum ſtupro vinxiſſe: quòd is Lygdus ætate atque forma charus domino, interq. primores miniſtros erat.

QVI magnum aliquod ſcelus patrare volunt, hoc agunt ſemper ad facilitandum exitum: nempe miniſtros & adiutores ſibi quoquo modo eodem ſcelere deuinciunt, vt fidiores eos in nauanda opera efficiant.

Deinde inter conſcios, vbi locus veneficij, tempusq. compoſita ſunt, eo audaciæ prouectum, vt verteret, & occulto indicio Druſum veneni in patrem arguens, moneret Tiberium, vitandam potionem, quæ prima ei apud filium epulanti offerretur. Ea fraude tum ſenem, poſtquam conuiuium inierat, exceptum poculum Druſo tradidiſſe. Atque illo ignaro, & iuueniliter hauriente, auctam ſuſpicionem, tamquam metu & pudore, ſibimet inrogaret mortem, quam patri ſtruxerat. Hæc vulgo iactata, ſuper id, quòd nullo auctore certo firmantur, prompte refutaueris.

QVAE iactantur vulgo, ſi nullo auctore certo firmantur, prompte refutanda ſunt, ab Aulico præſertim, qui Romæ viuit, qua eſt vrbs ſermonum auidiſſima.

Quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius tantis rebus exercitus,

DE viro multis rebus exercito nihil imprudentia temere credendum eſt.

inaudito filio exitium offerret, idq. ſua manu,

NEQVE Scytæ, neque Barbari quique immaniſſimi offerrent exitium inauditis filijs, idq. ſua manu.

& nullo ad pœnitendum regreſſu?

IN rebus, quibus nullus datur ad pœnitendum regreſſus; vt in irroganda morte alicui, multum & multum oculatus debet eſſe Princeps, & iudex.

quin potius miniſtrum veneni excruciaret, auctorem exquireret, inſita denique etiam in extraneos cunctatione, & mora aduerſum vnicum, & nullius ante flagitij compertum vteretur.

DIGNI excuſatione ſunt, qui in aliquod crimen incidunt, ſi ante nullius ſunt flagitij comperti. Et obſeruandum eſt, quòd ſicut per gradus itur ad virtutes eximias, ita etiam ad ſumma vitia pedetentim, & gradatim peruenitur. Adeo vt credibile non eſt, hominem nullius ante flagitij compertum, atrociſſimum aliquod facinus patraſſe.

Sed quia Seianus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia charitate in eum Cæſaris, & ceterorum in vtrumque odio quamuis fabuloſa & immania credebantur,

ADEO potens affectus eſt odium, vt quamuis immania & fabuloſa, credere nos compellat de illo, quem tali affectu proſequimur. Euitandum ergo eſt omnibus modis a Principe.

atrociore ſemper fama erga dominantium exitus.

SEMPER erga exitus dominantium fama eſt atrocior.

Ordo alioqui ſceleris per Apicatam Seiani proditus tormentis Eudemi, ac Lygdi patefactus eſt. Neque quiſquam ſcriptor tam infenſus extitit, vt Tiberio obiectaret, cum omnia alia conquirerent, intenderētque. Mihi tradēdi arguendiq. rumoris cauſſa fuit, vt claro ſub exemplo falſas auditiones depellerem: peteremq. ab ijs, quorum in manus cura noſtra venerit, ne diuulgata, atque incredibilia auide accepta, veris, neque in miraculum corruptis antehabeant.

VANITATIS ſumma eſt, incredibilia, & temere vulgata pro veris habere. Et hoc debet cauere omnis hiſtoria Scriptor.

Ceterum

Ceterum laudante filium pro roſtris Tiberio, ſenatus, populusq. habitum ac voces dolentium ſimulatione magis, quàm libens induebat, domumq. Germanici reuireſcere occulti lætabantur. Quod principium fauoris, & mater Agrippina ſpem male tegens, perniciem adceleraauere.

VTILISSIMVM hinc elicitur pro Aulico Romano præceptum: nempe vt tegat ſpem, & principium fauoris, quem a Principe aſſequitur. Alioquin, perniciem ſibi adcelerabit.

Nam Seianus vbi videt mortem Druſi inultam interfectoribus, ſine mærore publico eſſe, ferox ſcelerum, & quia prima prouenerant, volutare ſecum, quonam modo Germanici liberos perueтteret, quorum non dubia ſucceſſio.

SCELESTI, cum vident ſcelera ſua impunita eſſe, ferociores efficiuntur: & maiora animo volutant.

Neque ſpargi venenum in tres poterat, egregia cuſtodum fide, & pudicitia Agrippinæ impenetrabili.

PROPRIA & vera mulieris hæc eſt laus: nempe vt pudicitia ſit impenetrabili.

Igitur contumaciam eius inſectari, vetus Auguſtæ odium, recentem Liuiæ conſcientiam exagitare, vt ſuperbiam fecunditate ſubnixam popularibus ſtudijs inhiare dominationi, apud Cæſarem arguerent. Atque hæc callidis criminatoribus, inter quos delegerat Iulium Poſthumum per adulterium Mutiliæ Priſcæ inter intimos auiæ, & conſilijs ſuis peridoneum:

AD perſuadendum alicui, eligendi ſunt intimi illius, & conſilijs ſuis peridonei.

quia Priſca in animo Auguſtæ valida, anum ſuapte natura potentiæ anxiam

MVLIER, præſertim anus, & Princeps, ſuapte natura potentiæ eſt anxia.

inſociabilem nurui efficiebat.

FERME ſemper ſocrus ſunt inſociabiles nuribus.

Agrippinæ quoque proximi inliciebantur, prauis ſermonibus tumidos ſpiritus perſtimulare.

AVLICVS Romanus obſeruet, quis ſit, qui ſecum loquatur: nam ſæpe maleuoli ipſius, quaſi alind agant, prauis ſermonibus, ſpiritus eius perſtimulabunt, & tumidos reddent, ſi non erunt, ſi erunt, tumidiores efficient.

At Tiberius nihil intermiſſa rerum cura, negotia pro ſolatijs accipiens,

PRINCIPIS hoc eſt proprium, vt nihil intermiſſa rerum cura, negotia pro ſolatijs accipiat. Hoc, vt ſupra obſeruauimus, in SIXTO. V. Pont. Max. & PHILIPPO Hiſpaniarum Rege, ſic & in Franciſco Maria II. Feltrio Duce Vrbinatum præſenti, hodie conſpicitur. Qui omnes diei, & pleraſque noctis horas integras partim negotijs, partim ſtudijs grauioribus impendit. Voluptatum nulla prorſus habita cura.

ius ciuium, preces ſociorum tractabat.

HOC eſt proprium Principis officium & munus: ſuis ius reddere, & ceterorum, qui ipſi ſubiecti non ſunt, preces benigne excipere. Et hoc modo intelligendum eſt, quod inquit hic Auctor noſter: Ius ciuium, preces ſociorum tractabat.

Factaq. auctore eo, ſenatuſconſulta, vt ciuitati Cibyraticæ apud Aſiam, Aegirenſi apud Achaiam, motu terræ labefactis, ſubueniretur remiſſione tributi in triennium.

CIVITATIBVS damno aliquo magno oppreſſis, debet tributa remittere Princeps.

Et Vibius Serenus proconſul vlterioris Hiſpaniæ de vi publica damnatus, ob atrocitatem temporum, in inſulam Amorgum deportatur. Carſius Sacerdos reus tamquam frumento hoſtem Tacfarinatem iuuiſſet, abſoluitur.

IVVARE aliqua re hoſtem Principis, vel Reipublicæ; inter capita legis Iuliæ maieſtatis reponitur. Et qui hoc agit, maieſtatis tenetur.

eiuſdemq. criminis C. Gracchus. Hunc comitem exilij admodum infantem pater Sempronius in inſulam Cercinam tulerat. Illic adultus inter extorres, & liberalium artium neſcios, mox per Africam ac Siciliam mutando ſordidas merces, ſuſtentabatur. Nec tamen effugit magnę fortunæ pericula.

NON ſufficit, quòd ſiniſtra condicio temporum aliquem magnum virum, & illuſtrem deprimat: quòd etiam ſæpe in ipſo ſtatu contemnendo & abiecto tuti eſſe non poſſunt. Sit Marius huius rei pulcherrimum exemplum.

Ac ni Aelius Lamia, & L. Apronius, qui Africam obtinuerant, inſontem protexiſſent, claritudine infauſti generis, & paternis aduerſis foret abſtractus.

SAEPE filij innocentes aduerſis paternis abſtrahuntur: ideſt patrum infelicitas eos comitatur.

Is quoque annus legationes Græcarũ ciuitatum habuit, Samijs Iunonis, Cois, Æſculapij delubro vetuſtum aſyli ius vt firmaretur, petentibus. Samij decreto Amphictyonum nitebantur, queis præcipuum fuit rerum omnium iudicium, qua tempeſtate Græci conditis per Aſiam vrbibus, ora maris potiebantur. Neque diſpar apud Coos antiquitas. Et accedebat meritum ex loco.

CONTINGERE ſolet hoc ſæpiſſime in rebus humanis: vt illis meritum ex loco accedat.

Nam ciues Romanos templo Æſculapij induxerant, cum iuſſu regis Mithridatis apud cunctas Aſiæ inſulas, & vrbes trucidarentur. Varijs dehinc, & ſæpius inritis prætorum queſtibus, poſtremo Cæſar de immodeſtia hiſtrionum retulit. Multa ab ijs in publicum ſeditioſe, fœda per domos tentari: Oſcum quoddam ludicrum leuiſſimæ apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum & virium veniſſe, vt auctoritate patrum coercendum ſit. Pulſi tum hiſtriones Italia.

PROPRIA eſt hiſtrionum immodeſtia: & multa ab ijs in publicum ſeditioſe, per domos fœda tentantur. Et ideo pellendi ſunt e quacumque bene inſtituta & recta ciuitate.

Idem annus alio quoque luctu Cæſarem adficit, alterum ex geminis Druſi liberis extinguendo: neque minus morte amici.

PROPRIVM hoc eſt humanæ imbecillitatis, vt numquam aduerſa res ſola veniant, vel vno in caſu tantum: ſed multa alia ſecum nexa, & coniuncta trahant infortunia.

Is fuit Lucillius Longus omnium illi triſtium lætorumq. ſocius, vnusq. e ſenatoribus Rhodij ſeceſſus comes.

DEFLENDA equidem eſt amici illius mors, qui fuit nobis omnium triſtium, lætorumq. ſocius: & hi ſunt veri amici.

Ita quamquam nouo homini, cenſorium funus, effigiem apud forum Auguſti publica pecunia patres decreuere: apud quos etiam tum cuncta tractabantur.

ET hoc ex diſciplina Auguſti agebat recte Tiberius. Qui etſi Rempublicam oppreſſerat, tamen Reipublicæ ſpeciem retinebat: adeo vt apud Senatum cuncta tractarentur.

adeo vt procurator Aſiæ Lucillius Capito, accuſante prouincia, cauſſam dixerit, magna cum adſeueratione principis, non ſe ius, niſi in ſeruitia & pecunias familiares dediſſe: quòd ſi vim prętoris vſurpaſſet, manibusq. militum vſus foret, ſpreta in eo mandata ſua,

NIHIL eſt, quod magis Principem commouere debeat, quam ſi ſpernantur mandata ſua. Imminuitur enim tunc ſua maieſtas. Hinc in tantis ſacra Scriptura locis legimus, Indignationem Dei commotam fuiſſe in eos, qui ſpreuiſſent mandata & præcepta ſua.

audirent

audirent ſocios.

CIVITATVM & Prouinciarum iuſtas querelas audiat ſemper Princeps: & illarum potiſſimam curam ſe gerere praſeferat. Et ſi ab aliquibus vexata fuerint, eos ſeuere plectat. Hoc enim modo in officio & fide erga ſe eas mirifice continebit: ſicut econuerſo, earum querelas ſpernendo, illas a ſe alienabit.

Ita reus, cognito negotio, damnatur. Ob quam vltionem, & quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat, decreuere Aſiæ vrbes templum Tiberio, matriq. eius, ac ſenatui: & permiſſum ſtatuete Egitq. Nero.

IN hoc textus principio: Egitq. Nero: fatendum eſt, multa deeſſe: nam omnia hac verba reponenda eſſent ſupra, poſt illa verba: Fidem dempſit: nam hic nullo modo coharent.

grates ea cauſſa patribus, atque auo, lætas inter audientium adfectiones, qui recenti memoria Germanici, illum aſpici, illum audiri rebantur, aderantq. iuueni modeſtia, ac forma principe viro digna,

DIGNAE ſunt Principe adoleſcente modeſtia, & forma: & hac pracipue in illo commendari ſolent. Et ſic ſupra de Germanico loquens Auctor, inquit. Augebat intuentium viſus ipſius ſpecies. Et infra lib. ij. Hiſt. Augebat famam ipſius Titi ingenium, quantacumque fortuna capax, decor oris cum quadam maieſtate.

notis in eum Seiani odijs ob periculum gratiora.

VIRTVTES alicuius, efficiuntur ob periculum gratiores: miſeratio enim gignitur apud homines. Praſertim ſi pericula imminent ab illis, qui inuiſi ſunt multitudini.

Sub idem tempus de flamine Diali in locum Seruij Maluginenſis defuncti legendo, ſimul roganda noua lege diſſeruit Cæſar. Nam patricios confarreatis parentibus genitos tres ſimul nominari, ex quis vnus legeretur vetuſto more: neque adeſſe, vt olim, eam copiam, omiſſa confarreandi adſuetudine, aut inter paucos retenta. pluresq. eius rei cauſſas adferebat, potiſſimam penes incuriam virorum, feminarumq. Accedere ipſius cærimoniæ difficultates, quæ conſulto vitarentur, & quando exiret e iure patrio, qui id Flaminium apiſceretur, quæque in manum Flaminis conueniret.

SOLENT his duabus de cauſſis ferme ſemper omitti carimonia, aut ex incuria miniſtrorum, aut ex earum difficultate.

Ita medendum ſenatus decreto, aut leges, ſicut Auguſtus quędam ex horrida illa antiquitate ad præſentem vſum flexiſſet.

PRINCEPS debet flectere ad praſentem vſum quadam ex horrida antiquitate. Et obſeruandum, quod, leges dicuntur mederi vitijs hominum eo modo, quo agris corporibus Medici ſubueniunt.

Igitur tractatis religionibus, placitum, inſtituto Flaminum nihil demutari. Sed lata lex, qua Flaminica Dialis ſacrorum cauſſa in poteſtate viri, cetera promiſcuo feminarum iure ageret. Et filius Maluginenſis patri ſuffectus: Vtq. gliſceret dignatio ſacerdotum, atque ipſis promptior animus foret ad capeſſendas cærimonias, decretum Corneliæ virgini, quæ in locum Scantiæ capiebatur, LLSXX. & quoties Auguſta theatrum introiſſet, vt ſedes inter Veſtalium conſideret.

SEMPER debet Princeps eniti omnibus modis, vt religioni, ac ſacerdotio dignitas augeatur.

Cornelio Cethego, Viſellio Varrone Coss. Pontifices, eorumq. exemplo ceteri ſacerdotes, cum pro incolumitate principis vota ſuſciperent, Neronem quoque & Druſum iiſdem dijs commendauere, non tam charitate iuuenum, quàm adulatione: quæ, moribus corruptis, perinde anceps ſi nulla, & vbi nimia eſt.

ADVLATIO, moribus corruptis, perinde eſt anceps, & periculoſa, ſi nulla, & vbi nimia eſt. Hoc eſt, tam periculoſum eſt, penitus non adulari, quàm nimis fœde & humiliter adulari.

Cum ſæpe quæ in honorem mali Principis, aut ſuorum decernuntur, non tam charitate ipſorum, quàm adulatione a ſubditis fiant.

Nam Tiberius haud vmquam domui Germanici mitis, tum vero æquari adoleſcentes ſenectæ ſuæ, impatienter indoluit:

ADOLESCENTES non ſunt æquandi in honore ſenibus: & præſertim Principibus. Cum hæc ſit dominationis natura, vt nec pater quidem poſſit pati filium æqualem.

accitoſq. Pontifices percunctatus eſt, num id precibus Agrippinæ aut minis tribuiſſent. Et illi quidem quamquam abnuerent, modice perſtricti; etenim pars magna e propinquis ipſius, aut primores ciuitatis erant: ceterum in ſenatu oratione monuit in poſterum, ne quis mobiles adoleſcentium animos præmaturis honoribus ad ſuperbiam extolleret.

MOBILES adoleſcentium animi præmaturis honoribus ad ſuperbiam extolli ſolent. Ideo ab hoc cauere debet Princeps. Raro enim illa ætas intra debitos modeſtiæ, atque officij terminos continere ſeſe poteſt.

Inſtabat quippe Seianus, incuſabatq. diductam ciuitatem, vt ciuili bello, eſſe qui ſe partium Agrippinæ vocent: ac ni reſiſtatur, fore pluris:

CERTVM eſt, quòd factiones potentum diducunt ciuitates. Nam alij vnius, alij alterius partis ſe eſſe profitentur. Ideo ſtatim ac de tali re indicia ad Principem delata erunt, mature obuiam eat. Alioquin adeo gliſcet ſeditioſorum numerus, vt inde maxima damna, & tumultus oriri poſſint.

neque aliud gliſcentis diſcordiæ remedium, quam ſi vnus alterue maxime prompti ſubuerterentur.

VNICVM hoc eſt gliſcentis diſcordiæ remedium: nempe ſi vnus alterue maxime prompti ſubuertantur ad ceterorum terrorem.

Qua cauſſa C. Silium, & Titium Sabinum adgreditur: amicitia Germanici pernicioſa vtrique.

SVPRA etiam obſeruauimus, illorum, quos Princeps odit, amicitiam, nonniſi pernicioſam eſſe ſolere. Hinc prudens Aulicus omni ſtudio eam declinet.

Silio, & quod ingentis exercitus ſeptem per annos moderator, partiſq. apud Germaniam triumphalibus Sacrouiriani belli victor, quanto maiore mole procideret, plus formidinis in alios diſpergebatur.

QVANTO maiore mole quis procidit, plus formidinis in ceteros complices diſpergitur, idq. maxime in magno & illuſtri viro euenire ſolet.

Credebant plerique auctam offenſionem ipſius intemperantia immodice iactantis, ſuum militem in obſequio durauiſſe, cum alij ad ſeditiones prolaberentur:

SEMPER obeſt miniſtro apud Principem, intemperantia ipſius ſeipſum immodice iactantis. Sic euenit Ant. 1. erga Veſpaſianum: qui vt lib. iiij. Hiſt. inquit Auctor: Non deerat arrogantia vocare offenſas, nimium commemorandis, quæ meruiſſet. Talis enim commemoratio eſt quaſi immemoris beneficij exprobratio. Magnus ideo vir ab hoc caueat omni ſtudio.

neque manſurum Tiberio imperium, ſi ijs quoque legionibus cupido nouandi fuiſſet.

CERTE intoleranda & ſuperbiſſima eſt vox, licet forſan cum veritate exprimi poſſet a miniſtro: Non manſurum fuiſſe Principi imperium, niſi virtute ipſius miniſtri imminentibus periculis obuiam itum fuiſſet. Contra vir prudens ſemper, raro & perparce de rebus a ſe geſtis loquetur: ne Principem nimia iactantia offendat.

Deſtrui

Deſtrui per hæc fortunam ſuam Cæſar, imparemq. tanto merito rebatur.

QVODAMMODO dicitur deſtrui fortuna Principis, cum ipſe indicatur inſufficiens reddenda gratia miniſtro. Et in hunc, qui huc eos redigit, iure merito Principes excandeſcunt. Cum enim inter ceteros mortales altiſſimo loco ſint, & omnia fere, quæ volunt poſſint, per hos tales efficitur, vt aliquid ſit, quod ipſi non poſſunt perficere. Et ſic ipſorum potentia multum imminuitur.

Nam beneficia eo vſque læta ſunt, dum videntur exſolui poſſe: vbi multum anteuenere, pro gratia odium redditur.

VERISSIMA ſententia hac eſt: Beneficia eo vſque lata ſunt, dum videntur exſolui poſſe: vbi multum anteuenere, pro gratia odium redditur. Et hic videndi ſunt aurei illi Seneca De Beneficijs, libri: in quibus, vt in multis alijs, ſapientiſſimus ille ſcriptor ſe mirum in modum cum Tacito noſtro conformat. Et ſi hac ſententia, in ceteris mortalibus locum habet, maxime in Principibus vera eſſe conſpicitur. Quorum natura eſt, vt ſeipſos nemini, cunctos vero ſibi ipſis deuinctos eſſe, & exiſtiment, & exiſtimari velint. Et ſi forte aliquod beneficium ab aliquo acceperint maius, quàm vt reddere illi gratiam poſſint: tunc non de honeſtando illo, qui contulit, ſed de perdendo cogitare ſolent. Tranſuit enim in illorum exiſtimatione, beneficium in iniuriam. Hoc tamen intelligendum ſemper de Principibus prauis, & Tyrannis: & ſemper bonos excipimus.

Erat vxor Silio Soſia Galla, charitate Agrippinæ inuiſa principi. Hos corripi, dilato ad tempus Sabino, placitum: immiſſusq. Varro conſul, qui paternas inimicitias obtendens, odijs Seiani per dedecus ſuum gratificabatur.

MALAE ſunt artes ſe prouehendi Aulici illius, qui aliud obtendens, per dedecus ſuum gratificatur odijs gratioſi alienius & prapotentis apud Principem miniſtri in perniciem innocentium. Idque tanto fœdius apparet, quanto qui has artes exercet, magiſtratum aliquem gerit: & eo abutitur ad augendam ſuam rem: non ad Reipublica vtilitatem, vt deberet.

Precante reo breuem moram, dum accuſator conſulatu abiret, aduerſatus eſt Cæſar: ſolitum quippe magiſtratibus, diem priuatis dicere: nec infringendum conſulis ius, cuius vigilijs niteretur, ne quod Reſp. detrimentum caperet.

MAGISTRATVVM iura non ſunt infringenda, quorum vigilijs nititur: ne quid detrimenti Reſpub. capiat.

Proprium id Tiberio fuit, ſcelera nuper reperta priſcis verbis obtegere.

OMNIBVS Tyrannis hoc eſt proprium, nedum Tiberio ſoli: ſcelera nuper reperta, priſcis verbis obtegere. Nempe vt hac ſpecie verborum, ſcilicet æqui, boni, honeſti, ſecuritatis ac libertatis publica, & ſimiliũ, abutantur ad corrumpendam libertatem, & tyrannidem ſtabiliendam.

Igitur multa adſeueratione, quaſi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro conſul, aut illud Reſp. eſſet, coguntur patres, ſilente reo, vel ſi defenſionem cœptaret, non occultante cuius ira premeretur.

PVLCHRA, & grauis eſt irriſio hac Auctoris noſtri, qua vtitur erga illum obtentum, quo vtebatur Tiberius ad perdendum Silium: quaſi non vteretur auctoritate Conſulis, ad priuatorum odiorum vltionem, ſed potius in defenſionem, & maieſtatem Reipublica. Et obſeruanda ſunt hac tria capita: qua libera ciuitatis maxima ſunt indicia: nempe, Cum nullius potentia æquatur legibus, aut ſupra illas eſt: ſed per has vnas dirimuntur æquo iure controuerſia inter ciues. Secundum, cum magiſtratus non inſeruiunt, nec gratificantur per dedecus ſuum aliena potentia: ſed æquitate & dignitate ſua reguntur, ſemper veritatem pra oculis habentes. Tertium, cum Reſpublica nullius dominatione oppreſſa eſt: ſed libertas ſingulis ciuibus aqua eſt. Cum vero hac tria capita in contrarium verſa ſunt, ibi tyrannidem eſſe, proculdubio aſſeuerare poſſumus.

conſcientia belli, Sacrouir diu diſſimulatus, victoria per auaritiam fœdata, & vxor Soſia arguebantur.

CONSCIENTIA belli, hoſtis diu diſſimulatus, & victoria per auaritiam fœdata, magna ſunt in duce apud Principem, & Rempublicam crimina.

Nec du-

Nec dubie repetundarum criminibus hærebant. ſed cuncta quęſtione maieſtatis exercita. & Silius imminentem damnationem voluntario fine præuertit.

SAEPE clariſſimi & fortes viri, oppreſſi aduerſariorum potentia, antequam in illorum manus perueniant, voluntario fine prauertunt damnationem. Sed hoc religioni noſtra aduerſatur: & fugiendum eſt.

Sæuitum tamen in bona, non vt ſtipendiarijs pecuniæ redderentur, quorum nemo repetebat.

IVSTITIA requirit, vt ſi alicui publicantur bona, eo quòd repetundarum crimine teneatur, ijs reddantur, quibus prius ab ipſo iniuſte extorta fuerunt. Si vero aliter a Principe efficitur, ideo furem damnaſſe dicitur, vt illi cedat furtum: & vt in Adagio eſt, Suem excoriaſſe, vt illius ſpolio induatur. Id fœdiſſimum eſt, & a Principe euitandum.

Sed liberalitas Auguſti auulſa, computatis ſingillatim quæ fiſco petebantur. Ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. Soſia in exilium pellitur, Aſinij Galli ſententia, qui partem bonorum publicandam, pars vt liberis relinqueretur, cenſuerat.

NON debent eripi a Principe bona damnatorum liberis. Nam partem illorum illis relinquendo humaniter hoc praſtat, vt illi non impellantur egeſtate ad flagitia; ſed viuere ex liberalitate Principis valeant.

Contra M. Lepidus quartam accuſatoribus ſecundum neceſſitudinem legis, cetera liberis conceſſit. Hunc ego Lepidum temporibus illis grauem, & ſapientem virum fuiſſe comperio. Nam pleraque ab ſæuis adulationibus aliorum, in melius flexit.

DVBIVM non eſt, vt ſupra etiam obſeruauimus, quod cum maxime viget tyrannis, reperiri poſſunt in illo corrupto ſaculo graues aliqui, & prudentes viri: qui ſua virtute pleraque in melius ab ſauis aliorum adulationibus flectere ſolent. Et imitatur hoc in loco Salluſtium Auctor noſter, Sic enim ille in bello Iugurt: Sed in ea difficultate, Metellum non minus quàm in rebus hoſtilibus, magnum & ſapientem fuiſſe virum comperio: tanta temperantia inter ambitionem, ſauitiamq. moderatum, & qua ibi ſequuntur.

neque tamen temperamenti egebat, cum æquabili auctoritate, & gratia apud Tiberium viguerit.

GRAVES & prudentes viri, deflectendo pleraque ab ſauis adulationibus aliorum, & id non ſine temperamento; aquabili auctoritate & gratia apud Principem & Tyrannum vigere poſſunt. Et huc quadrat quod idem Auctor in vita Agricolæ inquit: Sciant quibus moris illicita mirari, poſſe etiam ſub malis Principibus magnos viros eſſe: obſequiumq. ac modeſtiā, ſi induſtria, ac vigor adſint, eo laudis excedere, quo plerique abrupta, ſed in nullum Reipub. vſum, ambitioſa morte inclaruerunt.

Vnde dubitare cogor, fato & ſorte naſcendi, vt cetera, ita principum inclinatio in hos, offenſio in illos: an ſit aliquid in noſtris conſilijs, liceatq. inter abruptam contumaciam & deforme obſequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum.

DVBITATIO non debet admitti, fato ne, & ſorte naſcendi, vt ſunt cetera, ſit etiam Principum inclinatio in hos, offenſio in illos: nulla enim vis eſt in fato, nulla neceſſitas. Sed dicendum eſt, eſſe multum in noſtris conſilijs: & licere inter abruptam contumaciam, ac deforme obſequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum. Idq. praſertim, ſi conſilia noſtra a iudicio recto, & prudentia reguntur. Quibus duobus qui pollet, huic nihil fere impoſſibile efficietur. Et notanda ſunt hæc duo extrema vitia omnium Aulicorum, & ſubditorum: Abrupta contumacia, & deforme obſequium. Magnus itaque vir, & cordatus, illius vice, vigorem animi erga Principem, huius loco, fidem & diligentiam exercebit, & praſtabit.

At Meſſalinus Cotta haud minus claris maioribus, ſed animo diuerſus, cenſuit, cauendum ſenatuſconſulto, vt quamquam inſontes magiſtratus & culpæ alienæ neſcij, prouincialibus vxorum criminibus, perinde quàm ſuis plecterentur.

ALTERIVS culpa, alteri equidem obeſſe non debet ſecundum Iuriſconſultum. Tamen, cum culpa viri ſit, ſi vxor modum excedit; non eſſet iniuſtum decretum, vt magiſtratus, quamquam

quàm inſontes, & aliena culpæ neſcij; plecterentur prouincialibus uxorum criminibus, perinde ac ſuis.

Actum dehinc de Calpurnio Piſone nobili ac feroci viro.

SVB Principe, qui ſapiat tyrannum; ſatius eſt, quieti ac manſueti nomen adipiſci, & retinere: quàm ferocis, & ſpirituum pleni.

Is namque, vt retuli, ceſſurum ſe vrbe, ob factiones accuſatorum, in ſenatu clamitauerat, & ſpreta potentia Auguſtæ, trahere in ius Vrgulaniam, domoq. principis excire auſus erat. Quæ in præſens Tiberius ciuiliter habuit. Sed in animo reuoluente iras, etiamſi impetus offenſionis languerat, memoria valebat.

PRINCIPVM animi quadam in præſens ciuiliter habere ſolent. Sed ſemper reuoluunt iras: vnde etſi impetus offenſionis languet, memoria tamen illis valet.

Piſonemq. grauius ſecreti ſermonis incuſauit aduerſum maieſtatem habiti. Adiecitq. in domo eius venenum eſſe, eumq. gladio accinctum introire curiam. Quod vt atrocius vero tramiſſum.

ADEO atrocia ſæpe obijciuntur alicui crimina, vt ſolum ex atrocitate pateat ea eſſe falſa.

Ceterorum, quæ multa cumulabantur, receptus eſt reus, neque peractus ob mortem opportunam.

OPPORTVNA eſt mors, quæ te eximit infamia, vel grauiori alicui ſupplicio.

Relatum & de Caſſio Seuero exule, qui ſordidæ originis, maleficæ vitæ, ſed orandi validus,

HVNC caueas, in quo hæc concurrant: ſordida origo, malefica vita, & orandi vigor.

per immodicas inimicitias,

REPERIVNTVR aliqui, qui cum noteſcere non poſſint, niſi ſuſpiciendis prapotentum inimicitijs, eas audacter amplectuntur: ſed ferme ſemper in ſuam perniciem.

vt iudicio iurati ſenatus Cretam amoueretur, effecerat.

DICITVR ſenatus, ſiue magiſtratus ſummus aliquis iuratus animaduertere in aliquem, vel ex officio, vt Iuriſconſulti loquuntur: cum etſi ille talis a nullo accuſatore factus ſit reus, tamen clare ſenatui, ſiue magiſtratui conſtet, ac cognitum ſit, illum maleficam vitam agere.

atque illic eadem actitando, recentia vereraq. odia aduertit, boniſq. exutus, interdicto igni atque aqua, ſaxo Seriphio conſenuit.

IMPOSSIBILE eſt quin cadat ille, quem recentia, & vetera odia premunt.

Per idem tempus Plautius Siluanus prætor, incertis cauſſis, Aproniam coniugem in præceps iecit. tractuſq. ad Cæſarem ab L. Apronio ſocero, turbata mente reſpondit, tamquam ipſe ſomno grauis, atque eo ignarus, & vxor ſponte mortem ſumpſiſſet. Non cunctanter Tiberius pergit in domum, viſit cubiculum, in quo reluctantis & impulſæ veſtigia cernebantur.

ACCIDVNT nonnumquam caſus, in quibus veritas nonniſi ex recentibus circumſtantijs elici poteſt a iudice, ſiue Principe. Hoc in caſu debet ipſe ſummam adhibere diligentiam, vt quamprimum, quid rei ſit, ex his circumſtantijs cognoſcat: vt ex loco, tempore, & ſimilibus. Igitur nihil contra decorum ſuæ perſonæ faciet iudex, ſiue Princeps, ſi ad ea loca non cunctanter perget, in quibus flagitij admiſſi recentia veſtigia apparere poſſint, vt poſtea rectum iudicium ferre queat. Quod erit impoſſibile, niſi ſuis ipſe oculis omnia viderit.

Refert ad ſenatum, datiſq. iudicibus Vrgulania Siluani auia pugionem nepoti miſit. Quod perinde creditum quaſi principis monitu, ob amicitiam Auguſtę cum Vrgulania.

FIVNT ſæpe occulto monitu Principum ea, quæ quamuis dura & ſæua, ad vitandam infamiam tamen, patrantur. Idcirco imminentibus leuiora poſſunt exiſtimari.

Reus

Reus fruſtra tentato ferro, venas præbuit exſoluendas. Mox Numantina prior vxor eius accuſata, inieciſſe carminibus & veneficijs vecordiam marito, inſons iudicatur.

DIGNAE ſunt vltimo ſupplicio vxores, quæ carminibus, & veneficijs inijciunt vecordiam marito. Nam hæ ſemper etiam adulteræ, & impudicæ reperiuntur.

Is demum annus populum Romanum longo aduerſum Numidam Tacfarinatem bello abſoluit, Nam priores duces ſibi impetrando triumphalium inſignia ſufficere res ſuas crediderant, hoſtem omittebant.

VTINAM non eſſet hic mos omnibus fere hominibus, etiam in reliquis virtutibus: ſcilicet vt ipſarum inſignibus contenti, virtutes ipſas omittant. Res enim mortalium melius ſe profecto haberent.

Iamq. tres laureatæ in vrbe ſtatuæ. & adhuc raptabat Africam Tacfarinas, auctus Maurorum auxilijs, qui Ptolemæo Iubæ filio, iuuenta incurioſo, libertos regios, & ſeruilia imperia bello mutauerant.

PROPRIVM eſt iuuenum, vt ſint incurioſi. Ariſt. 2. Rhet.

Erat illi prædarum receptor, ac ſocius populandi rex Garamantum, non vt cum exercitu incederet; ſed miſſis leuibus copijs, quæ ex longinquo in maius audiebantur:

RES omnes ex longinquo in maius audiuntur, præſertim de copijs hoſtilibus in re noua.

ipſaq. e prouincia vt quis fortunæ inops, moribus turbidus, promptius ruebant:

TALES ſunt, qui prompte in coniurationes & ſeditiones ruunt: nempe fortuna inopes, & moribus turbidi. Et hi libenter & prompte ruunt, hoc eſt affluunt, vbi res ſunt nouæ.

quia Cæſar poſt res a Blæſo geſtas, quaſi nullis iam in Africa hoſtibus, reportari Nonam legionem iuſſerat;

DISCERE poſſunt hinc a Tiberio omnes Principes, & Reſpublicæ, quòd cum omne belli momentum, quod geritur, & ſuſcitatur ab auctore nouarum rerum, in ſuis regionibus, ab illius perſona pendeat; dum ipſe, præſertim ſi acer eſt vir, eſt ſuperſtes, numquam poteſt dici bellum confectum. Ideo etſi copijs exutus ſit, tamen ab illius totali exitio deſiſtendum nō eſt. Sicut enim ex nihilo maximas potuit dare turbas; ita & iterum atque iterum, hinc atque illinc nouas cogere copias, & ipſos moleſtare poterit.

nec proconſul eius anni P. Dolabella retinere auſus erat, iuſſa principis magis, quàm incerta belli metuens.

TIMERE magis debet iuſſa Principis dux, quàm incerta belli: præſertim cum ſuſpicioſo, & ſæuo inſeruitur Principi.

Igitur Tacfarinas diſperſo rumore, rem Romanam alijs quoque ab nationibus lacerari, eoq. paulatim Africa decedere, ac poſſe reliquos circumueniri, ſi cuncti, quibus libertas ſeruitio potior, incubuiſſent: auget vires, poſitisq. caſtris, Thubuſcum oppidum circumſidet.

HAEC eſt ars, cui non minus, quàm opibus & copijs nititur rerum nouarum auctor: ſerere nempe rumorem, quòd is Princeps, contra quem inſurgit, ab alijs quoque hoſtibus laceretur. Vnde ſpes certa ſit poſſe circumueniri paruo negotio, ſi cuncti, quibus charior eſt ſeruitute libertas, ſecum contra eum incumbant. Dici non poteſt quantum hac arte copias ſuas augere ſoleat, ac poſſit.

At Dolabella, contracto, quod erat militum, terrore nominis Romani, & quia Numidæ peditum aciem ferre nequeunt, primo ſui inceſſu ſoluit obſidium, locorumq. opportuna permuniuit: ſimul principes Muſulanorum defectionem cœptantes ſecuri percutit.

SEVERE eſt agendum contra cœptantes defectionem tempore belli, vt ceteri exemplo deterreantur, & in fide maneant.

Dein

Dein quia pluribus aduerſum Tacfarinatem expeditionibus cognitum, non graui nec vno incurſu conſectandum hoſtem vagum, excito cum popularibus rege Ptolemæo, quattuor agmina parat, quæ legatis ac tribunis data: & prædatorias manus delecti Maurorum duxere.

SIC eſt agendum cum hoſte vago, & prædabundo. Parare nempe plura agmina, & vnumquodque dare ſingulis ducibus, vt ab aliquo illorum populator intercipi poſſit: alioquin ille velox, & vagus omnes eludet alias belli rationes, & hoſtes fruſtrabitur.

Ipſe conſultor aderat omnibus.

SEMPER debet dux exercitus, qui pluribus alijs minoribus ducibus diſtribuerit exercitum, omnibus conſultor adeſſe: & prudentia ſua cuncta regere.

Nec multo poſt adfertur Numidas apud caſtellum ſemirutum, ab ipſis quondam incenſum, cui nomen Auzea, poſitis mapalibus, conſediſſe fiſos loco, quia vaſtis circumſaltibus claudebatur. Tum expeditæ cohortes, alæq. quam in partem ducerentur ignaræ, cito agmine rapiuntur.

ADVERSVS hoſtem magnum & vagum, milites oportet ducere ignaros quo ducantur: ne hoſti notitia aduentus tui feratur. Sic Marius aduerſus Iugurtham ſe geſſit. Salluſt. in bel. Iug.

Simulq. cœptus dies, & concentu tubarum, ac truci clamore aderant ſemiſomnos in barbaros, præpeditis Numidarum equis, aut diuerſos paſtus pererrantibus. Ab Romanis confertus pedes, diſpoſitæ turmæ, cuncta prælio prouiſa: hoſtibus contra omnium neſcijs, non arma, non ordo, non conſilium, ſed pecorum modo, trahi, occidi, capi.

OBSERVENT hinc prouidi duces numquam ſic fidere loco, licet tuto, vt non diſponant vigilias, & omnia agant pro militari diſciplina: nam alioquin ſemper a paucis & ſtrenuis hoſtibus opprimi poterunt.

Infenſus miles memoria laborum, & aduerſum eludentes optatę toties pugnæ, ſe quiſque vltione & ſanguine explebant. Differtur per manipulos Tacfarinatem omnes notum tot prælijs conſectentur: nonniſi duce interfecto requiem belli fore.

QVANDO cum rebellibus, & latronibus res geritur; tunc niſi duce interfecto, requies non datur belli. Et elicitur regula militaris hinc: quòd ſi dux vult de hoſtibus adipiſci victoriam, debet aliqua ratione eniti, vt ſuus miles ira in hoſtem incendatur. Tunc enim vix expectato ducis iuſſu, ſua ſponte ruet ad vltionem hoſtis, & ſanguine hoſtili ſe explebit.

At ille delectis circum ſtipatoribus, vinctoq. iam filio, & effuſis vndique Romanis, ruendo in tela, captiuitatem, haud inulta morte, effugit.

SATIVS eſt, haud inulta morte, captiuitatem effugere; quàm viuum in hoſtium manus peruenire. Et hoc agere ſolent ſtrenui ac fortes viri, vt ſe hoſtili ludibrio eximant.

Isq. finis armis impoſitus. Dolabellæ petenti abnuit triumphalia Tiberius, Seiano tribuens,

INIQVE agunt Principes, ſi aliqui tales reperiuntur, nonnullis, qui gratioſi apud ipſos, & intimi ſunt, tantum tribuendo, vt merito præmio præclaros viros, & de ſe optime meritos, defraudent.

ne Blæſi auunculi eius laus obſoleſceret.

OBSOLESCIT laus in mediocri, cum in ſupremo conſpicitur. Et hinc euenit, quòd Romæ, ob ſupremarum dignitatum numerum, quæ quotidie viſuntur, cetera, quæ alibi maxime in ſe verterent omnium ora, & aſpectus; parui ducuntur, & leui aſpectu tranſeuntur.

Sed neque Blæſus ideo illuſtrior; & huic negatus honor gloriam intendit.

CLARIS viris negati honores gloriam intendunt. Sicut econuerſo honor non debitus alicui tributus, ipſum non reddit illuſtriorem. Virtus enim, non illius inſignia honeſtat homines.

Quippe

Quippe minore exercitu, inſigneis captiuos, cædem ducis, belliq. confecti famã deportarat. Sequebantur & Garamantum legati raro in vrbe viſi, quos, Tacfarinate cæſo, perculſa gens, & culpæ neſcia, ad ſatisfaciendum populo Ro. miſerat.

QVI ſunt in aliquo facinore culpa neſcÿ, ad amouendam ſuſpicionem, quæ de ipſis haberi poſſet, debent quamprimum purgare ſe, & ſatisfacere Principi.

Cognitis dehinc Ptolemæi per id bellum ſtudijs, repetitus ex vetuſto more, miſſuſq. e ſenatoribus, qui Scipionem Eburnum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regemq. & ſocium, atque amicum appellaret.

AMICORVM ſtudia & ſociorum, qui nos in ancipiti rerum noſtrarum ſtatu adiuuerunt, honore & præmio proſequi obnixe debemus.

Eadem æſtate mota per Italiam ſeruilis belli ſemina fors oppreſſit.

NVMQVAM, cum ſe dabit occaſio, ceſſabimus repetere: quod in bellorum euentibus, temporum accidentia, quæ fortuna nomine a Gentilibus veniebant, plurimum poſſunt. Et ſæpiſſime conficit ſors ea, quæ nullo vmquam igenio aut arte confici potuiſſent.

Auctor tumultus T. Curtiſius quondam prætoriæ cohortis miles, primo cœtibus clandeſtinis apud Brunduſium, & circumiecta oppida: mox poſitis propalam libellis ad libertatem vocabat agreſtia per longinquos ſaltus & ferocia ſeruitia: cum velut munere deûm tres biremes adpulere ad vſus comeantium illo mari.

DEI munere aſcribenda nobis ſunt, ſicut omnia bona, ita præſertim illa, quæ nobis proſpere accidunt, nullis noſtris conſilÿs.

Et erat iiſdem regionibus Curtius Lupus quæſtor, cui prouincia, vetere ex more, Calles euenerat. Is, diſpoſita claſſiariorum copia, cœptantem tum maxime coniurationem diſiecit.

SIC eſt agendum: Cum cœptat, eſt diſiicienda coniuratio: nam poſtquam adoleuit difficillima eſt, vt tollatur, Et cum periculum eſt in mora, diſcant hinc omnes Principum miniſtri, non ſemper ipſum abſentem conſulere: ſed diligenter, quod opus ſit, apud ſe penſitare, & mature exequi.

Miſſuſq. a Cæſare propere Statius tribunus cum valida manu, ducem ipſum, & proximos audaciæ in vrbem traxit iam trepidam ob multitudinem familiarum, quę gliſcebat immenſum, minore in dies plebe ingenua. Iiſdem conſulibus, miſeriarum, ac ſeuitię exemplum atrox. Reus pater, accuſator filius,

MAXIMVM certe eſt miſeriarum, ac ſæuitia exemplum, Reus pater, & accuſator filius. Sed ſub Tyranno quæ ſæuitiæ exempla non conſpiciuntur?

nomen rei, Q. Vibus Serenus, in ſenatum inducti ſunt, ab exilio retractus, inluuieq. ac ſqualore obſitus, & tum catena vinctus, petorante filio. Præparatur adulefcens multis munditijs, alacri vultu, ſtructas principi inſidias, miſſos in Galliam concitores belli, index idem & teſtis dicebat.

NON debet ſub æquo & graui iudice, multum fidei adhiberi illi, qui idem index & teſtis in cauſa eadem eſt, nec alia probatione nititur.

Adnectebatq. Cæcilium Cornutum prætorium miniſtrauiſſe pecuniam: qui tædio curarum, & quia periculum pro exitio habebatur, mortem in ſe feſtinauit.

SVB Tyranno vere periculum habendum eſt pro exitio. Eoq. magis, cum periculum venit a delatione maieſtatis. Siue enim innocens, ſiue conuictus de hoc crimine aliquis ſit; omni modo ſub Tyranno pereundum illi eſt: dummodo accuſatus ſit.

At contra reus nihil infracto animo, obuerſus in filium, quatere vincula, vocare vltores deos, vt ſibi quidem redderent exilium, vbi procul tali more ageret, filium autem quandoque ſupplicia ſequerentur.

HAVD leue in reo eſt innocentiæ ſignum, animum retinere nihil infractum.

Adſeue-

Adſeuerabatq. innocentem Cornutum, & falſa exterritum.

SAEPE innocentes, falſa exterrent: adeo vt defenſionem omittant, & animum penitus deſpondeant.

Idq. facile intellectu, ſi proderentur alij. Non enim ſe cædem principis, & res nouas vno ſocio cogitaſſe.

VERISIMILE non eſt, quòd quis cædem Principis, & res nouas vno ſocio cogitet. Hæc enim duo capita multorum comitum, & ſociorum multitudinem requirunt: ad hoc, vt patrari poſſint.

Tum accuſator Gn. Lentulum, & Seium Tuberonem nominat, magno pudore Cæſaris, cum primores ciuitatis, intimi ipſius amici, Lentulus ſenectutis extremæ, Tubero defecto corpore, tumultus hoſtilis, & turbandæ Reip. accerſerentur.

SAEPE qui excruciatur in tormentis ob crimen maieſtatis, accuſat intimos Principis eiuſdem criminis: non quòd reuera ſint rei, ſed vt omni amicorum præſidio Tyrannum ſpoliet. Sic Theodorus erga Hieronymum Syracuſanorum Tyrannum egit. Valer. lib. iij. cap. 3. & alij.

Sed hi quidem ſtatim exemti. In patrem ex ſeruis quæſitum. Et quæſtio aduerſa accuſatori fuit, qui ſcelere vecors, ſimul vulgi rumore territus, robur & ſaxum, aut parricidarum pœnas minitantium, ceſſit vrbe,

IVRE merito poteſt dici parricida ille, qui etſi patrem non interemit, tamen ſpecie atrocis alicuius criminis, illi mortis periculum creauit.

ac retractus Rauenna exequi accuſationem adigitur,

DEBET adigi & cogi ad peragendam & exequendam accuſationem ille, qui aliquem inſimulauit illius criminis, quod reſpicit perſonam Principis, vel Reipublicæ. Pœnitere enim illi non licet.

non occultante Tiberio vetus odium aduerſum exulem Serenum. Nam poſt damnatum Libonem, miſſis ad Cæſarem litteris, exprobrauerat ſuum tantum ſtudium ſine fructu fuiſſe: addideratq. quædam contumacius, quàm tutum apud aures ſuperbas, & offenſioni proniores:

MVLTVM cogitet Aulicus, antequam Principi ſcribat, vel cum eo loquatur, quid ſcribere, vel loqui debeat. Sed inter cetera caueat, ne in ſuo ſermone exprobrationis, vel contumaciæ ſignum aliquod appareat. Id enim intutum eſt apud aures ſuperbas, & offenſioni proniores: quales ferme ſunt omnium Principum. Et ſic infra loquitur Auctor lib. iij. Hiſt. inquiens de Antonio Primo: Nec ſermonibus temperabat, immodicus lingua, & obſequij inſolens, litteras ad Veſpaſianum compoſuit iactantius, quam ad Principem. &c.

ea Cæſar octo poſt annos retulit,

NVMQVAM Principes fere ſunt iniuriarum immemores. Adeo vt ſæpe, quæ temporis diuturnitate videbantur extincta, in medium proferant.

medium tempus varie arguens, etiam ſi tormenta, peruicacia ſeruorum, contra euenisſent. Dictis dein ſententijs, vt Serenus more maiorum puniretur, quo molliret inuidiam interceſſit.

EST clementis Principis officium mollire ſemper atrociora ſenatusconſulta, & ſententias, quæ contra aliquem, præſertim Principis cauſſa feruntur.

Gallus Aſinius, Gyaro aut Donuſa claudendum cenſeret; id quoque aſpernatus eſt, egenam aquæ vtramque inſulam referens, dandosq. vitæ vſus, cui vita concederetur.

CVI vita a Principe conceditur, illi ſunt dandi vitæ vſus. Nam cum in genere aliquid alicui datur, debent cenſeri omnia eſſe data, ſine quibus illud eſſe non poteſt.

Ita Serenus Amorgum reportatur. Et quia Cornutus ſua manu ceciderat, actum de præmijs accuſatorum abolendis, ſi quis maieſtatis poſtulatus ante perfectum iudicium ſe ipſe vita priuauiſſet.

NEMO debet mirari, ſub tyrannide tantam eſſe accuſatorum multitudinem: cum illis magna ſemper ſint a Tyranno propoſita præmia.

Ibaturq. in eam ſententiam, ni durius, contraq. morem ſuum palam pro accuſatoribus Cæſar inritas leges, Remp. in præcipiti conqueſtus eſſet.

CVM leges ſunt irritæ, vere tunc Reſpublica eſt in præcipiti. Sed hoc a Tiberio dictum fuit per ſolitas ambages, ſemper ſcelera noua priſcis verbis obtegente.

Subuerterent potius iura, quàm cuſtodes eorum amouerent.

POTIVS ſubuertenda ſunt iura, quàm eorum cuſtodes amouendi.

Sic delarores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem numquam ſatis coercitum per præmia eliciebantur.

PRAETER multa damna, quæ ſub Tyranno ſubditi patiuntur, illud non eſt vltimum: quòd delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis numquam ſatis coercitum; per præmia eliciuntur. Et aduertendum eſt, quòd aliud eſt deferre illum, qui in Rempub. vel Principem peccauit, aliud vero obſeruare quid quiſque agat, rimare omnium actiones, facta, & dicta ſcrutari, & in crimen detorquere. Nam primum & honeſtum eſt, & licitum: publica enim ſalus vnicuique cordi eſſe debet. Secundum vero fœdiſsimum ac atrociſsimum miniſterium eſt: cum hue intendat, vt Tyrannus, cum optimũ quemque ſuſtulerit e ciuitate, omni fræno ſolutus, in ceteros omnes graſſetur. Qui ergo talem operam Tyranno præſtat, hic vere publico exitio repertus dici poteſt,

His tam adſiduis tamq. mæſtis modica lætitia interijcitur, quòd C. Cominium equitem Romanum probroſi in ſe carminis conuictum, Cæſar precibus fratris, qui ſenator erat, conceſſit.

HOC ſolet eſſe in more Tyranni, vt cum ad corroborandam tyrannidem, opus ſit illi vti delatoribus, ac frequenter exercere iudicia maieſtatis, & in multos ſeruire; interÿciat inter tot odioſa iudicia aliquod ſpecimen clementiæ. Quod tamen reſpiciat potius dicta, quàm facta contra Principis maieſtatem. Et ſic plus laudis, ea condonando conſequitur, quàm vtilitatem in condemnando acquireret.

Quo magis mirum habebatur, gnarum meliorum, & quæ fama clementiam ſequeretur, triſtiora malle.

MIRVM hercle eſt, quòd aliquis Princeps gnarus meliorum, & quæ fama clementiam ſequatur, triſtiora malit. Cum clementia in ipſo antecedat omnes virtutes, quas exercere poſſit apud homines. Nec vlla alia virtus gratior hac in Principe reperiatur.

Neque enim ſocordia peccabat, nec occultum eſt, quando ex veritate, quando adumbrata lætitia, facta Imperatorum celebrentur.

NVLLO modo occultum eſſe poteſt, quando ex veritate, & quando adumbrata lætitia, facta Imperatorum celebrantur. Et hoc conſpicitur etiam in ſtatu a tyrannide oppreſſo.

quin ipſe compoſitus alias, & velut eluctantium verborum, ſolutius, promptiusq. eloquebatur, quoties ſubueniret.

VERISSIMVM eſt, ſi aduerteris. Qui ſceleſte aliquid & vitioſe concipiunt, eluctantium ſunt verborum, id eſt, quæ non temere & naturaliter, vt ita loquar, ſed ex accurato delectu, & cum ſenſu mentis pugnante promuntur. Contra, ſi cum virtute aliquid operantur, ſolutius, promptiusq. eloquuntur.

At P. Suillium quæſtorem quondam Germanici, cum Italia arceretur, conuictus pecuniam ob rem iudicandam cepiſſe, amouendum in inſulam cenſuit, tanta contentione animi, vt & iurando obſtringeret e Rep. id eſſe.

MAGNAM pœnam meretur ille, qui conuictus eſt cepiſſe pecuniam, ob rem iudicandam.

Quod aſpere acceptum ad præſens, mox in laudem vertit, regreſſo Suillio.

SAEPE dicta Principum, quamuis fortuita, vaticinia ſunt, cum illis euentus ſubſequitur. Sic idem infra, de Galba loquens, illi prædixit imperium. Et de hoc Suillio, habes infra lib. xÿ. Annal. Sænus accuſandis reis Suillius, exquiſitiore in Domitium adulatione. &c.

quem

quem vidit ſequens ætas præpotentem, venalem, & Claudij principis amicitia diu proſpere, numquam bene vſum.

VTINAM in Principum Aulis hoc non conſpiceretur: quòd, qui ſunt præpotentes, ſint etiam venales. Et amicitia Principis, etſi proſpere, numquam tamen bene vtantur. Et differunt inter ſe, proſpere vti, & bene vti amicitia Principis. Hoc enim ſolum fit à viris probis, & qui magis Principem amant, quàm ipſius fortunam. Illud vero à ſceleſtis fieri ſolet, adulatoribus, & ſimilibus vilibus perſonis. Quæ nihil æſtimant, in perniciem nec ne ſit Principis, vel Reipublicæ, quod agunt: dummodo ipſis aliqua inde proueniat vtilitas.

Eadem pœna in Catum Firmium ſenatorem ſtatuitur, tamquam falſis maieſtatis criminibus ſororem periuiſſet. Catus, vt retuli, Libonem inlexerat inſidijs, deinde iudicio percurrerat. eius operæ memor Tiberius, ſed alia prætendens, exilium deprecatus eſt. Quo minus ſenatu pelleretur, non obſtitit.

EORVM, qui ipſi aliquo tempore, ſedulam, & fidelem operã præſtiterunt, debet eſſe memor Princeps, cum ſe offert occaſio. Vt omnibus ceteris animũ augeat ſe promptos exhibendi in rebus ſuis.

Pleraque eorum, quæ retuli, quæq. referam, parua forſitan & leuia memoratu videri non neſcius ſum. Sed nemo Annales noſtros cum ſcriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res compoſuere. Ingentia illi bella, expugnationes vrbium, fuſos captosq. reges, aut, ſi quando ad interna præuerterẽt, diſcordias conſulum aduerſum tribunos, agrarias frumentariasq. leges, plebis & optimatium certamina libero egreſſu memorabant. Nobis in arto & inglorius labor. Immota quippe, aut modice laceſſita pax, mæſtæ vrbis res, & princeps proferendi imperij incurioſus erat.

HISTORICO illi, qui ſcribit res ſub Tyranno actas, incurioſo proferendi imperij, eſt labor in arto & inglorius. Quippe immota eſt pax, aut modice laceſſita, & mæſta ſunt vrbis res. Et cauſſas talis ſtatus ſupra abunde proſecuti ſumus. Et obſeruent Principes, quòd vt magnam affert ipſis laudem, proferre imperium: ſic econuerſo, Princeps incurioſus illius proferendi, dedecus committit. Id tamen hodie decet fieri contra Chriſtiani generis hoſtes, et religioni noſtræ aduerſantes: non contra Chriſtianos eoſdem.

Non tamen ſine vſu fuerit, introſpicere illa primo aſpectu leuia, ex quîs magnarum ſæpe rerum motus oriuntur.

IN Rerumpub. & Principatuum ſtatu, non eſt ſine vſu, introſpicere illa primo aſpectu leuia, ex quîs magnarum ſæpe rerum motus oriuntur.

Nam cunctas nationes & vrbes, populus, aut primores, aut ſinguli regunt. delecta ex his & conſtituta Reip. forma laudari facilius, quàm euenire, vel ſi euenit, haud diuturna eſſe poteſt.

NATIONES cunctas, & vrbes; populus, aut primores, aut ſinguli regunt: hoc eſt, Nulla eſt natio, quæ ex aliqua certa Reipub. forma conſtituta non ſit. Ex quibus delecta, & conſtituta Reip. forma facilius laudari, quàm euenire, vel ſi euenit, haud diuturna eſſe poteſt. Nullum enim imperium ſub lunari ſphæra eſt, quod diuturnum fuerit, vel futurum ſit. Excepto tantum ſummo Petri Apoſtolatu, & ſancta Romana Eccleſia: Nam porta inferi numquam praualebunt aduerſus eam.

Igitur vt olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noſcenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur, ſenatusq. & optimatium ingenia, qui maxime perdidicerant callidi temporum, & ſapientes credebantur: ſic conuerſo ſtatu, neque alia rerum, quàm ſi vnus imperitet, hæc conquiri tradiq. in rem fuerit:

AVLICI perfecti vera baſis, & fundamentum hoc eſt, vt noſcat Principis, cui inſeruit, naturam, & quibus modis temperanter ſe habeat: & modo omni denique eius ingenium perdiſcat. Hoc niſi aſſequetur, officium callidi, & ſapientis numquam acquiret: nec magnos progreſſus faciet. Nec alia in re melius ſapiens dignoſcitur à ſtulto, quàm hac vna: in vtendo ſcilicet recte ac ſcienter conditione temporum, & illis inſeruiendo.

quia pauci prudentia, honeſta ab deterioribus, vtilia ab noxijs diſcernunt, plures aliorum euentis docentur.

IN Aulis Principum, pauci prudentia, honeſta ab deterioribus, vtilia ab noxijs diſcernunt: ſed plures aliorum euentis docentur. Et vt ille dicebat: Vulgus omnia ſunt plena.

ceterum vt profutura, ita minimum oblectationis adferunt.

HOC fermè ſemper euenit, vt profutura minimum oblectationis afferant. Pharmacorum more, quæ amara palato, ſaluti vero vtilia apprimè eſſe ſolent.

Nam ſitus gentium, varietates præliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum.

HAEC maximè in hiſtorico lecta placent: Situs gentium, varietates præliorum, & clari ducum exitus. Quibus omnibus retinetur, ac redintegratur legentium animus. Sed qui magis doceri, & erudiri cupiet, quàm delectari; hiſtorias amplectetur, quæ docent, non quæ delectant. Harum in numero primum locum tenet hæc noſtra Taciti, ſapientiorum iudicio.

Nos ſæua iuſſa, continuas accuſationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, & eaſdem exitu cauſſas coniungimus,

SVB tyrannico ſtatu, hæc viſuntur: Sæua iuſſa, continuæ accuſationes, fallaces amicitiæ, pernicies innocentum, & eadem cum exitu cauſſa.

obuia rerum ſimilitudine, & ſatietate.

SEMPER rerum ſimilitudo eſt obuia ſatietati.

Tum quod antiquis ſcriptoribus rarus obtrectator. neque refert cuiuſquam Punicas, Romanaſue acies lætius extuleris. At multorum, qui, Tiberio regente, pœnam vel infamiam ſubiere, poſteri manent. Vtq. familiæ ipſæ iam extinctæ ſint, reperies qui ob ſimilitudinem morum aliena malefacta ſibi obiectari putant.

CVM ob ſimilitudinem morum accidat, vt aliena malefacta homines ſibi obiectari putent; hinc circumſpiciet ſemper prudens Aulicus, ſi cum alio loquetur, ne in aliqua perſona reprehendat aliquid, quod in illo ipſo, cum quo loquitur, argui poſſit.

Etiam gloria ac virtus infenſos habet, vt animus ex propinquo diuerſa arguens.

HOC eſt veriſſimum, quòd etiam gloria & virtus infenſos habet, vt animus ex propinquo diuerſa arguens. Qua de cauſſa prudens Aulicus ſimiliter, numquam immoderatas laudes alicui dabit cum alio colloquens. Fieri enim poterit, vt ille ſibi hac comparando, diuerſa arguat, quaſi ſuæ propriæ virtutes reticeantur, cum alienæ celebrantur.

Sed ad incœpta redeo. Cornelio Coſſo, Aſinio Agrippa Coss. Cremutius Cordus poſtulatur, nouo ac tunc primum audito crimine, quòd editis annalibus, laudatoq. M. Bruto, C. Caſſium Romanorum vltimum dixiſset.

CVM Tyrannus Rempub. oppreſſit, ob liberiora dicta ſæpe venit pernicies claris viris, & præſtantibus: & ſic noua emergunt, & tunc primum audita crimina.

Accuſabant Satrius Secundus, & Pinarius Natta, Seiani clientes. Id perniciabile reo, & Cæſar truci vultu defenſionem accipiens. quam Cremutius relinquendæ vitæ certus, in hunc modum exorſus eſt: Verba mea P. C. arguuntur; adeo factorum innocens ſum.

PARVM conducit ſub Tyranno, quòd factorum ſis innocens: nam verba tua arguentur. Sed magnum argumentum in aliquo eſt, quod ſit factorum innocens, cum verba arguentur: nam ſi in illis deliquiſſet, hæc omitterentur, illa arguerentur.

Sed neque hæc in principem, aut principis parentem, quos lex maieſtatis amplectitur.

LEX maieſtatis amplectitur non ſolum Principem, ſed & eius parentem, & filios. Ideò quicumque in illos loquitur procaciter, hac lege tenetur.

Brutum

Brutum, & Caſſium laudauiſſe dicor. Quorum res geſtas cum plurimi compoſuerint, nemo ſine honore memorauit.

NVMQVAM ſunt ſine honore memorandi viri inſignes, ac virtute præclari.

Titus Liuius eloquentiæ ac fidei præclarus in primis, Gn. Pompeium tantis laudibus tulit, vt Pompeianum eum Auguſtus appellaret.

DVO hæc ſunt, quæ in hiſtoriarum ſcriptore requiruntur, fides, & eloquentia.

Neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipſum Caſſium, hunc Brutum, nuſquam latrones & parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, ſæpe vt inſignis viros nominat.

TANTA eſt vis virtutis, vt eam, in hoſte etiam, & amare, & laudare cogamur.

Aſinij Pollionis ſcripta egregiam eorundem memoriam tradunt. Meſſala Coruinus imperatorem ſuum Caſſium prædicabat. Et vterque opibusq. atque honoribus peruiguere. Marci Ciceronis libro quo Catonem cælo æquauit, quid aliud dictator Cæſar quã reſcripta oratione, velut apud iudices, reſpondit?

LAVDARE alicuius aduerſarium, eſt oblique illius, cui eſt aduerſarius, facta, & vitam improbare.

Antonij epiſtolæ, Bruti conciones, falſa quidem in Auguſtum probra, ſed multa cum acerbitate habent. Carmina Bibaculi & Catulli referta contumelijs Cæſarum leguntur. Sed ipſe diuus Iulius, ipſe diuus Auguſtus & tulere iſta, & reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis an ſapientia. Namque ſpreta exoleſcunt: ſi iraſcare, adgnita videntur.

MAGNAM & moderationem, & ſapientiam oſtendunt Principes, perferendo rumores & conuicia, quæ de ipſis a ſubditis ſparguntur. Nam ſpreta exoleſcunt, ſi iraſcare, agnita videntur. Huc pertinet præceptum Mæcenatis Auguſto datum apud Dionem, in illa numquam ſatis laudata oratione lib. lij.

Non attingo Græcos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita.

DIFFERVNT inter ſe valde, libertas loquendi, ſcribendique, & libido. Illa enim a virtute, hæc vero a vitio, quod eſt procacitas, originem ducit.

Aut ſi quis aduertit, dictis dicta vltus eſt.

POENA eſt commenſuranda delicto. Ideo, dicta dictis ſunt vlciſcenda, & non factis.

Sed maxime ſolutum, & ſine obtrectatore fuit, prodere de ijs, quos mors odio, aut gratiæ exemiſſet.

SOLVTVM maxime, & ſine obtrectatore debet eſſe, prodere de ijs, quos mors odio, aut gratia exemit.

Num cum armatis Caſſio & Bruto, ac Philippenſes campos obtinentibus, belli ciuilis cauſſa populum per conciones incendo? an illi quidẽ ſeptuageſimum ante annum perempti, quo modo imaginibus ſuis noſcuntur, quas nec victor quidem aboleuit, ſic partem memoriæ apud ſcriptores retinent?

MVLTVM differunt inter ſe, ſeditioſis vocibus populum per conciones incendere, & bellum ciuile concire; & ſcribere res illorum defunctorum, etſi hoſtes fuerunt anteceſſorum Principis regnantis. Primum enim magnam meretur pœnam, ſecundum nullam.

ſuum cuique decus poſteritas rependit.

POSTERITAS rependit cuique ſuum decus: non enim æmulatione impeditur, nec inuidia. Quæ duæ paſſiones non recte ſinunt iudicari a præſentibus.

Nec deerunt, ſi damnatio ingruit, qui non modo Caſſij & Bruti, ſed etiam mei meminerint. Egreſſus dein ſenatu, vitam abſtinentia finiuit. Libros per ædiles cremandos cenſuere patres; & manſerunt occultati & editi.

DEBENT cremari publico decreto libri illi, qui aliquid in DEVM, vel principem, vel Rempub. continent: ne malo doctrina genere homines imbuant. Sed vix fieri poteſt, vt quamuis hoc ſequatur, tamen occultati non maneant, ac tandem edantur.

Quo magis ſocordiam eorum inridere libet, qui præſenti potentia credunt extingui poſſe etiam ſequentis æui memoriam.

ERRANT, qui credunt præſenti potentia poſſe extingui ſequentis æui memoriam. Nam Tyranni, dum imperant, poſſunt quidem terrere homines, ne loquantur aut ſcribant: ſed efficere vt eorum, quæ geruntur, memoria deleatur, non ſolum ipſi, ſed ne tempus quidem poteſt.

Nam contra, punitis ingenijs gliſcit auctoritas.

AVCTORITAS gliſcit punitis ingenijs. Fit enim inde indicium quod aliquid magni momenti contineant eorum ſcripta, adeo vt pœna coerceri, quin legantur, debuerint. Ideo prudens Princeps, ſi aliquid extingui cupit, non ſummo ſtudio illud vetare debet, ſed quaſi illud tale ſit, quod negligi debeat, ipſe reuera negligat, & vaneſcere temporis proceſſu ſinat. Hoc enim modo neglecta per ſe ipſa peribunt.

Neque aliud externi reges, aut qui eadem ſæuitia vſi ſunt, niſi dedecus ſibi, atque illis gloriam peperere.

PRINCIPES, qui ingeniorum clarorum ſcripta prohibent, aut puniunt, nil aliud agunt, niſi quod dedecus ſibi, atque illis gloriam pariunt.

Ceterum poſtulandis reis, tam continuus annus fuit, vt feriarum Latinarum diebus præfectum vrbis Druſum auſpicandi gratia tribunal ingreſſum adierit Calpurnius Saluianus in Sextum Marium. Quod a Cæſare palam increpitum, cauſſa exilij Saluiano fuit.

AVLICVS prudens, cum aliquid magni momenti vult tractare cum Principe, eum non adeat, ſi alij negotio magno intentus ſit: parum enim grate audietur: ſed occaſionem præſtoletur, qua videat Principem lætum ſibi poſſe vacare.

Obiecta publice Cyzicenis incuria cærimoniarum diui Auguſti,

QVAE in Principis honorem inſtituuntur cærimoniæ, omittendæ ſunt a nemine, nec negligendæ. Illarum enim incuria, palam oſtendit in nobis obſequij, & obſeruantiæ erga illum, diminutionem eſſe factam.

additis violentiæ criminibus aduerſum ciues Rom. Et amiſere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant circumſeſſi, nec minus ſua conſtantia, quam præſidio Luculli, pulſo rege.

SICVT merita in aliquo affici præmio congruo debent, ita & in eodem, ſi poſtea deliquerit, malefacta puniri iuſtum eſt. Nec vmquam præmia cum pœnis ſunt confundenda, & in eodem ſubiecto compenſanda.

At Fonteius Capito, qui proconſul Aſiam curauerat, abſoluitur, comperto ficta in eum crimina per Vibium Serenum. neque tamen id Sereno noxæ fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat.

SVB Tyranno non eſt mirum illos, qui ipſi grati præcipue ſunt, ceteris omnibus odio eſſe, ob ſæua & fœda miniſteria, quæ tales homines in communem perniciem ciuium, illius iuſſu exercere ſolent.

Nam vt

Nam, vt quis diſtrictior accuſator, velut ſacroſanctus erat: leues, ignobiles pœnis adficiebantur. Per idem tempus Hiſpania vlterior, miſſis ad ſenatum legatis, orauit, vt exemplo Aſiæ, delubrum Tiberio matriq. eius extrueret:

MAGNAM cauſſam lætandi habent Principes, cum vident prouincias ſuas certare de cultu, obſequio, & veneratione erga ipſum.

qua occaſione Cæſar, validus alioqui ſpernendis honoribus,

ETSI Princeps debet eſſe validus ſpernendis honoribus; tamen illis numquam dare debet occaſionem.

& reſpondendum ratus ijs, quorum rumore arguebatur in ambitionem flexiſſe, huiuſcemodi orationem cœpit.

PESTIFERA eſt ambitio in Principe. Ideo prudens Princeps omni cura, & ſtudio cauebit, non ſolum ne in eam flectat; ſed etiam ne videatur flectere. Et rumores, qui non tam de hoc, quàm de ceteris ſuis vitijs incerto auctore feruntur, diligenter excipere debet. Vt illis tamquam moderatoribus actionum ſuarum vtens, quid fugiendum ſit diſcat, & quid ſequendum. Hinc auſcultatorum præcipue emanauit vſus.

Scio P. C. conſtantiam meam a plerìſque deſideratam, quòd Aſiæ ciuitatibus nuper idem iſtud petentibus non ſim aduerſatus,

IN Principe eſt turpe, deſiderari eius conſtantiam. Quæ vna e præcipuis partibus eſt, quæ illi exiſtimationem acquirant, & conſeruent. Et non niſi cum magna laude perſpicitur hæc virtus, in ſpernendis nimijs honoribus ſibi delatis.

ergo, & prioris ſilentij defenſionem, & quid in futurum ſtatuerim ſimul aperiam. Cum diuus Auguſtus ſibi, atque vrbi Romæ templum apud Pergamum ſiſti non prohibuiſſet, qui omnia facta, dictaq. eius vice legis obſeruem, placitum iam exemplum promptius ſecutus ſum, quia cultui meo veneratio ſenatus adiungebatur.

SEMPER, vt ſupra obſeruauimus, Principis noui ſucceſſor, vice & loco legis, omnia facta & dicta præceſſoris obſeruare ſolet, ob rationes, quas abunde ibi adduximus. Et ſunt obſeruanda hæc duo vocabula, cultus, & veneratio. Ille enim Principi, hæc viris ampliſſimis debetur. Ille eſt maior, hæc minor.

Ceterum, vt ſemel recepiſſe, veniam habuerit, ita per omnes prouincias effigie numinum ſacrari ambitioſum, ſuperbum,

SEMEL recipere aliquid extraordinarij honoris, in Principe venia eſt dignum: ſæpius vero & ab omnibus, eſt ambitioſum, & ſuperbum. Idq. in omnibus fere alijs rebus dici poteſt.

& vaneſcet Auguſti honor, ſi promiſcuis adulationibus vulgatur.

HONOR Principis vaneſcit, ſi promiſcuis adulationibus vulgatur. Quod cauere debet maxime quiſque Princeps.

Ego me P. C. mortalem eſſe, & hominum officia fungi, ſatiſq. habere, ſi locum principem impleam, & vos teſtor, & meminiſſe poſteros volo.

SI Alexander ille Magnus hanc Tiberij ſententiam amplexus fuiſſet: Principes eſſe mortales, & hominum officia fungi, & ſatis illis eſſe debere, quòd principem locum impleant: hoc eſt, vt pro vniuerſa Republica excubent, & paſtorum more, hoſtes ab illa arceant, in pace ſubiectos regant, & pro illorum ſecuritate ſemper laborent: non autem, quòd in luxu, & voluptatibus ſummam principatus totius ponant, vt aliqui falſo arbitrantur: Si inquam Alexander hoc cogitaſſet; numquam profecto ſe Iouis Hammonis filium, & Deum credi, & adorari paſſus eſſet. Etſi etiam ipſe errorem ſuum agnouerit, cum ad Aſſacana ictu ſagitta Indica ſaucius, & ſanguinem effundens, adulatoribus ſubridens dixit:

Hic quidem eſt ſanguis:
Non ichor, qualis ſtillat de ſanguine diuum.

Plut. De fortuna Alexandri. Orat. II.

Quis

Qui ſatis ſuperq. memoriæ meæ tribuent, vt maioribus meis, dignum, rerum veſtrarum prouidum, conſtantem in periculis, offenſionum pro vtilitate publica non pauidum credant.

HOC decet Principem præſtare, & hic eſt verus honor, & vera memoria ſui: Rerum publicarum eſſe prouidum, conſtantem in periculis, & offenſionum pro vtilitate publica non pauidum. Quæ omnia tam exactè exhibet de ſe SIXTVS V. P. M. vt nihil amplius deſiderari poſſit.

Hæc mihi in animis veſtris templa, hæ pulcherrimæ effigies, manſuræ. Nam quæ ſaxo ſtruuntur, ſi iudicium poſterorum in odium vertit, pro ſepulchris ſpernuntur.

MEMORIA laudabilis in animis ſubditorum, & nominis ſui æternitas cum laude, ſunt Principi templa, & effigies pulcherrimæ, & manſuræ. Nam quæ ſaxo ſtruuntur, ſi iudicium poſterorum in odium vertit, pro ſepulchris ſpernuntur. Tam malis enim, quàm bonis Principibus promiſcuè ſtruuntur. Sic idem Auctor in vita Agricolæ: Non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore, aut ære finguntur: ſed vt vultus hominum, ita ſimulachra vultus imbecilla ac mortalia ſunt. Forma mentis æterna, quam tenere, & exprimere non per alienam materiam, ſed tuis ipſe moribus poſſis.

Proinde ſocios, ciues, & deos, & deas ipſas precor, hos vt mihi ad finem vſque vitæ, quietam & intelligentem humani, diuiniq. iuris mentem duint: illos, vt quandocunque conceſſero, cum laude & bonis recordationibus, facta, atque famam nominis mei proſequantur.

HAEC duo debet precari Princeps omnis: DEVM nempe, vt illi ad finem vſque vitæ, quietam, & intelligentem diuini, atque humani iuris mentem det. Ob hoc enim eſt Princeps, vt inter gentes diſcernat ius, & iniuriam: & hinc dicitur a Iuriſconſultis, In ſcrinio pectoris eius eſſe omnia iura. Homines porro, vt quandocumque conceſſerit, cum laude, & bonis recordationibus, facta, & famam nominis ſui proſequantur. Hoc enim ex præclaris factis tantum, & non aliunde oritur.

Perſtitiq. poſthac ſecretis etiam ſermonibus aſpernari talem ſui cultum. quod alij modeſtiam, multi quia diffideret, quidam vt de generis animi interpretabantur.

CVM actionum Principis pauci cauſſam calleant, hinc fit, vt variæ interpretationes illis aſsignentur. Et obſeruanda ſunt hæc tria capita, quibus aliquis ſolet adduci ad ſpernenda illa, quæ fere cæteri omnes cupiunt: Modeſtia, Diffidentia aſſequendi, & Puſillanimitas.

Optumos quippe mortalium altiſſima cupere. Sic Herculem, & Liberum apud Græcos, Quirinum apud nos deum numero additos. Melius Auguſtum, qui ſperauerit.

QVI altiſſima cupiunt, optimi ſunt mortalium. Et ratio hæc eſt, quia hi tales viri virtutem poſſident: qua duce, nihil ſibi imperuium, & impoſſibile exiſtimant. Nec maius eſt argumentum animi robuſti, & excelſi, quàm humilia ſpernere, & quæ vulgus adeo delectant, ſublimia vero ſemper ſuſpicere. Huc pertinent ferè omnes libri Ciceronis in Philoſophicis: Seneca in Epiſtolis, & in tractatu de Beneficijs. Quorum auctorum exempla, & auctoritates huc referre ſuperſedeo, quia volumina integra transferre oporteret. Ideo lectorem ad illos remitto, abunde enim ſitim in hac materia ibi explebit. Huc pertinet, quod Tacitus noſter lib. iiij. Hiſt. inquit: Sapientibus etiam cupido gloriæ nouiſsima exuitur.

Cetera principibus ſtatim adeſſe. vnum inſatiabiliter parandum, proſperam ſui memoriam. Nam contemptu famæ, contemni virtutes.

STATIM adſunt cætera Principibus, dummodo enim velint, potentia ſua poſſunt conſequi quidquid in rebus iſtis fluxis & caducis continetur. Vnum vero illis inſatiabiliter eſt parandum, proſpera ſui memoria. Nam hæc ſolum virtute, & claris factis paratur. Sed quia ferme ſemper, vt ſolis vmbra, ſic fama bona comes ire virtuti ſolet, ideo vere poteſt dici, quòd contemptu famæ, contemnuntur & virtutes.

At Seia-

At Seianus nimia fortuna ſocors,

CVM ſecundæ res acrioribus ſtimulis animum noſtrum exagitēt, vt in lib. 1. Hiſt. inquit Auctor noſter; nil mirum eſt, ſi multi nimia fortuna fiunt ſecordes. Vt econuerſo, induſtrij efficiuntur a paupertate, & anguſtia rerum.

& muliebri inſuper cupidine incenſus, promiſſum matrimonium flagitante Liuia, componit ad Cæſarem codicillos.

MAXIMVM in hominibus ſtimulum audendi, & patrandi ſumma quaque, & maxima ſcelera, excitat muliebris cupido.

Moris quippe tum erat, quamquam præſentem, ſcripto adire. Eius talis forma fuit:

VETVSTISSIMVS eſt mos, Aulicum adire ſcripto, & codicillis Principem, etſi præſentem, & id eſt e dignitate & maieſtate Principis, potius quàm coram ſecum agere. Et multis Principum id placet. Inter quos eſt SIXT. V. Pont. Max. Nec Aulico id officit: nam melius ſic deſiderium ſuum patefaciet: Cum epiſtola non erubeſcat, ſecundum Ciceronem, & Principi tædium loquendi, in reſpondendo, auferat. Plautus lepide hunc morem expreſſit in Milite glorioſo, cum inquit: Per epiſtolam, aut per nuntium, quaſi regem, adiri eum aiunt.

Beneuolentia patris Auguſti, & mox plurimis Tiberij iudicijs ita inſueuiſſe, vt ſpes votaq. ſua non prius ad deos, quàm ad principum aures conferret.

CALLIDISSIMORVM Aulicorum, & qui adulatoriam artem ſapiunt, hic eſt mos, & hæc eſt ars; vt cum aliquid magni momenti a Principe petere volunt, dicant, quod hic Seianus ſcribit Tiberio: nempe ſe ita inſueuiſſe ipſius beneuolentia & iudicio, vt ſpes votaq. ſua non prius ad Deum, quam ad aures Principis conferant. Hoc eſt, Apud ipſos tanti Principem fieri, & æſtimari, vt non minus præſidij & ſpei ſibi poſitum in ipſius benignitate exiſtiment, quàm in Deo ipſo. Sed quia impia, nedum vilis eſt hæc ſpecies obſequij, fugienda ſemper erit.

Neque fulgorem honorum vmquam precatum. Excubias ac labores, vt vnum e militibus, pro incolumitate Imperatoris malle.

ETSI Aulicus omnia apud Principem agit, vt honores & dignitates apiſcatur: tamen ore ſuo, & extrinſecis ſignis id numquam prætendere debet. Immo fulgorem honorum numquam ipſe precetur: ſed excubias ac labores pro ipſo Principe petat, & flagitet. His enim poſtea ſuccedunt honores & dignitates, citra ambitionem conſequentis.

Attamen quod pulcherrimum adeptum, vt coniunctione Cæſaris dignus crederetur.

AVLICO pulcherrimum equidem eſt huc peruenire, vt Principis coniunctione dignus credatur.

Hinc initium ſpei. Et quoniam audiuerit Auguſtum in conlocanda filia nōnihil etiam de equitibus Romanis conſultauiſſe: ita ſi maritus Liuiæ quæreretur, haberet in animo amicum, ſola neceſſitudinis gloria vſurum. Non enim exuere impoſita munia.

AVLICVS, etſi cognatione Principis, aliove inſigni honore honeſtatus eſt, non ideo impoſita ſibi prius munia exuere debet: immo acrius Principi operam ſolitam præſtare conuenit.

ſatis æſtimare firmari domum aduerſum iniquas Agrippinæ offenſiones.

AFFINITATE Principis, aut potentis alicuius, ſatis firmamur aduerſus odia & inimicitias aliorum potentum.

Idq. liberorum cauſſa.

LIBERIS non tantum debet in præſens conſulere pater; ſed prouidere etiam, vt poſt eius mortem, non relinquantur odijs, aut inimicitijs potentum expoſiti, neue re in aliqua indigeant.

Nam

Nam ſibi multum, ſuperq. vitæ fore, quod tali cum principe expleuiſſet:

AVLICVS ſemper profiteri debet, ſibi vitam non poſſe eſſe iucundam, quam ipſi Principi ſuperſtes degat: ſic enim mire illius amorem conciliabit.

Ad ea Tiberius, laudata pietate Seiani, ſuisq. in eum beneficijs modice percurſis,

PRVDENTER fecit Tiberius, modice percurrendo ſua in Seianum beneficia. Cum enim ſit quaſi exprobratio immemoris beneficij, commemoratio beneficiorum, vt ſupra obſeruanimus: hoc fœdum & turpe eſt omnibus hominibus, ſed magis Principibus.

cum tempus tamquam ad integram conſultationem petiuiſſet, adiunxit.

FESTINA lente: dicebat grauiſſimus ille Imperator. Ideo Princeps, cum aliquid magni momenti ab ipſo petitur, non debet ſtatim reſpondere: ſed tempus adhibere, tamquam ad integram conſultationem.

Ceteris mortalibus in eo ſtare conſilia, quid ſibi conducere putent. Principum diuerſam eſſe ſortem, quibus p ræcipua rerum ad famam dirigenda.

IN eo ſtant conſilia ceteris mortalibus, quid ſibi conducere putent: ſolam enim vtilitatem in deliberationibus vulgus ſibi proponit. Principum vero diuerſa eſt ſors, quibus præcipua rerum ſunt ad famam dirigenda. Cum maxima quæque negotia, ſola fama, & exiſtimatione videantur eſſe ſubnixa.

Ideo ſe non illuc decurrere, quod promptum reſcriptu:

NON ſtatim debet Princeps in deliberationibus eo decurrere, quod eſt promptum reſcriptu: ſed altius & maturius ipſi eſt deliberandum.

poſſe ipſam Liuiam ſtatuere nubendum poſt Druſum, an in penatibus ijſdem tolerandum haberet:

EX dignitate mulieris Principis vidua ex Principe, non eſt, tranſire ad ſecunda vota cum priuato, ſed magis decet illam tolerare in ijſdem penatibus.

eſſe illi matrem & auiam, propiora conſilia.

IN tractandis filiarum, & neptium matrimonijs, mater, & auia ſunt quacumque alia perſona aptiores.

ſimplicius acturum,

SENSVS hic eſt: Omitto hoc, quod poſſet dici: ſed tecum aperte agam, inquit Tiberius: & ſequitur.

de inimicitijs primum Agrippinæ, quas longe arſuras, ſi matrimonium Liuiæ, velut in partes domum Cæſarum diſtraxiſſet: ſic quoque erumpere æmulationem feminarum, eaq. diſcordia nepotes ſuos conuelli.

QVAE in Principis penatibus vigent odia, & inimicitia, longe acrius ardent, ſi odioſo aliquo & ingrato matrimonio velut in partes, domus ipſius diſtrahitur. Vnde erumpit feminarum Principum æmulatio; eaq. diſcordia diſtrahuntur futuri liberi, ac nepotes Principis. Diſcordia enim potentum ſolent tranſire ad liberos, & nepotes. Quorum concordia honeſtum eſt vt Princeps conſulat, non minus quàm ſua: cum diſcordia conuelli ſoleat omnis magna domus.

Quid ſi intendatur certamen tali coniugio? Falleris enim Seiane, ſi te manſurum in eodem ordine putas:

DAT equidem magnum robur ad maiora nitenti Aulico, matrimonium, quod cum femina Principis affine, & propinqua contrahit: ſed ſi ipſe eo indignus habetur, periculum maximum ſubeſt, ne corruat, ob ceterorum inuidiam, quæ oritur cum odio, propter apertam comparationem ſordium, & claritudinis.

& Li-

& Liuiam quæ C. Cęſari, mox Druſo nupta fuerit, ea mente acturam, vt cum equite Romano ſeneſcat.

CREDIBILE non eſt, feminam, quæ prius iuncta matrimonio cum Principe fuit, poſſe agere vitam, & ſeneſcere cum illo, qui ſit multo inferior dignitate, genere, & opibus.

Ego vt ſinam, credisne paſſuros, qui fratrem eius, qui patrem, maioresq. noſtros in ſummis imperijs videre.

SINGVLORVM odia, & inuidiam in ſe concitare haud dubium eſt, illum qui ex humili loco, ad id faſtigij ſub Principe euehitur, vt primores & nobiliſſimos vrbis ante eat. Præſertim ſi hoc apiſcitur non virtute, & præclaris factis: ſed per malas artes.

Vis tu quidem iſtum intra locum ſiſtere. Sed illi magiſtratus & primores, qui, te inuito, perrumpunt, omnibusq. de rebus conſulunt, exceſſiſſe iam pridem equeſtre faſtigium, longeq. antiſſe patris mei amicitias non occulti fremunt, perq. inuidiam tui me quoque incuſant.

HINC cogitent Principes, quem extollant, quem ament, & cui faueant: ſi enim is talibus moribus erit, vt inuiſus ſit multitudini, Princeps ipſe quoque incuſabitur, & inuidia illius apud gentes partem habebit.

At enim Auguſtus filiam ſuam equiti Romano tradere meditatus eſt.

OMNIA, quæ videntur quadrare exempla, non quadrant. Nec ſufficit inducere pro exemplo id ſolum, quod factum aliquando eſt. Si enim rationes & circumſtantiæ ceteræ in illo, & in noſtro, quod præ manibus habemus, negotio, non concurrunt, nec conueniunt; exemplum numquam erit accommodatum, nec ſumendum.

Mirum hercule ſi cum in omnis curas diſtraheretur.

CVM penes vnum Principem ſit totius Reipublicæ regimen, immo ipſe ſit quodam modo eius mens, ac ſpiritus; debet quidem in omnes curas pro eius beneficio diſtrahi: ſed talem animi vigorem & celſitudinem oſtendere in conſilijs & actionibus ſuis, quòd quæ ab ipſo geruntur, nonniſi optima cenſeri poſſint: & par altiſſimis curis habeatur.

immenſumq. attolli prouideret, quem coniunctione tali ſuper alios extuliſſet, C. Proculeium & quoſdam in ſermonibus habuit, inſigni tranquillitate vitæ, nullis Reip. negotijs permiſtos.

ATTOLLITVR immenſum ſubditus ille, quem Princeps coniunctione filiæ, vel neptis ſuæ ſuper alios extollit. Ideo tali cognatione Princeps non debet efferre niſi eum, qui aut ſibi ſucceſſor in Principatu futurus ſit, aut ſaltem inſigni tranquillitate vitæ præditus ſit, & nullis Reipub. negotijs permiſtus.

Sed ſi dubitatione Auguſti monemur, quanto validius eſt, quod Mar. Agrippæ, mox mihi conlocauit?

ACCIPI non debent pro factis ea, de quibus dubitatum, aut deliberatum aliquando eſt. Sed ſolum exempla ſumenda ſunt a rebus, quæ poſt diligens examen mentis placuerunt, & executa ſunt.

Atque ego hæc pro amicitia non occultaui.

SIGNVM hoc eſt certi amici, ea, quæ vera ſunt, amico non occultare, etſi diſplicere poſſint, non ea ſolum, quæ placent: quod facit adulator. Et in hac materia videndus eſt Plutarchus in aureo illo tractatu, De amici, ac adulatoris diſcrimine.

Ceterum neque tuis, nèque Liuiæ deſtinatis aduerſabor. Ipſe quid intra animum volutauerim, quibus adhuc neceſſitudinibus immiſcere te mihi parem, omittam ad præſens referre.

NON ſolum Tiberij, ſed ferme omnium Principum callidiorum eſt hæc ars, polliceri multa ambigue, & obſcure. Et hoc modo inaniſſe lactant amicos, & Aulicos. Vnde ſequitur, quòd illos in oſ-

in officio continent. Et ipſis numquam exprobrari poteſt, quòd promiſſa non obſeruauerint. Cum in ipſorum manu ſit interpretatio ſenſuum verborum ſuorum.

Id tantum aperiam, nihil eſſe tam excelſum, quod non virtutes iſtæ, tuusq. in me animus mereantur.

NIHIL eſt tam excelſum, quod virtus non mereatur. Vnde ſequitur, quòd quilibet Aulicus Romæ hoc tempore degens, quoſcumque eximios honores ſperare poteſt: etſi ceteris bonis, vel fortuna, vel natura deſtituatur.

Datoq. tempore vel in ſenatu, vel in concione non reticebo.

DICI non poteſt quàm honorificum ſit teſtimonium virtutis alicuius, quod Princeps de illo dat publice in concione, vel in ſenatu. Et cum mirifice acuantur hominum ingenia ex laudatione Principis: in hoc debet eſſe nec prodigus, nec parcus Princeps. Non ſilebo tamen, eſſe aliquos adeo ventoſos, & leues Aulicos, qui ſatis ſuperq. ſibi a Principe ſatisfactum eſſe putant, ſi ſolum egregijs verbis ornantur. Cum his ergo prudens Princeps laudum parcus eſſe non debet.

Rurſum Seianus non tam de matrimonio, ſed altius metuens tacita ſuſpicionum, vulgi rumorem, ingruentem inuidiam deprecatur.

HAEC tria prudens Aulicus ſemper metuat, & ſtudeat ſe ab illis tutum reddere. Tacita nempe ſuſpicionum Principis de ſe, rumores vulgi, & ingruentem inuidiam. Id aſſequetur, ſi in omnibus actionibus ſuis fortiter, & cum virtute ſe geret.

Ac ne adſiduos in domum cœtus arcendo infringeret potentiam, aut receptando, facultatem criminantibus præberet, huc flexit, vt Tiberium ad vitam procul Roma amœnis locis degendam impelleret. Multa quippe prouidebat, ſua in manu aditus, litterarumq. magna ex parte ſe arbitrum fore, cum per milites commearent: mox Cæſarem, vergente iam ſenecta, ſecretoq. loci mollitum, munia imperij facilius tramiſſurum: minui ſibi inuidiam, adempta ſalutantum turba, ſublatiſq. inanibus, vera potentiæ augere.

HAEC pericula incurrit Aulicus gratioſus, & potens apud Principem in ciuitate. Nam ſi adſiduos in domum ſuam hominum cœtus arcet, potentiam infringit: ſi receptat, facultatem criminantibus præbet, & inuidiam auget. Ideo recte aget, ſi, conſilium Seiani exequendo, Principem ſuum ad vitam procul ciuitate amœnis locis degendam impellere poterit. Multa enim commoda acquiret; ſcilicet, in manu ſua habebit aditus, & magna ex parte erit arbiter litterarum, cum per ſuos commeabunt: ſimul Principes ſecreto loci molliti, munia imperij facilius tramittunt. Demum minuetur ſibi inuidia, adempta ſalutantium turba: & quod maxime refert, ſublatis inanibus, vera potentia augebit. Quæ in eo conſiſtit, vt aditum ad Principem in ſua poteſtate habeat, & non honorum fulgore inani cumuletur: ſed Principi ſemper adſit tam in publicis, quàm in priuatis negotijs, & dum præcipua rerum agitantur.

Igitur paulatim negotia vrbis, populi adcurſus, multitudinem adfluentium increpat, extollens laudibus quietem & ſolitudinem, quis abeſſe tædia & offenſiones, ac præcipua rerum maxime agitari.

A QVIETE ac ſolitudine, quam eligit ſibi Princeps, abſunt tædia, & offenſiones, & præcipua rerum in illo ſtatu maxime agitantur. Hoc ſciuit præclare SIXTVS. V. P. M. cum eſſet Cardinalis: qui Romæ in ſeceſſu ſuo ad Diuæ Mariæ Maioris, quietem ac ſolitudinem ſibi eligendo; cum duo illa commoda maxime ſibi parauit, tum vero viam ad ſummam Pontificatus dignitatem ſibi haud dubie ſtruxit. Quod declarauit poſtea initio ſui Pontificatus, tam recte Reipub. Chriſtianæ in omnibus ſubueniendo & prouidendo; vt vere dici poſſit, in illa ſolitudine & quiete illum præcipua rerum ſemper & maxime agitaſſe, & concoxiſſe.

Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano celebris ingenij viro cognitio, cũctantem iam Tiberium perpulit, vt virandos crederet patrum cœtus, voceſq. quæ plerumque veræ & graues coram ingerebantur. Nam poſtulato Votieno ob contumelias in Cæſarem dictas, reſtis Æmilius e militaribus viris dum ſtudio probandi cuncta refert, & quamquam inter obſtrepentes magna adſeueratione nititur, audiuit Tiberius probra, quis per occultum lacerabatur.

CVM aures Principum ſoleant eſſe ſuperbæ, & offenſioni proniores: quid mirum ſi percellantur, quando audiunt proprijs auribus probra, quis per occultum lacerantur? Et in hoc diſcernitur

nitur bonus Princeps a Tyranno; quòd ſicut ille tam palam, quàm ſecretis ſermonibus laudatur a gentibus, ita hic probris laceratur. Hacq. eſt callidiſſima ratio criminandi Tyrannum impune coram ſenatu, atque etiam ipſo præſente: nempe recenſere cuncta ipſius vitia, tamquam ab reo, qui accuſatur, per contumeliam iactata. Sed ab hoc abſtinendum eſt. Immo pium, & Chriſtianæ religioni conſonum eſt, DEVM OPT. MAX. precari, vt talibus Principibus bonam det mentem; & iuſti, æquiq. amantem.

adeoq. perculſus eſt, vt ſe vel ſtatim, vel in cognitione purgaturum clamitaret: precibusq. proximorum, adulatione omnium ægre componeret animum.

PROTINVS & nulla interpoſita mora, coram omnibus, debet Princeps refellere, quæ ei publice aliquando obijciuntur, ſeq. omnibus modis purgare. Hinc enim oſtendet, ſe hominum de ſe iudicia magni æſtimare.

Et Votienus quidem maieſtatis pœnis adfectus eſt:

DVBIVM non eſt, maieſtatis teneri eum, qui Principem probris, & contumelijs lacerat.

Cæſar obiectam ſibi aduerſus reos inclementiam, eo peruicacius amplexus, Aquiliam adulterij delatam, cum Vario Ligure, quamquam Lentulus Getulicus conſul deſignatus lege Iulia damnaſſet, exilio puniuit.

RE ipſa, debet eniti Princeps, & factis, vt falſa appareant probra, quis per occultum laceratur. Tollet enim hoc modo ex omnium animis prauas de ſe ſuſpiciones.

Apidiumq. Merulam, quòd in acta diui Auguſti non iurauerat, albo ſenatorio eraſit.

MAIESTATIS quidem videtur poſſe poſtulari, qui in acta Principis non iurat. Sufficit tamen, quòd Princeps ſola ademptione honoris hanc pœnam mitiget. Et quid ſit album ſenatorium, quidq. prætorium, vide Vlpianum in tit. ff. de albo ſcribendo.

Auditæ dehinc Lacedæmoniorum & Meſſeniorum legationes de iure templi Dianæ Limenetidis, quod ſuis a maioribus, ſuaq. in terra dicatum Lacedæmonij firmabant annalium memoria, vatumq. carminibus;

SOLENT adhiberi annales, hiſtoriæ, & poetarum etiam teſtimonia ad probanda illa, quorum alióquin exigua extat memoria.

ſed Macedonis Philippi, cum quo bellaſſent armis adeptum, ac poſt C. Cæſaris & M. Antonij ſententia redditum. Contra Meſſenij veterem inter Herculis poſteros diuiſionem Peloponeſſi protulere, ſuoq. regi Dentheliatem agrum, in quo id delubrum, ceſſiſſe, monimentaq. eius rei ſculpta ſaxis & ære priſco manere. quòd ſi vatum, annalium ad teſtimonia vocentur, plures ſibi, ac locupletioris eſſe:

INTER partes ſi quando probationibus certatur, ea præualere debet, quæ pluribus, & locupletioribus nititur.

neque Philippum potentia, ſed ex vero ſtatuiſſe:

PRINCIPES non debent ſtatuere in cauſis, potentia ſua, ſed ex vero. Hoc enim boni Principis eſt, illud Tyranni.

Idem regis Antigoni, idem imperatoris Mumij iudicium: ſic Mileſios permiſſo publice arbitrio, poſtremo Atidium Geminum prætorem Achaiæ decreuiſſe. Ita ſecundum Meſſenios datum. Et Segeſtani ædem Veneris montem apud Erycum vetuſtate delapſam reſtaurari poſtulauere, nota memorantes de origine eius, & læta Tiberio. ſuſcepit curam libens vt conſanguineus. Tunc tractatæ Maſſilienſium preces, probatumq. P. Rutilij exemplum. namque eum legibus pulſum ciuem ſibi Smyrnei addiderant. quo iure Volcatius Moſchus exul in Maſſilienſes receptus, bona ſua Reip. eorum, vt patriæ reliquerat.

PATRIA eſt, vbicumque eſt bene: dixit ille. Ideo exul eam ciuitatem, a qua benigne receptus eſt, merito patriam appellare poteſt, atque vt patriam omnibus in rebus habere.

Obiere eo anno viri nobiles, Gn. Lentulus, & L. Domitius. Lentulo ſuper conſulatum & triumphalia de Getulis, gloriæ fuerat bene tolerata paupertas,

MAGNAM gloriam acquirit nobilis, bene tolerando paupertatem.

dein magnæ opes innocenter partæ, & modeſte habitæ.

MAGNAS opes innocenter parare, & modeſte habere, vt arduum, ita eſt præclarum. Et hoc fere ſemper ſequitur, vt qui innocenter magnas opes acquirit, eas modeſte habeat. Initiis enim concordant ferme ſemper fines.

Domitium decorauit pater ciuili bello maris potens, donec Antonij partibus, mox Cæſaris miſcererur. Auus Pharſalica acie pro optimatibus ceciderat. Ipſe electus, cui minor Antonia Octauia genita in matrimonium daretur.

SAEPE vice præmij, quod alicui ob illius virtutem debetur, dari ſolet illuſtris virgo in matrimonium a Principe. Et huc alludit promiſſio illa Iunonis Aeolo facta apud Virgilium, in 1. Aeneid.

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ:
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam ſtabili, propriamq. dicabo.
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Poſt exercitu flumen Albim tranſcendit, longius penetrata Germania, quàm quiſquam priorum. eaſq. ob res inſignia triumphi adeptus eſt. Obijt & L. Antonius multa claritudine generis, ſed improſpera. Nam patre eius Iulio Antonio ob adulterium Iuliæ morte punito, hunc admodum adoleſcentulum ſororis nepotem ſepoſuit Auguſtus in ciuitatem Maſſilienſem,

ET ſupra annotauimus, ſæpe ob parentum delicta, filios puniri.

vbi, ſpecie ſtudiorum nomen exilij tegeretur.

AD euitandam familiæ infamiam, ſolet ſæpe honeſtius nomen dari pœna, qua nobilibus infligitur a Principe.

habitus tamen ſupremis honor: oſſaq. tumulo Octauiorum inlata, per decretum ſenatus.

IN oſſa & cadauera ſæuire impium & inhumanum eſt. Sic etiam non habere honorem ſupremis nobilis alicuius, eo quod dum vixit, non multum gratia viguit apud Principem, iniquum nimis cenſeri debet.

Iiſdem conſulibus, facinus atrox in citeriore Hiſpania admiſſum a quodam agreſte, nationis Termeſtinæ. is prætorem prouinciæ L. Piſonem pace incurioſum ex improuiſo in itinere adortus, vno vulnere in mortem adfecit:

VEL ipſo pacis tempore, numquam debet Princeps, vel præſes in prouincia vi domita, & qua coacta ſeruit, adeo incurioſe, & ſine milite incedere, vt iniurijs cuiuſque audacis, & facinoroſi hominis expoſitus maneat. Immo decet ſemper eum eſſe præſidio militari tutum.

ac pernicitate equi profugus, poſtquam ſaltuoſos locos attigerat, dimiſſo equo, per derupta & auia ſequenteis fruſtratus eſt. neque diu fefellit, nam prehenſo, ductoq. per proximos pagos equo, cuius foret, cognitum. Et repertus cum tormentis edere conſcios adigeretur, voce magna, ſermone patrio, fruſtra ſe interrogari clamitauit. Adſiſterent ſocij ac ſpectarent. nullam vim tantam doloris fore, vt veritatem eliceret. Idemq. cum poſtero ad quæſtionem retraheretur, eo niſu proripuit ſe cuſtodibus, ſaxoq. caput adflixit, vt ſtatim exanimaretur.

REPERIVNTVR quidam tanta peruicacia, & conſtantia, vt tormentorum vim ſpernant, & nulla eorum vi poſſint cogi a iudice, fateri verum, & edere ſocios delictorum.

Sed Piſo Termeſtinorum dolo cæſus habetur: qui pecunias e publico interceptas acrius, quàm vt tolerarent barbari, cogebat.

MINISTRI Principum in cogendis pecunijs à populis, leui via & placida procedere debent: alioquin ſi acrius, quàm ipſi tolerent, id agant; multos tumultus, & ſeditiones conflabunt, & ipſi magnum diſcrimen vitæ adibunt. Certe non ſemel ob hanc cauſſam rebellionem exptauerunt ſubditi a Principibus ſuis: & exemplorum ſunt plena hiſtoria.

Lentulo Getulico, C. Caluiſio Coss. decreta triumphi inſignia Poppæo Sabino, contuſis Thracum gentibus,

INTER vincere & confundere, hoc intereſt: quòd illud dicitur de hoſtibus, hoc vero de ſubiectis ferocientibus, & contumacibus.

qui montium editis inculti, atque eo ferocius agitabant.

GENTES, quæ edita montium habitant, quo inculti, eo ferocius agitant. Conſonat hoc doctrinæ, quam tradit Plato in libris de Repub. cum loquitur de gentium moribus, ſecundum diuerſitatem locorum, vbi habitant.

Cauſſa motus ſuper hominum ingenium, quod pati delectus, & validiſſimum quemque militiæ noſtræ dare aſpernabantur,

HOC modo debent Principes, & Reſpublica agere delectus in ſuis prouincijs: nempe validiſſimum quemque militiæ aſcribere.

ne regibus quidem parere, niſi ex libidine ſoliti, aut ſi mitterent auxilia, ſuos ductores præficere, nec niſi aduerſum accolas belligerare.

HVNC morem fere etiam nunc ſeruant populi illi, qui Tartari vocantur & Giorgiani, antiquitus Parthi: qui niſi ex libidine parere regibus aſſueti, ſi quando ſocijs mittunt auxilia, ſuos ductores præficere, & non niſi aduerſus accolas belligerare volunt.

Ac tum rumor inceſſerat fore, vt disiecti, alijsq. nationibus permiſti diuerſas in terras traherentur.

EA eſt vis falſi rumoris, vt ſæpe non ſolum ſinguli homines, ſed etiam integræ nationes commoueantur.

Sed antequam arma inciperent, miſere legatos, amicitiam obſequiumq. memoraturos,

SIC debet ab omnibus nationibus fieri. Non prius deſcendere ad arma, quàm honeſtis actionibus ſatisfactum ſit illis, quibuſcum rem habemus.

& manſura hæc, ſi nullo nouo onere tentarentur:

SAEPE obſequium exuitur a populis erga Principem, cum nouo aliquo onere tentantur. Qua in re circumſpecte procedere debet Princeps: vt ſupra annotauimus.

ſin vt victis ſeruitium indiceretur, eſſe ſibi ferrum, & iuuentutem, & promptum libertati, aut ad mortem animum.

CVM Princeps vi armorum prouinciam aliquam ſubegit, illi iure belli ſeruitium indicere poteſt. Eorum vero, qui ſeipſos dediderunt, ſolo obſequio, & amicitia contentus eſſe debet. Secus agere, eſt tyrannicum, & malum. Et conſonat huic loco id, quod in vita Agricolæ inquit Auctor: Ipſi Britanni delectum, ac tributa, & iniuncta imperij munera impigre obeunt, ſi iniuria abſint; has ægre tolerant; iam domiti, vt pareant, nondum vt ſeruiant.

ſimul caſtella rupibus indita, conlatosq. illuc parentes, & coniuges oſtentabant, bellumq. impeditum, arduum, cruentum minitabantur. At Sabinus, donec exercitus in vnum conduceret, datis mitibus reſponſis, dum Pomponius Labeo e Moeſia cum le-

gione, rex Rhœmetalces cum auxilijs popularium, qui fidem non mutauerant, veniret, addita præſenti copia, ad hoſtem pergit, compoſitum iam per anguſtias ſaltuum.

CONSILIVM *hoc ducis eſt optimum: antequam vires habeat, mitia reſponſa inimicis dare. Sed poſtquam exercitum in vnum conduxerit, tunc palam vi agere.*

Qui dam audentius apertis in collibus viſebantur, quos dux Romanus acie ſuggreſſus haud ægre pepulit, ſanguine barbarorum modico, ob propinqua ſuffugia. Mox caſtris in loco communitis, valida manu montem occupat, anguſtum, & æquali dorſo continuum vſque ad proximum caſtellum, quod magna vis armata, aut incondita tuebatur. ſimul in ferociſſimos, qui ante vallum, more gentis, cum carminibus & tripudijs perſultabant, mittit delectos ſagittariorum. Ii dum eminus graſſabantur, crebra & inulta vulnera fecere, proprius incedentes eruptione ſubita turbati ſunt, receptiq. ſubſidio Sycambræ cohortis, quam Romanus promptam ad pericula, nec minus cantuum & armorum tumultu trucem haud procul inſtruxerat. Tranſlata dehinc caſtra hoſtem propter, relictis apud priora munimenta Thracibus, quos nobis adfuiſſe memoraui, ijsq. permiſſum vaſtare, vrere, trahere prædas, dum populatio lucem intra ſiſteretur, noctemq. in caſtris tutam & vigilem capeſſerent.

REGVLA *militaris hæc eſt optima: vt miles ſemper in caſtris pernoctet. Ideo cum dux exercitus permittit ſuis militibus populationem agri hoſtilis, id ea lege ſemper faciat: vt miles intra lucem ſiſtatur, & noctem tutam & vigilem in caſtris ducat.*

Id primo ſeruatum: mox verſi in luxum, & rapti opulentia, omittere ſtationes, laſciuia epularum, aut ſomno & vino procumbere. Igitur hoſtes incuria eorum comperta, duo agmina parant, quorum altero populatores inuaderentur, alij caſtra Romana adpugnarent, non ſpe capiendi, ſed vt clamore, telis, ſuo quiſque periculo intentus, ſonorem alterius prælij non acciperet:

PLERVMQVE *victoria amittitur, cum milites ob ſecundum ſucceſſum fortune elati, & in luxum verſi, & rapti opulentia, omittunt ſtationes, laſciuijsq. epularum, aut ſomno & vino procumbunt. Hinc cura ducis debet eſſe, vt ſeueram diſciplinam ſeruent, ſaltem quoad penitus in tuto res collocarit.*

tenebræ inſuper delectæ augendam ad formidinem.

TENEBRAE *ſemper in exercitibus augent formidinem.*

Sed qui vallum legionum tentabant, facile pelluntur. Thracum auxilia repentino concurſu territa, cum pars munitionibus adiacerent, plures extra pabularentur, tanto infenſius cæſi, quanto perfugæ & proditores ferre arma ad ſuum patriæq. ſeruitium incuſabantur.

NVLLVM *non ſupplicii meretur, qui arma ad ſuum, & patriæ ſeruitium ferre deprehenditur.*

Poſtera die Sabinus exercitum æquo loco oſtendit, ſi barbari ſucceſſu noctis alacres, prælium auderent. Et poſtquam caſtello, aut coniunctis tumulis non digrediebantur, obſidium cœpit per præſidia, quæ opportune iam muniebat: dein foſſam, loricamq. contexens, quattuor millia paſſuum ambitu amplexus eſt. tum paulatim vt aquam pabulumq. eriperet, contrahere clauſtra, artaq. circumdare. & ſtruebatur agger, vnde ſaxa, haſtæ, ignes propinquum iam in hoſtem iacerentur. Sed nihil æque quàm ſitis fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum, imbellium vno reliquo fonte vterentur.

FATIGANTVR *ſiti homines ſemper: ſed præcipue in obſidionibus, cum aqua ab hoſte intercipitur.*

Simul æque armenta, vt mos barbaris, iuxta clauſa egeſtate pabuli exanimari: adiacere corpora hominum, quos vulnera, quos ſitis peremerat: pollui cuncta ſanie, odore, contactu. Rebusq. turbatis malum extremum diſcordia acceſſit, his deditionem, alijs mortem, & mutuos inter ſe ictus parantibus.

MALVM *extremum eſt diſcordia rebus turbatis, & in extremum diſcrimen adductis.*

Et erant

Et erant qui non inultum exitium, ſed eruptionem ſuaderent: neque ignobiles; quamuis diuerſi ſententijs. Verum e ducibus, Dinus prouectus ſenecta, & longo vſu vim atque clementiam Romanam edoctus,

PROVECTIS ſenecta, & longo vſu res humanas expertis, adhibendæ ſunt aures.

ponenda arma, vnum adflictis id remedium diſſerebat.

REMEDIVM optimum, & ferme vnicum victis eſt, vt arma ponant, victoriſq. clementiæ ſe permittant: quam ſatius eſt experiri quàm vim, in rebus afflictis.

Primusq. ſe cum coniuge & liberis victori permiſit. ſecuti ætate aut ſexu imbecilli, & quibus maior vitæ quàm gloriæ cupido.

FERE ſemper, imbecillis ætate, aut ſexu, maior eſt vita, quàm gloria cupido. Nam carent ſanguine, & ſpiritu.

At iuuentus Tarſam inter & Tureſim diſtrahebatur. vtrique deſtinatum cum libertate occidere. ſed Tarſa properum finem, abrumpendas pariter ſpes, ac metus clamitans, dedit exemplum, demiſſo in pectus ferro.

PROPERVS vitæ finis, abrumpit pariter ſpes, ac metus. Huic conſonat illud Iuriſconſulti; Mors omnia ſoluit.

Nec defuere, qui eodem modo oppeterent. Tureſis ſua cum manu noctem opperitur, haud neſcio duce noſtro. Igitur firmatæ ſtationes denſioribus globis. & ingruebat nox nimbo atrox, hoſtisq. clamore turbido, modo per vaſtum ſilentium incertos obſeſſores effecerat, quum Sabinus circumire, hortari, ne ad ambigua ſonitus, aut ſimulationem quietis, caſum inſidiantibus aperirent, ſed ſua quiſque munia ſeruarent immoti, teliſq. non in falſum iactis.

CASVS aperiuntur hoſtibus inſidiantibus, ad ambigua ſonitus, vel ſimulationem quietis. Proinde in tali caſu, cum timetur, expedit vt in exercitu quiſque ſeruet munia ſua immotus. Et in caſu Sabini, docentur duces, quomodo gerere ſe debeant, ſi quando hoſtis obſeſſus erumpere noctu per medias ſtationes parat.

Interea barbari cateruis decurrentes nunc in vallum manualia ſaxa, præuſtas ſudes, deciſa robora iacere: nunc virgultis, & cratibus, & corporibus exanimis complere foſſas: quidam pontes & ſcalas ante fabricati, inferre propugnaculis, eaq. prenſare, detrahere, & aduerſus reſiſtenteis cominus niti. miles contra deturbare telis, pellere vmbonibus, muralia pila, congeſtas lapidum moles prouoluere. His partæ victoriæ ſpes, & ſi cedant, inſignitius flagirium:

IN cedendo, flagitium eſt magis inſigne illorum, quibus iam victoria eſt in manu, quàm ceterorum.

illis extrema iam ſalus, & adſiſtentes pleriſque matres & coniuges, earumq. lamenta addunt animos:

SVB oculis & conſpectu perſonarum nobis chariſſimarum multo acrius pugnatur, quàm vbi nulla res animos pugnantibus addere poteſt. Hinc prudentiſſime FERDINANDVS Catholicus Rex Caſtellæ, ſemper ab omnibus laudandus, quoties milites in expeditionem contra mauros ducebat, volebat vt Eliſabella Regina vxor agmine nobiliſſimarum feminarum, quæ illi inſeruiebant, ſtipata, ipſum comitaretur. Earum enim aſpectu, & pulchritudine incenſi iuuenes, qui ſecum militabant, fortiorem multo operam Regi exhibebant, & in hoſtes audentius ferebantur.

nox alijs in audaciam, alijs ad formidinem opportuna:

AD diuerſa, immo contraria, ſæpe vna & eadem res poteſt eſſe opportuna. Vt nox, quæ alijs in audaciam, alijs porro ad formidinem cauſſas addit.

incerti ictus, vulnera improuiſa: ſuorum atque hoſtium ignoratio: & montis anfractu repercuſſæ velut a tergo voces, adeo cuncta miſcuerant, vt quædam munimenta Romani, quaſi perrupta, omiſerint. Neque tamen peruaſere hoſtes, niſi admodum pauci. ceteros, deleto promptiſſimo quoque aut ſaucio, adpetente iam luce truſere ad ſumma

caſtelli, vbi tandem coacta deditio, & proxima, ſponte inimicorum recepta. Reliquis quo minus vi aut obſidio ſubigerentur, præmatura montis Hæmi & ſæua hiems ſubuenit. At Romæ commota principis domo, vt ſeries futuri in Agrippinam exitij inciperet, Claudia Pulchra ſobrina eius poſtulatur, accuſante Domitio Afro. Is recens prætura, modicus dignationis & quoquo facinore properus clareſcere, crimen impudicitiæ, adulterum Furnium, veneficia in principem, & deuotiones obiectabat.

HOMINES recentes in Aula, & modici dignationis, fere ſemper quoque facinore properant clareſcere.

Agrippina ſemper atrox, tum & periculo propinquę accenſa,

SIGNVM generoſi, & magnanimi eſt, propinquorum & amicorum periculis accendi, & eos tutari.

pergit ad Tiberium, ac forte ſacrificantem patri reperit. Quo initio inuidiæ,

INITIVM inuidiæ contrahit apud Principem Aulicus, qui hora inopportuna illum adit, vt de rebus moleſtis ſecum tractet.

non eiuſdem, ait, mactare diuo Auguſto victimas, & poſteros eius inſectari:

DEFVNCTI memoriam colit, qui eius poſteros fouet. At qui eos inſectatur, memoriam etiam defuncti perſequitur.

non in effigies mutas diuinum ſpiritum transfuſum, ſed imaginem veram cæleſti ſanguine orram intelligere diſcrimen, ſuſcipe ſordes. fruſtra Pulchram præſcribi, cui ſola exitij cauſſa ſit, quòd Agrippinam ſtulte prorſus ad cultum delegerit, oblita Soſiæ ob eadem adflictæ.

IMPRVDENTI Aulico ſæpe ſola exitij cauſſa eſt, quòd ſtulte prorſus ad cultum deligat aliquem Principi exoſum. Et obſeruent hoc omnes Aulici.

Audita hæc raram occulti pectoris vocem elicuere;

CAVEAT Princeps, ne a ſe, ob iram, aut indignationem, aliquis eliciat voces, occulti pectoris ſenſus indicantes. Multa enim incommoda ob hoc illi reſultabunt.

correptamq. Græco verſu admonuit, ideo lædi, quia non regnaret.

IN Aulis hoc quotidie viſitur, Multos non ob aliud lædi, niſi quia non regnant. Si enim gratioſi apud principem eſſent, & in illorum manibus negotia recumberent; querelarum vice, quas ſpargunt quotidie acerbiſſimas, læti & iucundi vitam agerent.

Pulchra, & Furnius damnantur. Afer primoribus orarorum additus, diuulgato ingenio, & ſecuta adſeueratione Cæſaris, qua ſuo iure diſertum eum appellauit.

QVEM ſequitur adſeueratio Principis, ille clarus ſemper, & inter primores ciuitatis habebitur.

Mox capeſſendis accuſationibus, aut reos tutando, proſperiore eloquentiæ quàm morum fama fuit,

SI neutrum aſſequi poſſemus, præſtaret proſperiore fama morum eſſe, quàm eloquentiæ. Sed nihil obſtat, quare vtrumque coniungi homine in vno non poſſit.

niſi quòd ætas extrema multum etiam eloquentiæ dempſit, dum feſſa mente retinet ſilentij impatientiam.

MVLTVM gloria demit in aliquibus extrema ætas, dum feſſa mente retinent ſilentij, & ſtudiorum impatientiam Huc quadrat perbelle præceptum illud Horatianum:

Solue ſeneſcentem mature ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

At Agrip-

At Agrippina peruicax irę, & morbo corporis implicata, cum viſeret eam Cæſar, profuſis diu, ac per ſilentium lacrymis, mox inuidiam & preces orditur,

INVIDIAM & preces ſimul miſcet, qui aliquid a Principe petit, quod ipſum offendit. Ab hoc ergo caueat Aulicus prudens. Porro Agrippina petendo maritum a Tiberio, hoc agebat. Nam hac petitione oſtendebat ſe velle firmare, ſibiq. præſidium parare aduerſus Tiberij offenſiones.

ſubueniret ſolitudini, daret maritum, habilem adhuc iuuentam ſibi:

SVBVENITVR mulieris ſolitudini, cum datur illi maritus. Inde illud.

Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam
Degere more feræ?

Ferarum enim eſt, ſine conſortio vitam agere.

neque aliud probis quàm ex matrimonio ſolatium:

MVLIERIBVS probis fere nullum aliud in vita eſt quàm ex matrimonio ſolatium.

eſſe in ciuitate, qui Germanici coniugem, ac liberos eius recipere dignaretur. Sed Cæſar non ignarus quantum ex Repub. peteretur.

IN petitionibus, quæ fiunt Principi, ipſe ſemper aduertat, nihil ne ex Repub. petatur. Porro multum petebat, maritum petendo Agrippina: quia cum ipſa eſſet Princeps, cum liberis, & memoria patris & coniugis populo gratiſſimi, ipſaq. audax & virilis, ſi mariti alicuius potentia innitebatur, quidquid in Repub. voluiſſet, effeciſſet. Ideo prudenter Tiberius eam eluſit: ſola enim nihil poterat, cum viduæ fere ab omnibus ſoleant opprimi.

ne tamen offenſionis aut metus manifeſtus foret, ſine reſponſo, quamquam inſtantem, reliquit.

SILERE debet Princeps, & ſine reſponſo relinquere qui ſecum loquuntur, eum timet, ne loquendo offenſionis, aut metus manifeſtus fiat.

Id ego a ſcriptoribus annalium non traditum reperi in commentarijs Agrippinæ filiæ: quæ Neronis principis mater vitam ſuam & caſus ſuorum poſteris memorauit. Cæterum Seianus mærentem & improuidum altius perculit, immiſſis qui per ſpeciem amicitiæ monerent, paratum ei venenum, vitandas ſoceri epulas.

ARS ſubtilis ſceleſtorum hæc eſt gignendi diſcordias inter propinquos: immittendo, ſcilicet, qui per ſpeciem amicitiæ vnum eorum moneat, vt ab alterius inſidijs caueat.

Atque illa ſimulationum neſcia,

MALE agitur de illo & Principe, & Aulico, qui ſimulationum ſunt neſcij. Nam in hoc mundi emporio, neceſſaria ſunt, ad cuſtandas improborum inſidias.

cum propter diſcumberet, non vultu aut ſermone flecti, nullos attingere cibos, donec aduertit Tiberius, forte, an quia audiuerat? idq. quo acrius experiretur, poma, vt erant adpoſita, laudans, nurui ſua manu tradidit. Aucta ex eo ſuſpicio Agrippinę, & intacta ore ſeruis tramiſit.

VT de nulla re ſuſpicari, imprudentis eſt; ſic nimium ſuſpicionibus obnoxium eſſe, maxime obeſt. Iudicium ergo hac in re magnum adhibendum eſt.

Nec tamen Tiberij vox coram ſecuta:

REGIVM non minus eſt ſuiſmet affectibus dominari, quàm gentibus multis & populis, Ideo Princeps etſi iuſte commoueretur, non tamen debet ita excandeſcere, vt ſtatim vociferetur iracunde. Regi enim nec vociferatio, nec verborum intemperantia ex maieſtate eſt: teſte Seneca in lib. i. de Clementia. cap. 7.

ſed obuerſus ad matrem: Non mirum, ait, ſi quid ſeuerius in eam ſtatuiſſet, a qua veneficij inſimularetur.

INSIMVLATVR tacite veneficij a nobis ille, cuius in domo epulas, & cibum & potum vitamus, vna cum ceteris in conuiuio diſcumbentes. Oſtendimus enim clare, nos ſuſpicari, cibos illos veneno infectos eſſe.

Inde

Inde rumor, patari exitium: neque id imperatorem palam audere, ſecretum ad perpetrandum quæri.

EXITIA, quæ a Principe alicui magno viro parantur, palam non fiunt: ſed ſecretum ad perpetrandum quæritur.

Sed Cæſar quo famam auerteret, adeſſe frequens ſenatui, legatosq. Aſiæ ambigentes quanam in ciuitate templnm ſtatueretur, pluris per dies audiuit.

SI alicuius rei, quam animo agitas, famam auertere cupis; extrinſecus contrarium agas, oportet.

Vndecim vrbes certabant pari ambitione, viribus diuerſæ;

O quàm recte hac ſententia in Aulis conſpicitur quotidie vera quod multi certent inter ſe Aulici, pari ambitione ſed viribus diuerſi.

neque multum inter ſe diſtantla memorabant de vetuſtate generis, ſtudio in populum Rom. per bella Perſei & Ariſtonici, aliorumq. regum. Verum Hypæpeni, Trallianiq. Laodicenis ac Magnetibus ſimul tramiſſi, vt parum validi. ne Ilienſes quidem cum parentem vrbis Romæ Troiam referrent, niſi antiquitatis gloria pollebant. Paulum addubitatum, quod Halicarnaſſij mille & ducentos per annos nullo motu terræ mutauiſſe ſedes ſuas, viuoq. in ſaxo fundamenta templi adſeuerauerant. Pergamenos, eo ipſo nitebantur, ædem Auguſto ibi ſitam ſatis adeptos creditum. Epheſij Mileſijq. hi Apollinis, illi Dianæ cærimonia occupauiſſe ciuitates viſi. Ita Sardianos inter Smyrneosq. deliberatum. Sardiani decretum Hetruriæ recitauere, vt conſanguinei. Nam Tyrrhenum Lydumq. Atye rege genitos ob multitudinem diuiſiſſe gentem: Lydum patrijs in terris reſediſſe: Tyrrheno datum nouas vt conderet ſedes. Et ducum e nominibus indita vocabula, illis per Aſiam, his in Italiam: auctamq. adhuc Lydorum opulentiam; miſſis in Græciam populis, cui mox a Pelope nomen ſimul litteras imperatorum, & icta nobiſcum fœdera bello Macedonum, vbertatemq. fluminum ſuorum, temperiem cæli, ac dites circum terras memorabant.

PRAECIPVE ob has qualitates laudari ſolent regiones: Ob fluminum vbertatem, temperiem cæli, ac dites circum terras. Quæ omnes dotes in Italia clare conſpiciuntur.

At Smyrnæi, repetita vetuſtate, ſeu Tantalus Ioue ortus, illos ſiue Theſeus diuina & ipſe ſtirpe, ſiue vna Amazonum condidiſſet, tranſcendere ad ea, quis maxime fidebant, in popu. Rom. officijs, miſſa nauali copia non modo externa ad bella, ſed quæ in Italia tolerabantur; ſeq. primos templum vrbis Romæ ſtatuiſſe, M. Porcio conſule, magnis quidem iam Romani populi rebus, nondum tamen ad ſummum elatis, ſtante adhuc Punica vrbe, & validis per Aſiam regibus. ſimul L. Sullam teſtem adferebant, grauiſſimo in diſcrimine exercitus ob aſperitatem hiemis, & penuriam veſtis, cum id Smyrnam in concionem nuntiatum foret, omnes, qui adſtabant, dextraxiſſe corpori tegmina, noſtriſq. legionibus miſiſſe. Ita rogati ſententiam patres, Smyrnæos prætulerunt.

CVM diſtinguendæ ſunt merita amicorum, ſemper præferre debes illos, qui incommodorum tuorum tempore te adiuuerunt.

Cenſuitq. Vibius Marſus vt M. Lepido, cui ea prouincia obuenerat, ſuper numerum legaretur, qui templi curam ſuſciperet. Et quia Lepidus ipſe deligi ſe per modeſtiam abnuebat, Valerius Naſo e prætorijs ſorte miſſus eſt.

IN Aulis nimia modeſtia ſæpe nocet.

Inter quę diu meditato, prolatoq. ſæpius conſilio, tandem Cæſar in Campaniam, ſpecie dedicandi templum apud Capuam Ioui, apud Nolam Auguſto, ſed certus procul vrbe degere.

QVOD ſupra obſeruauimus, id nunc repetimus: Principem callidum numquam palam facere quo conſilio, quid agat: ſed ſæpe ſpecies aliquas quærere, & obtendere, quæ ceteris magis veriſimiles appareant.

Cauſſam

Cauſſam abſceſſus, quamquam ſecutus plurimos auctorum ad Seiani artes retuli, quia tamen cæde eius patrata, ſex poſtea annos pari ſecreto coniunxit, plerumque permoueor, num ad ipſum referri verius ſit, ſæuitiam ac libidinem cum factis promeret, locis occultanrem.

MVLTI, cum vitia ſua factis promunt, ea locis occultant, idq. forſan flagitiorum pudore: ne ab alijs conſpiciantur.

Erant qui crederent in ſenectute quoque corporis habitum pudori fuiſſe.

IN Principe habitus corporis multum valet ad augendum illi, ſiue pudorem, ſiue maieſtatem: prout ſcilicet decorus eſt, vel indecorus, & deformis.

quippe illi prægracilis & incurua proceritas, nudus capillo vertex, vlceroſa facies, ac plerumque medicaminibus interſtincta. & Rhodi ſecreto vitare cœtus, recondere voluprates inſuerat.

SECRETA loci eligunt ſæpe Principes ad vitandos cœtus, & recondendas voluptates. Vnde cerni poteſt, non ſemper vere temperantes eſſe illos, qui tales videntur.

Traditur etiam matris impotentia extruſum, quam dominationis ſociam aſpernabatur, neque depellere poterat, cum dominarionem ipſam donum eius accepiſſet.

INSOCIABILIS res eſt dominatio. Proinde etſi donum alicuius, dominationem accipiamus, eum tamen dominationis ſocium aſpernamur.

Nam dubitauerat Auguſtus Germanicum ſororis nepotem, & cunctis laudatum, rei Romanæ imponere, ſed precibus vxoris euictus, Tiberio Germanicum, ſibi Tiberium adſciuit, idq. Auguſta exprobrabat, repoſcebat.

INVISI ſunt ſemper exprobrantes. Et; qui dedit beneficium, tacere debet; qui autem accepit, narrare. Vide Senecam, De Beneficijs. lib. 2. Inde illud Martialis ſcitum Epigramma.

Quæ mihi præſtiteris, memini; ſemperq. teoebo,
Cur igitur taceo Poſthume? tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: Dixerat ille mihi.
Non belle quædam faciunt duo: ſufficit vnus
Huic operi. ſi vis, vt loquar, ipſe tace.
Crede mihi: Quamuis ingentia Poſthume dones,
Auctoris pereunt garrulitate ſui.

Profectio arto comitatu fuit, vnus ſenator conſulatu functus Cocceius Nerua, cui legum peritia: eques Romanus, præter Seianum, ex inluſtribus Curtius Atticus.

CVM Princeps ſolitudinem loci eligit, ſemper arto comitatu eſt contentus, & fere viris talibus, cuius ſermonibus, & conuerſatione leuetur: exceptis aliquibus paucis, quorum conſilijs adiuuari in Republica adminiſtratione poteſt.

Ceteri liberalibus ſtudijs præditi, ferme Græci, quorum ſermonibus leuaretur.

OBSERVENT hinc Principes omnes, quod laudabile quidem eſt, illos habere delinimenta curarum, ſed ea capere debere non ex ſcurris, & morionibus, ſimilibusq. perſonis infamibus: verum ex ſermonibus illorum, qui liberalibus artibus præditi ſunt, & horum ſimilibus. Sicut PAVLVS III. ſemper veneranda memoria agebat: epularum tempore viros doctos & eruditos circum menſam habendo, qui pulchris quæſtionibus animum eius paſcerent, dum ipſe cibo corpus reficeret.

Ferebant periti cæleſtium, ijs motibus ſiderum exceſſiſſe Roma Tiberium, vt reditus illi negaretur. Vnde exitij cauſſa multis fuit, properum finem vitæ coniectantibus, vulgantibusq.

PESSIMVM genus hominum eſt eorum, qui ſe peritos rerum cæleſtium profitentur: & multis cauſſa exitij ſunt. Hac vrgentiſſima de cauſſa adductus SIXTVS V. Conſtitutionem rigoris plenam, in exercentes hanc artem, edidit.

neque

neque enim tam incredibilem cauſſam prouidebat, vt vndecim per annos libens patria careret.

MAGNA certe oportet, te impellat cauſſa, vt libens & voluntarius multos annos patria careas: cum, vt ait ille, dulciſsimum ſit,

Fumum de patrijs poſſe videre focis.

Mox patuit breue confinium artis, & falſi, veraq. quàm obſcuris tegerentur.

SAEPE in rebus mortalium vera teguntur obſcuris. Et artis eorum, qui ſe peritos aſtrorum, & cœleſtium profitentur, breue admodum eſt confinium: immo prorſus vana ars, & impia eſt appellanda.

Nam in vrbem non regreſſurum, haud forte dictum. Ceterorum neſcij egere, cum propinquo rure, aut litore, & ſæpe mœnia vrbis adſidens extremam ſenectam compleuerit. Ac forte illis diebus oblatum Cæſari anceps periculum auxit vana rumoris, præbuitq. ipſi materiem cur amicitiæ, conſtantiæq. Seiani magis fideret. Veſcebantur in villa, cui vocabulum Speluncæ mare Amuclanum inter Fundanosq. montes, natiuo in ſpecu, eius os lapſis repente ſaxis, obruit quoſdam miniſtros. Hinc metus in omnes, & fuga eorum qui conuiuium celebrabant. Seianus genu, vultuq. & manibus ſuper Cæſarem ſuſpenſus oppoſuit ſeſe incidentibus, atque habitu tali repertus eſt a militibus, qui ſubſidio venerant.

MAGNA occaſio præbetur Aulico ad acquirendam cum Principe gratiam, cum illius ſalutem propria vita ſibi eſſe chariorem re ipſa oſtendere poteſt: idq. gentibus patefacere, & Principi ipſi. Nec quidquam maius hoc poteſt ex voto euenire Aulico vlli apud Principem, cui inſeruit.

Maior ex eo, & quamquam exitioſa ſuaderet, vt non ſui anxius, cum fide audiebatur. Adſimulabatq. iudicis partes aduerſus Germanici ſtirpem, ſubditis qui accuſatorum nomina ſuſtinerent, maximeq. inſectarentur Neronem proximum ſucceſſioni.

QVI aduerſarium apud Principem perdere vult, hac ratione vti ſolet, callidiſsima equidem, ſed ſceleſta & fugienda: ſubdere aliquem, qui illum accuſet, atque ipſe interim adſimulare partes iudicis, quaſi ſolo iure & æquitate ſubnixus loquatur, & non priuatis odijs, & affectibus impulſus.

et quamquam modeſta iuuenta, plerumque tamen quid in præſentiarum conduceret oblitum.

NVMQVAM obliuiſcatur prudens Aulicus, quid in præſentiarum conducat. Hoc enim modo, ſe cum Principis cuiuſque temporibus aptabit, & proſpere res ſuas aget.

dum a libertis & clientibus apiſcendæ potentiæ properis extimulatur,

QVI apud Principem ſe promoueri in dies ſperat, & proximus ſucceſsioni eſt, non ſinat ſe extimulari a familiaribus & propinquis ſuis apiſcendæ potentiæ properis: ſed mature, & ſenſim eundo, tempus debitum expectet.

vt erectum & fidentem animi oſtenderet: velle id pop. Rom. cupere exercitus.

SVB Tyranno non expedit ſe oſtendere erectum, & fidentem animi

Neque auſurum contra Seianum, qui nunc patientiam ſenis, & ſegnitiem iuuenis iuſta inſultet.

TVRPISSIMVM vitium in iuuene eſt ſegnitia. Et in quo hæc erit, ſemper illi ab inimicis inſultabitur.

Hæc atque talia audienti, nihil quidem prauę cogitationis, ſed interdum voces procedebant contumaces, & inconſultæ: quas adpoſiti cuſtodes exceptas auctasq. cum deferrent.

ETSI de Principe cauſſam conquerendi habet Aulicus, caueat tamen non ſolum a prauis cogitationibus, ſed etiam a vocibus contumacibus, & inconſultis. Nam ſæpe cuſtodes adpoſiti, quos ignorat

ignorat, eas exceptas, auctasq. ad Principem deferunt: & cum illi defendere ſeipſum non detur, inde oritur pernicies ſua. Nec tutum te credas, etiamſi ſolus loquaris, nam in rebus Principem tangentibus, parietes, & aulea ipſa audiunt, loquuntur, & vt vno verbo dicam, humanos ſenſus induunt.

neque Neroni defendere daretur, diuerſæ inſuper ſolicitudinum formæ oriebantur.

SVPRA obſeruauimus, & nunc etiam repetimus, debere Aulicum prudentem ſtatim refellere, ſi poteſt, crimina quæ in ipſum ab inimicis apud Principem deferuntur. Facile enim, ſi in tempore illa non diluerit, ſuſpiciones in ipſum valida inſidebunt in Principis animo.

Nam alius occurſum eius vitare, quidam, ſalutatione reddita, ſtatim auerti, plerique incœptum ſermonem abrumpere, inſiſtentibus contra, inridentibusq. qui Seiano fautores aderant.

SEQVITVR ſemper hoc infortunium Aulicum, qui a Principis gratia excidit, vt alius eius occurſum vitet, quidam ſalutatione reddita, ſtatim auertatur, plerique incœptum ſermonem abrumpant, & omnes denique eum deſerant ac abhorreant.

Enimuero Tiberius toruus, aut falſum renidens vultu, ſeu loqueretur, ſeu taceret; iuuenis crimen ex ſilentio, ex voce:

SVSPECTIS apud Principem in crimen, detorquetur tam ſilentium, quàm vox, & omnia illis intuta ſunt.

ne nox quidem ſecura, cum vxor vigilias, ſomnos, ſuſpiria matri Liuiæ, atque illa Seiano patefaceret.

INFELIX vere eſt ille, cuius voces, vigiliæ, ſuſpiria, & ſomnia à propria vxore, quæ pro illo occumbere deberet; inimicis produntur.

Qui fratrem quoque Neronis Druſum traxit in partes, ſpe obiecta principis loci, ſi priorem ætate & iam labefactum demouiſſet.

SPES obiecta primi loci, inimicitias inter fratres accendit. Adeo poteſt in cordibus humanis cæca ambitio. Et hæc eſt ars, qua præcipue vtuntur ſceleſti, qui aliquem euertere volunt: nempe omni arte allicere, ac in ſuas partes trahere propinquos, & illos omnes, quibus infelix ille ſe ſuaq. omnia credit.

Atrox Druſi ingenium, ſuper cupidinem potentiæ, & ſolita fratribus odia,

INTER fratres gignit maxima odia cupido potentiæ. Et experientia docet, numquam ſinceram poſſe eſſe beneuolentiam inter Principes fratres. Qua de re Auctor etiam infra lib. xiij. Annal. inquit: Antiquas fratrum diſcordias & inſociabile regnum exiſtimantes.

accendebatur inuidia, quòd mater Agrippina promptior Neroni erat.

ERRANT & patres, & matres, cum e pluribus filijs, promptiores alicui illorum ſe oſtendunt. Accendunt enim hoc modo inter fratres inuidiam. Et cum hoc in priuatis domibus exitioſum eſſe, clare videamus; quid erit poſtea in Principum penatibus. Certe frater, qui ſibi apud Principem patrem præferri videbit fratrem, dubium non eſt, quin æmulatione, & inuidia accenſus, Rempublicam totam conuellat ac diſtrahat.

Neque tamen Seianus ita Druſum fouebat, vt non in eum quoque ſemina futuri exitij meditaretur:

NON ſemper bene cupiunt, callidi & ſceleſti Aulici, & amore proſequuntur illos, quos extrinſecus colunt, aut colere ſimulant. Sed ſæpe hoc agunt, vt ad finem, quem ſibi propoſuerunt, ſiue in proprium commodum, ſiue in alterius perniciem, perueniant. Quo peracto, poſtea ipſos, quorum ope id effecerunt, impie euertunt.

gnarus præferocem, & inſidijs magis opportunum.

QVOD præferoces, ac aperti, ſint magis opportuni inſidijs quam ceteri; dubitari non debet. Senſus enim animorum abdere neſciunt, & proinde incauti ſemper exiſtunt.

Fine

Fine anni exceſſere inſignes viri, Aſinius Agrippa claris maioribus quàm vetuſtis,

ALIVD eſt eſſe clarum genere, aliud vetuſtum. Hoc enim fermeſemper cum illo reperitur, ſed non econuerſo.

vitaq. non degener.

VERA eſt nobilitas, ortum eſſe claris maioribus, & vita non eſſe degenerem.

Et Q. Haterius familia ſenatoria, eloquentiæ, quoad vixit, celebratæ. Monimenta ingenij eius haud perinde retinentur. Scilicet, impetu magis, quàm cura vigebat. Vtq. aliorum meditatio & labor in poſterum valeſcit, ſic Haterij canorum illud & profluens, cum ipſo ſimul extinctum eſt.

INGENIORVM diuerſa eſt condicio. Alia impetu magis, quàm cura vigent, alia vero meditatione & labore in poſterum valeſcunt. Proinde quiſque agnoſcere debet ſe ipſum, & quo ſe aptum ſentit, progredi. Sic enim proficiet: ſecus agendo, oleum, & operam perdet. Huc pertinent illa: Nihil inuita Minerua. *Et oraculum illud:* Noſce teipſum. *Nam,* Non omnia poſſumus omnes. *Et vti debemus ingenio ad ea, ad quæ natura facti ſumus. Vt enim ſcriptum eſt:*

Equus eſt ad currum idoneus;
Ad aratra bos; propter ratem
Delphin celerrime incitatur.
Apro ſi quis necem ſtruit,
Canem inueniat laborioſum.
Qui autem indigne fert, quòd non ſimul eſt
Robore confidens leo, montibus innutritus:

& catellus Meliteus in ſinu viduæ mulieris educatus, ſtupidus eſt. Plura de hac materia vide apud Plutarchum in tractatu, De animi tranquillitate.

M. Licinio, L. Calpurnio Coss. ingentium bellorum cladem æquauit malum improuiſum.

QVAE domi accidunt mala, præſertim improuiſa, poſſunt æquare cladem ingentium bellorum. Et hæc eſt clades, de qua conquerebatur Caligula, quod ſimilis ſub ſuo imperio accidere non poſſet: ſcilicet æſtimabat ſæuiſſima humani generis fax, his malis nobilitari Principatus, quorum temporibus accidunt. Tranquillus in eius vita.

Eius initium ſimul & finis extitit. Nam cœpto apud Fidenam amphitheatro Atilius quidam libertini generis, quo ſpectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per ſolidum ſubdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem ſuperſtruxit, vt qui non abundantia pecuniæ, nec municipali ambitione, ſed in ſordida mercede id negotium quæſiuiſſet.

VERISSIMVM eſt, quòd qui ſordidam ob mercedem aliquid magnificum peragendum ſuſcipit; nihil laude dignum vmquam agit. Contra abundantia pecuniæ, & ambitio gloriæ ſemper ferè comes omnia negotia ſplendidiora efficient.

Adfluxere auidi talium, imperitante Tiberio, procul voluptatibus habiti.

ADEO eſt ſæuus, & odioſus tyrannicus ſtatus, vt illo durante, voluptates a ſubditis exulent: nec aliquid conſpiciatur, quod atrox, & mæſtum non ſit.

virilis ac muliebris ſexus, omnis ætas, ob propinquitatem loci effuſius. Vnde grauior peſtis fuit, conferta mole, dein conuulſa, dum ruit intus, aut in exteriora effunditur: immenſamq. vim mortalium ſpectaculo intentos, aut qui circum adſtabant præceps trahit, atque operit. Et illi quidem, quos principium ſtragis in mortem adfixerat, vt tali ſorte cruciatum effugere. Miſerandi magis quos, abrupta parte corporis, nondum vita deſeruerat, qui per diem viſu, per noctem vlulatibus & gemitu coniuges, aut liberos noſcebant.

SAEPE mors, eſt finis miſeriarum, illiſq. mortales eripere ſolet. Vide Ciceronem in Philoſophicis omnibus.

Iam

Iam ceteri fama exciti, hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari. Etiam quorum diuerſa de cauſſa amici, aut neceſſarij aberant, pauere tamen: neque dum comperto quos illa vis perculiſſet, latior ex incerto metus.

IN publicis malis latior ſemper eſt metus ex incerto: nam ad ſingulos ea pertinent. Et obſeruanda eſt hac accuratiſſima deſcriptio Auctoris, in qua more ſuo mirifice Salluſtium æmulatur.

Vt cœpere dimoueri obruta, concurſus ad exanimos complectentium, oſculantium. Et ſæpe certamen ſi confuſior facies, & par forma, aut ætas errorem adgnoſcentibus fecerat. Quinquaginta hominum millia eo caſu debilitata vel obtrita ſunt. Cautumq. in poſterum ſenatuſconſulto, ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res: neue amphitheatrum imponeretur, niſi ſolo firmitatis ſpectatæ.

FRVCTVM hunc nobis afferunt mala præterita perpeſſa, vt rationem inueniamus, qua futura declinemus.

Atilius in exilium actus eſt. Ceterum ſub recentem cladem patuere procerum domus, fomenta, & medici paſſim præbiti. Fuitq. vrbs per illos dies, quamquam mæſta facie, veterum inſtitutis ſimilis, qui magna poſt prælia ſaucios largitione, & cura ſuſtentabant.

EGREGIAM operam nauant proceres vrbis & diuites, qui poſt recentem aliquam ciuium ſuorum cladem, domos, & diuitias ſuas commoditati publica exponunt, largitione & cura afflictos ſuſtentando.

Nondum ea clades exoleuerat, cum ignis violentia vrbem vltra ſolitum adfecit, deuſto monte Cælio.

FERE ſemper in hoc mundo mala veniunt mortalibus geminata, vt ſupra etiam obſeruauimus.

feralemq. annum ferebant, & ominibus aduerſis ſuſceptum principi conſilium abſentiæ, qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes,

CVM ſapientis ſit, rerum cognoſcere cauſſas: nil mirum, ſi vulgus ſemper, vt inſipiens, fortuita ad culpam trahere ſoleat: & potiſſimum potentiorum, & Principum regnantium.

ni Cæſar obuiam, iſſet, tribuendo pecunias ex modo detrimenti.

SIC debet exerceri liberalitas a Principe non promiſcue, nec nullo dilectu: ſed ex modo neceſſitatis ſingulorum.

Actæq. ei grates apud ſenatum ab inluſtribus: famaq. apud populum, quia ſine ambitione, aut proximorum precibus,

EA eſt laudabilis, & Principe digna prudentia & munificentia, qua ſine ambitione, aut proximorum precibus confert dignitates, & honores. Quo in caſu, non ſolum tacere non debet populus Principis beneficentiam, immo etiam ei gratias agere; vt benefacere in dies ille aſſueſcat, cernendo ex benefactis præclaram ſui famam apud gentes oriri.

ignotos etiam & vltro accitos munificentia iuuerat.

HAEC eſt vera laus Principis, ignotos, qui aliqua virtute maxime eminent, vltro accire, & munificentia, & honoribus proſequi. Exactiſſime hoc præſtitit PAVLVS III. PONT. MAX. qui in promotionibus multis & varijs S. R. E. Cardinalium multos ſibi ignotos, ſed nominis tantum fama celebres, inſigni hac dignitate decorauit: vltro eos vocando, & inuitando.

Adduntur ſententiæ, vt mons Cælius in poſterum Auguſtus appellaretur, quando cunctis circum flagrantibus, ſola Tiberij effigies ſita in domo Iunij ſenatoris inuiolata manſiſſet.

ETIAM hodie hic mos manet, vt ſi inter incendia & ruinas, effigies aliqua, vel ſtatua illæſa permanet; ei DEVS fauere credatur. Et magnam inde acquirit apud omnes reuerentiam.

Eueniſſe id olim Claudiæ Quintiæ, eiusq. ſtatuam vim ignium bis elapſam, maiores apud ædem Matris deûm conſecrauiſſe: ſanctos acceptosq. numinibus Claudios: & augendam cærimoniam loco, in quo tantum in principem honorem dij oſtenderent.

DEBET addere dignitatem & populus & ciuitas omnis ei loco, in quo aliquid inſigne accidit: præſertim in Principis laudem.

Haud fuerit abſurdum tradere, montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuiſſe, quod talis ſiluæ frequens, fecundusq. erat: mox Cælium appellatum a Cæle Vibenna, qui dux gentis Hetruſcæ cum auxilium appellatum ductauiſſet, ſedem eam acceperat a Tarquinio Priſco, ſeu quis alius regum dedit. Nam ſcriptores in eo diſſentiunt. Cetera non ambigua ſunt, magnas eas copias per plana etiam, ac foro propinqua habitauiſſe, vnde Thuſcum vicum e vocabulo aduenarum dictum. Sed vt ſtudia procerum, & largitio principis aduerſum caſum ſolatium tulerant.

ADVERSVS caſus publicos ciuitatis, ſtudia procerum, & largitio Principis ſolatium ferunt.

ita accuſatorum maior in dies & infeſtior vis ſine leuamento graſſabatur. corripueratq. Varum Quintilium diuitem, & Cæſari propinquum Domitius Afer Claudiæ Pulchræ matris eius condemnator, nullo mirante, quòd diu egens, & parto nuper præmio male vſus, plura ad flagitia accingeretur.

QVALIA ſunt initia, tales ferme ſemper ſolent eſſe fines. Hinc non eſt mirandum, quòd aliquis diu egens, & parto nuper præmio male vſus, plura ad flagitia accingatur.

P. Dolabellam ſocium delationis extitiſſe miraculo erat; quia claris maioribus, & Varo connexus, ſuam, ipſe nobilitatem, ſuum ſanguinem perditum ibat. Reſtitit tamen ſenatus, & opperiendum imperatorem cenſuit, Quod vnum vrgentium malorum ſuffugium in tempus erat. At Cæſar dedicatis per Campaniam templis, quamquam edicto monuiſſet, ne quis quietem eius irrumperet,

CVM Princeps ſe in ſolitudinem confert; prudens Aulicus numquam quietem eius irrumpat. Offenſionem enim ſemper incurret.

concurſusq. oppidanorum, diſpoſito milite, prohiberentur, peroſus tamen municipia, & colonias, omniaq. in continenti ſita, Capreas ſe in Inſulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini promontorij diiunctam. Solitudinem eius placuiſſe maxime crediderim,

IAM ſupra annotauimus, & nunc etiam repetimus: ſolitudinem magnis viris placere maxime ſolere. E negotiorum enim multitudine in eam tamquam in portum tutiſſimum ſe conferunt.

quoniam importuoſum circa mare, & vix modicis nauigijs pauca ſubſidia. Neque adpulerit quiſquam niſi gnaro cuſtode,

TVTA poſſunt vere dici loca illa, vbi adpellere quiſquam non poteſt, niſi gnaro cuſtode.

Cæli temperies hieme mitis, obiectu montis, quo ſæua ventorum arceantur. Æſtas in Fauonium obuerſa, & aperto circum pelago peramœna. Proſpectabatq. pulcherrimum ſinum, antequam Veſuuius mons ardeſcens faciem loci verteret. Græcos ea tenuiſſe, Capreasq. Thelebois habitatas fama tradit. Sed tum Tiberius duodecim villarum nominibus, & molibus inſiderat, quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus, & malum otium reſolutus.

MIRVM videri non debet; multos reperiri Principes, qui quanto olim intenti ad publicas curas fuerunt, tanto poſtea ſunt occultiores in luxus, & in malum otium reſoluti. Quod proprie cuenit,

euenit, cum quis luxuria totus diffluens, nihil aliud cogitat, niſi illicitum, turpe, & pernicioſum ſibi, & Reipublica. Talis mutatio in peius, viſa eſt elapſis proxime temporibus, in HENRICO VIII. Angliæ Rege. De quo vide Nicolaum Sanderum in Hiſt. De Schiſmate Anglicano.

Manebat quippe ſuſpicionum, & credendi temeritas, quam Seianus augere etiam in vrbe ſuetus, acrius turbabat, non iam occultis aduerſum Agrippinam, & Neronem inſidijs.

TEMERITATEM ſuſpicionum & credendi, fugiant omnes Principes, & hac in re iudicium maximum adhibeant. Alioquin prauorum aliquorum criminationibus impulſi damnum aliquod irreparabile admittent. De hac re prudentiſſime Mæcenas in pulcherrima illa oratione a me ſæpius allegata, & alleganda, quæ eſt apud Dionem in lib. lij. Hiſt.

quis additus miles nuntios, introitus, aperta, ſecreta velut in annales referebat, vltroq. ſtruebantur qui monerent, perfugere ad Germaniæ exercitus, vel celeberrimo fori effigiem diui Auguſti amplecti, populumq. ac ſenatum auxilio vocare. Eaq. ſpreta ab illis, velut pararent, obijciebantur.

SVBTILISSIMA hæc eſt inimicorum ars, beneuolentiæ ſpecie ſudare tibi aliquid, quod ſi effeceris, apud Principem te perdat: ſi vero id facere ſpreueris, tibi obijcere, velut pares efficere. Sed talis in caſu, qui ſe iam ſuſpectum eſſe Principi non ignorat, nemini, quamuis ſe amicum ille oſtendat, credere debebit: & omnia conſilia pro doloſis habebit.

Iunio Sillano, & Silio Nerua Coss. fœdum anni principium inceſſit, tracto in carcerem inluſtri equite Romano Titio Sabino, ob amicitiam Germanici. Neque enim omiſerat coniugem, liberosq. eius percolere, ſectator domi, comes in publico, poſt tot clientes vnus,

VERI amici ſunt illi, qui & in aduerſa fortuna, te & tuos non deſerunt; etſi Principi etiam parum gratus ſis. Verum hodie in Aulis perrari, vt non dicam, nulli, tales reperiuntur.

eoq. apud bonos laudatus, & grauis iniquis.

HOC ſibi ante oculos proponat vir probus, qui in Aula vitam degere ſtatuit, quòd, recte viuendo, apud bonos quidem laudatus, iniquis vero ſemper erit grauis. Sed non ideo conſilij ſui formam immutet: nam tractu temporis virtus ipſa inuidiam ſuperat, operum ſuorum gloria. Quod eſt in rebus mortalium laudabiliſſimum, teſte Salluſtio, in oratione Micipſa ad Iugurtham.

Hunc Latinius Latiaris, Procins Cato, Petitius Rufus, M. Opſius prætura functi adgrediuntur, cupidine conſulatus, ad quem nonniſi per Seianum aditus.

VERE potens eſt ille apud Principem & gratioſus, qui eo res Principis adducit: vt ad dignitates, & honores maximos nonniſi per ipſum ſit aditus.

Neque Seiani voluntas niſi ſcelere quærebatur.

PERDITVM eunt res in principatu, quando gratioſi apud Principem ſunt ſceleſti atque improbi. Nam cum ceteri omnes cupidine honorum trahantur, ad quos fere ſemper per iſtos gratioſos eſt aditus, voluntatem eorum ſcelere quærent. Et ſic omnia improbitatis, & ſcelerum plena reddentur. Vt enim præclaris factis, & virtute hominum proborum, & praſtantium comparatur beneuolentia: ſic econuerſo nonniſi ſcelere poteſt acquiri improborum voluntas, & fauor.

Compoſitum inter ipſos, vt Latiaris, qui modice vſu Sabinum contigebat, ſtrueret dolum, ceteri teſtes adeſſent: deinde accuſationem inciperent.

EX hoc dolo aduerſus Titium Sabinum patrato, clare cerni poteſt, nullum eſſe tam fœdum ac deteſtandum facinus, ad quod perpetrandum non cogat mortalia pectora ambitio. De qua, quoniam alijs in locis multa ſæpe diximus, hic leuiter eam tranſibimus: præſertim cum quotidie in Aulis Principum palpabilia, vt ita dicam, huius rei cernantur exempla.

Igitur Latiaris iacere fortuitos primum ſermones.

HAE ſunt artes Aulicorum improborum, qui aliquem ſubuertere volunt probum & innocentem virum. Iaciunt primo cum illo fortuitos ſermones, vt ſuſpicionem fraudis amoueant. Deinde illi blandiuntur, ad eius beneuolentiam captandam. Poſtea aliquid rerum ſuarum arcanarum illi communicare ſimulant, quòd reuera nihil refert: vt fidem apud illum acquirant. Et ſic demum innocens ille deceptus, animi ſui ſecretum pandit, ſuper quo illi criminationes apud Principem ſtruunt, & illum peſſundant. Oculatiſſimum ergo præſtat eſſe in hac re, quæ quotidie in Aula Romana vſu venit, & diſcernere maleuolos a beneuolis: vt cum illis caute, & ſobrie, cum his libere & plene tractes.

mox laudare conſtantiam, quòd non vt ceteri, florentis domus amicus, adflictam deſeruiſſet: ſimul honora de Germanico, Agrippinam miſerans diſſerebat.

MVLTI, qui florentis domus ſunt amici, eam adflictam deſerunt. Sed nec in difficillimo tempore amicum deſerere, hæc eſt vera laus, & conſtantia. Quæ rara eſt quidem, ſed eo admirabilior ſemper apparebit.

Et poſtquam Sabinus, vt ſunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrymas, iunxit queſtus,

NISI longo virtutis habitu firmati fuerint, vere ſunt molles in calamitate mortalium animi. Vnde euenit, vt facile alicui, quem ſibi fidum exiſtimant, calamitates ſuas aperiant, & ſæpe decipiantur. Hinc ergo conducit ſemper meditari ſecum, quæ damna occurrere hac in vita poſſunt: vt quando euenerint, præſto nobis ſit remedium, quod illis applicemus. Nec nobis accidat has voces emittere: Non putaram: Multa ſperaui: Hæc non expectabam: ſed poſſimus dicere libere & fortiter: Anteuerti te o fortuna, omnesq. tibi ad me aditus obſtruxi: & hoc non vectibus, clauibus, aut muris fidens, ſed doctrina, & rationibus. Plut. De animi tranquillitate.

audentius iam onerat Seianum, ſæuitiam, ſuperbiam, ſpes eius:

PRAEPOTENTIVM apud Principem, ferme ſemper hæc ſunt peculiaria vitia. Sæuitia, ſuperbia, auaritia, & nimia ſpes. Quod idem Auctor in lib. iiij. Hiſt. etiam oſtendit, inquiens: Auaritia & ſuperbia, præcipua validorum vitia.

ne in Tiberium quidem conuicio abſtinet.

ETSI à Principe læſus eſt, & iuſtam de illo conquerendi occaſionem habere poteſt; caueat tamen ſemper prudens Aulicus, & abſtineat conuicijs in eum. Sæpe enim magis pernicioſum eſt de illo contumelioſe loqui, quàm coniurationem in illum inire.

Ijq. ſermones, tamquam vetita miſcuiſſent, ſpeciem artæ amicitiæ facere.

SERMONES, qui inter aliquos vetita miſcent, ſpeciem artæ amicitiæ faciunt. Et miſceri vetita dicuntur, cum de tali re ſermo habetur; quæ ſi emanaret, perniciem certam adferret illi, qui de illa re loquutus eſſet. Idem Auctor lib. xiiij Anal. inquit: Quaſi ſeria conſociarent.

Ac iam vltro Sabinus quærere Latiarem, ventitare domum, dolores ſuos quaſi ad fidiſſimum deferre.

MAGNVM in doloribus eſt ſolatium, eos poſſe ad fidiſſimum aliquem deferre: & hæc eſt vna ex præcipuis ſuauitatibus, quæ inter amicos percipitur.

Conſultant quos memoraui, quonam modo ea plurium auditu acciperentur. Nam loco, in quem coibatur, ſeruanda ſolitudinis facies, & ſi pone fores adſiſterent, metus viſus, ſonitus, aut forte ortæ ſuſpiciones erant.

IN locis, vbi de rebus vetitis miſcentur ſermones, ſeruanda eſt præter cetera ſolitudinis facies.

Tectum inter & laquearia tres ſenatores, haud minus turpi latebra, quàm deteſtanda fraude ſeſe abſtrudunt, foraminibus & rimis aurem admouent. Interea Latiaris

riaris

tiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum & in cubiculum trahit. Præteritaq. & inſtantia, quorum adfatim copia, ac nouos terrores cumulat.

DIGNA eſt animaduerſione hac improba ſceleratorum aſtutia, vt a probis euitari poſſit. Non minus enim prodeſt mala ſcire, vt ea fugiamus, quàm bona, vt ſequamur.

Eadem ille, & diutius, quando mæſta, vbi ſemel prorupere, difficilius reticentur.

MAESTA, vbi ſemel prorupere, difficilius reticentur. Videntur enim quodam modo exonerari animi grauibus illis curis, dum cum aliquo illas communicamus.

Properata inde accuſatio; miſſisq. ad Cæſarem litteris, ordinem fraudis, ſuumq. ipſi dedecus narrauere.

IMPIA, & ſcelesta vere eſt via, qua quis ad Principem prouehere ſe ſtudet miniſterio tali, quod fateri apud ipſum neceſſe ſit, cum ſuo ipſius miniſtri dedecore.

Non alias magis anxia & pauens ciuitas, etiam aduerſum proximos. Congreſſus, colloquia, notæ ignotæq. aures vitari; etiam muta atque inanima, tectum, & parietes circumſpectabantur.

NVMQVAM magis anxia & pauens eſt ciuitas, etiam aduerſus proximos, quàm cum ſub Tyranno ſæuo & efferato degit. Congreſſus, colloquia, notæ, ignotaq. aures vitantur: etiam muta & inanima, tectum, & parietes circumſpectantur. Et ſic etiam Auctor loquitur in 1. Hiſt. Vnde plena omnia ſuſpicionum, & vix ſecreta domuum ſine formidine.

Sed Cæſar ſollemnia incipientis anni Kal. Ianuarias epiſtola precatus vertit in Sabinum, corruptos, quoſdam libertorum, & petitum ſe arguens, vltionemq. haud obſcure poſcebat. Nec mora, quin decerneretur, & trahebatur damnatus, quantum obducta veſte, & adſtrictis faucibus niti poterat. clamitans: Sic inchoari annum, has Seiano victimas cadere.

VERE poteſt dici cadere vt victima miſer aliquis, qui innocenter a præpotenti aduerſario de medio tollitur.

quo intendiſſet oculos, quo verba acciderent, fuga, vaſtitas, deſeri itinera, fora: & quidam regrediebantur, oſtendebantq. ſe rurſum, id ipſum pauentes quod timuiſſent.

MISERRIMA eſt condicio ſubditorum Tyranni, cum non ſolum quotidie cauſſam habeant, vnde timeant, ſed etiam pauendi, quòd timuerint. Quod tunc euenit, cum aliquis alium puniri videt, illiusq. aſpectum declinat. Videtur enim eiuſdem flagitij quodam modo ſibi eſſe conſcius.

Quem enim diem vacuum pœna, vbi inter ſacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abſtineri mos eſſet, vincula & laqueus inducantur?

DISCANT hinc Chriſtiani, quantopere feſti & ſollemnes dies ſint in veneratione habendi. Si enim apud Gentiles, dirum, & nefas habebatur talibus diebus, non ſolum quemquam trahere ad ſupplicium, verum etiam profana verba habere: quid erit nobis agendum? Nobis inquam, qui non in Idolorum ſeruitute cæcutimus, in tenebris ambulantes; ſed veram ac claram lucem conſpicimus, & vni & certo DEO in Trina poteſtate inſeruimus.

Non imprudentem Tiberium tantam inuidiam adijſſe quæſitum meditatumq. ne quid impedire credatur, quo minus noui magiſtratus, quo modo delubra, & altaria, ſic carcerem recludant.

DIGNA certe eſt obſeruatione hac tyrannica Tiberij ars, qua vno tempore, & vltioni ſuæ conſuluit, & antiquum morem non violauit. Moris enim erat magiſtratibus Kalendis Ianuarij carceres recludere. Si hoc Tiberius impediuiſſet, magnam ſibi apud omnes inuidiam conflaſſet: ſi etiam Sabinum in carcerem duci iuſſiſſet, ipſe eo priuilegio pœnam Principis euaſiſſet. Quid ergo egit Tiberius? Illo ipſo die Sabinum ad ſupplicium trahi voluit. Ad ſecuritatem quidem ſuam aſtute factum; ſed improbe & tyrannice.

Secutæ inſuper litteræ, grates agenris, quòd hominem infenſum Reip. puniuiſſent adiecto, trepidam ſibi vitam, ſuſpectas inimicorum inſidias,

QVI inimicitias gerunt, ſemper vitam habeant trepidam, neceſſe eſt, ob ſuſpectas inimicorum inſidias, & a magno quondam uiro audire me menti teneo, quòd in toto vitæ ſuæ ſpatio, id autem erat quinquaginta ſaltem annorum, nullum tempus infelicius tranſegit, quam ſexdecim annorum ſpatium, quod in exercendis aliquibus validis inimicitijs percurrit.

nullo nominatim compellato. Neque tamen dubitabatur in Neronem & Agrippinam intendi.

E dignitate Tyranni, & Principis non eſt nominatim in ſcriptura publica nominare illos, quos ſibi inimicos putat: ne ſcilicet illos timere videatur. Sufficit enim breuis eorum demonſtratio apud illos, qui punire ſuſpectos poſſunt, magiſtratus.

Ni mihi deſtinatum foret, ſuum quæque in annum referre, auebat animus antire, ſtatimq. memorare exitus, quos Latinius atque Opſius, ceteriq. flagitij eius repertores habuere, non modo poſtquam C. Cæſar rerum potitus eſt, ſed incolumi Tiberio, qui ſcelerum miniſtros vt peruerti ab alijs nolebat, ita plerumque ſatiatus, & oblatis in eandem operam recentibus, veteres & prægraues adflixit.

MOS hic eſt Tyrannis. Scelerum miniſtros, vt peruerti ab alijs nolunt, ita plerumque ſatiati & oblatis in eandem operam recentibus, veteres & prægraues affligunt. Atque vtinam hoc perpenderetur ab omnibus illis, qui Tyrannis ſceleſtum miniſterium præſtant. Certe ab improbis operibus abſtinerent.

Verum has, atque alias ſontium pœnas in tempore trademus. Tum cenſuit Aſinius Gallus, cuius liberorum Agrippina matertera erat, petendum a principe, vt metus ſuos ſenatui fateretur, amoueriq. ſineret. Nullam æque Tiberius, vt rebatur, ex virtutibus ſuis quam diſſimulationem diligebat. Eo ægrius accepit, recludi quæ premeret.

SOLENT plerique Principes, inter præcipuas ſuas virtutes diſſimulationem numerare, & habere. Inde agere accipiunt, recludi quæ premunt. Vnde nonniſi imprudenter ſe gerit Aulicus, qui inepta, aut inopportuna interrogatione huc adigere tentat Principem, vt recludat, quæ premere vult.

Sed mitigauit Seianus non Galli amore, verum vt cunctationes principis aperirentur, gnarus.

AVLICVS, qui ſolertia ſua nouit Principis ingenium, & illi continuo adſidet; quidquid vult efficere, efficit.

lentum in meditando, vbi prorupiſſet, triſtibus dictis atrocia facta coniungere.

HI ſunt vere terribiles ac timendi, qui lenti in meditando, vbi prorumpunt, triſtibus dictis atrocia facta coniungunt. In Principe id eſt præcipue timendum.

Per idem tempus Iulia mortem obijt, quam neptem Auguſtus conuictam adulterij damnauerat, proieceratq. in inſulam Trimerum, haud procul Apulis litoribus, Illic viginti annis exilium tolerauit, Auguſtæ ope ſuſtentata; quæ florentes priuignos cum per occultum ſubuertiſſet, miſericordiam erga adflictos palam oſtentabat.

PESSIMAE natura hoc eſt, quos florentes per occultum ſubuertis, erga eos adflictos miſericordiam palam oſtentare.

Eodem anno Friſij Tranſrhenanus populus pacem exuere, noſtra magis auaritia, quàm obſequij impatientes. Tributum ijs Druſus iuſſerat modicum, pro anguſtia rerum,

CVM anguſtæ ſunt res in populis, modica debent tributa a Principe iuberi: alioquin populi pacem & obſequium exuent. Quod conſiderantes Principes illi, qui Alpinis populis præſunt, ob locorum ſterilitatem, exigua imponunt tributa, ſiue potius nulla.

vt in vſus militares coria boum penderent, non intenta cuiuſquam cura, quæ firmitudo, quæ menſura: donec Olennius e primipilaribus regendis Friſijs impoſitus, terga Vrorum delegit, quorum ad formã acciperentur. Id alijs quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur, quis ingentium belluarum feroces ſaltus. modica domi

armenta

armenta ſunt. Ac primo boues ipſos, mox agros, poſtremo corpora coniugum, aut liberorum ſeruitio tradebant. Hinc ira & queſtus. Et poſtquam non ſubueniebat, remedium ex bello.

IVSTIS populorum queſtibus ſemper ſubueniat Princeps, alioquin remedium ex bello ſument, vt aut ferro libertatem ſibi comparent, aut non inulta morte, ſe eximant ſeruitio.

rapti qui tributo aderant milites, & patibulo adfixi. Olennius infenſos fuga præuenit, receptus caſtello, cui nomen Fleuum: & haud ſpernenda illic ciuium, ſociorumq. manus litora Oceani præſidebat. Quod L. Apronio inferioris Germaniæ pro prætori cognitum, vexilla legionum, e ſuperiore prouincia peditumq. & equitum auxiliarium delectos acciuit: ac ſimul vtrumque exercitum Rheno deuectum Friſijs intulit, ſoluto iam caſtelli obſidio, & ad ſua tutanda digreſſis rebellibus.

STATIM primis motibus populorum debent prouidere duces, ne nimia cunctatione vires tumultuantibus augeantur: ſed potius aduentantis exercitus fama exterriti, arma deponant, & ferociam exuant.

Igitur proxima æſtuaria aggeribus & pontibus, traducendo grauiori agmini firmat. Atque interim repertis vadis alam Caninefatem, & quod peditum Germanorum inter noſtros merebat, circumgredi terga hoſtium iubet. Qui iam acie compoſiti pellunt turmas ſociales, equiteſq. legionum ſubſidio miſſos. Tum tres leues cohortes, ac rurſum duæ, dein tempore interiecto, acrius eques immiſſus, ſatis validi, ſi ſimul incubuiſſent, per interuallum aduentantes, neque conſtantiam addiderant turbatis, & pauore fugientium auferebantur.

VIRTVS vnita magis operatur: aiunt Philoſophi. Sic in exercitu, qui milites eſſent validi, ſi ſimul incumberent, ij per interuallum aduentando, neque conſtantiam addunt ſuis, nec pauorem inimicis.

Cethecio Labeoni legato quintæ legionis, quod reliquum auxiliorum tradit. Atque ille, dubia ſuorum re, in anceps tractus, miſſis nuntijs vim legionum implorabat. Prorumpunt quintani ante alios, & acri pugna hoſte pulſo, recipiunt cohortis, alaſq. feſſas vulneribus. Neque dux Romanus vltum ijt, aut corpora humauit, quamquam multi tribunorum, præfectorumque, & inſignes centuriones cecidiſſent. Mox compertum a transfugis nongentos Romanorum apud lucum, quem Baduhennæ vocant, pugna in poſterum extracta, confectos: & aliam quadringentorum manum, occupata Cruptoricis, quondam ſtipendiarij, villa, poſtquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuiſſe. Clarum inde inter Germanos Friſium nomen, diſſimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret.

SAEPE Tyrannus diſſimulat damna, quæ ab externis hoſtibus patitur, ne alicui exercitum committat: vt ſupra diffuſe explanauimus. Et hic ſunt etiam videnda, quæ docte & grauiter inquit Xenophon in Tyranno.

Neque ſenatus in eo cura, an imperij extrema dehoneſtarentur.

TVRPE eſt, imperij extrema, quæ ſemper initijs glorioſiora eſſe deberent, per dedecus dehoneſtari. Quod vere accidit, cum accipiuntur clades etiam a ſtipendiarijs. Nec mirum erat ſenatum nihil hæc æſtimare. Cuncta enim ad ſe Tiberius traxerat: & ſenatores ipſi non vt adiutores, ſed vt vilia mancipia habebantur. Adeo vt nihil ipſorum intereſſet Tiberio ne, an hoſti ſeruirent. Immo eo erant adducti, vt potius in mutatione ſeruitij, ſperare poſſent condicionem vitæ magis tolerabilem. Vnde nil mirandum, ſi ſenatus in hac re nulla erat cura.

Pauor internus occupauerat animos, cui remedium adulatione quærebatur.

APVD Principem, adulatione quæritur remedium a ſubditis pauori interno. Quo remedio nullum præſentius indicari ſolet ſub Tyranno.

Ita quamquam diuerſis ſuper rebus conſulerentur, aram clementiæ, aram amicitiæ, effigieſq. circum Cæſaris ac Seiani cenſuere.

VT ſupra obſeruauimus, non tantum Principem complectitur adulatio: ſed etiam illos, qui apud ipſum gratioſi & potentes viſuntur.

crebriſq.

crebriſq. precibus efflagitabant, viſendi ſui copiam facerent.

SICVT non decet Principem huc illuc curſitare; & omni in loco perſonam ſuam vulgare, obuerſando inter cœtus multitudinis: ita etiam ſe omnium oculis ſubtrahere, vt nemo illum alloqui poſſit, non eſt tutum, nec laudandum. Sed modus adhiberi debet: ſic vt ſuis temporibus, hominum aditus apud ipſum pateans. Ita enim fies, vt ipſe ſaluam dignitatem & maieſtatem Principis retineat: comitate vero, affabili alloquio, & grato vultu, hominum animos & ſtudia ſibi firmet, & augeat.

Non illi tamen in vrbem aut propinqua vrbi digreſſi ſunt: ſatis viſum omittere inſulam, & in proximo Campaniæ aſpici. eo venire patres, eques, magna pars plebis, anxij erga Seianum, cuius durior congreſſus, atque eo per ambitum, & ſocietate conſiliorum parabatur.

GRATIOSORVM Aulicorum apud Principem fere duriores ſemper ſunt congreſſus, quàm Principis ipſius, Hiq. ſemper per ambitum, & ſocietate conſiliorum parantur.

Satis conſtabat, auctam ei adrogantiam fœdum illud in propatulo ſeruitium ſpectanti.

DVBIVM non eſt, Aulico inſolenti augeri cum potentia arrogantiam, præſertim cum fœdum in propatulo aliorum ſeruitium, erga ſe ſpectat.

Quippe Romæ ſueti diſcurſus, & magnitudine vrbis, incertum quod quiſque ad negotium pergat.

IN vrbe ſueti diſcurſus & eius magnitudo, reddit incertum, quod quiſque ad negotium pergat.

Ibi campo aut litore iacentes, nullo diſcrimine noctem ac diem iuxta gratiam aut faſtus ianitorum perpetiebantur.

PRVDENS Aulicus & vir ſapiens, qui aliquid momenti cum Principe agere neceſſe habet, in animo ſuo proponat perpeti faſtus etiam ianitorum. Aut eos, vt ait Seneca, more Cerberi, offa aliqua delineat vt ſibi aditum facilitet. Nihil enim cum his indignari oportet, nec contendere.

donec idq. vetitum. & reuenere in vrbē trepidi, quos non ſermone, non viſu dignatus erat.

QVOTIDIE vſu comprobatur hæc ſententia: nempe, quod nulla alia res tam acriter Aulicum percellit, quàm cum Princeps, aut ille, qui apud Principem poteſt, ipſius obſequium aſpernatur: atque eum nec ſermone, nec viſu dignatur.

quidam male alacres, quibus infauſtæ amicitiæ grauis exitus imminebat.

CVM gratioſis apud Principem, videat prudens Aulicus, quo modo ſe commiſceat. Nam ſæpe illi a gratia excidunt, & ruina ſua grauem exitum infauſta amicitiæ ſocijs comparāt. Vnde ſequitur mala alacritas: quæ proprie eſt, cum aliquis inani gaudio auctus, neſcit quid ſibi imminet. Proinde totus a ſe & virtute ſua pendeat: illos quidem colendo, ſed non penitus cum illis res ſuas ſociando.

Ceterum Tiberius neptem Agrippinam Germanico ortam, cum coram Cn. Domitio tradidiſſet, in vrbe celebrari nuptias iuſſit. In Domitio, ſuper vetuſtatem generis, propinquum Cæſaribus ſanguinem delegerat. Nam is auiam Octauiam, & per eam Auguſtum auunculum præferebat.

IN collocandis filijs & neptibus, ſicut cetera diligenter obſeruare debet Princeps; ſic & præcipue nobilitatem illorum, cui eas collocat, & vetuſtatem generis attendere conuenit. Nam vt inquit Flaccus,

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Commentariorum in Quartum Librum Annalium P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI
IN P· CORNELII TACITI
Annales Commentarij.

Ex Lib. V. Annal. P. Cornelij Taciti.

RVBELLIO & Fuſio Coss: quorum vtrique Geminus cognomentum erat, Iulia Auguſta mottem obijt, ætate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam, & adoptione Liuiorum Iuliorumq. clariſſimæ. primum ei matrimonium & liberi fuere cum Tiberio Nerone: qui bello Perusino profugus, pace inter Sex. Pompeium ac triumuiros pacta, in vrbem redijt. Exin Cæſar cupidine formæ aufert marito, incertum an inuitam, adeo properus, vt ne ſpatio quidem ad enitendum dato penatibus ſuis grauidam induxerit.

PRINCIPES ſæpe cupidine formæ mulierum ad multa illicita deueniunt. Vnde oriuntur coniurationes, & infelices ipſorum exitus. Hinc ergo aſſueſcant deſideria propria frænare: & ſic tuti, & apud populos dilecti durabunt. Clarum & inſigne huius rei exemplum dant nobis ſacræ Litteræ in perſona Dauid Regis & Prophetæ: qui cupidine formæ Berſabeæ adeo incenſus eſt, vt & adulterium, & homicidium cum proditione admiſerit. 2. Reg. ij.

Nullam poſthac ſubolem edidit, ſed ſanguini Auguſti per coniunctionem Agrippinæ & Germanici adnexa, communes pronepotes habuit: ſanctitate domus priſcum ad morem, comis vltra quàm antiquis feminis probatum, mater, impotens,

VITAE humanæ opus totum conſiſtit in ſeruanda officij cuiuſque æqualitate. Sic infra lib. iiij. Hiſt. de Heluidio Priſco loquens, inquit Auctor: Cunctis vitæ officijs æquabilis &c.

vxor facilis,

DIGNVM eſt hoc loco referre apophtegma Liuiæ in hac materia. Interroganti enim cuidam, qua nam ratione Auguſtum ita in ſuam poteſtatem redegiſſet, reſpondit: Exquiſita pudicitia, omnia eius mandata lubenter exequendo, nullas eius res ſcrutando, luſus eius Venereos neque perſequendo, & diſſimulando. Dio. lib. lviij. Hiſt.

& cum artibus mariti, ſimulatione filij bene compoſita.

DE Liuia noſtra, tam ſcite & eleganter Paterculus notat vtramque fortunam in 2. Hiſtor. vt omittere non potuerim, quin locum Auctoris huc integrum transferrem. Sic ergo ille: Quis Fortunæ mutationes, quis dubios rerum humanarum caſus ſatis mirari queat? quis non diuerſa præſentibus, contrariaq. expectaris aut ſperet, aut timeat? Liuia, nobiliſſimi, & fortiſſimi viri, Druſi Claudiani filia, genere, probitate, forma, Romanorum eminentiſſima, quam poſtea coniugem Auguſti vidimus, quin tranſgreſſa ad Deos ſacerdotem pene habuit, ac flaminem, tum fugiens mox futuri ſui Cæſaris arma, vix bimũ hunc

Tiberium

Tiberium Cæſarem, vindicem Romani imperij, futurumq. eiuſdem Cæſaris filium, geſtans ſinu, per auia itinerum viratis militum gladijs, vno comitante, quo facilius occultaretur fuga, peruenit ad mare: & cum viro Nerone peruecta in Siciliam eſt.

Funus eius modicum, teſtamentum diu irritum fuit, laudata eſt pro roſtris a C. Cæſare pronepote, qui mox rerum potitus eſt. At Tiberius, quòd ſupremis in matrem officijs defuiſſet, nihil mutata amœnitate vitæ, magnitudinem negotiorum per litteras excuſauit: honoresq. memoriæ eius ab ſenatu large decretos, quaſi per modeſtiam imminuit, paucis admodum receptis, & addito, ne cæleſtis religio decerneretur. ſic ipſam maluiſſe.

VIDE hic Dionem lib. lviij. Hiſt. & conſonat hoc cum illo, quod ſupra de Tiberio dixit Auctor: quod ſcilicet muliebre faſtigium in ſui diminutionem accipiebat.

quin & parte eiuſdem epiſtolæ increpuit amicitias muliebres, Fuſium conſulem oblique perſtringens,

NVMQVAM apud graues & ſeueros Principes laudabuntur, & magnifient illi, qui muliebres amicitias nimis fouent, & alunt. Mulieribus enim vt Auctor ſupradixit, adhereſcit deterrimus quiſque, & qui parum ſua virtute nititur.

is gratia Auguſtæ floruerat, aptus alliciendis feminarum animis, dicax idem, & Tiberium acerbis facetijs inridere ſolitus,

QVI gratia mulierum florere apud Principem volunt, ij apti eſſe alliciendis earum animis debent, & dicaces, & facetijs irridere alios ſoliti.

quarum apud præpotentes in longum memoria eſt.

FACETIAE acerbæ erga Principem ſunt omittendæ. Nam earum apud præpotentes in longum memoria eſt.

Ceterum ex eo prærupta iam & vergens dominatio. nam incolumi Auguſta, erat adhuc perfugium: quia Tiberio inueteratum erga matrem obſequium; neque Seianus audebat auctoritati parentis anteire. tunc velut frænis exſoluti proruperunt.

CVM Princeps omne frænum timoris, & pudoris abijcit, & ſe in manus ſceleſtorum penitus proycit; vere eius dominatio poteſt dici prærupta & vergens. Et hic locus de Tiberio mire congruit cum Elogio, quod in fine vi. libri de ipſo ponit Auctor: ſicut ibi videbimus.

miſſæq. in agrippinam ac Neronem litteræ, quas pridem allatas & cohibitas ab Auguſta credidit vulgus. haud enim multum poſt mortem eius recitatæ ſunt. verba inerant quæſita aſperitate: ſed non arma, non rerum nouarum ſtudium, amore iuuenum, & impudicitiam nepoti obiectabat. in nurum ne id quidem confingere auſus; adrogantiam oris & contumacem animum incuſauit, magno ſenatus pauore ac ſilentio: donec pauci, quis nulla ex honeſto ſpes, & publica mala ſingulis in occaſionem gratiæ trahuntur.

EVENIT hoc ſub Tyranno, vt publica mala ſingulis in occaſionem gratiæ trahantur: & paucis ſit ex honeſto ſpes. Nam quæ poteſt ſpes eſſe ex honeſto, ſi Princeps, qui ſons ſpei ſubditis eſſe ſolet, inhoneſta ſolum, & turpia ſequitur?

vt referretur poſtulauere, promptiſſimo Cotta Meſſallino cum atroci ſententia. ſed alijs a primoribus, maximeq. a magiſtratibus trepidabatur: quippe Tiberius & ſi infenſe inuectus, cetera ambigua reliquerat. Fuit in ſenatu Iunius Ruſticus, componendis patrum actis delectus a Cæſare, eoq. meditationes eius introſpicere creditus:

INTROSPICERE meditationes Principis, difficillimum eſt. ſic infra lib. vi. in Terentij perſona loquens inquit Auctor: Inquirere acta Principis, anceps, illicitum: nec ideo adſequare.

is fatali quodam motu, neque enim ante ſpecimen conſtantiæ dederat, ſeu praua ſolertia, dum imminentium oblitus incerta pauet.

PRAVA eſt ſolertia, imminentium obliuiſci, & incerta pauere.

inſerere

inſerere ſe dubitantibus, ac monere conſules ne relationem inciperent: diſſerebatq. breuibus momentis ſumma verti poſſe,

SI hac ſententia alicubi vera eſt, & vſu cernitur; id quidem Romæ, pluſquam alibi conſpicitur. Vbi quotidie breuibus momentis ſumma vertuntur.

dandumq. interſtitium pœnitentiæ ſenis.

POENITENTIAE hominum dandum eſt aliquando interſtitium. In Tiberio tamē hoc non valebat. Nam, vt ſupra dixit Auctor, interiectu temporis non mitigabatur.

Simul populus effigies Agrippinæ, ac Neronis gerens, circumſiſtit curiam, feſtiſq. in Cæſarem ominibus falſas litteras, & principe inuito, exitium domui eius intendi clamitat. ita nihil triſte illo die patratum. ferebantur etiam ſub nominibus conſularium fictæ in Seianum ſententiæ, exercentibus pleriſque per occultum, atque eo procacius libidinem ingeniorum.

LIBIDINES ingeniorum, quo per occultum, eo procacius exercentur.

vnde illi ira violentior, & materies criminandi. ſpretum dolorem principis,

DOLOREM Principis ſpernere, populo nefas eſt. Sic infra lib. iij. Hiſt. de morte Iunij Blaſi loquendo Auctor: Incuſatur, quòd, ægro Principe, lætos dies ageret.

ab ſenatu deſciuiſſe populum: audiri iam & legi nouas conciones, noua patrum conſulta. quid reliquum, niſi vt caperent ferrum? & quorum imagines pro vexillis ſecuti forent, duces imperatoresq. diligerent? Igitur Cæſar repetitis aduerſum neporem & nurum probris, increpitaq. per edictum plebe, queſtus apud patres, quòd fraude vnius ſenatoris imperatoria maieſtas eluſa publice foret: integra tamen ſibi cuncta poſtulauit. nec vltra deliberatum, quominus non quidem extrema decernerent, id enim vetitum, ſed paratos ad vltionem vi principis impediri teſtarentur. Quattuor & quadraginta orationes

MAGNA hic eſt Auctoris noſtri facta iactura. Cum deſint trienny fere geſta. Quibus continebatur Agrippinæ liberumq. eius exitus: Seiani ſpes & ad imperium conatus, eiuſdemq. cum agmine amicorum ſtroges: Liuiæ flagitia, ac mors: & vt breui abſoluam Tiberianæ hiſtoriæ flos.

ſuper ea re habitæ, ex quîs ob metum paucæ, plures adſuetudine, mihi pudorem, aut Seiano inuidiam allaturum cenſui.

„ verſa eſt fortuna, & ille quidem, qui collegam & generum adſciuerat, ſibi ignoſcit.
„ ceteri quem per dedecora fouere, cum ſcelere inſectantur.

NE Lector defraudetur, inquantum poſſumus, de hiſtoria ſerie, libuit hic ex Dione transferre integrum Seiani exitum, ad demulcendum ſaltem dolorem, quem ex facta Auctoris noſtri iactura iure omnes capere debemus. Sic igitur inquit Dio lib. lviij. Hiſt. Enimuero Seianus faſtu, potentiaq. adeo efferebatur tam, vt, quo paucis rem expediam, ſeipſum pro Imperatore, Tiberium pro inſulæ rectore quodam habuerit, quod in inſula cui Capreæ nomen Tiberius agebat. Hinc ſtudia erga eum, & ſalutationes ea propter ianuam eius, cum metuerent ſinguli, non modo ne non viderentur ab eo, ſed etiam ne poſtremi, omnium, ac præcipue procerum & verba & nutus accurate obſeruante. Nam qui propria dignitate aliqua eminent, neque ſalutationes iſtas ab alijs requirunt, neque omiſſas vitio vertunt, conſcij nimirum ſibi, non hoc contemptu ſui fieri: at qui adſciticijs ornamentis vtuntur, ſummopere ea, tamquam ad perfectionem ſuæ dignitatis neceſſaria, deſiderant: ac niſi conſequantur, tamquam probro iniuriaue affecti, animis commouentur. Ideo magis huiuſmodi homines, quàm ipſi fere Imperatores, ſunt obſeruandi, quòd apud hos virtutis habetur peccatorum gratiam facere: apud illos quod delinquitur, imbecillitatem ſuam arguere creditur, faceteq. ad firmandam magnæ potentiæ opinionem, vt ea perſequantur, vlciſcanturq. Kalendis quibuſdam, frequentibus omnibus in domum Seiani conuenientibus, lectus in aula, in quam ſalutantes admittebat, multitudine inſidentium totus confractus eſt: progredienteq. ipſo ex domo, felis per medios diſcurrit: cumq. in Capitolio ſacrificaſſet, àc inde in forum deſcenderet, ſerui eius ſtipatores cum propter turbam eum ſequi non poſſent, in viam, quæ ad carcerem ducit, diuerterunt, ac per ſcalas Gemonias deſcendentes lapſi deciderunt: augurium deinde captanti, nulla auis ſecunda apparuit, corui autem circumuolitantes, obſtrepentesq. ei confertim ad carcerem deuolarunt, aç ſuper eum conſederunt, Hæc neque a Seiano, neque ab alio vllo prodigijs ſunt habita videlicet

ad præſentia

ad præſentia reſpiciens, nemo ne Deo quidem futuram tantam breui mutationem prædicenti credidiſſet. Itaque adulationis pleni omnes eius fortunam iurabant, collegamq. eum Tiberio non iam in Conſulatu, ſed in ſumma rerum adminiſtranda innuentes deſtinabant. Quorum etſi nihil iam Tiberium latebat, id tamen agitabat, qua ratione eum e medio tolleret: ac non inueniens, quo modo id tuto poſſet maniſeſto peragere, mirabili vſus eſt conſilio, ad eius reliquorumq. omnia conſilia percipienda. Continenter multa ac varia de ſe ad Senatum ac Seianum ſcribebat, modo ſe male affectum, ac tantum non mori, modo bona valetudine, venturumq. Romam: Seianum alias laudib. extollere, interdum deprimere, amicorum Seiani alios honore, alios ignominia propter eum afficere. Itaque Seianus & ſuperbiæ & metus in medio, vtriuſque plenus, ſemper animi pendere, neque metu adductus ad nouas res conſurgere audere, cum adhuc in honore haberetur, neque rurſus ex confidentia quicquam conari, quia diminutio erat de ipſius potentia facta: reliqui iidem omnes, cum breui temporis ſpacio diuerſiſſimos nuncios acciperent, ac neque ſuſpicere iã Seianũ, neque contẽnere certi eſſent, Tiberijq. inotiẽ iuxta aduentumq. expectarent, ancipites hærebant. Non ea modo Seianum turbabant, ſed longe magis, quòd ex ipſius ſtatua initio fumus copioſus emerſerat, deinde capite eius ſtatuæ ſublato, vt poſſet inſpici quidnã rei eſſet, ſerpens magnus exiluerat: rurſusq. alio capite impoſito, cũ propter hæc rẽ ſacrã facere vellet Seianus, nam inter alia, ſibi quoque ſacrificabat, inuentus eſt funis capiti ſtatuæ circumiectus: & ipſe litans viderat ſimulacrum Fortunæ, quod Tulli quondam Romanorum regis fuiſſe ferebatur, ipſe domi ſuæ gratiſſimum habebat, ſeſe auertere, *ac deinde alij etiam vna egreſſi. Reliqui etſi hæc ſuſpicabantur, tamen quia animum Tiberij ignorabant, eius vanitatem, rerumq. inconſtantiam expendentes, in vtramque partem propendebant, priuatimq. ſuæ incolumitatis rationes ineuntes, palam Seianum colebant, eo magis, quòd Tiberius cum eo & ipſum, & filium eius ſacerdotes fecerat: ideo ei proconſulare imperium dederunt, addito vt omnes Conſules exemplo eius magiſtratum gererent. Tiberius cum ſacerdotijs Caium Caligulam exornaſſet, ad ſe tamen non vocauit, quinetiam petenti, vt liceret ſibi in Campaniam venire, quia ſponſa ſibi pacta ægrotaret, domi manere iuſſit, quo ipſe etiam ſtatim eſſet venturus. Hæc Seianum denuo abalienauerunt, & quòd Tiberius Caium cum ſacerdotem feciſſet, collaudauerat, ac nonnihil præ ſe ferebat, quaſi eum eſſet imperij ſucceſſorem relicturus: neque ſe a moliendis nouis rebus continuiſſet, præſertim tam promptis ad exequenda quæcumque mandaſſet militibus, niſi maxima populũ affectum voluptate ex his, quæ de Caio dicta eſſent memoria patris eius Germanici intellexiſſet: & prius opinatus populum quoque ſuis rebus fauere, poſtquam tum ſenſit eos Caij ſtudioſos, ægre tulit, pœnitentiaq. correptus eſt, quòd non in Conſulatu aliquid conatus eſſet. Reliquos & hæc mouerunt, & quòd Tiberius inimicum quendam Seiani ante decennium ad regendam Hiſpaniam electum, ac tum certas ob cauſſas in ius vocatum abſoluiſſet, alijs quoque, qui prouincias adminiſtraturi, aut aliod quodcumque publicum officium obituri eſſent, impunitatem eo tempore definiens, quòdq. datis ad Senatum de morte Neronis litteris, Seianum nude, nullo addito eorum, quos moris habebat, titulo, nominaſſet: edixiſſet etiam, ne cui homini ſacrificaretur, atqui Seiano res ſacra fieri ſolebat, neue in ſuum honorem quicquam decerneretur, quippe multa Seiano decernebantur, quod iã ante interdictũ, tum propter Seianum repetebatur: neque enim id conceſſurus alteri erat Tiberius, quod ſibi ipſi non permiſiſſet. Hæc effecerunt, vt contemptus Seiani apud populum adeo augeretur, vt iam non occulte ab eo ſe ſubtraherent, eumq. deſererent. Tiberius vbi hæc cognouit, ſumpto, animo, ratusq. ſe auxiliarijs etiam populo ac Senatu vſurum, quo magis improuiſo hominem adoriretur, rumore ſparſo, quaſi Tribuniciam poteſtatem Seiano eſſet daturus, per litteras eum apud ſenatum accuſauit, eaſq. perferendas dedit Næuio Sertorio Macroni, quem iam ante occulte cohortibus Prætorijs perfecerat, & quæ agenda eſſent, docuerat. Is noctu Romam venit, tamquam aliud ob negocium, mandata cum Memmio Regulo tum Conſule, nam collega eius Seiano fauebat, & Gracino Lacone nocturnorum vigilum cuſtode communicat, ſub auroram in Palatium adſcendit, Senatus enim in Appollinis templo indictus erat, cumq. in Seianum nondum ea ingreſſum incidiſſet, triſtemq. ob non datas ad ſe a Tiberio litteras inueniſſet, conſolatur remotis arbitris, ac dicit, ferre ſe ei Tribuniciam poteſtatem. Eo magna lætitia perfuſus Seianus in curiam inſiluit. At Macro militibus Prætorianis, qui circum Seianum & Curiam erant, in caſtra ablegatis, cum prius ſe eis a Tiberio præfectum eſſe oſtendiſſet, ſeq. litteras ferre ab eo, quibus præmia ipſis quædam darentur, in eorum locum nocturnos cuſtodes templo circumfudit: ipſe tum ingreſſus, litteriſq. Senatui exhibitis, egreſſus inde ante quàm eæ recitarentur, cuſtodiam eius loci Gracino mandauit, ipſe in caſtra, ne quid ibi turbaretur, contendit. Interim epiſtola recitatur bene longa, in qua nihil confertim contra Seianum continebatur, ſed aliæ principio res, deinde breuis eius inſectatio, tum rurſus aliud quiddam, iterumq. aliud contra Seianum, in fine duos ſenatores Seiani familiares plectendos, Seianum in cuſtodia habendum dicebat. Neque enim palam eum necari iubebat, non quòd hoc nollet, ſed quia verebatur, ne quem id tumultum pareret, quinetiam ad ſe alterum Conſulum vocabat, quaſi ne tuto quidem ipſe iter facere poſſet. Videre vero erat, audireq. multa ac varia, quæ hæ ſecum litteræ attulerunt. Nam antequam eæ recitarentur, laudare Seianum Senatus, vt Tribuniciam poteſtatem accepturum, acclamare, ſpes quiſque ſuas præcipere animo, oſtentare quæ Seiano daturus eſſet: poſtquam nihil eorum, quæ ſperarant, contraria omnia inuenta ſunt; ibi vero hæſitatio, & ſecundũ eam mæſtitia cooriri, ac quidam eorum, qui Seiano aſſidebant, conſurgere: quem enim paulo ante amicum habere magni duxerant, cum eo ne ſedem quidem iam communem habere dignabantur, deinde Prætores ac Tribuni plebis circumdare eum, ne proſiliens foras aliquid turbarum daret. Et dediſſet haud dubie, ſi initio grauiali qua ſubito oratione ictus fuiſſet: nunc ſingula quæ recitabantur, quaſi ſola & leuia prætermittens, ac omnino vel nihil de ſe, aut certe non extrema perſcripta eſſe ſperans, commoratus loco ſuo eſt. Regulo eum ad ſe vocante, non audiens dicto fuit, neque id quidem faſtu, iam enim animo deiectus erat, ſed quod parere inſolens ipſi eſſet: iterum, ac tertium inclamanti manu porrecta, Seiane ades huc, id modo interrogauit, an ipſe vocaretur. Demum cum ſurgeret, Laco ingreſſus ante eum adſtitit. Perlecta ad finem epiſtola, omnes vno ore clamore & maledictis Seianum inceſſere, pars iniuriam ab eo paſſi, alij, quibus terrorem obtulerat, nonnulli eo

amicitiam,

amicitiam quam cum eo habuiſſent, obliteraotes, quidam motatiooe eius fortunæ læti. At vero Regulus neque omnes ſententiam interrogauit, oeque capitis aoquiſiuit, veritus ne ſuffragijs variaretur, ac inde tumultus exiſteret: vno cenſere iuſſo acceptoq. qui in viocula ducendum aſſentiretur, Seianum æde eductum, comitan-
,, tibus magiſtratibus teliquis, & Lacone, in carcerem traxit. Is vero caſus humanam imbecillitatem egregie
,, ob oculos ponit, monetq. nuſquã inflate ſe gerere. Quem enim mane vt præſtantiorem ſe, vniuerſi ad Curiã comitati fuere, tunc quaſi nequaquam ſe meliorem in carcerem rapueruot: quem coronis ante dignati fuerant, ei tom vincula induxerunt: quem tamquam dominum ſtipauerant, eum fugitiui inſtar cuſtodierunt, tegimenq. obuelanti ſeſe detraxerunt, alapis ingeſtis: quem ante prætexta purpura veſte decorauerant, cui genua flexerant, ac vt Deo ſacrificauerant, eum tum ad mortem duxerunt. Populus quoque irruens, multo ei clamore hos, quibus mortem intulerat, exprobrauit, ſpes quas ſibi propoſitas habuerat ludibrio iactauit: omnes eius ſtatuas deiecit, confregit, raptauit: quaſi ipſum ſi ea contumelia multarent. Ita ſpectator eorum, quæ paſſurus eſſet, Seianus fuit, dum io carcerem conijcitur. Nulla interiecta mora, eadem die prope carcerem in ædem Concordiæ conuenit Seoatus, cum hunc ſeoſum populi, Prætorios milites nullos adeſſe viderent, ac morte eum damnarunt. Itaque capite multatus, in Gemonias proiectus eſt, eumq. totum triduum populus ludibrio habitum in Tiberim miſit: liberi eius ex ſeoatusconſolto necati ſunt. filia, quam pactus erat Claudij filio, conſtuprata prius a caroifice, quaſi impium eſſet virginem in carcere perire. Verum Apicata vxor Seiani damnata noo fuit. Hæc, liberorum morte ſuorum audita, eorumq. in ſcalis corpora iotuita, digreſſa inde libellum conpoſuit, in quo cõtinebatur quo modo Druſus eſſet interfectus, accuſatioq. Liuillæ vxoris eius, propter quam vir ipſi infenſus ouncium temiſerat: eo ad Tiberium libello miſſo, vita ſeipſam priuauit. Quo Tiberius lecto, req. vt acta eſſet, perſpecta, reliquos omnes Druſianæ cædis reos, & ipſam Liuillam interiecit:

,, miſerius ſit ob amicitiam accuſari, an amicum accuſare haud diſcreuerim,

H*AVD facile diſcerni poteſt, an ſit miſerius accuſari ob amicitiam, an amicum accuſare. Et ſunt verba orationis cuiuſdam ob Seianum damnandum: vt etiam ſequentia.*

,, non crudelitatem, non ⋆ clementiam cuiuſquam experiar, ſed liber & mihi ipſi pro-
,, batus antibo periculum,

P*VLCHRVM & maximum theatrum eſt hominis conſcientia ſui ipſius. Ideo qui recte viuendo ſibi probari poteſt, is omnia pericula ferre æquo animo debet.*

,, vos obteſtor, ne memoriam noſtri per mærorem quam læti retineatis, adijciendo me
,, quoque ijs, qui fine egregio publica mala effugerunt. Tunc ſingulos vt cuique adſiſtere, alloqui animus erat, retinens aut dimittens partem diei abſumſit. multoq. adhuc cœtu, & cunctis intrepidum vultum eius ſpectantibus, cum ſupereſſe tempus nouiſſimis crederent, gladio, quem ſinu abdiderat, incubuit.

C*ONSTANTIA mortis, quam iſte, quem ignoramus, perpeſſus eſt, merebatur vt eum nomine cognoſceremus.*

Neque Cæſar vllis criminibus aut probris defunctum inſectatus eſt, cum in Blæſum multa fœdaq. incuſauiſſet. Relatum inde de P. Vitellio & Pomponio Secundo illum indices arguebant, clauſtra ęrarij, cui prefectus erat, & militarem pecuniam rebus nouis obtuliſſe: huic a Conſidio prætura functo obiectabatur Ælij Galli amicitia, qui punito Seiano, in hortos Pomponij, quaſi fidiſſimum ad ſubſidium perfugiſſet. neque aliud periclitantibus auxilij, quàm in fratrum conſtantia fuit, qui vades extitere. mox crebris prolationibus ſpem ac metum iuxta grauatus Vitellius, petito per ſpeciem ſtudiorum ſcalpro, leuem ictum venis intulit, vitamq. ægritudine animi finiuit. At Pomponius multa morum elegantia, & ingenio inluſtri, dum aduerſam fortunam æquus tolerat, Tiberio ſuperſtes fuit.

S*AEPE qui aduerſam fortunam æqui tolerant, inimicis ſuis ſuperſtites euadunt.*

Placitum poſthac vt in reliquos Seiani liberos aduerteretur; vaneſcente quamquam plebis ira, ac pleriſque per priora ſupplicia lenitis. igitur portantur in carcerem, filius imminentium intelligens, puella adeo neſcia, vt crebro interrogaret, quod ob delictum, & quo traheretur? neque facturam vltra. & poſſe ſe puerili verbere moneri. Tradunt temporis eius auctores, quia triumuirali ſupplicio affici virginem inauditũ habebatur, a carnifice laqueum iuxta copreſſam: exin obliſis faucibus, id ætatis corpora in Gemonias abiecta.

C*ONCORDAT huic loco id, quod Dio lib. lviij. Hiſt. tradit: vt ſupra retulimus.*

V Per idem

Per idem tempus Aſia atque Achaia exterritæ ſunt, acri magis quàm diuturno rumore, Druſum Germanici filium apud Cycladas inſulas, mox in continenti viſum. & erat iuuenis haud diſpari ætate, quibuſdam Cæſaris libertis velut agnitus, per dolumq. comirantibus. Alliciebantur ignari fama nominis, promptis Græcorum animis ad noua & mira.

POPVLORVM animi ſemper prompti ſunt ad noua, & mira, & præſertim Græcorum.

quippe lapſum cuſtodia pergere ad paternos exercitus, Ægyptum aut Syriam inuaſurum fingebant ſimul, credebantq. iam iuuentutis concurſu, iam publicis ſtudijs frequentabatur, lætus præſentibus & inanium ſpe;

IMPRVDENTIS eſt, nimium lætari præſentibus, & impleri ſpe inanium.

cum auditum id Poppæo Sabino. Is Macedoniæ tum intentus, Achaiam quoque curabat. Igitur quo vera ſeu falſa anteiret,

INITIA tumultus ſemper ſunt eradicanda a prouido Principe, ſeu Principis miniſtro. Et celeritate remediorum ſunt ante eunda vera ſeu falſa rumorum, qui populos commouere poßint.

Toronæum Thermæumq. ſinum præfeſtinans, mox Eubœnam Ægæi maris inſulam, & Piræum Atticæ oræ, dein Corinthienſe litus, anguſtiasq. Iſthmi euadit: mariq. alio Nicopolim Romanam coloniam ingreſſus, ibi demum ⋆ cognoſcit, ſolertius interrogato, quisnam foret:

MANCVS eſt iſte locus: non enim habetur, quo modo deprehenſus ſit fugitiuus iſte. Sed hæc parum, aut nihil ad Politicam. Ideo alijs relinquemus.

dixit ſe M. Sillano genitum. & multis ſectatorum dilapſis, aſcendiſſe nauem, tamquam Italiam peteret, ſcripſitq. hæc Tiberio. neque nos originem finemue eius rei vltra comperimus.

HIC videndus eſt Dio & Zonaras, qui rei totius ſucceſſum narrant. Quem nos huc transferre noluimus, vt non multum ſeriei operis noſtri neceſſariam.

Exitu anni diu aucta diſcordia conſulum erupit. nam Trio facilis capeſſendis inimicitijs, & foro exercitus, vt ſegnem Regulum ad opprimendos Seiani miniſtros oblique perſtrinxerat. ille niſi laceſſeretur modeſtiæ retinens, non modo retudit collegam, ſed vt noxium coniurationis ad diſquiſitionem trahebat.

GRAVES & fortes viri modeſtiam retinent niſi laceſſantur. Vbi laceſſantur vero, retundere aduerſarios ſolent. Et huc pertinet grauiſſima illa Tucididis ſententia: Viros fortes & graues debere pacem eligere, niſi iniuria afficiantur: ſed ſimulac læduntur, decet ſeſe vlciſci, a pace ad bellum deueniendo. Cuius exitus ſi ipſis ſecundum vota ſuccedunt, ad pacem reuerti debent: adeo vt nec ob proſperos bellorum ſucceſſus, ſuperbia efferantur; nec ob delectationem quietæ pacis, iniurias tolerent. Qui enim pacis ſtudio vitam ignauiter degit, breui voluptatem illius otij, quo piger reddebatur, amittit. Et qui rebus ſecundis bellorum inſoleſcit, incerta audacia ſe efferri non cernit. Vide Tucididem lib. i. Hiſtor.

Multisq. patrum orantibus, ponerent odia in perniciem itura, manſere infenſi ac minitantes, donec magiſtratu abirent.

QVANDO odia priuata ſunt in perniciem publicam itura, tunc decet penitus ea ponere: & Rempublicam ſiue Principem adiuuare, nulla prorſus ſimultatum antiquarum habita memoria. Sic ſe gerunt magnanimi, & vere fortes viri. Multa exempla hac de re tradunt nobis & veteres & recentes hiſtoriæ. Contenti erimus duobus tantum, antiquo vno, & recenti altero.

Pro antiquo erit Ariſtides ille cognomento Iuſtus. Qui cum prius maximas & acerrimas gereret cum Themiſtocle ſimultates: tamen delectus cum eo collega ad peragendam pro Republica legationē, hilari vultu ad eum obuerſus dixit: Vis Themiſtocles, vt his in montibus ſimultatem deponamus, ne patriæ obſit? Nam ſi tibi videbitur, reuerſi eam reſumemus. Cumq. Themiſtocles libens annuiſſet, magnanimi illi viri priuatos affectus publicæ poſthabuerunt vtilitati. Inde enim omnis fere humanæ vitæ pernicies naſcitur. Plut. in Themiſt. & in Ariſtide.

Pro re-

Pro recenti, erit nobis in exemplo Henricus a Methymna Aſindica Dux, ex Illuſtriſsima Guzmanorum familia in Hiſpanijs primaria oriundus, & progenitor Alfonſi Perez Guzmani, Ducis Methymnæ Aſindicæ nunc viuentis, & vnus ex equitibus Regij velleris: qui elapſis annis Produx Mediolani a rege electus fuit: ſed poſtea in Hiſpanijs detentus, eò quòd Regi ipſi eius opera, contra Mauros & Anglos in occidente, quod magis referebat, vti conueniret: & Henrici Guzmani huius Comitis de Oliuares Illuſtriſsimi qui perſonam Oratoris potentiſsimi Regis Hiſpaniarum PHILIPPI iam plures ſunt anni, Romæ apud duos Summos Pontifices GREGORIVM ſcilicet XIII. & SIXTVM V. omni cum laude, & Principis ſui dignitate ſuſtinet; & cum eximia animi probitate, erga Principem ſuum fide & pietate, ac in rebus agendis prudentia, quæ ſunt tres partes in quolibet magni cuiuſque Principis miniſtro neceſſaria, munus ſuum exercet.

Intercedebant ergo Duci huic Henrico veteres ſimultates cũ Roderico Ponze de Leon Marchione Gaditano, vno e proceribus Hiſpaniarum, cuius nunc eſt ſucceſſor Illuſtriſs. Rodericus Ponze de Leon Dux de Arcos potentes adeo & valida, vt cum Marchio ipſe conſilium iniſſet cũ Iacobo Merulo ciuitatis Hiſpalenſis præfecto, intercipiendi vrbem Alsmam e manibus Maurorum Granatenſium, huius rei participem ipſum Ducem non fecerit. Eademq. de cauſſa, cum poſtea ipſi a Rege Granatenſiũ in eodem oppido oppugnarentur, & in maxima difficultate conſtituti, vndequaque auxiliũ peterent, & ad ſuppetias ſibi ipſis ferendas finitimos populos & prouincias hortarentur: Duci ipſi a Methymna Aſindica ob memoratas ſimultates nuncium non miſerint, nec eum commonefecerint, veriti ne rogando eum facerent deteriorem, quem præſertim a principio de tanta re non conſuluiſſent. Sed ipſe Dux Henricus, ſimultatum, quæ illi cum Marchione intercedebant, magnanima obliuione memoriam delens, equites peditesq. ſuæ ditionis, aut ſua æra merentes euocando, amicos rogando, & omnes in commune ad ferendam laborantibus opem accendendo, maximum exercitum comparauit: & cum ipſo mature adueniens Alamam, ſoluendo obſidionem, Marchionem cum omnibus obſeſsis liberauit. Hoſtes enim eius aduentum non expectauerunt, ſed fugam arripuerunt. Cumq. poſtea Marchio liberatus, prior Ducem adijſſet, atque illi pro tanto beneficio gratias referret: magnanimiter & breuiter dixit illi Dux: Miſſa iſthac fac Marchio. Neque enim decet in cauſſa, maxime religionis Chriſtianæ, bonos viros priuatarum ſimultatum meminiſſe, quin potius omnes offenſas, ſi quæ hinc inde aut illata, aut accepta ſunt, condonemus patriæ ac nomini Chriſtiano, æternaq. obliuione ſepeliamus. Nunc quando bene vtriſque ceſsit, genialis agatur iſte dies, ſitq. inter nos gratiæ reconciliatæ teſtis ſempiternus. Sicq. hoſpitia iunxerunt, & amici ſemper poſtea vixerunt. Vide Aelium Antonium Nebriſenſem lib. 1. Decadis 2. Hiſt. qui totius hiſtoriæ ſeriem luculentiſsime, non minus quàm copioſe exponit.

Commentariorum in Quintum Librum Annalium P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI PLACENTINI

IN P. CORNELII TACITI Annales Commentarij.

Ex Lib. VI. Annal. P. Cornelij Taciti.

GN. Domitius & Camillus Sctibonianus conſulatum inierant:

ETSI non certo liquet, an hoc in loco liber vi. initium capiat; nos tamen Lipſii in hoc ſequuti ſententiam, hic illum conſtituimus: Rationes ipſe in ſuis enarrat Commentarÿs.

cum Cęſar tramiſſo quod Capreas & Surrentum interluit freto, Campaniam prælegebat, ambiguus an vrbem intraret, ſeu quia contra deſtinauerat, ſpeciem venturi ſimulans: & ſæpe in propinqua digreſſus, aditis iuxta Tiberim hortis, ſaxa rurſum & ſolitudinem maris repetijt, pudore ſcelerum & libidinum: quibus adeo indomitis exarſerat, vt more regio pubem ingenuam ſtupris pollueret. nec formam tantum & decora corpora; ſed in his modeſtam pueritiam, in alijs imagines maiorum, incitamentum cupidinis habebat: tuncq. primum ignota ante vocabula reperta ſunt, ſellariorum, & ſpintriarum, ex fœditate loci ac multiplici patientia. præpoſitiq. ſerui, qui quærerent, pertraherent, dona in promptos, minas aduerſum abnuentes; & ſi retinerent propinquus aut parens, vim, raptus, ſuaq. ipſi libita velut in captos exercebant.

CVM Principe hoc accidere ſolet, vt in promptos eius libidinibus, dona, abnuentes, minæ intendantur. Et hic ſunt legenda hac Tiberÿ probra, vt magis vitia abhorrere diſcamus.

At Romæ principio anni, quaſi recens cognitis Liuiæ flagitijs, ac nonpridem etiam punitis, atroces ſententiæ dicebantur, in effigies quoque ac memoriam eius. & bona Seiani ablata ærario, vt in fiſcum cogerentur, tum * retulere Scipiones.

LOCVS hic eſt mutilus. Vide Lipſium in Commentarÿs.

Hęc & Sillani & Caſſij, ijſdem ferme aut paulum immutatis verbis, adſeueratione multa cenſebant, cum repente Togonius Gallus, dum ignobilitatem ſuam magnis nominibus inſerit per deridiculum auditur.

FERME ſemper qui volunt inſerere ignobilitatem ſuam magnis nominibus, deridiculi apparent. Notent Aulici.

Nam principem orabat diligere ſenatores, ex quîs viginti ſorte ducti & ferro accincti, quoties curiam iniſſet, ſalutem eius defenderet. crediderat nimirum epiſtolæ, ſubſidio ſibi alterum ex conſulibus peſcentis, vt tutus a Capreis vrbem peteret. Tiberius tamen ludibria ſerijs permiſcere ſolitus,

SOLENT Principes ſæpe permiſcere ludibria ſerÿs. Sic Nero Poppeæ vxori, cum eam oſcularetur, dicebat. Tam pulchra ceruix, ſimulac iuſſero, demetur. Et Caligula ad Senatores,

cur rideret,

cur rideret, percontantes: Quid, niſi vno meo dicto vos omnes trucidari poſſe? Tranquillus in Caligula, ac Nerone.

egit gratias beneuolentiæ patrum: ſed quos omitti poſſe? quos diligi? ſemper ne eoſdem? an ſubinde alios? & honoribus perfunctos, an iuuenes? priuatos an e magiſtratibus? quam deinde ſpeciem fore ſumentium in limine curiæ gladios? neque ſibi vitam tanti, ſi armis tegenda foret.

ILLE qui armis vitam tegere cogitur, vere eſt infelix. Et huic dicto Tiberij conſonant verba illa Othonis in lib. 2. Hiſt. inquientis: Hunc animum, hanc virtutem veſtram vltra periculis obijcere, nimis grande vita mea pretium puto: &c.

Hæc aduerſus Togonium verbis moderans: neque vlta abolitionem ſententiæ ſuadere. At Iunium Gallionem, qui cenſuerat vt prætoriani actis ſtipendijs, ius apiſcerentur in quattuordecim ordinibus ſedendi, violenter increpuit; velut coram rogitans, quid illi cum militibus? quos neque dicta imperatoris, neque præmia niſi ab imperatore accipere, par eſt.

NON ſolum milites, qui cuſtodiæ Principis adſiſtunt, neque dicta, neque præmia, niſi a Principe accipere, par eſt; ſed etiam omnes eius miniſtri, & magiſtratus, a ſolo Principe, non ab alio pendere debent. Et hac in re perſpicitur ſolertia Principis: nempe cum viros tales diligit, qui nemini alij addicti ſint, præterquam ipſi. Hac in re mirifice inuigilat SIXTVS V. & ob hanc præcipue cauſſam Romanæ Vrbis Gubernatorem, ſic vocant hodie; creauit Marianum Perbenedictum Epiſcopum Martoranenſem, eo quòd nullius externi Principis obſequio imbutus ſit: ſed ſolum a Pontifice, atque eius nutu pendeat.

reperiſſe prorſus quod diuus Auguſtus non prouiderit. an potius diſcordiam & ſeditionem a ſatellite Seiani quæſitam? qua rudes animos, nomine honoris, ad corrumpendum militiæ morem, propelleret.

NON raro nomine honoris, rudes militum animi, ad corrumpendum militiæ morem, propelluntur.

hoc pretium Gallio meditatæ adulationis tulit, ſtatim curia, deinde Italia exactus. & quia incuſabatur facile toleraturus exilium, dilecta Lesbo inſula nobili & amœna, retrahitur in vrbem, cuſtoditurq. domibus magiſtratuum.

OBSERVENT hinc omnes Aulici, quàm vilis & fœda ſit adulatio, præſertim meditata: cum vice honoris, & beneficij ſæpe a Principe ipſo, cum quo exercetur, pœnam reportet, & a ceteris omnibus infamiam.

Iiſdem litteris Cæſar Seſtium Paconianum prætorium perculit, magno patrum gaudio, audacem, maleficum, omnium ſecreta rimantem, dilectumq. a Seiano, cuius ope dolus C. Cæſari pararetur.

FERME ſemper hi, qui ſecreta aliorum rimantur, audaces ſunt, & malefici. Inde ſcitum illud: Omnis curioſus, maleuolus: & Aulicus prudens hanc curioſitatem omni ſtudio euitare debet: nam odium ob eam incurritur apud ceteros.

quod poſtquam patefactum, prorupere concepta pridem odia, & ſummum ſupplicium decernebatur, ni profeſſus indicium foret. Vt vero Latinium Latiarem ingreſſus eſt, accuſator, ac reus iuxta inuiſi, gratiſſimum ſpectaculum præbebatur. Latiaris, vt retuli, præcipuus olim circumueniendi Titij Sabini, & tunc luendæ pœnæ primus fuit. inter quæ Haterius Agrippa conſules anni prioris inuaſit, cur mutua accuſatione intenta, nunc ſilerent? metum prorſus & noxam conſcientiæ pro fœdere haberi,

SAEPE metus & noxa conſcientiæ pro fœdere haberi debet inter duos eiuſdē criminis ſuſpectos.

at non patribus reticenda, quæ audiuiſſent. Regulus manere tempus vltionis, ſeq. coram principe executurum: Trio æmulationem inter collegas,

INTER collegas eſſe æmulationem, haud eſt mirandum; cum & inuidia, teſte Ariſt. in 2. Rhet. ſit inter artifices. Et Heſiodus rectè ſcripſit: Operibus xxvi.

Succenſet figulo figulus : fabrum faber odit.

& ſi qua diſcordes ieciſſent melius obliterari, reſpondit.

QVOD aliquando amici duo, vel collegæ diſcordes iaciuntur, melius obliteratur, quàm ſi de ipſa re vltio ſumeretur.

Vrgente Agrippina, Sanquinius maximus e conſularibus orauit ſenatum, ne curas imperatoris, conquiſitis inſuper acerbitaribus augerent:

IMPRVDENTIS Aulici eſt, curas Principis, conquiſitis inſuper acerbitatibus augere.

ſufficere ipſum ſtaruendis remedijs.

ORACVLI vice hæc ſententia ſit omnibus Principibus: nempe quòd ipſi debent ſufficere ſtatuendis remedijs circa omnia, quæ inter ſuos oboriuntur, mala & ſcandala.

ſic Regulo ſalus, & Trioni diſario exitij quæſita. Haterius inuiſior fuit, quia ſomno aut libidinoſis vigilijs marcidus,& ob ſegnitiam, quamuis crudelem principem non metuens,

VIRI ſomno, & libidinibus marcidi, ob ſegnitiam, Principem quamuis crudelem non metuunt: nec viciſſim metuuntur.

inluſtribus viris perniciem inter ganeum ac ſtupra meditabatur.

DIGNE oritur Nemeſis, cum perſpicimus infames homines & nequam meditari perniciem inluſtribus viris inter ganeum & ſtupra.

Exin Cotta Meſſalinus ſæuiſſimæ cuiuſque ſententiæ auctor, eoq. inueterara inuidia, vbi primum facultas data, arguitur pleraque, C. Cæſarem quaſi incertæ virilitatis, & cum die natali Auguſti inter ſacerdotes epularetur, nouemdialem eam cenam dixiſſe: querenremq. de potentia M. Lepidi, ac L. Arruntij, cum quibus ob rem pecuniariam diſceptabar, addidiſſe, illos quidem ſenatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus. neque conrarius a primoribus ciuiraris reuincebarur. iiſq. inſtantibus ad imperatorem prouocauir. nec multo poſt lirteræ adferuntur, quibus in modum defenſionis, repetito inter ſe arque Cottam amicitiæ principio, crebiſq. eius officijs commemoraris, ne verba praue derorra, neu conuiualium fabularum ſimplicitas in crimen duceretur, poſtulauit.

SIMPLICITATEM fabularum conuiualium in crimen ducere apud Principem, non conuenit. Et hoc eſt indicium Principis, diſcernere inter lepram, & lepram: & punienda punire, non punienda negligere.

Inſigne viſum eſt earum Cæſaris litterarum initium, nam his verbis exorſus eſt: Quid „ ſcribam vobis P. C. aut quo modo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tem„ pore, Dij me deæq. peius perdant, quàm perire quotidie ſentio, ſi ſcio. Adeo facinora „ atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant.

SCELESTIS & improbis hominibus, facinora, & flagitia propria in ſupplicium vertuntur.

Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniarus & ictus; quando vt corpora verberibus ita ſæuitia, libidine, malis conſulris, animus dilaceretur.

VERISSIMVM eſt, quòd ſi recluderentur Tyrannorum mentes, poſſent aſpici laniatus & ictus: quis, vt corpora verberibus, ita ſæuitia, libidine, & malis conſultis animus eorum dilaceratur. Et eſt Platonis ſententia.

Quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuasq. ipſe pœnas fateretur.

TYRANNVM, non fortuna non ſolitudines, protegunt quin tormenta pectoris ſuasq. ipſe pænas ſentiat. Sic infra de Nerone lib. xiiij. Annal. Auctor: Quia tamen non vt hominum

num vultus, ſic locorum facies mutantur: obuerſabatur maris illius, & litorum aſpectus: & quæ ſequuntur.

Tum facta patribus poteſtate, ſtatuendi de Cæciliano ſenatore, qui plurima aduerſum Cottam promſerat, placitum eandem pœnam inrogari, quam in Aruſeium & Sanquinium accuſatores L. Arruntij, quo non aliud honorificentius Cotræ euenit, qui nobilis quidem ſed egens ob luxum, per flagitia infamis, ſanctiſſimis Arruntij artibus dignitate vltionis æquabatur.

INDIGNVM eſt, homines per flagitia infames, æquari ſanctiſsimis alicuius viri actibus. Hinc originem trahit Nemeſis: de qua nos ſupra proxime. Ariſt. ij. Rhetor. Et obſeruandum eſt, quòd etiam aliquis in ſupplicio ferendo, poteſt honorem accipere.

Quintus Seruæus poſthac, & Minutius Thermus inducti. Seruæus prætura functus, & quondam Germanici comes. Minutius equeſtri loco, modeſte habita Seiani amicitia,

MODESTE habeat ſemper prudens & cautus Aulicus, qui nuper ad ſeruiendum Principi acceſsit, amicitiam præpotentium apud ipſum Principem. Mutantur enim humanæ res: & ruina vnius trahit plures.

vnde illis maior miſeratio. contra Tiberius præcipuos ad ſcelera increpās, admonuit C. Cæſtium patrem dicere ſenatui quæ ſibi ſcripſiſſet: ſuſcepirq. Cæſtius accuſationem, quod maxime exitiabile tulere illa tempora, cum primores ſenatus infimas etiam delationes exercerent, alij propalam, multi per occultum: neque diſcerneres alienos a coniunctis, amicos ab ignotis, quid repens, aut vetuſtate obſcurum: perinde in foro, in conuiuio, quaque de re locuti incuſabantur, vt quis præuenire & reum deſtinare poterat, pars ad ſubſidium ſui, plures infecti quaſi valetudine & contactu.

HOC maxime exitiabile ferunt Tyrannorum tempora: vt primores etiam ciuitatis infimas delationes exerceant: alÿ propalam, multi per occultum: neque diſcernas alienos a coniunctis, amicos ab ignotis: quid repens, aut vetuſtate obſcurum: perinde in foro, in conuiuio, quaque de re locuti incuſantur: vt quis præuenire & reum deſtinare poteſt, pars ad ſubſidium ſui, plures infecti quaſi valetudine, & contactu.

Sed Minutius & Seruæus damnati, indicibus acceſſere. Tractiq. ſunt in caſum eundem Iulius Africanus e Santonis Gallica ciuitate, Seius Quadratus, originem non repperi. Neque ſum ignarus a pleriſque ſcriptoribus, omiſſa multorum pericula & pœnas, dum copia fariſcunt, aut quæ ipſis nimia & mæſta fuerant, ne pari tædio lecturos adficerent, verentur. Nobis pleraque digna cognitu obuenere, quamquam ab alijs incelebrata.

HISTORIARVM ſcriptor, præſertim ſub temporibus tyrannidis vigentis, multa, quæ alÿs videntur parua, & incelebrata, tranſmittuntur, ipſe tamen omittere non debet: nam, vt ſupra dixit Auctor, ex aliquibus primo aſpectu leuibus, introſpiciuntur ſæpe a prudentibus magnarum cauſſæ rerum.

Nam ea tempeſtate, qua Seiani amiciriam ceteri falſo exuerant, auſus eſt eques Romanus M. Terentius, ob id reus, amplecti, ad hunc modum apud ſenarum ordiendo: Fortunæ quidem meæ fortaſſe minus expediat adnoſcere crimen, quàm abnuere,

SAEPE minus expedit reo adnoſcere crimen, quàm abnuere. Peruicacia enim negandi in reo, etſi conuicto, iudicis mentem ſuſpendere ſolet. Et obſeruanda eſt hæc Terentÿ oratio tota ſpirituum, & confidentia plena: quæ innocentiam & probitatem in orante clare indicant.

ſed vtcumque caſura res eſt; fatebor & fuiſſe me Seiano amicum, & vt eſſem expetiſſe, & poſtquam adeptus eram, lætatum.

EXPETITVR, & quæritur amicitia Aulici gratioſi apud Principem, & poſtquam acquiſita eſt, lætitiam acquirentibus affert. Sed ſæpe eſt infauſta, vt ſupra in fine iiÿ. lib. obſeruauimus. Ideo modus adhibendus, & Aulicus totus a ſeipſo, & cum virtute ſtare & pendere debet.

Viderem

Videram collegam patris regendis prætorijs cohortibus, mox vrbis & militiæ munia ſimul obeuntem. illius propinqui & adfines honoribus augebantur. vt quiſque Seiano intimus, ita ad Cæſaris amicitiam validus: contra quibus infenſus eſſet, metu ac ſordibus conflictabantur.

ILLE vere gratia viget apud Principem, cui vt quiſque eſt intimus, ita eſt ad Principis amicitiam validus: contra quibus infenſus eſt, ij metu ac ſordibus conflictantur. Sed Princeps prudens & grauis numquam adeo Aulicum extollet, vt hoc ſequatur, ob incommoda, quæ inde ipſi reſultarent: vt alibi non ſemel obſeruauimus.

nec quemquam exemplo adſumo. cunctos qui nouiſſimi conſilij expertes fuimus, meo vnius diſcrimine defendam.

REVS clare innocentiam ſuam teſtificatur, cum in ſui defenſionem ad exempla aliorum non recurrit; quæ ſæpe differunt, nec vmquam adeo concordant, vt iudex maleuolus aliquam in illis diſcrepantiarum inuenire non poſſit. Sed rem ſuam nude & aperte defendit.

Non enim Seianum Vulſinienſem, ſed Claudiæ & Iuliæ domus partem, quas adfinitate occupauerat, tuum Cæſar generum, tui conſulatus ſocium, tua officia in Rep. capeſſentem colebamus.

NOTENT Aulici omnes. Si quis, etſi alioquin pauper, ignobilis, & reliquis bonis deſtitutus, tamen potens & gratioſus apud Principem euadit, adeo vt honores, & opes immenſas ab eo referat: conſiderari debet, non vt natus eſt, ſed vt elatus. Scilicet, iudicium Principis in hac re collaudando, omnes illi obſequium & honorem; citra tamen fœdam adulationem, tribuere debent. Non contra abrupta contumacia, illum ſpernere, vt ignobilem, nouum, & tanto fortunæ fauore indignum. Sic enim non ſolum illius odium incurrent, ſed etiam Principis, qui eum ſublimauit: damnando ſuum hac in re iudicium. Et qui nimis philoſophice aliter ſentiendo, hoc facere nequiuerit, ab Aula diſcedat, & ſolus in ſiluis vitam ducat.

Non eſt noſtrorum æſtimare, quem ſupra ceteros, & quibus de cauſſis extollas. Tibi ſummum rerum iudicium dij dedere; nobis obſequij gloria relicta eſt.

PRIVATORVM Aulicorum non eſt æſtimare, quem ſupra ceteros, & quibus de cauſſis Princeps extollat. Huic enim iudicium ſummum DEVS dedit; illis autem obſequij gloria relicta eſt.

Spectamus porro quæ coram habentur, cui ex te opes, honores, quis plurima iuuandi, nocendiue potentia:

HAEC ſunt, quæ ſpectant homines in Aulis Principum: cui videlicet ex illo acquirantur opes, ac honores: & quis plurima ſit iuuandi, nocendiue potentia: hos enim poſtea protectores, & in ſuis negotijs apud Principem interceſſores efficere quiſque ſibi ſtudet.

quæ Seiano fuiſſe, nemo negauerit. abditos principis ſenſus, & ſi quid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps: nec ideo adſequare.

EXQVIRERE abditos Principis ſenſus, & ſi quid occultius parat, illicitum eſt, anceps: nec ideo adſequare.

Ne P. C. vltimum Seiani diem, ſed ſexdecim annos cogitaueritis, etiam Satrium atque Pomponium venerabamur: libertis quoque ac ianitoribus eius noteſcere, pro magnifico accipiebatur.

HVC redigit mentes & animos mortalium in Aulis cæca ambitio: vt etiam, libertis ac ianitoribus Aulicorum potentium apud Principem, noteſcere, pro magnifico habeatur.

Quid ergo? indiſtincta hæc defenſio & promiſcua dabitur? immo iuſtis terminis diuidatur. Inſidiæ in Remp. conſilia cædis aduerſum imperatorem, puniantur: de amicitia & officijs, idem finis & te Cæſar, & nos abſoluerit.

RES, quæ diuiſionem & diſtinctionem merentur, non debent a Principe, vel iudice, vt promiſcua & indiſtincta terminari: ſed eas iuſtis terminis diuidere conuenit.

Conſtantia

Conſtantia orationis, & quia repertus erat qui efferret quæ omnes animo agitabant, eo vſque potuere, vt accuſatores eius, additis quæ ante deliquerant, exilio aut morte multarentur,

MVLTVM efficax eſt ad perſuadendum orationis conſtantia: & eo magis, cum facta illi haud diſcordant.

Secutæ dehinc Tiberij litteræ in Sex. Veſtilium prætorium, quem Druſo fratri percharum in cohortem ſuam tranſtulerat. Cauſſa offenſionis Veſtilio fuit, ſeu compoſuerat quædam in C. Cæſarem vt impudicum, ſiue ficto habita fides,

QVEM Tyrannus perdere vult, huic falſa crimina obiecta, tamquam vera in perniciem vertuntur: & illis habetur fides, etſi fictis.

atque ob id conuictu principis prohibitus, cum ſenili manu ferrum tentauiſſet, obligauit venas: precatusq. per codicillos, immiti reſcripto venas reſoluit. Aceruatim ex eo Annius Pollio, Appius Sillanus, Scauro Mamerco, ſimul ac Sabino Caluiſio, maieſtatis poſtulantur, & Vicinianus Pollioni patri adijciebatur, clari genus, & quidam ſummis honoribus. contremuerantq. patres. nam quotus quiſque adfinitatis, aut amicitiæ tot inluſtrium virorum expers erat?

HINC verum eſſe cernitur illud, quod initio lib. iij. Annal. ſupra de Seiano dixit Auctor: Quod pari exitio Republica & viguit, & cecidit.

ni Celſus vrbanæ cohortis tribunus, tum inter iudices, Appium & Caluiſium diſcrimini exemiſſet. Cæſar Pollionis, ac Viciniani Scauriq. cauſſam vt ipſe cum ſenatu noſceret, diſtulit, datis quibuſdam in Scaurum triſtibus notis. Ne feminæ quidem exſortes periculi, qua occupandæ Reip. argui non poterant, ob lacrymas incuſabantur. necataq. eſt anus Vitia Fufij Gemini mater, quòd filij necem fleuiſſet.

HEV infelicem ſubditorum ſub Tyranno condicionem: cum feminæ, quæ occupandæ Reipub. argui non poſſunt, ob lacrymas incuſantur, & necantur.

Hæc apud ſenatum. Nec ſecus apud principem Veſcularius Atticus, ac Iulius Marinus ad mortem aguntur, e vetuſtiſſimis familiarium Rhodum ſecuti, & apud Capreas indiuidui. Veſcularius inſidiarum in Libonem internuncius: Marino participe, Seianus Curtium Atticum oppreſſerat. quo lætius acceptum, ſua exempla in cõſultores recidiſſe.

APVD mortales ſemper læte accipi ſolet, cum in prauos conſultores ſua exempla recidunt. Quod ſub Tyranno quandoque euenit, vt Perillo ænei tauri inuentori cum Phalaride.

Per idem tempus L. Piſo Pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obijt:

SVB Tyranno, rarum eſt, quòd homines magna claritudine illuſtres, fato obeant: cum plerumque ob ſuſpicionem vel leuiſſimam, quam de eis habet Tyrannus, eos tollere de medio ſtudeat.

nullius ſeruilis ſententiæ ſponte auctor, & quoties neceſſitas ingrueret, ſapienter moderans:

SIC ſe debent gerere cum Principe graues & cordati viri: nullius ſeruilis ſententiæ ſponte exiſtere auctores, & quoties neceſſitas ingruat, ſapienter moderari.

patrem el Cenſorium fuiſſe memoraui, ætas ad octogeſimum annum proceſſit. decus triumphale in Thracia meruerat. Sed præcipua ex eo glotia, quòd præfectus vrbi recens, continuam poteſtatem, & inſolentia patendi grauiorem, mire temperauit.

MAGNAM gloriam adipiſcitur ille, qui continuam poteſtatem, & inſolentia parendi grauiorem, mire temperare ſcit, & valet.

Namque antea profectis domo regibus, ac mox magiſtratibus, ne vrbs ſine imperio foret, in tempus diligebatur qui ius redderet, ac ſubitis mederetur: feruntq. ab Romulo Dentrem Romulium, poſt ab Tullo Hoſtilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impoſitos. dein conſules mandabant: duratq. ſimulacrum

quoties

quoties ob ferias Latinas præficitur, qui conſulare munus vſurpet. Ceterum Auguſtus bellis ciuilibus Cilnium Mæcenatem equeſtris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præpoſuit. Mox rerum potitus, ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, ſumſit e conſularibus, qui coerceret ſeruitia. & quod ciuium audacia turbidum niſi vim metuat.

VBI eſt ingens magnitudo populi in ciuitate, & aliquis audacia ſit adeò turbidus, vt niſi vim metuat; tunc, quia tarda huic res forent legum auxilia, debet Princeps præponere tali magiſtratui virum aliquem grauem & acri ingenio præditum, qui hos ſeditioſos coerceat.

primusq. Meſſalla Coruinus eam poteſtatem, & paucos intra dies finem accepit, quaſi neſcius exercendi.

CVM aliquis in magiſtratu ſe ignauiter gerit; & ſe neſcium exercendi munus ſuum oſtendit; eum debet Princeps omni modo amouere: ne populi clamores & tumultus oriantur.

Tum Taurus Statilius, quamquam prouecta ætate, egregie tolerauit.

REPERIVNTVR ſenes aliqui, qui etſi prouecta ætate, tamen adeo animo vigent, & corpore, vt egregie tolerare vel difficillima onera poſſint.

Dein Piſo viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto ſenatus celebratus eſt. Relatum inde ad patres a Quinctiliano tribuno plebi de libro Sibullæ, quem Caninius Gallus quindecimuir recipi inter ceteros eiuſdem vatis, & ea de re ſenatus conſultum poſtulauerat. quo per diſceſſionem facto, miſit litteras Cæſar modice tribunum increpans, ignarum antiqui moris ob iuuentam: Gallo exprobrabat, quòd ſcientiæ cærimoniarumq. vetus, incerto auctore, ante ſententiam collegij, non, vt aſſolet, lecto per magiſtros æſtimatoq. carmine, apud infrequentem ſenatum egiſſet.

EXCVSABILES ſunt errores iuuenum ignarorum antiqui moris ob iuuentam. Sed in veteribus ſcientiarum, & cærimoniarum, multa dignum eſt reprahenſione, aberrare.

Simul commonefecit: quia multa vana ſub nomine celebri vulgabantur,

SAEPE multa vana ſub nomine celebri vulgantur. Qua in re maxime oculatum conuenit eſſe Principem: ne exiſtimatio eius imminuatur.

ſanxiſſe Auguſtum, quem intra diem ad prætorem vrbanum deferrentur, neque habere priuatim liceret. quod a maioribus quoque decretum erat, poſt exuſtum ſociali bello Capitolium, quæſitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam, ac Siciliam, & Italicas colonias carminibus Sibullæ, vna ſeu plures fuere, datoq. ſacerdotibus negotio, quantum humana ope potuiſſent, vera diſcernere.

QVANTVM humana ope poteſt, debet ſemper Princeps & magiſtratus vera a falſis diſcernere.

Igitur tunc quoque notioni quindecimuirum is liber ſubijcitur. Iiſdem conſulibus, grauitate annonæ iuxta ſeditionem ventum. multaq. & plures per dies, in theatro licentius efflagitata, quàm ſolitum aduerſum imperatorem. quis commotus, incuſauit magiſtratus patresq. quòd non publica auctoritate populum coercuiſſent;

CVM populus ad ſeditionem venit, publica auctoritate eſt a magiſtratibus coercendus. Et nulla alia de cauſſa magis tumultuatur populus, quàm grauitate annonæ. Qua de re plura alibi diximus.

addiditq. quibus e prouincijs, & quanto maiorem, quàm Auguſtus, rei frumentariæ copiam aduectaret. Ita caſtigandæ plebi compoſitum ſenatuſconſultum, priſca ſeueritate. neque ſegnius conſules edixere. ſilentium ipſius non ciuile, vt crediderat, ſed in ſuperbiam accipiebatur.

SAEPE alicuius ſilentium non ciuile accipitur, ſed in ſuperbiam. Notet Aulicus, qui Romæ conuerſatur.

Fine

Fine anni Geminius, Celſus, Pompeius equites Romani cecidere coniurationis crimine. Ex quis Geminius prodigentia opum, ac mollitia vitæ amicus Seiano, nihil adſerium.

EX prodigentia opum, & mollitie vitæ, homines fiunt quidem cupidi rerum nouarum; ſed nihil adſerium. Sic infra lib. xiv. Annal. de Scæuino Auctor: Nam Scæuino diſſoluta luxu mens, & proinde vita ſomno languida.

Et Iulius Celſus tribunus, in vinclis laxatam catenam, & circumdatam in diuerſum tendens, ſuam ipſe ceruicem perfregit.

SIMILEM mortis modum habes in Caldo Lælio Germanorum captiuo, apud Paterculum lib. ij. Hiſt.

At Rubrio Fabato, tamquam deſperatis rebus Romanis, Parthorum ad miſericordiam fugeret, cuſtodes addiri. ſanus reperrus apud fretum Siciliæ, retractusq. per centurionem, nullas probabiles cauſſas longinquæ peregrinationis adferebar. Manſit tamen incolumis, obliuione magis, quàm clementia.

MVLTI, etſi exoſi apud Tyrannum, manent incolumes oblinione magis, quàm clementia. Cum ſint tales, vt parum cauſſæ de illis habeat Tyrannus, vnde metuat.

Ser. Galba, L. Sulla Coss. Diu quæſito quos neptibus ſuis maritos deſtinaret Cæſar, poſtquam inſtabar virginum ætas, L. Caſſium, M. Vinicium legit. Vinicio opidanum genus: Callibus ortus, patre, atque auo conſularibus, cetera equeſtri familia erat, mitis ingenio, & comptæ facundiæ. Caſſius plebei Romæ generis, verum antiqui honoratiq. & ſeuera patris diſciplina eductus, facilirate ſæpius, quàm induſtria commendabatur. Huic Druſillam, Vinicio Iuliam, Germanico genitas coniungit. ſuperq. ea re ſenatui ſcripſit, leui cum honore iuuenum.

PARCVS debet eſſe Princeps in laudandis hominibus, præſertim iuuenibus. Laudans enim multum de iudicio ſuo in diſcrimen ponit.

dein redditis abſentiæ cauſſis admodum vagis, flexit ad grauiora, & offenſiones ob Remp. ceptas: vrq. Macro præfectus, tribunorumq. & cenrurionum pauci, ſecum introierent, quoties curiam ingrederetur, petiuit. factoq. large, & ſine præſcriptione generis, aut numeri, ſenatuſconſulto,

CVM Princeps ob Rempub graues cœpit offenſiones, iuſtum etſi, vt publice ſenatus eius indemnitati & ſecuritati conſulat.

ne tecta quidem vrbis, adeo publicum conſilium numquam adijt, deuijs plerumque itineribus ambiens patriam & declinans.

AD explorandos ſubditorum animos ſæpe Princeps multa proponit, & exquirit, & petit: quæ poſtea oblata non recipit. Sic ſupra lib. j. Annal. Poſtea cognitum eſt ad introſpiciendas procerum voluntates inductam eſſe dubitationem.

Interea magna vis accuſatorum in eos inrupir, qui pecunias fenore auctitabant, aduerſum legem dictatoris Cęſaris, qua de modo credendi, poſſidendiq. intra Iraliam caueturs omiſſam olim, quia priuato vſui bonum publicum poſtponirur.

PLERVMQVE immo fere ſemper, priuato vſui poſtponitur publicum bonum. Quodſi in Principe accidit, tanto maius dedecus illi parabitur, quanto ipſius cura magis innititur publica ſalus.

Sane vetus vrbi fenebre malum, & ſeditionum diſcordiarumq. creberrima cauſſa: eoq. cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus.

VRBIBVS, & præſertim amplis, fœnebre malum ſolet eſſe peculiare: & diſcordiarum, & ſeditionum creberrima eſt cauſa. Proinde cohiberi debet omni rigore.

Nam

Nam primo duodecim tabulis ſanctum, ne quis vnciario fenore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur. dein rogatione tribunicia, ad ſemunicas redacta. Poſtremo vetita verſura. multisq. plebiſcitis obuiam itum fraudibus, quæ toties repreſſæ, miras per artes rurſum oriebantur.

De fraudibus feneratorum vere poteſt dici quod de Antæo fabulantur poetæ. Qui ſicut quoties tellurem matrem cadens tangebat, toties fortior inſurgebat: ita hæ fraudes quanto magis legibus, & decretis magiſtratuum reprimuntur, miras per artes rurſum acrius oriuntur.

Sed tum Gracchus prætor, cui ea quæſtio euenerat, multitudine periclitantium ſubactus retulit ad ſenatum. trepidiq. patres, neque enim quiſquam tali culpa vacuus, veniam a Principe petiuere: & concedente, annus in poſterum, ſexq. menſes dati, quis ſecundum iuſſa legis, rationes familiares quiſque componerent:

Cum ob aliquam culpam ciuitas adeo infecta eſt, vt nemo quaſi ſit ea vacuus, immo cuncti, ſi iure cum illis Princeps agere velit, periclitari videantur: tum æquum eſt illis veniam concedere. Summum enim ius hoc in caſu eſſet ſumma iniuria: & ſeditionibus haud dubie aditus pateſieret.

hinc inopia rei nummariæ, commoto ſimul omnium ære alieno: & quia tot damnatis, bonisq. eorum diuenditis, ſignatum argentum fiſco vel ærario attinebatur. ad hoc ſenatus præſcripſerat, duas quiſque fenoris partes in agris per Italiam conlocaret. ſed creditores in ſolidum appellabant. nec decorum appellatis minuere fidem. Ita primo concurſatio, & preces; dein ſtrepere prætoris tribunal. eaq. quæ remedio quæſita, venditio, & emptio, in contrarium mutari;

Male agitur in ciuitate, cum quæ remedio quæruntur a Principe, vel magiſtratu, in contrarium mutantur.

quia ſenatores omnem pecuniam mercandis agris condiderant. Copiam vendendi ſecuta vilitare,

Semper hoc euenit: vt copiam vendendi ſequatur vilitas.

quanto quis obæratior ægrius diſtrahebant. multiq. fortunis prouoluebantur. euerſio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat:

Rei familiaris euerſio, dat præceps dignitatem, & famam. Vide Plutarchum in Commentariolo, de ære alieno vitando.

donec tulit opem Cæſar, diſpoſito per menſas millies ſeſtertio, factaq. mutuandi copia ſine vſuris per triennium, ſi debitor populo in duplum prædijs cauiſſet. Sic refecta fides. & paulatim priuati quoque creditores reperti. neque emptio agrorum exercita ad formam ſenatuſconſulti, acribus, vt ferme talia, initijs, incurioſo fine.

Nouarum rerum ferme ſemper acria ſunt initia, incurioſi fines.

Dein redeunt priores metus, poſtulato maieſtatis Conſidio Proculo. qui nullo pauore diem natalem celebrans, raptus in curiam pariterq. damnatus interfectusque. & ſorori eius Sanciæ aqua atque igni interdictum, accuſante Q. Pomponio. Is moribus inquies, hæc & huiuſcemodi a ſe factitari prætendebat, vt parta apud Principem gratia, periculis Pomponij Secundi fratris mederetur.

Nunquam praui medijs ad bonos fines tendendum eſt: nec malis artibus gratiam Principis parare debemus. Qua de re quia multis in locis ſupra a nobis ſcriptum eſt, nihil addemus hoc in loco.

Etiam in Pompeiam Macrinam exilium ſtatuitur, cuius maritum Argolicum, ſocerum Laconem e primoribus Achæorum Cæſar adflixerat. Pater quoque inluſtris eques Romanus, ac frater prætorius, cum damnatio inſtaret, ſe ipſi interfecere. datum erat crimini

crimini, quòd Theophanem Mitylenæum proauum eorum, Gn. Magnus inter intimos habuiſſet: quodq. defuncto Theophani cæleſtes honores Græca adulatio tribuerat.

HEV miſeros ſub Tyranno ſubditos, qui tam leuibus de cauſſis perduntur, & interficiuntur.

Poſt quos Sex. Marius Hiſpaniarum ditiſſimus, defertur inceſtaſſe filiam, & ſaxo Tarpeio deijcitur. ac ne dubium haberetur, magnitudinem pecuniæ malo vertiſſe,

MVLTIS magnitudo pecuniæ ſæpe malo vertit: præſertim ſub Tyranno. Sic infra lib. xj. Annal. Auctor: Auri vim & opem infenſas Principibus. Et hic in textu deeſt aliquid: de quo adeundus Lipſius in Commentarijs: noſtra enim hæc non eſt cura.

aurariasq. eius, quamquam publicarentur, ſibimet Tiberius ſepoſuit. inritatusq. ſupplicijs, cunctos, qui carcere attinebantur accuſati ſocietatis cum Seiano, necari iubet.

IRRITATVR Tyrannus ſubditorum ſupplicijs eo modo, quo fera aliqua immitis ſanguine gregis imbellis ad ſæuiendum magis incitari ſolet, & efferaſcere.

Iacuit immenſa ſtrages: omnis ſexus, omnis ætas: inluſtres, ignobiles: diſperſi, aut aggregati. neque propinquis, aut amicis adſiſtere, inlacrymare, ne viſere quidem diutius dabatur. ſed circumiecti cuſtodes, & in mærorem cuiusq. intenti, corpora putrefacta adſectabantur, dum in Tiberim traherentur. vbi fluitantia, aut ripis adpulſa, non cremare quiſquam, non contingere. interciderat ſortis humanæ commercium vi, metu, quantumq. ſæuitia gliſceret, miſeratio arcebatur.

SVB Tyranno, intercidit ſortis humanæ commercium vi & metu, quantumq. ſæuitia gliſcit, miſeratio arcetur. Et diligenter eſt obſeruanda hæc miſerabilis deſcriptio, qua Auctor noſter rem ſub aſpectum ponit, more ſuo, grauiter non minus, quàm dilucide.

Sub idem tempus, C. Cæſar diſcedenti Capreas auo comes, Claudiam M. Sillani filiam coniugio accepit, immanem animum ſubdola modeſtia tegens,

SVB modeſtia ſubdola, nonnumquam tegitur immanis animus. Et vide Tranquillum in Caligula.

non damnatione matris, non exſilio fratrum rupta voce, qualem * diem Tiberius induiſſet, pari habitu, haud multum diſtantibus verbis. Vnde mox ſcitum Paſſieni oratoris dictum percrebuit: Neque meliorem vmquam ſeruum, neque deteriorem dominum fuiſſe.

EX ſcientia obediendi gignitur etiam ſcientia imperandi, vt alias obſeruauimus. In Caligula tamen contrarium euenit: qui bonus fuit ſeruus, deterrimus dominus.

Non omiſerim præſagium Tiberij, de Ser. Galba tum conſule; quem accitum, & diuerſis ſermonibus pertentatum, poſtremo Græcis verbis in hanc ſententiam adlocutus: Et tu Galba quandoque deguſtabis imperium. ſeram ac breuem potentiam ſignificans, ſcientia Chaldæorum artis, cuius apiſcendæ, otium apud Rhodum, magiſtrum Traſullum, habuit, peritiam eius hoc modo expertus. Quoties ſuper negotio conſultaret, edita domus parte, ac liberti vnius conſcientia vtebatur. is litterarum ignarus, corpore valido, per auia ac derupta, nam ſaxis domus imminet, præibat eum, cuius artem experiri. Tiberius ſtatuiſſet: & regredientem, ſi vanitatis aut fraudum ſuſpicio inceſſerat, in ſubiectum mare præcipitabat, ne index arcani exiſteret. Igitur Traſullus iiſdem rupibus inductus, poſtquam percontantem commouerat, imperium ipſi, & futura ſolerter patefaciens: interrogatur, an ſuam quoque genitalem horam comperiſſet, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille poſitus ſiderum, ac ſpatia dimenſus, hærere primo, dein paueſcere: & quantum introſpiceret, magis ac magis trepidus admirationis & metus. poſtremo exclamat, ambiguum ſibi ac prope vltimum diſcrimen inſtare. Tum complexus eum Tiberius, præſcium periculorum, & incolumem fore gratatur, quæq. dixerat oraculi vice accipiens, inter intimos amicorum tenet.

DE hac tota hiſtoria vide Tranquillum in Tiberio, & Dionem lib. lv. Hiſtor.

Sed mihi hęc, ac talia audienti, in incerto iudicium eſt, fato ne res mortalium & neceſſitate immutabili, an forte voluantur. quippe ſapientiſſimos veterum, quiq. ſectam eorum æmulantur, diuerſos reperies: ac multis inſitam opinionem, non initia noſtri, non finem, non denique homines dijs curæ. Ideo creberrima & triſtitia in bonos, læta apud deteriores eſſe. Contra alij, fatum quidem congruere rebus putant, ſed non e vagis ſtellis, verum apud principia, & nexus naturalium cauſſarum ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt: quam vbi elegeris, certum imminentium ordinem, neque mala vel bona, quæ vulgus putet: multos, qui conflictari aduerſis videantur, beatos, ac pleroſque quamquam magnas per opes, miſerrimos: ſi illi grauem fortunam conſtanter tolerent, hi proſpera inconſulte vtantur.

VERE neque mala, neque bona ſunt, quæ vulgus putat. Multi, qui conflictantur aduerſis, ſunt beati, ac plerique quamquam magnas per opes, miſerrimi: ſi illi grauem fortunam conſtanter tolerent, hi proſpera inconſulte vtantur. Et ſimilis eſt hæc Auctoris digreſsio illi, quam ſupra lib. iy. poſuit, inquiens: Vnde dubitare cogor fato ne: & quæ ibi habentur.

Ceterum plurimis mortalium non eximas, quin primo cuiuſque ortu ventura deſtinentur: ſed quædam ſecus quàm dicta ſint cadere, fallacijs ignara dicentium. ita corrumpi fidem artis, cuius clara documenta, antiqua ætas & noſtra tulerit. Quippe a filio eiuſdem Traſulli, prædictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim. Iiſdem conſulibus Aſinij Galli mors vulgatur, quem egeſtate cibi peremptum haud dubium: ſpōte, vel neceſſitate, incertum habebatur. Conſultusq. Cæſar an ſepeliri ſineret, non erubuit permittere, vltroq. incuſare caſus, qui reum abſtuliſſent, antequam coram conuinceretur. ſcilicet medio triennio defuerat tempus ſubeundi iudicium conſulati ſeni, tot conſularium parenti. Druſus deinde extinguitur, cum ſe miſerandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum ad diem detinuiſſet. Tradidere, quidam deſcriptum fuiſſe Macroni, ſi arma ab Seiano tentarentur, extractum cuſtodia iuuenem, nam in palatio attinebatur, ducem populo imponere. mox quia rumor incedebat, fore vt nurui ac nepoti conciliaretur Cæſar, ſæuitiam, quàm pœnitentiam maluit.

TYRANNIS placere ſolet ſemper magis ſæuitia, quàm flagitiorum pœnitentia.

Quin & inuectus in defunctum, probra corporis, exitiabilem in ſuos, infenſum Reip. animum obiecit: recitariq. factorum, dictorumq. eius deſcripta per dies iuſſit:

IN defunctos inuehi, vere eſt tyrannica ſæuitia. Et hoc eſt ſæuiſsimum immanitatis Tiberij in nepotes exemplum.

quo non aliud atrocius viſum. adſtitiſſe tot per annos, qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent. & potuiſſe auum audire, legere, in publicum promere, vix fides, niſi quòd Actij centurionis, & Didymi liberti epiſtolæ, ſeruorum nomina præferebant, vt quis egredientem cubiculo Druſum pulſauerat, exterruerat. etiam ſua verba centurio ſæuitiæ plena, tamquam egregium, vocetq. deficientis adiecerat, quis primo alienationem mentis ſimulans, quaſi per dementiam, funeſta Tiberio, mox vbi & ſpes vitæ fuit, meditatas, compoſitasq. diras imprecabatur: vt quemadmodum nurum, filium fratris, & nepotes, domumq. omnem cædibus compleuiſſet, ita pœnas nomini generiq. maiorum, & poſteris exolueret. Obturbabant quidem patres, ſpecie deteſtandi. ſed penetrabat pauor, & admiratio, callidum olim & tegendis ſceleribus obſcurum, huc confidentiæ veniſſe, vt tamquam dimotis parietibus oſtenderet nepotem ſub verbere centurionis, inter ſeruorum ictus, extrema vitæ alimenta fruſtra orantem.

CALLIDI olim & tegendis ſceleribus obſcuri, huc confidentia tandem veniunt, vt tamquam dimotis parietibus propria flagitia oſtendant. Et hoc in Tyrannis præſertim vſu venire ſolet.

Nondum is dolor exoleuerat, cum de Agrippina auditum. quam interfecto Seiano ſpe ſuſtentatam prouixiſſe reor: & poſtquam nihil de ſæuitia remittebatur, voluntate extinctam

ſtinctam: niſi ſi negatis alimentis, adſimulatus eſt finis; qui videretur ſponte ſumptus. Enimuero Tiberius fœdiſſimis criminationibus exarſit, impudicitiam arguens, & Aſinium Gallum adulterum, eiusq. morte ad tædium vitæ compulſam. Sed Agrippina æqui impatiens, dominandi auida,

QVI ſunt dominandi auidi, ijdem ſunt æqui impatientes.

virilibus curis, feminarum vitia exuerat.

MVLIER, quæ virilibus curis occupatur, feminarum vitia exuit.

Eodem die defunctam, quo biennio ante Seianus pœnas luiſſet, memoriæq. id prodendum addidit Cæſar: iactauitq. quòd non laqueo ſtrangulata, neque in Gemonias proiecta foret. Actæ ob id grates, decretumq. vt quintodecimo Kal. Nouēbris vtriuſque necis die, per omnis annos, donum Ioui ſacraretur. Haud multo poſt Cocceius Nerua, continuus principis, omnis diuini humaniq. iuris ſciens, integro ſtatu, corpore inlæſo, moriendi conſilium cepit. Quod vt Tiberio cognitum, adſidere, cauſſas requirere, addere preces, fateri poſtremo graue conſcientiæ, graue famæ ſuæ, ſi proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret:

HAVD immeritò graue eſſe debet conſcientiæ, graue famæ Principis, quòd proximus amicorum ſuorum nullis moriendi rationibus vitam fugiat.

auerſatus ſermonem Nerua, abſtinentiam cibi coniunxit. ferebant gnari cogitationum eius quanto propius mala Reip. viſeret, ira, & metu, dum integer, dum intentatus, honeſtum finem voluiſſe.

CVM Tyrannus in omnes claros & inſontes viros deſæuit; tunc bene agitur cum illo, qui integer & intentatus, honeſtum vitæ finem imponit.

Ceterum Agrippinæ pernicies, quod vix credibile, Plancinam traxit. Nupta olim Gn. Piſoni, & palam læta morte Germanici, cum Piſo caderet, precibus Auguſtæ, nec minus inimicitijs Agrippinæ defenſa erat. vt odium, & gratia deſiere, ius valuit:

TVNC ius valet, cum odium & gratia deeſt. Et ſic econuerſo cum affectus dominantur, ius non habet locum.

petitaq. criminibus haud ignotis, ſua manu, ſera magis, quam immerita ſupplicia perſoluit. Tot luctibus funeſta ciuitate, pars mæroris fuit, quòd Iulia Druſi filia, quondam Neronis vxor, denupſit in domum Rubellij Blandi, cuius auum Tiburtem equitem Romanum plerique meminerant. Extremo anni mors Ælij Lamiæ funere cenſorio celebrata, qui adminiſtrandæ Suriæ imagine tandem exſolutus, vrbi præfuerat. genus illi decorum, viuida ſenectus, & non permiſſa prouincia dignationem addiderat.

SAEPE non permiſſa dignitates addunt alicui dignationem. Sic ſupra lib. iij. Auctor: Huic negatus honor gloriam intendit: de Dolabella loquendo.

Exin Flacco Pomponio Syriæ pro prætore defuncto, recitantur Cæſaris litteræ, quis incuſabat egregium quemque, & regendis exercitibus idoneum, abnuere id munus:

EGREGII viri, & regendis exercitibus idonei, ſi nulla ratione abnuunt munus eundi in hoſtem; merito incuſari poſſunt a Principe.

ſeq: ea neceſſitudine ad preces cogi, per quas conſulatium aliqui capeſſere prouincias adigerentur. oblitus Arrunrium, ne in Hiſpaniam pergeret, decimum iam annum attineri. Obijt eodem anno & M. Lepidus, de cuius moderatione, atque ſapientia in prioribus libris ſatis conlocaui. neque nobilitas diutius demonſtranda eſt. quippe Æmilium genus fecundum bonorum ciuium, & qui eadem familia corruptis moribus, inluſtri tamen fortuna egere.

QVI, corruptis ceterorum moribus, nobilitatem ſuam incorruptam ſeruant; maximas merentur laudes.

Paulo Fabio, L. Vitellio Coss. poſt longum ſæculorum ambitum, auis Phœnix in Ægyptum venit, præbuitq. materiem doctiſſimis indigenarum, & Græcorum, multa ſuper eo miraculo diſſerendi:

NATVRAE miracula præbent ſemper materiem doctiſſimis ingenijs, de illis diſſerendi.

de quibus congruunt, & plura ambigua, ſed cognitu non abſurda promere libet. Sacrum Soli id animal, & ore ac diſtinctu pinnarum a ceteris auibus diuerſum, conſentiunt qui formam eius definiere.

DE Phœnice vide quæ Epiphanius doctiſſime in ſua Phiſiologia ſcribit: præter Aelianum, Plinium, & ceteros.

De numero annorum varia traduntur. maxime vulgatum, quingentorum ſpatio: ſunt qui adſeuerent, mille quadringentos ſexaginta vnum interici; prioresq. alites Seſoſtride primum, poſt Amaſide dominantibus, dein Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnauit, in ciuitatem, cui Heliopolis nomen, aduolauiſſe, multo ceterarum volucrum comitatu, nouam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obſcura:

PROPRIA eſt antiquitatis obſcuritas. Idem Auctor ſupra lib. iiij. Et ob vetuſtatem obſcuris.

inter Ptolemæum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt. vnde non nulli falſum hunc phœnicem, neque Arabum e terris credidere, nihilq. vſurpauiſſe ex his, quæ vetus memoria firmauit. confecto quippe annorum numero, vbi mors propinquet, ſuis in terris ſtruere nidum, eiq. vim genitalem adfundere. ex qua fetum oriri, & primam adulto curam ſepeliendi patris. neque id temere, ſed ſublato murrhæ pondere, tentatoq. per longum iter, vbi par oneri, par meatui ſit, ſubire patrium corpus, inq. Solis aram perferre, atque adolere. hæc incerta & fabuloſis aucta. Ceterum aſpici aliquando in Ægypto eam volucrem, non ambigitur. At Romæ cæde continua, Pomponius Labeo, quem præfuiſſe Mœſiæ retuli, per abruptas venas ſanguinem effudit: æmulataq. eſt coniux Paxæa. nam promptas eiuſmodi mortes metus carnificis faciebat: & quia damnati, publicatis bonis, ſepultura prohibebantur: eorum, qui de ſe ſtatuebant, humabantur corpora, manebant teſtamenta, pretium feſtinandi.

CVM ſub Tyranno, illorum, qui de ſe ſtatuunt, & ſua manu ſe interficiunt, humentur corpora, & maneant teſtamenta; hinc ſequitur vt quiſque hoc pretio adductus, cædem in ſe ipſum feſtinet, antequam damnatio Tyranni ingruat. Adde etiam metum carnificis, quo ut ſe liberent ſubditi, prompti ſunt in mortes voluntarias.

Sed Cæſar miſſis ad ſenatum litteris, diſſeruit, morem fuiſſe maioribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumq. finem gratiæ ponere: id ſe repetiuiſſe in Labeone. atque illum, quia male adminiſtratæ prouinciæ, aliorumq. criminum vrgebatur, culpam inuidia velauiſſe,

MVLTI alicuius grauis delicti nocentes, ſæpe culpam inuidia velant.

fruſtra conterrita vxore, quam & ſi nocentem, periculi tamen expertem fuiſſe.

MVLIERES, etſi nocentes, tamen periculorum expertes eſſe, æquum eſt, ob ſexus mollitiem & fragilitatem.

Mamercus dein Scaurus rurſum poſtulatur, inſignis nobilitate & orandis cauſſis, vita probroſus:

PARVM refert, quòd ſit aliquis inſignis nobilitate & eloquentia; ſi poſtea vita ſit probroſus.

nihil hunc amicitia Seiani, ſed labefecit haud minus validũ ad exitia Macronis odium,

AB odijs potentis Aulici apud Principem caueant prudentes: nam ad exitium ſemper ſunt valida.

qui

qui eaſdem artes occultius exercebat:

A RTES, quæ occultius exercentur, ſunt efficaciores. Sic infr. lib. iij. Hiſt. Auctor: Artem orandi occultans, atque ideo validior.

detuleratq. argumentum tragœdiæ a Scauro ſcriptæ, additis verſibus, qui in Tiberium flecterentur.

E T in ſermone, & in ſcriptis cauendum eſt, ne a nobis aliquid excidat, quod in Principem dominantem flecti poſſit. Plus enim ſæpe officit, quàm in eum coniurare.

Verum ab Seruilio & Cornelio accuſatoribus, adulterium Liuię, magorum ſacra obiectabantur. Scaurus, vt dignum veteribus Æmilijs, damnationem anteit; hortante Sexitia vxore, quæ incitamentum mortis, & particeps fuit.

N ON mentitur ille, qui te ad aliquid agendum incitat: eum & ipſe eiuſdem periculi particeps efficitur. Huc tendit principium orationis Mutiani ad Veſpaſianum. infra lib. ij. Hiſt.

Ac tamen accuſatores, ſi facultas incideret, pœnis adficiebantur: vt Seruilius Corneliusq. perdito Scauro famoſi, quia pecuniam a Vario Ligure omittendæ delationis ceperant, in inſulas, interdicto igni atque aqua demoti ſunt. & Abudius Ruſo functus ædilitate, dum Lentulo Getulico, ſub quo legioni præfuerat, periculum faceſſit, quòd is Seiani filium generum deſtinaſſet, vltro damnatur, atque vrbe exigitur. Getulicus ea tempeſtate ſuperioris Germaniæ legiones curabat, mirumq. amorem adſecutus erat, effuſæ clementiæ, modicus ſeueritate, & proximo quoque exercitui per L. Apronium ſocerum non ingratus. vnde fama conſtans, auſum mittere ad Cæſarem litteras,

E XEMPLVM hoc Getulici mire quadrat cum actione Bellagardij: qui annis elapſis in Marchionatu Saluttienſi degens, idem fere cum Rege Gallorum egit.

adfinitatem ſibi cum Seiano haud ſponte, ſed conſilio Tiberij cœptam: perinde ſe quàm Tiberium falli potuiſſe. neque errorem eundem illi ſine fraude, alijs exitio habendum:

A EQVITAS non vult, vt idem error ſit nobis ſine fraude, & alijs in exitium vertatur.

ſibi fidem integram, & ſi nullis inſidijs peteretur, manſuram: ſucceſſorem non aliter quàm indicium mortis accepturum. firmarent velut fœdus, quo princeps ceterarum rerum potiretur, ipſe prouinciam retineret. Hæc mira quamquam fidem ex eo trahebant, quòd vnus omnium Seiani adfinium incolumis, multaq. gratia manſit: reputante Tiberio publicum ſibi odium, extremam ætatem, magisq. fama, quàm vi ſtare res ſuas.

M VLTORVM Principum res magis ſtant fama, quàm vi. Sed prudens Princeps ſtudeat, vt magis vi ſtent, quàm fama.

C. Ceſtio M. Seruilio Coss. nobiles Parthi in vrbem venere, ignaro rege Artabano. Is metu Germanici fidus Romanis, æquabilis in ſuos, mox ſuperbiam in nos, ſæuitiam in populares ſumſit.

E X hoſtibus ſæpe maxima capiuntur vtilitates: qua de re quia a Plutarcho compoſitus extat grauis & elegans tractatus, ad illum Lectorem remitto. Sic Artabanus, dum vixit Germanicus, Romanis fidus, & in ſuos æquabilis manſit, ob illius metum. Sublato eo, ſuperbiam in Romanos, & in ſuos ſæuitiam ſumpſit.

fretus bellis, quæ ſecunda aduerſum circumiectas nationes exercuerat, & ſenectutem Tiberij vt inermem deſpiciens; auidusq. Armeniæ, cui, defuncto rege Artaxia, Arſacen liberorum ſuorum veterrimum impoſuit, addita contumelia, & miſſis qui gazam a Vonone relictam in Syria Ciliciaq. repoſcerent, ſimul veteres Perſarum ac Macedonum terminos: ſeq. inuaſurum poſſeſſa Cyro, & poſt Alexandro, per vaniloquentiam ac minas iaciebat.

I N Principe, vaniloquentia, & minæ, ſunt deſpiciendæ.

Sed Parthis mittendi ſecretos nuncios validiſſimus auctor fuit Sinnaces, inſigni familia ac perinde opibus; & proximus huic Abdus, ademptæ virilitatis. Non deſpectum id apud barbaros, vtroq. potentiam habet.

APVD Barbaros adempta virilitas, non eſt res deſpecta: vtroq. potentiam habet ex inſtituto Cyri Perſarum Regis, vt hodie in Aula Turcarum Imperatoris conſpicitur. Narſes etiam ille magnus Iuſtiniani Imperatoris talis fuit. Vnde in illum Sophia Regina ſcomma, & ipſius in illam retorſio.

Ij, adſcitis & alijs primoribus, quia neminem gentis Arſacidarum ſummæ rei imponere poterant, interfectis ab Artabano pleriſque, aut nondum adultis; Phrahatem regis Phrahatis filium Roma poſcebant. Nomine tantum & auctore opus, vt ſponte Cæſaris, vt genus Arſacis, ripam apud Euphratis cerneretur. Cupitum id Tiberio. ornat Phrahatem, accingitq. paternum ad faſtigium; deſtinata retinens, conſilijs & aſtu res externas moliri, arma procul habere.

PRVDENTIS Principis hoc eſt munus, conſilijs & aſtu res externas moliri, arma procul habere. Sic in ſuo Pontificatu PAVLVS III. ſe geſſit.

Interea cognitis inſidijs, Artabanus tardari metu; modo cupidine vindictæ inardeſcere.

METV tardamur: cupidine inardeſcimus. Ratio habetur apud Ariſtotelem in 2. Rhetor.

Et barbaris contatio, ſeruilis: ſtatim exſequi, regium videtur.

BARBARIS non ſolum, ſed omnibus potentibus cunctatio, ſeruilis: ſtatim exequi, regium videtur.

Valuit tamen vtilitas, vt Abdum ſpecie amicitiæ vocatum ad epulas lento veneno inligaret; Sinnacen diſſimulatione ac donis, ſimul per negotia, moraretur. Et Phrahates apud Syriam, dum omiſſo cultu Romano, cui per tot annos inſueuerat, inſtituta Parthorum ſumit, patrijs moribus impar, morbo abſumtus eſt.

AB vno extremo, ad aliud, ſine aliquo medio tranſire, periculoſum eſt: vt alibi non ſemel obſeruauimus.

Sed non Tiberius omiſit incœpta.

CONSTANS in ſuis actionibus ſit ſemper Princeps: & numquam omittat bene incœpta. Secus enim varij & leuis nomen incurreret, & exiſtimationem amitteret.

Tiridaten ſanguinis eiuſdem, æmulum Artabano, recuperandæq. Armeniæ Hiberum Mithradatem diligit, conciliatq. fratri Pharaſmani, qui gentile imperium obtinebat. & cunctis, quæ apud Orientem parabantur, L. Vitellium præfecit. Eo de homine haud ſum ignarus ſiniſtram in vrbe famam, pleraque fœda memorari: ceterum regendis prouincijs priſca virtute egit.

MVLTI in ciuitate & in priuato ſtatu, ſiniſtram concitant de ſe famam. Regendis vero prouincijs cum virtute agunt. Et quod hic de Vitellio tradit Auctor, idem etiam infra de Othone aſſerit, Luſitania prouincia a Nerone præpoſito.

Vnde regreſſus, & formidine C. Cæſaris, familiaritate Claudij, turpe in ſeruitium mutatus;

DVABVS his de cauſſis præcipue clari & illuſtres viri in adulationem apud Principem prolabuntur. Aut eius metu, aut familiaritate.

exemplar apud poſteros adulatorij dedecoris habetur.

SEMPER comitatur dedecus adulatores.

cefſeruntq.

ceſſeruntq. prima poſtemis, & bona iuuentæ ſenectus flagitioſa obliterauit:

MVLTI ſunt homines, quorum prima cedunt poſtremis, & quorum ſenectus flagitioſa obliterat bona iuuenta.

At ex regulis, prior Mithradates Pharaſmanen perpulit, dolo & vi conatus ſuos iuuare: repertiq. corruptores, miniſtros Arſacis multo auro ad ſcelus cogunt, ſimul Hiberi magnis copijs Armeniam irrumpunt, & vrbem Arraxata potiuntur.

CVM dolus & vis ſimul concurrunt, & quid de victoria dubitari poteſt?

Quæ poſtquam Artabano cognita; filium Orodem vltorem parat, datq. Parthorum copias, mittit qui auxilia mercede facerent. Contra, Pharaſmanes adiungere Albanos, accipere Sarmatas. quorum Sceptruchi vtrimque donis acceptis, more gentico diuerſa induere.

MOS hic etiamnum ab Heluetijs ſeruatur, & hodie durat.

Sed Hiberi locorum potentes, Caſpia via Sarmatam in Armenios raptim effundunt. At qui Parthis aduentabant, facile arcebantur; cum alios inceſſus hoſtis clauſiſſet, vnum reliquum, mare inter & extremos Albanorum montes, æſtas impediret. quia flatibus Eteſiarum implentur vada, hibernus Auſter reuoluit fluctus, pulſoq. introrſus freto, breuia litorum nudantur. Interim Orodem ſociorum inopem, auctus auxilio Pharaſmanes vocare ad pugnam, & detrectantem inceſſere, adequitare caſtris, infenſare pabula, ac ſæpe modum obſidij ſtationibus cingebat: donec Parthi contumeliarum inſolentes, circumſiſterent regem, poſcerent prælium. atque illis ſola in equite vis: Pharaſmanes & pedite valebat. nam Hiberi Albaniq. ſaltuoſos locos incolentes, duritiæ patientiæq. magis inſueuere.

QVI populi ſaltuoſos locos incolunt, duritia & patientia ſunt in militia habiliores, & aptiores.

Feruntq. ſe Theſſalis ortos, qua tempeſtate Iaſon poſt auectam Medeam, genitosq. ex ea liberos, inanem mos regiam eetæ, vacuosq. Colchos repetiuit. Multaq. de nomine eius, & oraculum Phryxi celebrant. Nec quiſquam ariete ſacrificauerit, credito vexiſſe Phryxum: ſiue id animal, ſeu nauis inſigne fuit. Ceterum directa vtrimque acie, Parthus imperium Orientis, claritudinem Arſacidarum: contraq. ignobilem Hiberum mercenario milite diſſerebat.

TRIPLEX eſt militum ſpecies: mercenaria, auxiliaris, & propria. Mercenaria eſt, quæ ex hominibus ſtipendio conductis tibi paratur: vt temporibus noſtris Heluetiorum omnis gens ferme eſt. Auxiliaris, quæ tibi ab aliquo Principe in auxilium mittitur, vel a Republica aliqua tibi ſocia, vel fœdere adiuncta. Propria vero, quæ ex militibus tuis, a te conſcriptis, & ſubditis tuis conſtatur. Hæc vltima eſt optima, & hanc quilibet Princeps debet conficere: alioquin duabus prioribus numquã tute vtetur. In prima enim periculoſa eſt ignauia: in ſecũda virtus. Ratio eſt, quia mercenarij, in pacis tempore te auaritia ſua expoliant: & ſæpe periculi tempore deſerunt & produnt: vt Heluetij cum Ludouico Sfortia Inſubrium Duce apud Nouariam egerunt. Auxiliares vero fructum victoriæ non tibi, ad quem miſſi ſunt, ſed illi, qui eos miſit, acquirunt & comparant. Vt præter multa alia exempla, Conſalui Magni Ducis Hiſpani, in auxilium Aragonienſium miſſi, exemplum declarat. Eſt alia quædam quarta ſpecies militiæ, quæ mixta appellari poteſt: quæ conſtat partim ex auxiliaribus, partim ex mercenarijs, quæ vtique damnoſa eſt. Solum igitur propria militia probanda eſt. De hac materia copioſe, præter ceteros, qui ſparſim egerunt, vide apud Vegetium.

Pharaſmanes integros ſemet a Parthico dominatu: quanto maiora peterent, plus decoris victores: aut ſi terga darent, flagitij atque periculi laturos.

QVANTO maiora quis petit, plus decoris, ſi aſſequitur ea, adipiſcitur. Aut ſi cedit, & terga dat, plus flagitij & periculi incurrit.

Simul

ſimul horridam ſuorum aciem, picta auro Medorum agmina; hinc viros, inde prædam oſtendere.

CONSONAT hoc cum ioco Annibalis Pœnorum ducis ad Antiochum Regem, in exercitus ſui oſtentatione.

Enimuero apud Sarmatas non vna vox ducis.ſe quiſque ſtimulant, ne pugnam per ſagittas inirent, impetu & cominus præueniendum. Variæ hinc bellantium ſpecies. cum Parthus ſequi vel fugere pari arte ſuetus, diſtraherer turmas, ſpatium ictibus quæreret: Sarmatæ omiſſo arcu, quo breuius valent, contis gladijsq. ruerent. modo equeſtris prælij more, frontis & tergi vice, aliquando, vt conſerta acies, corporibus & pulſu armorum pellerent, pellerentur. Iamq. & Albani Hiberiq. prenſare, detrudere, ancipitem pugnam hoſtibus facere. Quos ſuper, eques, & propioribus vulneribus pedites adflictabant. Interquę Pharaſmanes Orodesq. dum ſtrenuis adſunt, aut dubitantibus ſubueniunt, conſpicui, eoq. gnari, clamore, telis, equis concurrunt. inſtantius Pharaſmanes. nam vulnus per galeam adegit, nec iterare valuit, prælatus equo, & fortiſſimis ſatellitum protegeribus ſaucium. Famaq. tamen occiſi falſo credita, exterruit Parthos, victoriamq. conceſſere. Mox Artabanus tota mole regni vltum ijt: peritia locorum, ab Hiberis melius pugnatum. nec ideo abſcedebat, ni contractis legionibus Vitellius, & ſubdito rumore tamquam Meſopotamiam inuaſurus, metum Romani belli feciſſet. Tum omiſſa Armenia, verſæq. Artabani res: inliciente Vitellio, deſererent regem ſæuum in pace & aduerſis præliorum exitioſum.

QVID peius dici poteſt Rege ſæuo in pace, & aduerſis præliorum exitioſo? Talis certe iure deſeritur a ſuis populis.

Igitur Sinnaces, quem antea infenſum memoraui, patrem Abdageſem, aliosq. occultos conligit, & tunc continuis cladibus promptiores ad defectionem trahit., adfluentibus paulatim, qui metu magis, quàm beneuolentia ſubiecti, repertis auctoribus ſuſtulerant animum.

SVBIECTI magis metu, quàm beneuolentia, repertis auctoribus rebellionis, tollunt animos. Hinc eſt, quòd Græcia, etſi male de Turcarum imperio, animata, animos non erigit, quia illi Dux deeſt.

Nec iam aliud Artabano reliquũ, quàm ſi qui externornm, corpori cuſtodes aderant, ſuis quiſque ſedibus extorres; quis neque boni intellectus, neque mali cura, ſed mercede aluntur, miniſtri ſceleribus.

TYRANNVS ſemper habet aliquos extorres ſuis ſedibus; quibus neque boni eſt intellectus, neque mali cura: ſed mercede aluntur, miniſtri ſceleribus.

His adſumtis, in longinqua & contermina Scythiæ fugam maturauit, ſpe auxilij: quia Hyrcanis Carmanijsq. per adfinitatem innexus erat. Atque interim poſſe Parthos abſentium æquos, præſentibus mobiles, ad pœnitentiam mutari.

MVLTORVM hæc eſt natura populorum, & hominum: vt ſint æqui abſentium, præſentibus mobiles: & ad pœnitentiam facile mutentur.

At Vitellius profugo Artabano, & flexis ad nouum regem popularium animis,

SEMPER ad nouum Principem flectuntur popularium animi. Sperant enim ab illo vtilitatis aliquid ſe aſſecuturos.

hortatus Tiridatem parata capeſſere, robur legionum, ſociorumq. ripam ad Euphrathis ducit. Sacrificantibus, cum hic more Romano Suouetaurilia daret, ille equum placando amni adornaſſet: nuntiauere accolæ Euphraten nulla imbrium vi, ſponte & immenſum attolli: ſimul albentibus ſpumis in modum diadematis ſinuare orbes: auſpicium proſperi tranſgreſſus. quidam callidius interpretabantur, initia conatus ſecunda, neque diuturna;

diuturna; quia eorum, quæ terra cælove portenderentur, certior fides, fluminum inſtabilis natura ſimul oſtenderet omnia, raperetq.

EORVM, quæ terra, caloue portenduntur, certior fides eſſe debet, ſi modo fides adhiberi poteſt. Fluminum enim inſtabilis eſt natura, qui ſimul oſtendunt omina, rapiuntq.

Sed ponte nauibus effecto, tramiſſoq. exercitu, primus Ornoſpades multis equitum millibus in caſtra venit: exul quondam, & Tiberio, cum Dalmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator, eoq. ciuitate Romana donatus. mox repetita amicitia regis, multo apud eum honore, præfectus campis, qui Euphrate & Tigre inclutis amnibus circumflui Meſopotamiæ nomen acceperunt. Neque multo poſt Sinnaces auget copias: & columen partium Adageſes, gazam & paratus regios adicit. Vitellius oſtentaſſe Romana arma ſatis ratus, monet Tiridaten primoresq. hunc Phrahatis aui & altoris Cæſaris, quæ vtrobique pulchra, meminerit: illos obſequium in regem, reuerentiam in nos, decus quiſque ſuum & fidem retineret.

SIC inter Reges & populos partienda ſunt munia. Illi nempe auorum ſuorum clara exempla meminerint, vt in virtute maneant, & rite populos regant. Hi vero obſequium in Regem ſeruēt. Et ſic quiſque retinebit decus, & fidem ſuam.

Exin cum legionibus in Syriam remeauit. Quæ duabus æſtatibus geſta coniunxi, quo requieſceret animus a domeſticis malis. Non enim Tiberium, quamquam triennio poſt cædem Seiani, quæ ceteros mollire ſolent, tempus, preces, ſatias, mitigabant, quin incerta vel abolita pro grauiſſimis & recentibus puniret.

EA eſt vere ſæua, ac crudelis Tyranni natura, quæ nec tempore, nec precibus, nec ſatietate mitigatur: quæ ceteros mollire ſolent. Immo incerta vel abolita, pro grauiſſimis, & recentibus punire gaudet.

Eo metu Fulcinius Trio ingruentis accuſatores haud perpeſſus, ſupremis tabulis multa & atrocia in Macronem ac præcipuos libertorum Cæſaris compoſuit: ipſi fluxam ſenio mentem,

MVLTIS hominibus ſenio fluit mens. Vnde delirium.

& continuo abſceſſu, velut exilium obiectando. Quæ ab heredibus occultata, recitar Tiberius iuſſit, patientiam libertatis alienæ oſtentans, & contemptor ſuæ infamiæ,

SCELERATI eſt, ſuam infamiam contemnere. Cuius apud prodigos noniſſima voluptas eſt, teſte eodem, infra de Meſſalina.

an ſcelerum Seiani diu neſcius, mox quoque modo dicta vulgari malebat, veritatisq. cui adulatio officit, per probra ſaltem gnarus fieri.

OFFICIT veritati adulatio. Et hic videndus eſt Plutarchi elegans tractatus, De amici, ac adulatoris diſcrimine: obſeruandum etiam eſt hic, quòd Tyrannus per probra ſaltem fit gnarus veritatis: audiendo ſcilicet ea, quibus in publicum laceratur. Vt ſupra lib. iiij in eodem Tiberio annotauimus.

Iiſdem diebus Granius Martianus ſenator a C. Graccho maieſtatis poſtulatus, vim vitæ ſuæ attulit. Tatiusq. Gratianus prætura functus, lege eadem extremum ad ſupplicium damnatus. Nec diſpares Trebellieni Rufi, & Sextij Paeoniani exitus. Nam Trebellienus ſua manu cecidit; Paconianus in carcere, ob carmina illic in principem factitata, ſtrangulatus eſt. Hæc Tiberius non mari, vt olim diuiſus, neque per longinquos nuncios accipiebat, ſed vrbem iuxta; eodem vt die vel noctis interiectu, litteris conſulum reſcriberet: quaſi aſpiciens vndantem per domos ſanguinem, aut manum carnificum. Fine anni Poppæus Sabinus conceſſit vita, modicus originis, principum amicitia conſulatum ac triumphale decus adeptus, maximisq. prouincijs per quattuor & viginti annos impoſitus, nullam ob eximiam artem, ſed quòd par negotijs, neque ſupra erat.

PRINCIPES amant quidem homines, qui ſunt pares negotijs, ſed non qui ſunt ſupra. Et a quodam Principe me audire memini: ſe nolle apud ſe homines, qui ſeipſo magis rerum & ingenij experientia pollerent.

Q. Plau-

Q. Plautius * Sex. Papinius Coſs. ſequuntur. Eo anno * neque quòd L. Aruſeius morte adfecti forent,

L*OCVS hic in multis deficit. Vide Lipſium in commentarijs.*

adſuetudine malorum vt atrox aduertebatur; ſed exterruit, quòd Vibulenus Agrippa eques Romanus, cum peroraſſent accuſarores, in ipſa curia depromptum ſinu venenum hauſit, prolapſus ac moribundus, feſtinatis lictorum manibus in carcerem raptus eſt, faucesq. iam exanimis laqueo vexatæ. Ne Tigranes quidem Armenia quondam potitus, ac tunc reus, nomine regio ſupplicia ciuium effugit.

At C.Galba conſularis, & duo Blæſij voluntario exitu cecidere: Galba triſtibus Cæſaris litteris prouinciam ſortiri prohibitus; Blæſijs ſacerdotia integra eorum domo deſtinata, conuulſa, diſtulerat: tunc vt vacua contulit in alios. quod ſignum mortis intellexere, & executi ſunt. Et Æmilia Lepida, quam iuueni Druſo nuptam retuli, crebris criminibus maritum inſecuta, quamquam inreſtabilis, tamen impunita agebat, dum ſuperfuit pater Lepidus. poſt a delatoribus corripitur, ob ſeruum adulterum. nec dubitabatur de flagitio. Ergo omiſſa defenſione, finem vitæ ſibi poſuit. Per idem tempus Clitarum natio Cappadoci Archelao ſubiecta, quia noſtrum in modum deferre cenſus, pati tributa adigebatur, in iuga Tauri montis abſceſſit, locorumq. ingenio ſeſe contra imbelles regis copias tutabatur, donec M. Trebellius legatus a Vitellio præſide Syriæ cum quattuor millibus legionariorum, & delectis auxilijs miſſus, duos collis, quos barbari inſederant, minori Cadra, alteri Dauara nomen eſt, operibus circumdedit. & erumpere auſos ferro; ceteros ſiti ad deditionem coegit.

At Tiridates volentibus Parthis Nicephorium & Anthemuſiada, ceteraſq. vrbes, quæ Macedonibus ſitæ, Græca vocabula vſurpant, Halumq. & Arremitam Parthica opida recepit; certantibus gaudio, qui Artabanum Scythas inter eductum ob ſæuitiam exſecrati, come Tiridaris ingenium Romanas per artes ſperabant. Plurimum adulationis Seleucenſes induere, ciuitas potens, ſepta muris, neque in barbarum corrupta, ſed conditoris Seleuci retinens. Trecenti opibus, aut ſapientia delecti, vt ſenatus, ſua populo vis. & quoties concordes agunt, ſpernitur Parthus: vbi diſſenſere, dum ſibi quiſque contra æmulos ſubſidium vocant, accitus in partem, aduerſum omnes valeſcit.

Q*VOTIES aliqui propinqui, vel ciues, vel conſanguinei concordes agunt; ſpernuntur impune inimici. Vbi diſſenſere, dum ſibi quiſque contra æmulos ſubſidium vocat; accitus in partem, contra omnes valeſcit.*

Id nuper acciderat Artabano regnante, qui plebem primoribus tradidit ex ſuo vſu. nam populi imperium, iuxta libertatem: paucorum dominatio, regiæ libidini propior eſt.

I*MPERIVM populi eſt iuxta libertatem: paucorum dominatio eſt propior regiæ libidini. Et vide Ariſtotelem in v. Politices.*

Tum aduentantem Tiridaten extollunt, veterum regum honoribus, & quos recens ætas largius inuenit. ſimul probra in Artabanum fundebant, materna origine Arſaciden, cetera degenerem. Tiridates rem Seleucenſem populo permittit. mox conſultans quo nam die ſollemnia regni capeſſeret; litteras Phrahatis & Hieronis, qui validiſſimas præfecturas obtinebant, accipit, breuem moram precantium. Placitumq. opperiri viros præpollentis. Atque interim Creſiphon ſedes imperij petita. ſed vbi diem ex die prolatabant, multis coram & adprobantibus, Surena patrio more Tiridaren inſigni regio euinxit. Ac ſi ſtatim interiora, ceteraſq. nationes petiuiſſet; oppreſſa cunctantium dubitatio, & omnes in vnum cedebant.

Q*VI ad principatum recenter ab aliquibus euehitur, feſtinare debet, & cunctantium opprimere dubitationem.*

Adſidendo caſtellum, in quod pecuniam & pellices Artabanus contulerat, dedit ſpatium exuendi pacta. Nam Phrahates & Hiero, & ſi qui alij delectum capiendo diademati diem

diem non concelebrauerant, pars metu, quidam inuidia in Abdageſen, qui tum aula, & nouo rege potiebatur, ad Artabanum vertere.

PRINCEPS omnibus ſatisfacere debet ex æquo, nec ſinere, vt vnus aliquis Aula, & eo potiatur. Ceteri enim inuidia accendentur: vnde multa orientur ſæpe ſcandala, multæ defectiones,

Isq. in Hyrcanis repertus eſt, inluuie obſitus, & alimenta arcu expediens. ac primo tamquam dolus pararetur, territus; vbi data fides reddendæ dominarioni veniſſe, adleuatur, & quæ repentina mutatio exquirit. Tum Hiero pueritiam Tiridatis increpat: neque penes Arſacidem imperium, ſed inane nomen apud imbellem externa mollitia: vim in Abdageſis domo.

SAEPE multi ſunt Principes imbelles, qui nomen inane ſolum imperij habent: vis vero in Aulico, aut conſiliario aliquo.

Senſit vetus regnandi, falſos in amore, odia non fingere,

DIFFICILE eſt decipere Principem veterem regnandi. Nam ſtatim ſentit, qui ſint falſi in amore, & odia non fingant.

nec vltra moratus, quàm dum Scytharum auxilia conciret, pergit properus, & præueniens inimicorum aſtus, amicorum pœnitentiam:

IN quocumque negotio magno, ſemper præuenire debemus inimicorum aſtus, & amicorum pænitentiam.

neque exuerat pædorem, vt vulgum miſeratione aduerteret. non fraus, non preces; nihil omiſſum, quo ambiguos inliceret. prompti firmarentur.

IN expediendo arduo aliquo & difficili negotio, nullæ artes ſunt omittendæ, quibus ambigui inliciantur, prompti firmentur. Et quæ artes iſtæ ſint, vide apud Ariſt. in 2. Rhetor. Hermogenem, Ciceronem, Quintilianum, & alios.

Iamq. multa manu, propinqua Seleuciæ aduentabat; cum Tiridates ſimul fama atque ipſo Artabano perculſus, diſtrahi conſilijs, iret contra, an bellum contatione tractaret. Quibus prælium & feſtinati caſus placebant, diſiectos & longinquitate itineris feſſos, ne animo quidem ſatis ad obſequiũ coaluiſſe diſſerunt; proditores nuper hoſteſq. eius, quàm rurſum foueant. Verum Abdageſes regrediendum in Meſopotamiam cenſebat, vt amne obiecto Armenijs interim Elymæiſq. & ceteris a tergo excitis, aucti copijs ſocialibus, & quas dux Romanus miſiſſet, fortunam tentarent. Ea ſententia valuit, quia plurima auctoritas penes Abdageſen, & Tiridates ignarus ad pericula erat.

TVRPE eſt dici de Principe, quòd ignarus ſit ad pericula.

ſed fugæ ſpecie diſceſſum; ac principio a gente Arabum facto, ceteri domos abeunt, vel in caſtra Artabani; donec Tiridates cum paucis in Syriam reuectus, pudore proditionis omnes exſoluit. Idem annus graui igne vrbem adficit, deuſta parte Circi, quæ Auentino contigua, ipſoq. Auentino. quod damnum Cæſar ad gloriam vertit exſolutis domuum & inſularum pretijs.

PRINCEPS magnanimus, damna publica ad gloriam ſolet vertere, vt SIXTVS V. in caſu annonæ fecit. Qua cum premeretur Vrbs, ipſe eam propria pecunia vndique abunde aduehi curauit; & propria gloria obuiam publico damno iuit.

Milles ſeſtertium ea munificentia conlocatum: tanto acceptius in vulgum, quanto modicus priuatis ædificationibus.

QVAE ſigna munificentiæ exhibet aliqua in re erga publicum Princeps; ea tanto acceptius ſumuntur in vulgum, quanto ipſe eſt illa in re modicus erga ſuas priuatas.

Ne pu-

Ne publice quidem niſi duo opera ſtruxit, templum Auguſto, & ſcenam Pompeiani theatri: eaq. perfecta contemptu ambitionis, an per ſenectutem haud dedicauit.

IN Principe laudabilis eſt ambitionis contemptus.

ſed extimando cuiuſque detrimento quattuor progeneri Cæſaris, Gn. Domitius, Caſſius Longinus, M. Vinicius, Rubellius Blandus delecti, additusq. nominatione conſulum P. Petronius. Ei pro ingenio cuiuſque quæſiti decretiq. in principem honores. Quos omiſerit receperitue in incerto fuit, ob propinquum vitæ finem. Neque enim multo poſt ſupremi Tiberio conſules, Gn. Acerronius, C. Pontius magiſtratum occepere, nimia iam potentia Mactonis: qui gratiam C. Cçſaris numquam ſibi neglectam, acrius in dies fouebat,

ETSI Aulicus gratia multum apud Principem regnantem pollet; numquam tamen, in quantum ſalua fide ſemper poteſt, negligat filij ſucceſſoris gratiam: ſed acriter eam foueat. Sic enim potens etiam apud eum permanebit.

impuleratq. poſt mortem Claudię, quam nuptam ei retuli vxorem ſuam Enniam immittendo, amore iuuenem inlicere, pactoq. matrimonij vincire,

QVID non mortalia pectora cogit Ambitio? vere dici poteſt. Cum ob eam, omnia dedecora patiantur homines & omnia flagitia committant; vt potentiam apud Principem apiſcantur. Idem infra lib. xiy. videbimus in Othone eum Nerone imperante.

nihil abnuentem dum dominationis apiſceretur.

PRINCIPES, qui ſucceſſionem ſperant, nihil abnuunt, donec dominationem apiſcantur. Verum poſtquam adepti ſunt, veris pretijs res æſtimant.

Nam & ſi commotus ingenio, ſimulationum tamen falſa, in ſinu aui perdidicerat.

COMMOTI ingenio homines, etſi ſimulare neſciunt; tamen ſi multum in Aulis degunt, falſa ſimulationum in ſinu Aulicorum ceterorum perdiſcunt.

Gnarum hoc principi. eoq. dubitauit de tradenda Rep. primũ inter nepotes, quorum Druſo genitus, ſanguine & charitate propior, ſed nondum pubertatem ingreſſus: Germanici filio robur iuuentæ, vulgi ſtudia. eaq. apud auum odij cauſſa.

STVDIA vulgi, quæ adſunt aliquo in Principatu æmulo, vel ſucceſſore futuro, ſunt apud Tyrannum viuentem odij erga eum cauſſa.

Etiam de Claudio agitanti, quod is compoſita ætate bonarum artium cupiens erat, imminuta mens eius obſtitit.

IN eo, qui ceteris præeſſe debet, mens non ſolum imminuta eſſe non debet, ſed vigens, & acerrima. Et ſi hoc non adeſt, nihil illi prodeſt nec compoſita ætas, nec bonarum artium deſiderium.

Si extra domum ſucceſſor quæreretur; ne memoria Auguſti, ne nomen Cæſarum in ludibria & contumelias verteret, metuebat. quippe illi non perinde curæ, gratia prçſentium, quàm in poſteros ambitio.

MAGNIS Principibus non perinde curæ eſt gratia præſentium, quàm in poſteros ambitio. Sic ſupra lib. j. Annal. de Auguſto: deterrima comparatione ſibi laudem quæſiuiſſe, in adoptando Tiberio, inquit Auctor.

Mox incertus animi, feſſo corpore, conſilium, cui impar erat, fato permiſit, iactis tamen vocibus, per quas intelligeretur prouidus futurorum.

ETSI Principes ſæpe ſunt obſcuri, & tegendis animi ſui ſenſibus reconditi; iaciunt tamen aliquando voces, quis arcana eorum penetrantur.

Namque

Namque Macroni non abdita ambage, Occidentem ab eo deſeri, Orientem ſpectari exprobrauit.

IDEM apophtegma Pompeius dixerat prius Sylla, ſibi in triumpho aduerſanti. Vide Plutarc. in Sylla, & Pompeio.

Et C. Cæſari forte orto ſermone L. Sullam inridenti, omnia Sullæ vitia, & nullam eiuſdem virtutem habiturum prædixit. ſimul crebris cum lacrymis minorem ex nepotibus complexus, truci alterius vultu: occides hunc tu, inquit, & te alius.

DE his omnibus vide Tranquillum in Tiberio, & Caligula:

Sed graueſcente valetudine, nihil e libidinibus omittebat, in patientia firmitudinem ſimulans:

MVLTI ſimulant firmitudinem in patientia: etſi graui valetudine, vt ſolitas libidines ſequantur.

ſolitusq. eludere medicorum artes, atque eos, qui poſt triceſimum ætatis annum ad internoſcenda corpori ſuo vtilia vel noxia, alieni conſilij indigerent.

CVM experientia ſit rerum magiſtra: vere poteſt aſſirmari, quòd inſipientes ſint illi, qui poſt triceſimum ætatis annum, nondum didicerunt internoſcere ea, quæ ſunt ſuo corpori vtilia, vel noxia, ſed alieni conſilij indigent.

Interim Romæ futuris etiam pſt Tiberium cædibus ſemina iaciebantur.

IN Tyrannico ſtatu, non ſolum ſæuitur a Tyranno viuente erga ſubditos, ſed etiam iaciuntur ſemina cædibus poſt eum venturis.

Lelius Balbus Acutiam P. Vitellij quondam vxorē maieſtatis poſtulauerat: qua damnata, cum præmium accuſatori decerneretur, Iunius Otho tribunus plebei interceſſit. vnde illis odia, mox Othoni exilium. Dein multorum amoribus famoſa Albucilla, cui matrimonium cum Satrio Secundo coniurationis indice fuerat, defertur impietatis in principem. connectebantur vt conſcij & adulteri eius, Gn. Domitius, Vibius Marſus, L. Arruntius. de claritudine Domitij ſupra memoraui. Marſus quoque vetuſtis honoribus, & inluſtris ſtudijs erat. Sed teſtium interrogationi, tormentis ſeruorum Macronem præſediſſe commentarij ad ſenatum miſſi ferebant: nullæq. in eos imperatoris litteræ, ſuſpicionem dabant, inualido ac fortaſſe ignaro, ficta pleraque, inimicitias Macronis notas in Arruntium.

SAEPE aduerſus claros & innocentes viros multa falſò ſtruuntur in gratiam alicuius præpotentis Aulici, qui cum illis exercet inimicitias.

Igitur Domitius defenſionem meditans, Marſus tamquam inediam deſtinauiſſet, produxere vitam. Arruntius contationem & moras ſuadentibus amicis: non eadem omnibus decora reſpondit.

VERISSIMA eſt ſententia. Non eadem omnibus eſſe decora. Et quod aliquem decebit, alteri diuerſæ condicionis viro turpe erit.

Sibi fatis ætatis, neque aliud pœnitendum, quàm quòd inter ludibria & pericula anxiam ſenectam tolerauiſſet, diu Seiano, nunc Macroni, ſemper alicui potentium inuiſus; non culpa, ſed vt flagitiorum impatiens.

VIRI boni ſunt inuiſi prauis Aulicis potentibus, non ſua culpa, ſed vt flagitiorũ impatientes.

Sane ſupremos principis dies poſſe vitari; quemadmodum euaſurum imminentis iuuentam? An cum Tiberius poſt tantam rerum experientiam, vi dominationis conuulſus & mutatus ſit? C. Cæſarē vix finita pueritia, ignarum omnium, aut peſſimis innutritum, meliora capeſſiturum Macrone duce?

MVLTVM poteſt vis dominationis: adeò vt etiam viros maximæ rerum experientiæ, conuellere, ac mature poſſit: nedum Principes vix finitæ pueritia, ignaros omnium, & peſſimis innutritos.

qui ut deterior ad opprimendum Seianum dilectus, plura per ſcelera Remp. conflictauiſſet,

AD opprimendum aliquem prauum hominem, deterior illo deligitur. Et hic ſemper per plura ſcelera Rempub. conflictare ſolet.

proſpectare iam ſe acrius ſeruitium, eoq. fugere ſimul acta & inſtantia.

VIRI prudentes, qui in ciuitate ſua acrius ſeruitium proſpectant, illa, quod praterijt, vertere ſolũ debent, & fugere inſtantia: ſed non ſe interficere. Chriſtianæ enim religioni hoc repugnat.

Hæc vatis in modum dictitans, venas reſoluit. Documento ſequentia erunt, bene Arruntium morte vſum.

SAEPE docet exitus temporum ſequentium, mortem aliquibus opportune contigiſſe.

Albucillam inrito ictu a ſemet vulnerata, iuſſu ſenatus in carcerem fertur. Stuprorum eius miniſtri, Graſſidius Sacerdos prætorius vt in inſulam deportaretur, Pontius Fregellanus amitteret ordinem ſenatorium: & eædem pœnæ in Lælium Balbum decernuntur, id quidem a lætantibus, quia Balbus truci eloquentia habebatur promptus aduerſum inſontes.

DETESTABILIS eſt ea eloquentia, quæ aduerſum inſontes prompte exercetur.

Iiſdem diebus Sex. Papinius conſulari familia, repentinum & informem exitum dilegit, iacto in præceps corpore, cauſſa ad matrem referebatur, quæ pridem repudiata, adſentationibus atque luxu perpuliſſet iuuenem ad ea, quorum effugium non niſi morte inueniret.

PERPELLVNTVR plerumque iuuenes adſentationibus & luxu ad ea, quorum effugium non niſi morte inuenitur.

Igitur accuſata in ſenatu, quamquam genua patrum aduolueretur, luctumq. communem, & magis imbecillum tali ſuper caſu feminarum animum, aliaq. in eundem dolorem mæſta & miſeranda diu ferret,

IMBECILLVS eſt ſuper caſibus humanis feminarum animus.

vrbe tamen in decem annos prohibita eſt, donec minor filius lubricum iuuentæ exiret. Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum diſſimulatio deſerebat.

NEC mirum: nullam enim ex ſuis virtutibus, vt ipſe rebatur, æque ac diſſimulationem diligebat Tiberius. Auctor ſupra proxime.

Idem animi rigor, ſermone ac vultu intentus,

IN ſermone ac vultu alicuius, animi rigor intenditur.

quæſita interdum comitate, quamuis manifeſtam defectionem tegebat.

PRINCIPES vt tegant animi paſſiones internas, ſolent interdum quærere comitatem, & fictitiam extrinſecus ſimulare.

multiſq. ſæpius locis, tandem apud promontorium Miſeni conſedit, in villa, cui L. Lucullus quondam dominus. illic eum appropinquare ſupremis tali modo compertum. Erat medicus arte inſignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis ſolitus, conſilij tamen copiam præbere.

SAEPE Medici a Principibus retinentur, non tam vt regant eorum valetudinem, quam vt conſilij copiam præbeant.

Is velut propria ad negotia digrediens, & per ſpeciem officij manum complexus, pulſum venarum attigit, neque fefellit. Nam Tiberius incertum an offenſus, tantoq. magis iram premens,

PRINCIPES, quanto offenſi, tanto magis iram premunt.

inſtaurari

inſtaurari epulas iubet, diſcumbitq. vltra ſolitum; quaſi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen labi ſpiritum, nec vltra biduum duraturum Macroni firmauit. Inde cuncta conloquijs inter præſentes, nuncij apud legatos & exercitus feſtinabantur.

Cum Princeps in ſucceſſione periculum aliquod timet ſuis rebus: debet quàm celerrime feſtinare cuncta colloquijs inter præſentes, nuncijs apud legatos, & exercitus.

Decimoſeptimo Kalend. Aprilis interclusa anima creditus eſt mortalitatem expleuiſſe. Et multo gratantum concurſu ad capienda imperij primordia C. Cæſar egrediebatur. cum repente adfertur, redire Tiberio vocem ac viſus, vocariq. qui recreandæ defectioni cibum adferrent. Pauor hinc in omnes, & ceteri paſſim diſpergi, ſe quiſque mæſtum, aut neſcium fingere. Cæſar in ſilentium fixus, a ſumma ſpe, nouiſſima expectabat. Macro intrepidus, opprimi ſenem iniectu multæ veſtis iubet, diſcediq. ab limine.

In negotijs magnis & arduis, non ſufficit ea rite aggredi, & prudenter tractare: niſi etiam intrepide illis finem imponas. Quæ laus fuit propria Antonij Perenotti, Card. Granuela.

Sic Tiberius finiuit, octauo & ſeptuageſimo ætatis anno. Pater ei Nero, & vtrimque origo gentis Claudiæ,

Elogium hoc eſt Tiberij, quod apponit Auctor noſter hic: elegans quidem & preſſum. Sed quia a Dione pulchre admodum effingitur eius natura: libuit, hic apponere, quæ de illo ſcribit. Sic igitur Dio in libri lvij. initio inquit: Tiberius patricio natus fuit genere, liberaliterq. educatus, ingenij peculiaris. Nam neque præ ſe ferebat quæ cuperet, & ſermone ab animi ſui ſententia diuerſiſſimo vtebatur, negando quæcũque deſideraret, annuendo ijs, quæ odio haberet, iratũ ſe cũ minime ſuccẽſeret, æquo animo eſſe, cũ maxime indignaretur, ſimulabat: nimirũ quos ſupplicio efficeret, ijs miſericordiam oſtentabat, infenſum ſe ijs, quos venia proſequeretur, exhibebat, inimiciſſimos fere vultu quàm maxime beneuolo, amiciſſimos ſumme abalienato intuebatur: denique principis animum nemini cognitum eſſe debere cenſebat, dicere ſolitus eum intellectum multorum ac magnorum cauſſam eſſe malorum, contra diſſimulato plura ac maiora commoda parari. Ac ſi quidem hæc tantum in Tiberio fuiſſent, nemo certe eorum, qui cum ipſo rem haberẽt, cauere ſibi ab eo potuiſſet, cum omnia contrario, atque is ſentiret, modo accipientes, ea, quæ is nolebat, velle, & nõ cupere ipſum, quæ maxime appetebat, iudicarent: nunc autem adeo commouebatur animo, ſi quis eius ſententiam aſſecutus deprehenderetur, vt multos haud aliã vllã ob rẽ necauerit: vt iã periculoſum eſſet non intelligere, qui ipſius eſſet animus, etenim multi dictis eius, non voluntati aſſenſi, infortunium inuenerant, periculoſius etiam intelligere, hi enim quaſi inſtitutum eius exploraſſet, idq. odio haberent ſuſpectabantur. Itaque is ſolummodo, quod rariſſime fit, tutus ferme erat, qui neque ignoraret ingenium, eius neque argueret, is enim neque credendo decipiebatur, neque in odium eius, oſtendendo ſe voluntatem eius ſentire, incurrebat. Erat quippe maximæ difficultatis dictis eius vel refragari, vel adſtipulari, cum ipſe aliud fieri vellet, aliud iuberet, eſſentq. vtrobique qui ab eo diſcreparent, quorum his veritatis, illis opinionis cauſſa iraſceretur.

quamquam mater in Liuiam, & mox Iuliam familiam, adoptionibus tranſierit. caſus prima ab infantia ancipites. nam proſcriptum patrem exul ſecutus, vbi domum Auguſti priuignus introijt, multis æmulis conflictatus eſt, dum Marcellus & Agrippa, mox Caius Luciusq. Cæſares, viguere.

In Aulis Principum, antequam eueatur aliquis vir prudens & dignus; multis æmulis conflictetur, neceſſe eſt. Sed eos virtute, & conſtantia ſuperare debet: & ſic ſuper illorum odia pontem ad dignitatem ſuam ſibi ſternere.

Etiam frater eius Druſus proſperiore ciuium amore erat. Sed maxime in lubrico egit, accepta in matrimonium Iulia, impudicitiam vxoris tolerans, aut declinans.

Vere in lubrico agit, & miſera eſt eius condicio, qui vxoris impudicitiam, aut tolerare, aut declinare cogitur. Præſertim ſi vir talis nobilitate, & alijs animi dotibus preclaris pollet.

Deinde Rhodo regreſſus, vacuos principis penates duodecim annis, mox rei Romanæ arbitrium tribus ferme & viginti obtinuit.

Quorum omnium annorum acta ferme ſuperioribus libris vidimus.

Morum quoque tempora illi diuerſa:

Qui ſecundum temporum condiciones, varios ſibi mores induere poteſt, & illis cum iudicio vti; is ſemper proſperam habebit in rebus ſuis fortunam.

egregium vita, famaq. quoad priuatus, vel in imperijs ſub Auguſto fuit: occultum ac ſubdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Druſus ſuperfuere.

QVAE virtutes quoties parando regno finguntur, haud minus nocent, quàm aperta vitia: vt ſupra de Seiano inquit Auctor.

Idem inter bona malaq. mixtus, incolumi matre: inteſtabilis ſæuitia, ſed obtectus libidinibus, dum Seianum dilexit, timuitue. Poſtremo in ſcelera ſimul ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore & metu, ſuo tantum ingenio vtebatur.

ARCTA hominum, ne in vitia prorumpant, vincula ſunt, pudor & metus. Quæ ſi ſublata e mortalium mẽtibus fuerint, ferme omnes in ſcelera, & dedecora prorumpent. Et ſic habemus breuiter & vere, qualis fuerit in principatu, & ante principatũ Tiberius. Silere tamẽ non poſſum, quòd Velleius Paterculus aliter de illo ſentit: & vt libere dicam, illi adulatur. Sic enim ille in fine Hiſtoriæ ſuæ inquit: Sed, propoſita quaſi vniuerſa Principatus Tib. Cæſaris forma, ſingula recenſeamus. Qua ille prudentia Rhaſcupolim, interemptorem fratris ſui filij Cutys, conſortisq. eiuſdem Imperij, euocauit? ſingulari in eo negotio vſus opera Flacci Pomponij, conſularis viri, nati ad omnia, quæ recte facienda ſunt, ſimpliciq. virtute merentis ſemper, quam captantis gloriam. Cum quanta grauitate, vt ſenator, & iudex, non vt princeps, & cauſſas preſſius audit? quam celeriter Libonem ingratum, & noua molientem, oppreſſit? Quibus præceptis inſtructum Germanicum ſuum, imbutumq. rudimentis militiæ ſecum actæ, domitorem recepit Germaniæ? Quibus iuuentam eius exaggerauit honoribus, reſpondente cultu triumphi rerum, quas geſſerat, magnitudini? Quoties populum congiarijs honorauit, ſenatorumq. cenſum, cum id, ſenatu auctore, facere potuit, quàm libenter expleuit, vt neque luxuriam inuitaret, neque honeſtam paupertatem pateretur dignitate deſtitui? Quãto cum honore Germanicum ſuum in tranſmarinas miſit prouincias? Qua vi, conſiliorum ſuorum miniſtro, & adiutore vſus Druſo, filio ſuo, Maroboduum, inhærentem occupati Regni finibus, pace maieſtatis eius dixerim, velut ſerpentem, abſtruſam terræ, ſalubribus conſiliorum ſuorum medicamentis coegit egredi? quàm illum & honorate, nec ſecure continet? Quantæ molis bellum, principe Galliarum ciente Sacrouiro, Floroq. Iulio, mira celeritate, ac virtute compreſſit, vt ante populus Rom. viciſſe ſe, quàm bellare, cognoſceret; nunciosq. periculi victoriæ præcederet nuncius. Magni etiam terroris bellum Africum, & quotidiano actu maius, auſpicijs conſilijsq. eius breui ſepultũ eſt. Quanta ſua, ſuorumq. nomine, exſtruxit opera? Quàm pia munificentia, ſuperq. humanam euecta fidem, Templum patri molitur? Quàm magnifico animi temperamento Gn. quoque Pompeij munera abſumpta igni, reſtituit? qui, quidquid vnquam claritudine eminuit, id veluti cognatum cenſet tuendum. Qua liberalitate, cum alias, tum proxime, incenſo monte Cælio, omnis ordinis hominum iacturæ patrimonio ſuccurrit ſuo? Quanta cum quiete hominum, rem perpetui, præcipuiq. timoris, ſupplementum, ſine trepidatione delectus, prouidet? Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, apud aures deorum de his quæri; quid hic meruit? primum, vt ſcelerata Druſus Libo iniret conſilia? deinde, vt Silius, & Piſo, quorum alterius dignitatem conſtituit, auxit alterius? Vt ad maiora tranſcendam, quamquam & hæc ille duxit maxima; quid, vt iuuenes amitteret filios? quid, vt nepotem ex Druſo ſuo? Dolenda adhuc retulimus: veniendum ad erubeſcenda eſt. Quantis hoc triennium, M. Vinici, doloribus lacerauit animum eius? quamdiu abſtruſo, quod miſerrimũ eſt, pectus eius flagrauit incendio? quòd ex nuru, quòd ex nepote, dolere, indignari coactus eſt. Cuius tẽporis ægritudinem auxit amiſſa mater eminentiſſima, & per omnia deis, quàm hominibus ſimilior femina: cuius potentiam nemo ſenſit, niſi aut leuatione periculi, aut acceſſione dignitatis. *Nec mirum Paterculum fuiſſe aſſentatum Tiberio Principi, cum etiam Seiano parum digne adulatus ſit. De quo lib. ij. Hiſt. ſic loquitur:* Sub his exemplis Tiberius Cæſar Seianum Ælium, principe equeſtris ordinis patre natum, materno vero genere clariſſimas, veteresq. & inſignes honoribus complexum familias, habentem conſulares fratres, conſobrinos, auunculum, ipſum vero laboris, ac fidei capaciſſimum, ſufficiente etiam vigori animi compage corporis, ſingularem principalium onerum adiutorem in omnia habuit, atque habet, virum ſeueritatis lætiſſimæ, hilaritatis priſcæ, actu otioſis ſimillimum, nihil ſibi vindicantem, eoq. aſſequentem omnia, ſemper infra aliorum æſtimationes ſe metientem, vultu, vitaq. tranquillum, animo exſomnem. In huius virtutum æſtimatione iampridem iudicia ciuitatis cum iudicijs principis certant. *Concludendum ergo eſt, quòd ea tempora, quibus viguit Tiberius, adulatione adeo infecta fuerint; vt ſupra dixit Auctor noſter, quòd nemo intactus remanſerit.*

IN ſequentibus tam Annalium, quam Hiſtoriarum libris, admonere volumus lectorem, nos aliquanto breuiores & preſſiores futuros, quàm in his præcedentibus non fuimus. Idq. duabus de cauſſis eueniet. Quarum prima eſt, quòd in Tiberij principatu multa ſcitu digna & obſeruanda affuerunt, quæ in reliquis Principatibus non acciderunt: & ſic meſſis illa vberior fuit, quàm hæc non erit. Altera ratio eſt, quia multoties, licet ſub alijs verbis, eadem ſententia ab Auctore noſtro referentur in ſequentibus libris. Quas ſententias, etſi nos pro virili parte noſtra excerpere, & adnotare ſtudebimus; tamen non adeo copioſe erunt & exemplis ratiocinationibus referta, vt ſuperius fuerunt: ne acta, vt eſt in adagio, agere videamur.

Commentariorum in Sextum Librum Annalium P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI PLACENTINI

IN P. CORNELII TACITI Annales Commentarij.

Ex Lib. XI. Annal. P. Cornelij Taciti.

NAM Valerium Aſiaticum bis conſulem, fuiſſe quondam adulterum eius credidit:

QVANTA hic hiſtoria iactura facta ſit, vide Lipſium in ſuis Commentarijs: noſtra enim non hac eſt cura. Poteſt tamen Lector reſarcire parte in aliqua damnum hoc, legendo Tranquillum in Caligula, & Dionem in hiſtorijs.

pariterq. hortis inhians, quos ille a Lucullo emptos inſigni magnificentia extollebat, Suilium accuſandis vtriſque immittit. Adiungitur Soſibius Britannici educator, qui per ſpeciem beneuolentiæ moneret Claudium,

PER ſpeciem beneuolentia ſæpe produntur homines. Vnde ſcite dictum: Nullam eſſe peſtem maiorem, quàm domeſticum inimicum.

auri vim atque opes principibus infenſas:

PRINCIPIBVS ſunt infenſa auri vis & opes: nam inſtrumenta ſunt, quibus homines vtuntur ſæpe ad conciliandum ſibi vulgi fauorem, vt illis imperium eripiant. Xenophon in Tyranno fuſius.

præcipuum auctorem Aſiaticum interficiendi Cęſaris, non extimuiſſe concionem populi Romani, gloriamq. facinoris vltro petere.

DE huius facti ſerie vide Dionem, Tranquillum, & Senecam in lib. ij. de Tramq. cap. 58.

clarum ex eo in vrbe,

CVM magnum aliquod ſpecimen fortitudinis, aut conſtantiæ a viro nobili in ciuitate editur; clarus inde ille euadit.

didita per prouincias fama, parare iter ad Germanicos exercitus; quando genitus Viennæ, multisq. & validis propinquitatibus ſubnixus, turbare gentiles nationes promptum haberet.

CAVEANT Principes ab optimatibus & proceribus ſibi ſubditis, qui ſunt ſubnixi multis, & validis propinquitatibus, nam turbare ciuitatem, & principatum promptum habebunt.

At Claudius nihil vltra ſcrutatus, citis cum militibus tamquam opprimendo bello, Criſpinum prætorij præfectum miſit:

NON ſtatim debet credere delatoribus Princeps, in perniciem magni alicuius viri: ſed diligenter omnia ſcrutari conuenit.

à quo repertus eſt apud Baias, vinclisq. inditis in vrbem raptus, neque data ſenatus copia, intra cubiculum auditur, Meſſalina coram.

VERE eſt fatieus & ridiculus Princeps ille, qui res ſerias, & vim imperij concernentes, agit & tractat coram mulieribus. Sed in Claudio quid eſt mirandum? in quo tantundem ſtultitia videbimus, quantum calliditatis in Tiberio ſupra perſpeximus. Etſi ex hac varietate, præter delectationem non leuem, ingentem etiam fructum capere poteſt lector.

Et Suilius, corruptionem militum, quos pecunia & ſtupro in omne flagitium obſtrictos arguebat, exin adulterium Poppææ, ac poſtremum mollitiam corporis obiectare. Ad quod victo ſilentio prorupit reus, & interroga, inquit, Suili filios tuos, virum me eſſe fatebuntur:

REVS, qui & ſit innocens & ſimul ingentis ſpiritus teneat; etiam in ipſo mortis diſcrimine terreri non poterit, quin fortiter & loquatur, & agat.

ingreſſusq. defenſionem, commoto maiorem in modum Claudio, Meſſalinæ quoque lacrymas exciuit.

MAGNA eſt vis innocentiæ, & virtutis. Cum etiam noſtris inimicis & admirationem, & miſerationem in periculo noſtro incutere valeat.

quibus abluendis cubiculo egrediens, monet Vitellium, ne elabi reum ſineret.

SIMILE eſt hoc Meſſalinæ factum illi Alexandri Pherei Thebanorum Tyranni. Qui e ſcena exyt, cum ſe ad miſerationem mire commoueri in Tragedia cuiuſdam recitatione præſenſiſſet.

Ipſa ad perniciem Poppææ feſtinat, ſubditis qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent: adeo ignaro Cæſare, vt paucos poſt dies epulantem apud ſe maritum eius Scipionem percontaretur, cur ſine vxore diſcubuiſſet? atque ille functam fato reſponderet.

CONTEMNENDVS certe eſt ille Princeps, & iure ſperni ur a ſuis ſubditis, & familiaribus: ſi abſque eius ſcientia & iuſsione, eius miniſtri ſcelera in perniciem bonorum patrare audent, & illis mortem irrogare.

Sed conſultanti ſuper abſolutione Aſiatici, flens Vitellius commemorata vetuſtate amicitiæ, vtq. Antoniam principis matrem pariter obſeruaſſent, dein percurſis Aſiatici in Remp. officis, recentiq. aduerſus Britanniam militia, quæque alia conciliandæ miſericordiæ videbantur: liberum ei mortis arbitrium permiſit. & ſecuta ſunt Claudij verba in eandem clementiam. Hortantibus dehinc quibuſdam inediam & lenem exitum, remittere beneficium Aſiaticus ait: vſurpatis quibus inſueuerat exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus, cum ſe honeſtius calliditate Tiberij, vel impetu C. Cæſaris periturum dixiſſet, quàm quod fraude muliebri & impudico Vitellij ore caderet, venas exſoluit. viſo tamen ante rogo, iuſſoq. transferri partem in aliam, ne opacitas arborum vapore ignis minueretur. tantum illi ſecuritatis nouiſſimæ fuit.

VIRI fortes, & conſtantes, etiam in nouiſsimo vitæ exitu, ſecuritatem animi conſeruant, & oſtendunt. Et vere miſerabilis eſt virorum illorum ſors, qui poſt maxima pericula domi, & foris exantlata, tandem muliebri fraude, & impudico alicuius æmuli ignobilis ore cadunt.

vocantur poſt hæc patres, pergitq. Suilius addere reos equites Romanos illuſtres, quibus Petra cognomentum. At cauſſa necis ex eo, quòd domum ſuam Mneſteris & Poppææ congreſſibus præbuiſſent. Verum nocturnæ quietis ſpecies alteri obiecta, tamquam vidiſſet Claudium ſpicea corona euinctum, ſpicis retro conuerſis: eaq. imagine grauitatem annonæ dixiſſet. Quidam pampineam coronam albentibus folijs viſam, atque ita interpretatum tradidere, vergente autumno mortem principis oſtendi. Illud haud ambigitur, qualicumque inſomnio, ipſi, fratriq. perniciem allatam.

ET hoc inter miſerias, quas ſub Tyranno patiuntur ſubditi, obſeruare licet: quòd ob inſomnia, vltima pernices illis afferri ſolet.

Seſtertium

Seſtertium quindecies, & inſignia præturæ Criſpino decreta. Adiecit Vitellius ſeſtertium decies Soſibio, quòd Britannicum præceptis, Claudium conſilijs iuuaret.

P*RAECEPTIS iuuantur adoleſcentes: conſilijs viri, & in matura ætate conſiſtentes. Et qui vtrumque præſtare poteſt, is magnus ſit vir, fatendum eſt.*

Rogatus ſententiam & Scipio, cum idem, inquit, de admiſſis Poppææ ſentiam, quod omnes, putate me idem dicere, quod omnes: eleganti temperamento inter coniugalem amorem, & ſenatoriam neceſſitatem. Continuus inde & ſæuus accuſandis reis Suilius, multiq. audaciæ eius æmuli. Nam cuncta legum & magiſtratuum munia in ſe trahens princeps, materiam prædandi patefecerat:

C*VM Princeps trahit in ſe cuncta legum, & magiſtratuum munia; materiam prædandi patefacit.*

nec quidquam publicæ mercis tam venale fuit, quàm aduocatorum perfidia, adeo vt Samius inſignis eques Romanus, quadrigentis nummorum millibus Suillio datis, & cognita præuaricatione, ferro in domo eius incubuerit. Igitur incipiente C. Silio conſule deſignato, cuius de potentia & exitio in tempore memorabo, conſurgunt patres, legemq. Cuiciam flagitant, qua cauetur antiquitus, ne quis ob cauſſam orandam, pecuniam, donumue accipiat. Deinde obſtrepentibus his, quibus ea contumelia parabatur, diſcors Suilio Silius acriter incubuit, veterum oratorum exempla referens, qui famam in poſteros, præmia eloquentiæ cogitauiſſent pulcherrima:

S*TVDIORVM omnium vere eſt pulcherrimum præmium, fama in poſteros.*

alioquin & bonarum artium principem ſordidis miniſterijs fœdari: nec fidem integram manere, vbi magnitudo quæſtuum ſpectetur.

F*IDES non manet integra, vbi magnitudo quæſtuum ſpectatur. Et hoc non eget exemplis.*

quòd ſi in nullius mercedem negotia tueantur, pauciora fore; nunc inimicitias, accuſationes, odia, & iniurias foueri, vt quo modo vis morborum pretia medentibus, ſic fori tabes pecuniam aduocatis ferat. meminiſſent C. Aſinij, & Meſſallæ, ac recentiorum Aruntij, & Eſernini, ad ſumma prouectos incorrupta vita & facundia.

I*NCORRVPTA vita, & facundia, multi ad ſumma proucehuntur Aulici.*

Talia dicente conſule deſignato, conſentientibus alijs, parabatur ſententia, qua lege repetundarum tenerentur: cum Suilius, & Coſſutianus, & ceteri, qui non iudiciũ, quippe in manifeſtos, ſed pœnam ſtatui videbant, circumſiſtunt Cæſarem ante acta deprecantes. Et poſtquam annuit tacens, incipiunt: Quem illum tanta ſuperbia eſſe, vt æternitatem famæ ſpe præſumat?

S*VPERBI eſt, præſumere æternitatem, famæ ſpe;*

vſui & rebus ſubſidium pręparari, ne quis inopia aduocatorum potentioribus obnoxius ſit. neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiares, vt quis ſe alienis negotijs intendat.

E*LOQVENTIA non contingit gratuito; cum ob eam acquirendam, omittantur curæ familiares.*

multos militia, quoſdam exercendo agros, tolerare vitam. Nihil a quoquam expeti, niſi cuius fructus ante prouiderit.

V*ARIA ſunt hominum ſtudia. Multi militia, quidam exercendo agros, tolerant vitam. Et nihil a quoquam expetitur, niſi cuius fructus ante prouiderit.*

Facile Aſinium, & Meſſallam, inter Antonium & Auguſtum bellorum præmijs refertos, aut ditium familiarum heredes Eſerninos, & Arruntios, magnum animum induiſſe:

D*IVITES, & fortunæ bonis opulenti, facile magnum animum induunt. Rarius in pauperibus hoc, & inde laudabilius.*

prom-

prompta ſibi exempla quantis mercedibus P. Clodius aut C. Curio concionari ſoliti ſint. ſe modicos ſenatores, qui a Rep. nulla niſi pacis emolumenta peterent: cogitare plebem, qua toga eniteſceret: ſublatis ſtudiorum pretijs, etiam ſtudia peritura. vt minus decora.

CERTE ſi tollantur pretia ſtudijs, etiam ſtudia peribunt, vt minus decora.

Hæc ita haud fruſtra dicta princeps ratus, capiendis pecunijs poſuit modum, vſque ad dena ſeſtertia, quæ egreſſi repetundarum tenerentur. Sub idem tempus Mithradates, quem imperitaſſe Armenijs & ad præſentiam Cæſaris vectum memoraui, monente Claudio in regnum remeauit, fiſus Pharaſmanis opibus. Is rex Hyberis, idemq. Mithradaris frater, nunciabat diſcordare Parthos: ſummaq. imperij ambigua, minora ſine cura haberi. Nam inter Gotarzis pleraque ſæua, qui necem fratri Artabano, coniugiq. ac filio eius præparauerat, vnde metus eius in ceteros,

PRINCEPS, qui a multis timetur, multos timeat, neceſſe eſt.

acciuere Bardanem. Ille vt erat magnis auſis promptus,

NON ſufficit eſſe magnis auſis promptus, niſi ſit etiam prudens Princeps.

biduo tria millia ſtadiorum inuadit, ignarumq. & exterritum Gotarzem proturbat; neque contatur, quin proximas præfecturas corripiat, ſolis Seleucenſibus dominationem eius abnuentibus. In quos vt patris ſui quoque defectores, ita magis, quàm ex vſu præſenti accenſus,

NVMQVAM ſic debet accendi ira Princeps, vt obliuiſcatur, quid ſit ex vſu præſenti, & quid illi conducat.

implicatur obſidione vrbis validæ, & munimentis obiecti amnis muroq. & commeatibus firmatæ. Interim Gotarzes Daharum Hyrcanorumq. opibus auctus, bellum renouat: coactusq. Bardanes omittere Seleuciam, Bactrianos apud campos caſtra contulit. Tunc diſtractis Orientis viribus, & quonam inclinarent incertis, caſus Mithradati datus eſt occupandi Armeniam, vi militis Romani ad excidenda caſtellorum ardua, ſimulq. Hybero exercitu campos perſultante: Nec enim reſtitere Armenij, fuſo qui prælium auſus erat Demonacte præfecto. Paululum contarionis attulit rex minoris Armeniæ Cotijs, verſis illuc quibuſdam procerum, deinde litteris Cæſaris coercitus. & cuncta in Mithradatem fluxere, atrociorem quàm nouo regno conduceret.

NVMQVAM atrocitas noue Principi conducit. De qua materia, poſtquam abunde varijs in locis ſupra diſſeruimus: hic conſulto nihil adijciemus.

At Parthi imperatores cum pugnam pararent, fœdus repente faciunt, cognitis populatium inſidijs, quas Gotarzes fratri patefecerat, congreſſiq. primo contanter, deinde complexi dextras, apud altaria deûm pepigere, fraudem inimicorum vlciſci, atque ipſi inter ſe concedere. Potior Bardanes viſus retinendo regno. At Gotarzes, ne quid æmulationis exſiſteret, penitus in Hyrcaniam abijt: regreſſoq. Bardani deditur Seleucia ſeptimo poſt defectionem anno, non ſine dedecore Parthorum, quos vna ciuitas tamdiu eluſerat. Exin validiſſimas præfecturas inuaſit, & reciperare Armeniam, ni Vibio Marſo Syræ legaro bellum minitante cohibitus foret. Atque interim Gotarzes pœnitentia conceſſi regni, & reuocante nobilitate, cui in pace durius ſeruitium eſt, contrahit copias.

SVB Rege, nobilitas ſemper in pace durius ſeruitium tolerat. Nam in bello, honoribus fruendo, multis quodam modo & ipſa imperat. Sed in pace, cum Rex iuſtitiam fouet, omnes æquo iure vtuntur, & nobiles, & ignobiles.

& huic contra itum ad amnem Erindem: in cuius tranſgreſſu multum certato, peruicit Bardanes, proſperisq. prælijs medias nationes ſubegit ad flumen Ginden, quod Dahas Ariosq. diſterminat. Ibi modus rebus ſecundis poſitus.

PONAT ſemper modum rebus ſecundis quiſquis illis fruitur. Nec vmquam illis ſe adeo in prædam det, vt nimis de ſe fidat, vel inſoleſcat.

nam

nam Parthi quamquam victores, longinquam militiam aſpernabantur. Igitur extructis monimentis, quibus opes ſuas teſtabatur, nec cuiquam ante Arſacidarum tributa illis degentibus parta, regreditur: ingens gloria, atque eo ferocior, & ſubiectis intolerantior.

SAEPE Principes, qui ob multa bella egregie confecta, ingentes gloria euaſerunt, inde fiunt ferociores, atque ſubiectis intolerantiores.

Qui dolo ante compoſito, incautum venationiq. intentum interfecere, primam intra iuuentam, ſed claritudine paucos inter ſenum regum,

MVLTI primam inter iuuentam, claritudine ſunt inter paucos ſenum prudentum annumerandi. Quod conſiderans Reſpub. vetus Romanorum, ætatem non reſpiciebat, ſi quando in ea iuuenes aliqui virtute, & prudentia inſignes emergerent, quominus illis exercitus, & bella demandaret. Exemplo ſunt, Pompeius, Marcellus, Scipio & alij: vt etiam ſupra annotauimus. Vide Liuium, Plutarchum, & ceteros.

ſi perinde amorem inter populares, quàm metum apud hoſtes quęſiuiſſet.

PRVDENS Princeps ſemper huc animum intendat; vt inter populares ſuos amorem, metum apud hoſtes acquirat.

Nece Bardanis turbatæ Parthorum res, inter ambiguos quis in regnum acciperetur. Multi ad Gotarzen inclinabant: quidam ad Meherdatem prolem Phrahatis obſidio nobis datum. Deinde præualuit Gotarzes. potitusq. regia, per ſæuitiem ac luxum adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quîs permitti Meherdatem patrium ad faſtigium orabant.

FALSO creditur eſſe vim principatus in licentia & luxu: nam hæ potius officiunt, & rebelliones populorum mouent. Sed in prudentia, conſilio, & fortitudine conſiſtit.

Iiſdem conſulibus ludi ſæculares octingenteſimo poſt Romam conditam, quarto & ſexageſimo quàm Auguſtus ediderat, ſpectati ſunt. Vtriuſque principis rationes prętermitto, ſatis narratas libris, quibus res imperatoris Domitiani compoſui. nam is quoque edidit ludos ſęculares. iiſq. intentius afflui ſacerdotio Quindecimuirali præditus, ac tum prætor. quod non iactantia refero, ſed qui, collegio quindecimuirum antiquitus ea cura, & magiſtratus potiſſimum exequebatur officia cærimoniarum. Sedente Claudio Circenſibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Troiæ inirent, interq. eos Britannicus imperatore genitus, & L. Domitius adoptione mox in imperium & cognomentum Neronis adſcitus; fauor plebis acrior in Domitium, loco præſagij acceptus eſt,

ACER plebis fauor in ciuem aliquem iuuenem, præſagij loco accipitur. Vnde adagium ortum: Vox populi, vox Dei.

vulgabaturq. affuiſſe infantiæ eius dracones in modum cuſtodum, fabuloſa & externis miraculis aſſimulata. nam ipſe haud quaquam ſui detractor, vnam omnino anguem in cubiculo viſam narrare ſolitus eſt.

DETRACTOR ſui ipſius non debet eſſe Princeps. Immo etiam fortuita ad gloriam vertere eũ prodeſt, vt ſupra de Tiberio tradidit Auctor.

Verum inclinatio populi ſuper erat ex memoria Germanici, cuius illa reliqua ſuboles virilis: & matri Agrippinæ miſeratio augebatur, ob ſæuitiam Meſſalinæ.

SAEPE miſeratio augetur erga afflictos, ob ſæuitiam inimicorum.

quæ ſemper infeſta, & tunc commotior, quo minus ſtrueret crimina & accuſatores, nouo & furori proximo amore diſtinebatur.

AD furorem accedit, & eius naturam acquirit amoris affectus: cum nimis altè in hominum pectoribus egit radices. Inde illa Maronis.

Improbe

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
& alio in loco.
Sæuus amor docuit natorum ſanguine matrem
Commaculare manus.

Nam in C. Silium iuuentutis Romanæ pulcherrimum ita exarſerat, vt Iuniam Sillanam nobilem feminam, matrimonio eius exturbaret, vacuoq adulterio potiretur. Neque Silius flagitij, aut periculi neſcius erat ſed certe ſi abnueret exitio & nonnulla fallendi ſpe, ſimul magnis præmijs, opperiri futura, & præſentibus frui pro ſolatio habebat.

DECIPIVNTVR adeo homines in rebus iudicandis, vt plerumque etſi certum exitium ſuum videant; pro ſolatio habeant magnis præmijs opperiri futura, & præſentibus frui.

Illa non furtim, ſed multo comitatu ventitare domum, egreſſibus adhærēſcere, largiri opes, honores: poſtremo velut tranſlata iam fortuna, ſerui, liberti, paratus principis apud adulterum viſebantur.

HINC vera redditur ſententia, quam paulo inferius tradit Auctor: Quod apud prodigos infamia nouiſſima adeſt eius libido.

At Claudius matrimonij ſui ignarus, & munia cenſoria vſurpans, theatralem populi laſciuiam ſeueris dictis increpuit, quòd in P. Pomponium conſularem, is carmina ſcenæ dabat, inq. feminas inluſtres probra iecerat. Et lege lata, ſæuitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filijsfamiliarum fenori darent.

COERCERI debet acriter ſæuitia creditorum, qui in mortem parentum pecunias filijsfamiliae fenori dare ſolent. Multorum enim & grauium malorum poſſunt eſſe cauſſa.

Fonteſq. aquarum Simbruinis collibus deductos, vrbi intulit.

HINC iure maximam meretur laudem SIXTVS V. P. M. qui vetera illa maximorum Monarcarum exempla renouando, ingentibus ſumptibus, aquarum plurium varias ſcaturigines in vnum collectas, colli Quirinali, immo toti vrbi intulit; e longinquo eas deducendo.

Ac nouas litterarum formas addidit, vulgauitq. comperto Græcam quoque litteraturam non ſimul cœptam, abſolutamque.

NON ſtatim & vno tempore incipiuntur res, & perficiuntur. Sed prius illi initium dari debet, poſtea mature abſoluuntur.

Primi per figuras animalium Ægyptij ſenſus mentis effingebant; & antiquiſſima monimenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur; & litterarum ſemet inuentores perhibent. Inde Phœnicas, quia mari præpollebant, intuliſſe Græciæ, gloriamq. adeptos, tamquam repererint, quæ acceperant.

NON tam magnam gloriam merentur, qui aliquid præclarum ab aliquo accipiunt, quàm illi, qui inueniunt. Vera enim eſt gloria & præcipua in rei inuentione. Cui aliquid addere, haud multum eſt difficile.

Quippe fama eſt Cadmum claſſe Phœnicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis artis eius auctorem fuiſſe. Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum, & temporibus Troianis Palamedem Argiuum memorant, ſexdecim litterarum formas, mox alios, ac præcipuum Simonidem ceteras reperiſſe. At in Italia Hetruſci ab Corinthio Damarato, Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt. Et formæ litteris Latinis, quæ veterrimis Græcorum. Sed nobis quoque paucæ primùm fuere: deinde additæ ſunt. Quo exemplo Claudius tres litteras adiecit, quæ vſui, imperitante eo, poſt oblitteratæ,

MVLTA quæ à Principe ſtatuuntur, aut adinueniuntur, eo imperitante, vſui ſunt: poſtea vero, ſub alio ſucceſſore oblitterantur.

aſpiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiſcitis per fora ac templa fixo. Retulit deinde ad Senatum ſuper collegio haruſpicum, ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret.

OBSOLESCVNT per deſidiam diſciplinæ omnes, & ſtudia.

ſæpe

ſæpe aduerſis Reip. temporibus accitis, quorum monitu redintegratas cærimonias, & in poſterum rectius habitas. ptimoresq. Hetruriæ ſponte aut patrum Romanorum impulſu retinuiſſe ſcientiam, & in familias propagaſſe: quod nunc ſegnius fieri, publica circa bonas artes ſecordia,

PROVIDEAT Princeps, ne publica oriatur circa bonas artes ſecordia. Id quod aſſequetur, ſi eruditos fouebit, ſubleuabit, & honoribus, ac fortunis augebit. Cernere hoc mirifice in SIXTO V. P. M. omnes poſſumus.

& quia externæ ſuperſtitiones valeſcant. & læta quidem in præſens omnia; ſed benignitati deum gratiam referendam, ne ritus ſacrorum inter ambigua culti, per proſpera obliterarentur.

CVM nobis læta omnia cadunt, Dei benignitati gratia eſt referenda: nec ritus ſacrorum inter ambigua culti, per proſpera obliterari debent.

Factum ex eo ſenatuſconſultum: viderent pontifices, quæ retinenda firmandaq. haruſpicum. Eodem anno Cheruſcorum gens regem Roma petiuit, amiſſis per interna bella nobilibus, & vno reliquo ſtirpis regiæ, qui apud vrbem habebatur, nomine Italus. Paternum huic genus e Flauio fratre Arminij. Mater ex Catumero principe Cattorum erat. ipſe forma decorus, & armis equiſq. in patrium noſtrumq. morem exercitus. Igitur Cæſar, auctum pecunia, additis ſtipatoribus hortatur gentile decus magno animo capeſſere.

MAGNO animo a Principe ſunt capeſſenda ea, quæ decus & gloriam illi conferre poſſunt.

Illum primum Romæ ortum, nec obſidem, ſed ciuem, ire externum ad imperium. Ac primo lætus Germanis aduentus, atque eo magis, quòd nullis diſcordijs imbutus pari in omnes ſtudio ageret,

SIC ſe debet gerere Princeps: Nullis diſcordijs ſe imbuere, ſed pari in omnes ſubditos iure agere.

celebrari, coli, modo comitatem & temperantiam nulli inuiſam,

NVLLI vnquam ſunt inuiſa comitas, & temperantia Principis.

ſæpius vinolentiam ac libidines, grata barbaris vſurpans.

VINOLENTIA, & libido, Barbaris ſunt grata: adeo vt ſi quis exterus cum illis negotia tractare velit, nunquam illa recte terminabit, niſi hæc vſurpabit, dum apud illos manebit.

Iamq. ad proximos, iam longius clareſcere: cum potentiam eius ſuſpectantes qui factionibus floruerant,

POTENTIAM noui Principis ſemper ſuſpectant, qui ante illius dominationem factionibus floruerunt. Vnde ſemper fere ſequitur, vt aut ab illis Principi imperium cum vita eripiatur; aut Princeps illos de medio tollat, tutum ſe reddendo.

diſcedunt ad conterminos populos, ac teſtificantur, adimi veterem Germaniæ libertatem, & Romanas opes inſurgere, adeo neminem iiſdem in terris ortum, qui principis locum impleat: niſi exploratoris Flauij progenies ſupra cunctos attollatur? Fruſtra Arminium præſcribi; cuius ſi filius hoſtili in ſolo adultus, in regnum veniſſet, poſſe extimeſci, infectum alimonia, ſeruitio, cultu, omnibus externis. at ſi paterna Italo mens eſſet, non alium infenſius arma contra patriam ac deos penates, quàm parentes eius exercuiſſe. His atque talibus, magnas copias coegere. Nec pauciores Italum ſequebantur. non enim irrupiſſe ad inuitos, ſed accitum memorabant. quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur, an dignum ſe patruo Arminio, auo Catumero præberet.

QVI nobilitate ceteros anteit, conuenit etiam hunc ceteros virtute ſuperare: & dignum ſe maioribus ſuis præſtare.

hec

nec patrem illi rubori eſſe, quòd fidem aduerſus Romanos volentibus Germanis ſumptã, numquam omiſiſſet. falſo libertatis vocabulum obtendi ab ijs, qui priuatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei, niſi per diſcordias habeant.

V*ERISSIMVM eſt, quòd a multis falſo libertatis vocabulum obtenditur, qui priuatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei, niſi per diſcordias habent.*

Aſtrepebat huic alacre vulgus, & magno inter Barbaros prælio victor rex; dehinc ſecunda fortuna ad ſuperbiam prolapſus,

A*D ſuperbiam ſæpe prolabimur ſecunda fortuna Nam vt ipſe infra lib. j. Hiſt. inquit: Acrioribus ſtimulis ſecundæ res nos exagitant, aduerſa facilius tolerantur.*

pulſusq. ac rurſus Langobardorum opibus refectus, per læta per aduerſa res Cheruſcas afflictabat.

Quidquid delirant Reges, plectuntur achiui:

R*ECTE cecinit Flaccus: nam Regum & Principum res lætæ & aduerſa, ſemper populos, & ſubditos adflictant.*

Per idem tempus Chauci nulla diſſenſione domi, & morte Sanquinij alacres, dũ Corbulo aduentat, inferiorem Germaniam incuſauere, duce Gannaſco. qui natione Canineſas auxiliaris & diu meritus, poſt transfuga, leuibus nauigijs prædabundus, Gallorum maxime oram vaſtabat, non ignarus dites & imbelles eſſe.

O*PPORTVNAE ſemper ſunt inſidijs, & prædæ militum expoſita dites gentes, & imbelles. Prior enim condicio auaritiam incitat; ſecunda ſecuritatem oſtendit.*

At Corbulo prouinciam ingreſſus, magna cum cura & mox gloria, cui principium illa militia fuit, triremes alueo Rheni, ceteras nauium, vt quæque habiles, per æſtuaria & foſſas adegit: lintribusq. hoſtium depreſſis & exturbato Gannaſco, vbi præſentia ſatis compoſita ſunt, legiones operum & laboris ignauas, populationibus lętantes, veterem ad morem reduxit: ne quis agmine decederet, nec pugnam niſi iuſſus iniret. ſtationes, vigiliæ, diurna nocturnaq. munia, in armis agitabatur. Feruntq. militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos. quę nimia & incertum, an falſo iacta, originem tamen e ſeueritate ducis traxere. intentumq. & magis delictis inexorabilem ſcias, cui tantum aſperitatis etiam aduerſus leuia credebatur.

V*ERISSIMVM eſt, quòd Princeps ille intentus & inexorabilis delictis magnis erit; cui multum aſperitatis etiam aduerſus leuia creditur. Et hinc a Corbulone diſcant omnes duces exercituum, quod fundamentum artis militaris eſt obedientia: quæ numquam ſine bona diſciplina paratur, cui ſit admixta ſeueritas.*

Ceterum is terror milites hoſtesq. in diuerſum affecit. nos virtutem auximus, Barbari ferociam infregere.

T*ERROR, qui ex ſeueritate ducis in exercitum infunditur, illum, & hoſtes in diuerſum afficit. Nam hi ferociam infringunt, ille virtutem auget: quæ a diſciplina rigore retinetur.*

Et natio Friſiorum poſt rebellionem clade L. Apronij ceptam infenſa, aut male fida, datis obſidibus conſedit apud agros a Corbulone deſcriptos, Idem ſenatum, magiſtratus, leges impoſuit. Ac ne iuſſa exuerent, præſidium immuniuit:

D*VX, qui timet ne capta nuper ciuitas, vel prouincia iuſſa exuat, debet illam præſidio immunire.*

miſſis qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent, ſimul Gannaſcum dolo aggrederentur.

V*IOLATORI fidei licet non ſeruare fidem.*

Nec

Nec inritæ aut degeneres inſidiæ fuere aduerſus transfugam & violatorem fidei.

RARO ſunt irrita, aut degeneres inſidiæ aduerſus transfugam & violatorem fidei.

Sed cæde eius motæ Chaucorum mentes, & Corbulo ſemina rebellionis præbebat, vt læta apud pleroſque; ita apud quoſdam ſiniſtra fama. cur hoſtem conciret? aduerſa in Rempublicam caſura:

SEMPER ducum aduerſa fortuna, in Rempublicam cadit. Et ideo dicebat Andreas Grittus; gentilis Ioannis huius Gritti, qui nunc pro VENETORVM REPVBLICA Sereniſſima Orator apud SIXTVM V. reſidet, & ſumma grauitate officio ſuo fungitur: Liuianum quidem ſtrenuum ducem fuiſſe, ſed parum Reipublicæ Venetorum expedientem: eo quod fere ſemper ab hoſtibus vinceretur.

cum proſpere egiſſet, * formidoloſum paci, virum inſignem, & ignauo principi prægrauem.

INSIGNES, & clari ob res geſtas viri, ſunt formidoloſi paci, & ignauo Principi prægraues. Et locus hic integer non eſt. Adi Lipſium in Commentarijs.

Ideo Claudius adeo nouam in Germanias vim prohibuit, vt referri præſidia cis Rhenum iuberet. Iam caſtra in hoſtili ſolo molienti Corbuloni hę litteræ redduntur. Ille re ſubita, quamquam multa ſimul offunderentur, metus ex imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud ſocios,

IVRE merito cauſſam conſternationis habet quilibet, etiam vir fortis & prudens, cui re ſubita offunditur metus ex Principe, contemptio ex hoſte, & ludibrium apud ſocios. Et tali in caſu magna eſt conſtantia ſeipſum non demittere animo, & dignitatem retinere.

nihil aliud prolocutus, quàm beatos quoſdam duces Romanos, ſignum receptui dedit. Ne tamen miles otium exerceret inter Moſam Rhenumq. trium & viginti millium ſpatio foſſam produxit, qua incerta Oceani vetarentur.

PRAECIPVA diſciplinæ militaris pars eſt, in labore & exercitio ſemper militem detinere, ne otium ingrediatur, a quo omnia mala.

inſignia tamen triumphi indulſit Cęſar, quamuis bellum negauiſſet. Nec multo poſt Curtius Rufus eundem honorem adipiſcitur, qui in agro Mattiaco recluſerat ſpecus, quærendis venis argenti: vnde tenuis fructus, nec in longum fuit:

IRRITVS & ridiculus eſt labor ille, vnde tenuis venit fructus, nec in longum.

at legionibus cum damno labor, effodere riuos, quæque in aperto grauia, humum infra moliri, quîs ſubactus miles, & quia plures per prouincias ſimilia tolerabantur, componit occultas litteras nomine exercituum precantium imperatorem, vt quibus permiſſurus eſſet exercitus, triumphalia ante tribueret. De origine Curtij Rufi, quem gladiatore genitum quidā prodidere, neque falſa prompſerim, & vera exſequi pudet: Poſtquam adoleuit, ſectator quæſtoris, cui Africa obtigerat, dum in opido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus ſecretus agitat, oblata ei ſpecies muliebris vltra modum humanum, & audita eſt vox: Tu es Rufe, qui in hanc prouinciam pro conſule venies. tali omine in ſpem ſublatus, digreſſusq. in vrbem, & largitione amicorum, ſimul acri ingenio, quæſturam, & mox nobiles inter candidatos præturam principis ſuffragio aſſequitur: cum hiſce verbis Tiberius dedecus natalium eius velauiſſet: Curtius Rufus videtur mihi ex ſe natus.

NOVI homines, qui ſua induſtria ad dignitates, & honores ingentes perueniunt, quales multi Romæ omni tempore conſpecti ſunt, & conſpiciuntur, merentur, vt de illis dicatur, quòd hic Tiberius velando natales Curtij Rufi dixit, ſcilicet, quòd ex ſeipſis videntur nati.

Longa poſt hæc ſenecta, & aduerſus ſuperiores triſti adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, conſulare imperium, triumphi inſignia, ac poſtremo Africam obtinuit: atque ibi defunctus, fatale præſagium impleuit.

NOVORVM hominum, qui potentes repente in Aulis euadunt, hac ferme ſemper eſt natura: vt aduerſus ſuperiores triſti adulatione, arrogantes minoribus, & inter pares difficiles ſe gerant. Ariſt. idem in 2. Rhetor.

Z Interea

Intereą Romæ, nullis palam neque cognitis mox cauſſis, Gn. Nouius inſignis eques Romanus, ferro accinctus reperitur in cœtu ſalutantium principem: poſtquam tormentis dilaniabatur, de ſe Nouius conſcios non edidit, incertum an occultans. Iiſdem conſulibus P. Dolabella cenſuit ſpectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandũ, pecunia eorum, qui quæſturam adipiſcerentur. Apud maiores virtutis id præmium fuerat, cũctisq. ciuium, ſi bonis artibus fiderent, licitum petere magiſtratus; ac ne ætas quidem diſtinguebatur, quin prima iuuenta conſulatum ac dictaturas inirent.

ILLA eſt bene inſtituta Reſpublica, vbi honores ſunt præmia virtutum: cunctisq. ciuium, ſi bonis artibus fidunt, licet petere magiſtratus; ac ne ætas quidem diſtinguitur, quin prima iuuenta ineat quoſcumque inſignes honores.

Sed quæſtores, regibus etiam tum imperantibus, inſtituti ſunt; quod lex curiata oſtendit, ab L. Bruto repetita. Manſitq. conſulibus poteſtas diligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. creatiq. primum Valerius Potus, Æmilius Mamercus, LXIII. anno poſt Tarquinios exactos, vt rem militarem comitarentur. Dein, gliſcentibus negotijs, duo additi, qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus, ſtipendiaria iam Italia, & accidentibus prouinciarum vectigalibus. Poſt lege Sullæ viginti creati ſupplendo ſenatui, cui iudicia tradiderat. & quamquam equites iudicia reciperauiſſent; quæſtura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec ſententia Dolabellæ velut venundaretur. A. Vitellio, L. Vipſanio conſulibus, cum dũ ſupplendo ſenatu agitaretur, primoresq. Galliæ, quæ comata appellatur, fœdera & ciuitatem Romanam pridem aſſecuti, ius adipiſcendorum in vrbe honorum expeterent: multus ea ſuper re variusq. rumor, & ſtudijs diuerſis apud principem certabatur, aſſeuerantium;

APVD Principem certari ſolet varijs & diuerſis ſtudijs, cum de re magna aliqua agitur. Hinc oportet vt ipſe totus a ſe pendeat, & verum a falſo diſcernere ſciat.

Non adeo ægram Italiã, vt ſenatum ſuppeditare vrbi ſuæ nequiret: ſuffeciſſe olim indigenas conſanguineis populis, nec pœnitere veteris Reip. Quin adhuc memorari exempla, quę priſcis moribus ad virtutẽ & gloriam Romana indoles prodiderit. An parum quòd Veneti & Inſubres curiam irruperint, niſi cœtus alienigenarum velut captiuitas inferatur? quem vltra honorem reſiduis nobilium? aut ſi quis pauper e Latio ſenator foret? oppleturos omnia diuites illos, quorum aui, proauiq. hoſtilium nationũ duces exercitus, noſtros ferro viq. ceciderint; diuum Iulium apud Aleſiam obſederint. Recentia hæc, quid ſi memoria eorum moriretur, qui Capitolio & ara Romana manibus eorundem * proſtratis. fruerentur ſane vocabulo ciuitatis: inſignia patrum, decora magſtratuum ne vulgarent.

VVLGANDA numquam ſunt, inſignia Senatorum, & decora magiſtratuum. Nam vileſcent breui temporis ſpatio apud homines. Et hic nonnulla in textu deſiderantur.

His atque talibus haud permotus princeps, etiam ſtatim contra diſſeruit.

VT ſupra obſeruauimus, Princeps non debet permoueri diuerſis gentium ſtudijs & rumoribus, adeo vt aliquid agat, quod indecorum ipſi ſit, & Reipublica parum vtile. Sed debet eſſe validus his ſpernendis, & firmiter ſententia ſua obuiam illis ire.

& vocato ſenatu ita exorſus eſt: Maiores mei, quorum antiquiſſimus Clauſus origine Sabina, ſimul in ciuitatem Romanam & in familias patriciorum adſcitus eſt, hortantur, vti paribus conſilijs Remp. capeſſam, transferendo huc quod vſquam egregium fuerit.

QVI legiſlator vel Princeps cupit felicem reddere principatum, vel Rempublicam ſuam, quam inſtituit, illuc transferat quod vſquam egregium fuerit. Exemplo eſt VENETORVM feliciſſima Reſpublica, quæ ob hanc cauſſam potiſſimum viget, iam mille ſunt, & plures anni elapſi:

quod

quod ex omnibus, qui vnquam fuerunt, principatibus & rebus publicis optimum quodq. excerpendo, in ſuam vtilitatem & vſum id tranſtulit.

Neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tuſculo: & ne vetera ſcrutemur, Hetruria Lucaniaq. & omni Italia, in ſenatum accitos. Poſtremo ipſam ad Alpes promotam, vt non modo ſinguli viritim, ſed terræ gentesq. in nomen noſtrum coaleſcerent.

VRBS recens condita, ad hoc vt ampliari multum poſſit, neceſſe habet, vt non modo ſinguli viritim, ſed etiam terra, gentesq. alia in nomen ſuum coaleſcant.

Tunc ſolida domi quies, & aduerſus externa floruimus,

SIC poteſt dici felix ſtatus alicuius Reipublica vel Principatus, cum domi eſt ſolida quies, & aduerſus externa floret.

cum Tranſpadani in ciuitatem recepti; cum ſpecie deductarum per orbem terræ legionum, additis prouincialium validiſſimis, feſſo imperio ſubuentum eſt. num pœnitet Balbos ex Hiſpania, nec minus inſignes viros e Gallia Narbonenſi traſiuiſſe? Manent poſteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt.

IN poſteris ſemper manere ſolet memoria beneficiorum, qua ab alijs maiores ſui receperunt,

Quid aliud exitio Lacedæmonijs & Athenienſibus fuit, quamquam armis pollerent, niſi quòd victos pro alienigenis arcebant?

VICTI non ſunt pro alienigenis arcendi: praſertim cum victores ſocijs indigent, qui ſimul belligerent: vt in nouis vrbibus euenire ſolet.

At conditor noſter Romulus tantum ſapientia valuit, vt pleroſque populos eodem die hoſtes, dein ciues habuerit. Aduenæ in nos regnauerunt. Libertinorum filijs magiſtratus mandari, non, vt plerique falluntur, recens, ſed priori populo factitatum eſt. At cum Senonibus pugnauimus. ſcilicet Volſci & Equi, numquam aduerſam nobis aciem ſtruxere? Capti a Gallis ſumus. Sed & Tuſcis obſides dedimus, & Samnitium iugum ſubiuimus. Attamen ſi cuncta bella recenſeas, nullum breuiore ſpatio quàm aduerſus Gallos confectum. continua inde ac fida pax.

ILLI merentur in ſocietatem aſciri, qui poſt inimicitias tranſactas, continuam & fidam diu nobiſcum ſeruauerunt pacem. Pax enim male fida prior bello eſt: vt ſæpius ſupra obſeruauimus.

Iam moribus, artibus, affinitatibus noſtris mixti, aurum & opes ſuas inferant potius, quàm ſeparati habeant.

CONDVCIT noua Reipublica, quòd populi illi, qui ſecum moribus, artibus, & affinitate ſunt mixti, aurum & opes ſuas inferant in illam potius, quàm ſeparati habeant.

Omnia P.C. quæ nunc vetuſtiſſima creduntur, noua fuere.

NOVA fuere omnia, qua nunc vetuſtiſſima creduntur. Principium enim aliquod habuerint neceſſe eſt.

plebei magiſtratus poſt patricios, Latini poſt plebeios, ceterarum Italiæ gentium poſt Latinos. Inueteraſcet hoc quoque, & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.

OMNIA inueteraſcunt: & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit tractu temporis. Cum a diuturnitate omnia robur in terris accipiant, & ob eam coaleſcant.

Orationem principis ſecuto patrũ conſulto, primi Edui ſenatorum in vrbe ius adepti ſunt. datum id fœderi antiquo, & quia ſoli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano vſurpant. Iiſdem diebus in numerum patriciorum aſciuit Cæſar vetuſtiſſimum quemque e ſenatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellauerant, exhauſtis etiam quas dictator Cæſar lege Caſſia, & princeps Auguſtus lege Senia ſublegere. Lætaq. hæc in R. P. munia, multo gaudio Cenſoris inibantur. Famoſos probris quonam modo ſe-

Z 2 natu

natu depelleret anxius, mitem & recens repertam quandam ex ſeueritate priſca rationem adhibuit, monendo, ſecum quiſque de ſe conſu ltaret, peteretq. ius exuendi ordinis. facilem eius rei veniam. & motos ſenatu, & excuſatos ſimul propoſiturum: vt iudicium cenſorum ac pudor ſponte cedentium permixti, ignominiam mollirent.

CVRET ſemper Princeps, & ſtudeat mollire ignominiam, quam nonnumquam coactus alicui nobili ſubdito inurere cogitur. Adeo vt appareat inuitum ſe illud agere.

Ob ea Vipſanius conſul retulit, patrem ſenatus appellandum eſſe Claudium. quippe promiſcuum patris patriæ cognomentum; noua in Remp. merita, non vſitatis vocabulis honoranda.

NOVA in Rempublicam, vel Principem merita, non vſitatis vocabulis ſunt honoranda.

Sed ipſe cohibuit conſulem vt nimium aſſentantem.

SICVT ſupra in Tiberio obſeruauimus ſemper debet cohibere Princeps, præſertim nouus, illos, qui nimium illi aſſentantur. Dici enim non poteſt, quantum afferat Principi exiſtimationem, inadulabilem ſe oſtendere.

condiditq. luſtrum, quo cenſa ſunt ciuium LXIX. centena, & CXLIV. millia. Iſq. illi finis inſcitiæ erga domum ſuam fuit. haud multo poſt, flagitia vxoris noſcere ac punire adactus, vt deinde ardeſceret in nuptias inceſtas.

EX inſcitia erga domum propriam multa damna domino proueniunt. Nam mala, quæ initio facile remedium haberent, ſi ſcirentur; poſtea adeo creſcunt; vt ſimulac noſcuntur, acriter puniri debeant & ſæpe locum hoc faciendi non dent. Quod in febri, quam phtiſim appellant, euenire tradunt medici.

Iam Meſſalina facilitate adulterorum in faſtidium verſa;

SAEPE libidinum facilitas, in faſtidium earum vertitur. Sic Liuius: Ex copia fit faſtidium.

ad incognitas libidines profluebat; cum abrumpi diſſimulationem etiam Silius, ſiue fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipſa pericula ratus, vrgebat:

NONNVMQVAM pericula ipſa ſunt remedium periculorum imminentium. Huc pertinet elegantiſſimum illud Maronis.

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem. 2. *Aeneid.*

quippe non eo ventum, vt ſenecta principis opperiretur, inſontibus innoxia conſilia, flagitijs manifeſtis, ſubſidium ab audacia petendum.

INNOXIA conſilia ſunt ſemper inſontibus: virtus enim ſemper ſecuritatem gignit. Sed flagitijs manifeſtis ſubſidium ab audacia eſt petendum. Omnia enim ſunt ſceleribus intuta.

adeſſe conſcios paria metuentes: ſe cælibem, orbum, nuptijs, & adoptando Britannico, paratum. manſuram eandem Meſſalinæ potentiam, addita ſecuritate, ſi præuenirent Claudium, vt inſidijs incautum, ita iræ properum.

FACILE opprimuntur homines, qui vt inſidijs incauti, ſic ſunt ira properi.

Segniter hæ voces acceptæ, non amore in maritum, ſed ne Silius ſumma adeptus, ſperneret adulteram, ſcelusq. inter ancipitia probatum, veris mox pretijs æſtimaret,

QVI inter ancipitia ſcelus aliquod probant, ſumma adepti, poſtea veris pretijs illud æſtimant,

nomen tamen matrimonij concupiuit, ob magnitudinem infamiæ: cuius apud prodigos nouiſſima voluptas eſt.

APVD prodigos infamia, nouiſſima voluptas eſt magnitudinis eius. Hoc eſt, proiectis, & perditis hominibus, ipſa infamia voluptas eſt. Sic Seneca in Epiſtola 123. inquit: Nolunt ſolita peccare, quibus peccandi præmium infamia eſt.

Nec

Nec vltra expectato, quàm dum ſacrificij gratia Claudius Hoſtiã proficiſceretur, cuncta nuptiarum ſollemnia celebrad. Haut ſum ignarus fabuloſum viſum iri, tantum vllis mortalium ſecuritatis fuiſſe in ciuitate, omnium gnara,& nihil reticente:

SEMPER Roma fuit ciuitas, omnium gnara, & nihil reticens.

nedum conſulem deſignatum, cum vxore principis prædicta die, adhibitis qui obſignarent velut ſuſcipiendorum liberorum cauſſa, conueniſſe: atque illam audiſſe auſpicum verba, ſubiſſe, ſacrificaſſe apud deos, diſcubitum inter conuiuas, oſcula, complexus, noctem denique actam licentia coniugali. Sed nihil compoſitum miraculi cauſſa, verum audita ſcriptaq. ſenioribus tradam.

HISTORIARVM ſcriptor nihil debet componere miraculi cauſſa,ſed tantum tradere audita, ſcriptaq. ſenioribus.

Igitur domus principis inhorruerat;

INHORRESCVNT domus Principum ob flagitia, ſi quando in illis committuntur. Sic infra Auctor: Statim concuſſa flagitio domus: &c. de Regina Britannia loquens.

maximeq. quos penes potentia, & ſi res verterent, formido, non iam ſecretis colloquijs. ſed aperte fremere. dum induſtria cubiculum principis occulit adulteros, dedecus quidem inlatum, ſed excidium procul abfuiſſe.

CVRARE ſemper omni ſtudio debent illi, quos penes eſt potentia ſub Principe regnante, ne res vertantur. Nam ipſi ſemper erunt primi, qui iniurijs, & contumelijs ſequentis Principatus erunt expoſiti. Et locus hic eſt corruptus in textu Auctoris.

nunc iuuenem nobilem, dignitate formæ, iuuenta, ac propinquo conſulatu, maiorem ad ſpem accingi. nec enim occultum, quid poſt tale matrimonium ſupereſſet, ſubibat ſine dubio metus, reputantes hebetem Claudium & vxori deuinctum, multasq. mortes iuſſu Meſſalinæ patratas.

QVID peius poteſt dici de Principe, quàm quòd hebes ſit,& vxori deuinctus? adeo vt vxoris iuſſu patrentur multa mortes ſubditorum?

Rurſus ipſa facilitas imperatoris fiduciam dabat, ſi attrocitate criminis præualuiſſent, poſſe opprimi damnatam, antequam ream.

NONNVMQVAM attrocitas criminis aduerſus aliquem adeo praualet, vt opprimatur damnatus, antequam reus.

Sed in eo diſcrimen verti, ſi defenſio audiretur, vtq. clauſæ aures etiam confitenti forent. Ac primo Caliſtus iam mihi circa morrem Cæſaris narratus, & Appianæ cædis molitor Narciſſus, flagrantiſſimaq. eo tempore gratia Pallas, agitauere; num Meſſalinam ſecretis minis depellerent amore Silij, cuncta alia diſſimulantes. deinde metu, ne ad perniciem vltrò traherentur, deſiſtunt,

RARO in magno aliquo facinore exequendo plures inuicem concordes eſſe poſſunt: præſertim cum potentes ſunt & magni viri: Trahitur enim quiſque à propria vtilitate, qua numquam fere ſic cum altera conſociatur, vt communis poſſit reddi cauſſa: & hæc eſt ratio, cur etiam Principum confæderationes tam breui durent.

Pallas per ignauiam,

TVRPISSIMVM eſt, virum magnum & præpotentem deſiſtere per ignauiam à re aliqua magna & glorioſa aggredienda: in qua præſertim ſua verſatur ſalus, & potentia.

Caliſtus prioris quoque regiæ peritus, & potentiam cautis quàm acrioribus conſilijs tutius haberi.

IN Aulis Principum, potentia tutius habetur cautis, quàm acrioribus conſilijs. Proinde prudens Aulicus, illa ſemper amplectatur, hæc fugiat: Nam dubium non eſt, patientes viros, &, vt

vulgo dicitur, Phlegmaticos, omnes difficultates ſuperare, & ſemper vigere. Immo raro inuenitur vir patientia præditus, qui idem non ſit ſapiens. Hac in re admirabilis hodie conſpicitur Hieronymus Ruſticucius, S. R. E. Cardinalis: qui vt ſub PIO V. PONT. MAX. *multa ſemper gratia viguit & auctoritate, ſic & hodiernis temporibus ſub* SIXTO V. *illius alumno & ſucceſſore, haud diſsimili floret potentia & fauore.*

perſtitit Narciſſus,

DVOS *magnos, & apprime verſutos Aulicos, ſemper in Taciti ſcriptis legendis, obſeruaui; Seianum nempe & Narciſſum. Ille in euertendo Druſo, Agrippina, & filijs: hic in Meſſalina tollenda, magna vterque facinora expleuit. Ac quoniam de Seiano ſupra diſcuſsimus, conſiliorum eius modum & rationem examinando: hic tantundem de Narciſſo agere, haud inutile erit. Conſiderandum ergo primum eſt, quòd Narciſſus hac in re perficienda, præter cetera pericula, a duobus præcipue vrgebatur: Meſſalinæ nempe potentia apud maritum, & Claudij mira ſecordia. Multi enim inueniuntur viri, qui quidem vxoribus deuincti ſunt, dum illas ſibi fidas, & amantes opinantur: ſed ſi contrarium cernant, amorem erga eas exuunt, & delicta earum vlciſcuntur. Exempla hac de re in medium afferre ſuperfluum eſſet, & inutile: cum cuilibet nota eſſe poſsint. Sed Claudius adeo ſecors erat, & vxorius; vt nihil de ipſo hac in re ſimile ſperandum eſſe, omnibus clare conſtaret. Ergo maxima fuit Narciſsi audacia, in tam ardua prouincia ſuſcipienda: quæ a Pallante, & a Caliſto, prępotentibus & ipſis apud Principem, intentata fuit & relicta. Illam vero Narciſſus neceſſario aggredi debebat non tam ob Principis decus & ſalutem, ob quæ quilibet Aulicus beneficijs a Principe affectus, ſicut ipſe a Claudio erat, vitam effundere debet; quàm ſui ipſius, & propriæ ſalutis gratia. Nam ſi Silius & Meſſalina, ſublato Claudio, rerum potiti eſſent; primum facinus eorum fuiſſet, Narciſſum interficere. Ergo poſtquam Narciſſus perſtitit in hac ſententia;*

Primum *fuit illud ipſius, & callidum conſilium, adeo tectum, & obſcurum ſe gerere; vt nec Silius nec Meſſalina ex ſermone ipſius, vel ex ſignis aliquibus, præſentire accuſationem, vel accuſatorem poſſent. Quod fuit totius ſummæ fundamentum. Experientia enim vidimus, multa auſa, & multas coniurationes, ante executionis tempus, proditas & euerſas fuiſſe ob negligentiam, vel vaniloquentiam eorum, qui eas exequi debebant. Et credibile eſt, Meſſalinam, & Silium, vt manifeſto & atrociſsimi ſceleris reos, vſquequaque & proprias aures, & exploratorum, & amicorum multitudinem adhibuiſſe: ad inueſtiganda Narciſsi, & eorum, qui ipſis aduerſabantur, conſilia & actus. Magnum ergo fuit hoc primum: fallere ſcilicet Silium, & Meſſalinam.*

Secunda *res digna obſeruatione in Narciſſo fuit occaſio, quam arripuit: cum ſcilicet Cæſar Roma abſens, & ab vxoris illecebris diſiunctus, Hoſtia degebat. Et certe veriſsimum eſt, omne prudentis officium in arripienda occaſione verſari: quæ niſi aderit, nihil vmquam magnum, & egregie excogitatum perfici poterit. Abſque enim hac occaſione, quam Narciſſus oblatam arripuit, omnia eius conſilia fruſtra cecidiſſent. Ideo quod hic Auctor de ipſo dicit, nempe quòd ad occaſiones erat intentus; id ſemper fixum omni prudenti Aulico eſſe debebit. Raro enim euenit, vt reuertantur denuo occaſiones: & niſi ſemel oblatæ arripiantur; fruſtra poſtea optantur. Quòd porro hæc occaſio eſſet neceſſaria, dubium non eſt. Niſi enim Claudius ab vxore abfuiſſet, criminatores impudicæ mulieris nullam habuiſſent opportunitatem, illam euertendi: vt quæ omnibus horis marito aſsiſtens, nihil ad ipſius aures, quod ſibi perniciem afferre poſſet, penetrare ſiuiſſet.*

Tertium *obſeruandum in Narciſſo eſt, mediorum electio: pellicum nempe quarum corpori maxime inſueuerat Claudius. Et quidem, vt Ariſtoteles non ſemel aſſerit in libris Moralium, munus prudentis præcipuum in perueniendo ad finem, quem ſibi propoſuit, in mediorum electione conſiſtit. Quæ ſicut bona ſemper a prudente, ad bonum finem exercebuntur; ſic a callido & ſolerti, ſi non bona, certe apta & conuenientia ad finem, quem ſibi deſtinauerit, eligentur. Porro duabus de rationibus media harum feminarum aptiſsima fuerunt. Primo quia colloquendi & tractandi cum Claudio longum tempus, ob earum miniſterium, in manu habebant. Secundo ob temporis qualitatem, quo cum Claudio agebant: cum ille ſcilicet luxu ſolutus, & vino incaleſcens, totus ſe in libidinem effundebat, & nihil ſerij, nec ſeueri retinebat. Et quantum hæc temporis cum Principe agendi circumſtantia referat, ſciunt prudentes & experti Aulici: qui, dummodo poſsint, ſemper cum illo aut ſtatim poſt epulas, aut lętitiæ tempore agere ſtudent: faciliorem proculdubio exitum hinc rebus ſuis, & gratiora reſponſa ab illo ſperantes.*

Quartum *conſiderandum eſt, perſuaſio ad has mulieres, vt Principis vxorem apud maritum criminarentur, & de tali crimine, quod niſi cum accuſati, aut accuſatorum exitio dilui nequibat. Et*

eo magis

eo magis mirandum eſt, Narciſſum eas perpuliſſe; quo mulierum ſexus ſuapte natura imbecillus eſt, & ab audacia & periculis alienus valde. Quod ſi de omni mulierum genere haud falſo aſſeri poteſt, verius id poteſt affirmari, de earum feminarum ſpecie, quæ corpus ſuum proſtituunt, & mercede vulgant. Quæ ferme ſemper, vt flagitijs, & impudicitia ceteras anteeunt, ſic & abiectione animi, & vilitate eaſdem praecellere conſentaneum eſt. Ergo, vt diximus, magnum opus fuit hoc Narciſſi, eas impellere, vt delationem ſubirent. Et hoc tribus medijs aſſecutus eſt: largitione, promiſſis, & ſpe, quam in illis validiſſime inſtillauit: oſtentando, deiecta vxore, dubio procul earum potentiam apud Principem auctum iri.

Quintum *fuit, ſuſcipere in illo die, quo Cæſar reuertebatur Romam, ius militum. Nam, ſi hoc non egiſſet, nihil ſuccedebat; & omnia priora eius conſilia in ſuijpſius perniciem vertebantur. Nam Cæſar trepidabat, Meſſalina & Silius erant audaciſſimi, & Meſſalina blanditijs etiam inualuiſſet. De Geta Prætorij præfecto haud ſatis erat fidendum, cum eſſet & ad honeſta & praua iuxta leuis. Callide ergo Narciſſus ſuaſit Cæſari, nullam aliam ſpem incolumitatis illius eſſe, quàm ius militum in illo vno die in aliquem libertorum transferre: & callidius egit, ſeipſum ad id munus offerendo, atque illud prompte ſuſcipiendo. Vt enim infra videbimus, hoc iure vſus eſt in vltima re omnium difficillima patranda, quæ fuit Meſſalinæ mors. Quam numquam iubere potuiſſet, niſi ius militum habuiſſet.*

Sextum *fuit magnum Narciſſi facinus, ſedem poſcere & ſumere in eodem geſtamine Imperatoris, cum Romam reuerteretur. Periculum enim erat, ne Claudius, qua erat ingenij volubilitate, mutaretur ad pœnitentiam a L. Vitellio, & P. Largo Cæcinna Conſulibus, dum in vrbem veheretur. Et hoc præter naturam Claudij inſtabilem, ſuſpectandum erat Narciſſo alijs duabus de cauſſis. Quarum prima erat, inuidia in eum, qui adeo potens eſſet, vt in necem vxoris Principem durare poſſet. Porro magnam potentiam ſemper comitari inuidiam ingentem, perſpicuum eſt. Secunda vero, quia veriſimile erat, Claudium, ſi Meſſalinam & Silium puniebat, in multos alios etiam & Senatores, & nobiles Romanos animaduerſurum fuiſſe, vt pote flagitiorum conſcios, & vxoris adulteros & miniſtros. E quibus credibile erat aliquem inueniri, qui vel affinitatis, vel conſanguinitatis vinculo aliquo Conſules ambos, aut vnum illorum ſaltem attingeret. Et ſi nec affinitate, nec conſanguinitate attingerent; haud abſoni rationi tamen erant, Romanos Senatores & nobiles, grauate & illibenter conſpecturos fuiſſe ſuorum Romanorum & nobilium ſupplicia & mortes: præſertim iuſſu, & conſilijs liberti vnius inflictas. Quod verum eſſe patuit in eundo ad vrbem: cum inter diuerſas Principis voces, in quibus modo incuſabat flagitia vxoris, aliquando ad memoriam coniugij, & infantiam liberorum reuoluebatur; nihil aliud vmquam proloeutus fuerit Vitellius, quàm: O facinus, o ſcelus. Et quamquam Narciſſus inſtaret aperire ambages, & veri copiam facere; non ideo peruicit, quin ſemper ſuſpenſa, & quo ducerentur, inclinatura, reſponderet: exemploq. eius Largus Cæcinna collega vteretur. Argumentum euidentiſſimum, quòd ipſis ambobus Meſſalinæ & Silij pericula diſplicebant: & niſi Narciſſus in eodē geſtamine fuiſſet, ab hoc incœpto Claudium haud dubie dehortati fuiſſent, ac remouiſſent: indeq. Narciſſo & pellicibus ineuitabile excidiū ſequebatur ob ſuſceptam accuſationem.*

Septimum *fuit, Meſſalinam orantem amouere, & eius preces irritas efficere. Quod maximi fuit momenti: ſi conſideres, Dominam imperij conſortem, vxorem Principis mariti potentem, & ex illo liberos habentem, a liberto vno coram proprio marito repelli potuiſſe, ac reijci. Et hic maxime patuit Narciſſi non ſeruilis audacia. Multi enim ſeruilis, & libertinæ condicionis inuenti ſunt homines, qui audaciſſime in proprios dominos ac patronos conſpirarunt. Sed cum ante illorum conſpectum poſtea deuenerunt, aut facie dominorum ſola, & vultu exterriti, & ſpiritus, & audaciam amiſerunt: aut ſigna ſeruitutis ſuæ aſpiciendo, animis turpiter conciderunt. Quoad primum, erit nobis exemplo Cimber ille ſeruus, miſſus ad occidendum Marium in priuata domo Minturnis clauſum: qui eum, etſi ſenem, & inermem, & ſqualore obſitum; ipſe & strictum gladium habens, & vltionis cupidus, aggredi non ſuſtinuit: ſed claritate viri obcæcatus, abiecto ferro, attonitus inde, ac tremens fugit. Quo vero ad ſecundum, notum eſt, Scytarum ſeruis, cum a dominis aufugiſſent, & arma ſumenda ea audacter aduerſus illos bis exercuiſſent: in aduentum poſtea eorundem dominorum, qui ſolis cum ſcuticis ad eos puniendos conſpecti fuerunt, arma & ſpiritus cecidiſſe; & flagrorum ſolo aſpectu eos denuo in ſeruitutem redactos fuiſſe. Narciſſus vero, ea audacia, qua & abſentem Meſſalinam incuſauit, eadem & præſenti obſtrepuit: Silium & nuptias referendo, & eius omnes preces, & affectus fruſtrando.*

Octauum, *fuit, codicillos libidinum indices ſecum ferre, & Cæſari opportune tradere, quibus viſus eius auerteret. Nec hoc parui momenti fuit. Poterat enim Meſſalina audacia cum Narciſſo conten-*

contendere, verba verbis, conuicia conuicijs, & probra probris refellere, reijcere, & accuſatorem redarguere. Præſertim apud maritum iam ſibi deuinctum, parum ſui compotem, & nihil ingenio ſuo, ſed tantum liberti impulſu agentem. Idq. etiam in Meſſalinæ fauorem cadebat, quòd duo aderant Conſules, qui in re dubia pro ipſa ſtetiſſent, illamq. contra libertum iuuiſſent. Sed codicilli, qui libidines eius continebant, producti, quattuor hæc in eius perniciem effecerunt. Primum, illi animum, & vim negandi ademerunt, vt manifeſta noxæ conuictam ſecernenti, & publica infamiæ ream ſe agnoſcenti. Secundum, miſericordiam erga eam ex aſtantium Conſulum animis eripuerunt: vtpote flagitijs turpiter nimis opertam, & grauem. Tertium & omnium maximum, Claudium maritum in eam efferauerunt, & ab ea penitus abalienauerunt: cum aperte conſpiceret, nec proprio dedecori, nec illius flagitijs vllum aliud remedium, quàm vxoris morte quæri poſſe. Quartum, Narciſſo vt veritatem dicenti, & domini charitate permoto, fidem acquiſiuerunt; & auctoritatem ad reliqua perficienda addiderunt.

Nonum *fuit, liberos communes Claudij & Meſſalinæ amouere: ne ab Imperatore conſpicerentur. Magnam enim habuiſſent vim, cum ad Principis iram ſuo aſpectu innocenti leniendam: tum ad miſericordiam in matrem eliciendam. In animum Principis, & parentis reduxiſſent, quæ quondam & dulcia & grata cum vxore habuiſſet: ac illorum memoria irati animi in matrem affectum manſuefeciſſent. Quod animaduertens ſolertiſſimus Aulicus, amoueri eos iuſsit. Et ſi Vibidiam Veſtalem depellere nequiuit, quæ multa cum inuidia flagitabat, ne indefenſa vxor exitio traderetur; id ob reuerentiam, quæ maxima habebatur Virginibus Veſtalibus, euenit: nihilominus ipſe audacter Claudij reſponſionem præueniendo, eam callide ludificatus eſt: cum Principem auditurum, & fore diluendi criminis facultatem reſpondit. Proinde iret interim Virgo, & ſacra capeſſeret.*

Decimum, *fuit, deducere Claudium in domum Silij adulteri. Vt enim remouendo ea, quæ Imperatoris miſericordiam, & amorem in Meſſalinam ſuſcitare poſſent, ipſe validior fiebat, & ad finem optatum recte incedebat; ſic & ea oſtentando, quæ mariti in vxorem iram & odium augere poſſent, idem multo melius aſſequebatur. Et cum ſegnius irritent animos, teſte Flacco, demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus: quorum oculorum ſenſus, vt inquit Cicero, eſt in nobis acerrimus: ideo callidiſſime Narciſſus patefaciendo domum Silij adulteri, atque illuc Claudium deducendo, illius oculis expoſuit, in pretium probri ſui ceſſiſſe, quidquid habitum prius Neronibus & Druſis fuerat. Meſſalina enim omnia dederat dono adultero: adeo vt ſerui, pecunia, diuitiæ, ac Principis paratus in domo adulteri viſerentur. Nec conſilium fefellit Narciſſum: nam ad hæc incenſus, & ad minas prorumpens Claudius, ſtatim in caſtra ad milites iuit.*

Vndecimum *fuit, præmonere Claudium, vt pauca verba apud milites haberet. Nam cum prudens quiſque in re quacumque magni momenti aggredienda, diligenter penſitare apud ſe debeat, quæ illi ad finem ſuum aſſequendum proficua ſint, & quæ etiam officiant: & poſtquam hoc cognouerit, illa amplecti omni ſtudio, & exequi; hæc verò aſpernari ac fugere conueniat. Ideo Narciſſus, qui conſiderabat ad cædem inferendam Meſſalinæ multum conducere, quòd Imperator & maritus ira in eam accenſus, publice apud milites, quorum vniuerſitas illis temporibus potentiſſima cũ Principibus erat, in eam inueheretur: callide ſtuduit, & effecit vt Imperator caſtris inferreretur & milites accenderet. Sed quia ex oratione & ſermone nimis longo Claudij, in quo dolor etſi iuſtus, a pudore impediebatur, aliqua exire potuiſſent, quæ contrarium effectum in militibus generaſſent, vtpote ludibrium, & deriſionem in Claudium; ſolertiſſime eum præmonuit, vt pauca verba faceret. Quod, prout ipſe æſtimauerat, euenit. Clamor enim inde cohortium continuus exortus eſt, nomina reorum & pœnas flagitantium. Et Silius adulter præcipuus ſtatim tribunali admotus, non defenſionem, non moras tentauit: ſed tantum precatus eſt, vt mors acceleraretur: ſimiliq. modo cæteri omnes Meſſalinæ adulteri ſtatim puniti ſunt.*

Duodecimum, *ac vltimum, & omnium præcipuum, fuit cædes Meſſalinæ. Niſi enim Narciſſus hanc properauiſſet, verterat pernicies in accuſatorem. Nam Claudius domum regreſſus, & tempeſtiuis epulis delinitus, vbi vino incaluit; iri iuſſit, ac nuntiari miſeræ, hoc enim verbo fatuus ille vtebatur, dicendam ad cauſſam poſtera die adeſſet. Nec dubium erat, ſi Narciſsus cunctabatur, quòd iam ira in Claudio langueſcente, & amore redeunte; propinqua nox, & vxorium cubiculum cum Claudio Meſsalinam iungens, omnia vertebant: & Meſſalinæ ſalus, Narciſſo exitium parabatur. Ergo audaciſsime, & callidiſsime Narciſsus prorupit, denunciauitq. Centurionibus & Tribuno, qui aderant; vt cædem in Meſsalinam exequerentur: ita Imperatorem iubere. Et hic patuit, quàm neceſsaria fuerit deliberatio illa Narciſsi, quam loco quarto annotauimus, ſuſcipiendi ius militum in illo die, in quo Cæſar Romam reuerſus eſt. Si enim hoc ius non habuiſset, milites illius dictis audientes*

non

non fuiſsent: præſertim in necem vxoris Principis. Et vt ſecurior eſset de executione hac maxima, in qua omnia conſiſtebant, & ſine qua nihil pro facto ducendum erat; cuſtodem & exactorem Tribuno, & Centurionibus dedit vnum e libertis ſibi fidiſsimum, Euodum nomine. Qua in re annotare licet; Arduis in facinoribus, executionem ipſorum demandandam eſse tam ſtrenuis & fortibus, quàm beneuolis & fidelibus: illis vt poſsint, & audeant; his, ne mutentur, & inceptum deſerant. Progreſsi ergo fuerunt hi omnes in hortos, vbi erat Meſsalina: illaq. inuenta, prout iuſsum a Liberto fuerat, transfixa eſt ictu Tribuni, modo illo, quem ſcite admodum, & grauiter enarrat Auctor noſter.

Ergo ſic Narciſsus ad finem, quem in animo ſibi propoſuerat, deſtinata perducendo, duodecim illis medijs, quæ obſeruauimus; clare nos docet, quòd in quocumque homine, qui arduum aliquod, & perdifficile munus aggrediatur, tria hæc requiruntur. Conſilium & prudentia, in aggredienda & deliberanda re: Dexteritas & ſecuritas, in ea tractanda: Conſtantia demum & fortitudo, in fine illi imponendo. Quæ omnia exactiſsime præſtitit Narciſsus, vt ſupra vidimus. Vnde nil mirum, ſi decreta fuerunt illi Quæſtoria inſignia, etſi leuiſsima ſui faſtigij.

Reaſsumendo igitur breuiter quod diximus: duodecim fuerunt hæc infraſcripta conſiliorum capita, quæ Narciſsus in opere tam difficili habuit, & tractauit, videlicet;

1. Silentium & occultatio facinoris.
2. Occaſio abſentiæ Cæſaris a Meſſalina.
3. Electio mediorum cum Cæſare: nempe pellicum ipſius familiarium.
4. Impulſio & perſuaſio ad pellices, vt Principi vxorem accuſarent.
5. Suſceptio iuris militum, in illo die, quo Cæſar reuertebatur Romam.
6. Sumptio ſedis in geſtamine eodem Claudij Romam redeuntis.
7. Amotio Meſſalinæ ſupplicis, & coniugem orantis.
8. Codicillorum libidinum Meſſalinæ indicum, opportuna productio.
9. Prohibitio liberorum communium Claudij & Meſſalinæ, a patris conſpectu.
10. Deductio Claudij in domum adulteri.
11. Præmonitio ad Claudium, vt pauca apud milites loqueretur.
12. Cædes in Meſſalinam iuſſa & patrata.

ſolum id immutans, ne quo ſermone præſciam criminis & accuſatoris faceret.

E*T hoc eſt primum caput conſiliorum Narciſsi: ſilentium nempe, & occultatio facinoris.*

Ipſe ad occaſiones intentus, longa apud Hoſtiam Cæſaris mora,

P*RVDENTIS eſt, occaſiones cognoſcere, & ad eas intentum eſſe. Et hoc eſt ſecundum caput. Occaſio ſcilicet abſentia Cæſaris ab vrbe.*

duas pellices, quarum is corpori maxime inſueuerat,

T*ERTIVM caput, mediorum electio cum Cæſare: quæ fuerunt pellices illius familiares.*

largitione ac promiſſis, & vxore deiecta, plus potentiæ oſtentando, perpulit delationem ſubire.

A*EMVLO deiecto, plus potentiæ ſemper acquirit Aulicus. Et quartum caput hoc eſt conſiliorum Narciſsi. Perſuaſio nempe ad pellices, vt vxorem apud Principem accuſarent.*

Exin Calpurnia, id pellici nomen, vbi datum ſecretum, Cæſaris genibus prouoluta nupſiſſe Meſſalinam Silio exclamat. ſimul Cleopatram, quæ idem opperiens adſtabat, an comperiſſet, interrogat: atque illa annuente, cieri Narciſſum poſtulat. Is veniam in præteritum petens, quod ei cis Vectium, cis Plautium diſſimulauiſſet, nec nunc adulteria obiecturum ait, ne domum, ſeruitia, & ceteros fortunæ paratus repoſceret; frueretur immo ijs, & redderet vxorem, rumperetq. tabulas nuptiales. an diſſidium, inquit, tuum noſti? nam matrimonium Silij vidit populus, & ſenatus, & miles: ac ni propere agis, tenet vrbem maritus. Tum potiſſimum amicorum vocat, primumq. rei frumentariæ præfectum Turranium, poſt Luſium Getam prætorianis impoſitum, percontatur. Quibus fatentibus, tum certatim ceteri circumſtrepunt, iret in caſtra, firmaret prætorias cohortes, ſecuritati, antequam vindictæ conſuleret.

P*RAECEPTVM vtiliſsimum eſt omnibus mortalibus, ſed præſertim Principibus, vt quando res eorum ſunt dubiæ; ſecuritati, antequam vindictæ conſulant.*

Satis

Satis conſtat eo pauore offuſum Claudium, vt identidem interrogaret, an ipſe imperij potens? an Silius priuatus eſſet? At Meſſalina non alias ſolutior luxu, adulto autumno, ſimulacrum vindemiæ per domum celebrabat: vrgeri præla, fluere lacus, & feminæ pellibus accinctæ aſſultabant, vt ſacrificantes, vel inſanientes Bacchæ. ipſa crine fluxo, thyrſum quatiens; iuxtaq. Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, ſtrepente circum procaci choro. Ferunt Vectium Valentem laſciuia in præaltam arborem conniſum, interrogantibus quid aſpiceret, reſpondiſſe, tempeſtatem ab Hoſtia atrocem. ſiue ceperat ea ſpecies, ſeu forte lapſa vox in præſagium vertit.

SAEPE lapſa vox forte ex ore alicuius, in præſagium vertit.

Non rumor interea, ſed vndique nuncij incedunt, qui gnara Claudio cuncta, & venire promptum vltioni afferrent. Igitur Meſſalina Lucullianos in hortos, Silius diſſimulando metu, ad munia fori digreditur. Ceteris paſſim dilabentibus, affuere centuriones, inditaq. ſunt vincula, vt quis reperiebatur in publico, aut per latebras. Meſſalina tamen, quamquam res aduerſæ conſilium adimerent,

ETSI res aduerſæ conſilium adimunt; tamen prudentis eſt, antequam ingruant, præmeditari remedia. Plut. & Seneca. De animi tranq.

ire obuiam, & aſpici a marito, quod ſæpe ſubſidium habuerat, haud ſegniter intendit: iuſſitq. vt Britannicus & Octauia in complexum patris pergerent. Et Vibidiam virginum Veſtalium vetuſtiſſimam orauit, Pontificis maximi aures adire, clementiam expetere. Atque interim, tribus omnino comitantibus, id repente ſolitudinis erat, ſpatium vrbis pedibus emenſa, vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur, Hoſtienſem viam intrat: nulla cuiuſquam miſericordia, quia flagitiorum deformitas præualebat.

FLAGITIORVM deformitas aufert miſericordiam: cum illa multum præualent.

Trepidabatur nihilominus a Cæſare. quippe Getæ prætorij præfecto haud ſatis fidebat, ad honeſta, ſeu praua iuxta leui.

INVENIVNTVR aliqui, qui ingenio ſunt, & ad honeſta, & ad praua iuxta leui. De his nunquam eſt fidendum ſatis.

Ergo Narciſſus, aſſumptis quibus idem metus, non aliam ſpem incolumitatis Cæſaris affirmat, quàm ſi ius militum vno illo die in aliquem libertorum transferret: ſeq. offert ſuſcepturum.

SVPRA non ſemel annotauimus, in re aliqua difficili & ardua, quæ ſocios requirat, aggrediendà: maiorem ſpem a nobis collocari debere in illis, qui & bonum & malum nobiſcum illa in re commune habent; quàm in quibuſcumque alijs: etſi fratres, propinqui, & a nobis maximis beneficijs affecti ſint. Idem nunc repetimus: aſſumendos in ſocietatem ſemper a nobis eſſe illos, quibus idem metus, eadem ſpes nobiſcum ſit. Sic ſupra proxime: Adeſſe conſcios paria metuentes. Et hoc eſt quintum caput conſiliorum Narciſſi: ſuſcipere ſcilicet ius militum in illo die, quo Cæſar Romam reuertebatur.

Ac ne, dum in vrbem vehitur, ad pœnitentiam à L. Vitellio, P. Largo Cæcinna mutaretur; in eodem geſtamine ſedem poſcit, ſumitq.

CALLIDISSIMVM hoc fuit ſextum caput conſilij, ſumere ſedem in eodem geſtamine Claudij Romam redeuntis: ne ſcilicet ad pœnitentiam mutaretur a Conſulibus.

Crebra poſt hæc fama fuit, inter diuerſas Principis voces, cum modo incuſaret flagitia vxoris, aliquando ad memoriam coniugij, & infantiam liberorum reuolueretur, non aliud prolocutum Vitellium, quàm o facinus, o ſcelus.

QVI aliquo in negotio ſe ambiguum gerere cupit, & animi ſui ſenſum occultare: is propalam verba ſemper dubia, & diuerſum ſenſum recipientia, pronunciet. Nam ſuper illis ſæpe arguuntur homines. Ideo ſint eius verba ſemper ſuſpenſa, & quo ducentur, inclinatura. Idem etiam in litteris ſcribendis dici poteſt. Et experientia ſcimus, quendam Principem in re ad principatum apprime

apprime conducenti, tali epiſtola ſeipſum ſaluaſſe, & aduerſarijs illuſiſſe. Cum in illa verba quadam eſſent callide appoſita, quæ anceps ſenſum continebant: & quæ ductari poſſent, tam ad Principis intentionem, quàm aduerſariorum.

Inſtabat quidem Narciſſus aperire ambages, & veri copiam facere: ſed non ideo peruicit, quin ſuſpenſa & quo ducerentur inclinatura reſponderet; exemploq. eius Largus Cæcinna vteretur. & iam erat in aſpectu Meſſalina, clamitabatq. audiret Octauiæ & Britannici matrem: cum obſtreperet accuſator, Silium & nuptias referens:

SEPTIMVM caput, amouere ſcilicet vxorem ſupplicem, ne coniugem pro ſua ſalute orare poſſet.

ſimul codicillos libidinum indices tradidit, quibus viſus Cæſaris auerteret.

OCTAVVM caput hoc eſt, producere codicillos, libidinum Meſſalinæ indices.

Nec multo poſt vrbem ingredienti offerebantur communes liberi, niſi Narciſſus amoueri eos iuſſiſſet.

NONVM caput, arcere a patris conſpectu liberos communes ipſi cum Meſſalina.

Vibidiam depellere nequiuit, quæ multa cum inuidia flagitaret, ne indefenſa coniux exitio daretur.

PRIMO aſpectu magnam inuidiam concitare poteſt, quòd vxor indefenſa exitio tradatur a marito.

Ergo auditurum principem, & fore diluendi criminis facultatem reſpondit. Iret interim virgo & ſacra capeſſeret,

VIRGINES præſertim ſacras in publicum exire non decet. Sed eas clauſas ſacra capeſſere conuenit.

Mirum inter hæc ſilentium Claudij. Vitellius ignaro propior. Omnia liberto obediebant. patefieri domum adulteri, atque illuc deduci imperatorem iubet.

DECIMVM, hoc eſt caput: deductio nempe Claudij in domum adulteri.

Ac primum in veſtibulo, effigiem patris Silij, conſulto ſenatus abolitam, demonſtrat. Tum quidquid habitum Neronibus, Druſis, in pretium probri ceſſiſſe. incenſumq. & ad minas prorumpentem, caſtris infert, parata concione militum; apud quos, præmonente Narciſſo, pauca verba fecit.

VNDECIMVM caput, præmonitio ad Imperatorem, vt pauca verba haberet apud milites.

nam & ſi iuſtum dolorem pudor impediebat.

IMPEDITVR a pudore dolor, etſi iuſtus ſit.

Cohortium clamor dehinc continuus, nomina reorum & pœnas flagitantium: admotusq. Silius tribunali, non defenſionem, non moras tentauit, precatus vt mors acceleraretur.

IN multis hoc conſpicitur, vt ſupra annotauimus, vt quamuis molliter & flagitioſe vixerint; tamen poſtea conſtanter, & viriliter pereant.

eadem conſtantia & illuſtres equites Romanos cupidos maturæ necis fecit. Titium Proculum cuſtodem, Silio ac, Meſſalinæ datum, & indicium offerentem Vectium Valentem & confeſſum, & Pompeium Vrbicum, ac Saufeium Trogum ex conſcijs trahi ad ſupplicium iubet. Decius quoque Calpurnianus vigilum præfectus, Sulpicius Rufus ludi

ludi procurator, Iuncus Virgilianus ſenator, eadem pœna affecti. ſolus Mneſter contationem attulit, dilaniata veſte clamitans, aſpiceret verberum notas, reminiſceretur vocis, qua ſe obnoxium iuſſis Meſſalinæ dediſſet. Alijs largitione aut ſpei magnitudine, ſibi ex neceſſitate culpam;

MISERICORDIAM meretur, qui ex neceſsitate culpam alicuius rei habet. Et eſt maxima differentia inter miſerabile, & atrox. Quia illud eſt erga illos, qui arcta neceſsitudine coniuncti nobiſcum non ſunt: hoc vero ſecus. Itaque Amaſis Rex Aegypti propter filium, qui ad mortem ducebatur, non lacrymauit, vt aiunt: verum propter amicum, qui mendicabat ſic. Hoc enim eſt miſerabile, illud atrox: & atrox a miſerabile differt: immo miſericordiæ eyciendæ vim habet, & ſæpe in contrarium valet, Ariſt. in 2. Rhetor.

nec cuiquam ante pereundum fuiſſe, ſi Silius rerum potiretur. Commotum his & pronum ad miſericordiam Cæſarem perpulere liberti, ne tot inluſtribus viris interfectis, hiſtrioni conſuleretur: ſponte an coactus tam magna peccauiſſet, nihil referre. Ne Trauli quidem Montani equitis Romani defenſio recepta eſt. is modeſta iuuenta, ſed corpore inſigni, accitus vltro, noctemq. intra vnam à Meſſalina proturbatus erat, paribus laſciuijs ad cupidinem & faſtidio.

DISSOLVTI moribus, fere ſemper paribus ſunt laſciuijs ad cupidinem, & faſtidio. Et exempla talia paris laſciuiæ ad cupidinem & faſtidio, in peruerſa Iezabele Regina Angliæ *quotidie conſpiciuntur: quæ breui temporis ſpatio eoſdemet adulteros amat, & inuiſos e medio tollit.*

Suilio Ceſonino, & Plautio Laterano mors remittitur: huic ob patrui egregium meritum; Ceſoninus vitijs protectus eſt, tamquam in illo fœdiſſimo cœtu paſſus muliebria.

SAEPE idem effectus a diuerſis, & contrarijs cauſsis produci ſolent.

Interim Meſſalina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla ſpe & aliquando ira. tanta inter extrema ſuperbia agebat.

MAGNAE ſuperbiæ indicium eſt, iram ſeruare, cum res ſuæ ad extremum redactæ ſint.

Ac ni cædem eius Narciſſus properauiſſet, verterat pernicies in accuſatorem. Nam Claudius domum regreſſus, & tempeſtiuis epulis delinitus, vbi vino incaluiſſet, iri iubet nunciariq. miſeræ, hoc enim verbo vſum ferunt, dicendam ad cauſſam poſtera die adeſſet. Quod vbi auditum, & langueſcere ira, redire amor, ac ſi contarentur, propinqua nox, & vxorij cubiculi memoria timebantur; prorupit Narciſſus, denuntiatq. centurionibus & tribuno, qui aderant, exſequi cædem. ita imperatorem iubere.

HOC fuit duodecimum, & vltimum caput conſiliorum Narciſsi in re tam magna: iuſsio nempe cædis in Meſſalinam & patratio, inſcio imperatore.

cuſtos & exactor e libertis, Euodus datus. Iſq. raptim in hortos progreſſus, reperit fuſam humi, aſſidente matre Lepida: quæ florenti filiæ haud concors, ſupremis eius neceſſitatibus ad miſerationem euicta erat:

MAGNVM charitatis & amoris paterni indicium eſt in rebus filiorum, florentibus illis non eſſe concordes: & poſtea verſo rerum ſtatu, ſupremis eorum neceſsitatibus ad miſerationem eorum euinci.

ſuadebatq. ne percuſſorem opperiretur. tranſiſſe vitam, neque aliud quàm morti decus quærendum.

QVI in vita multa flagitia & enormia commiſit, debet ſaltem in morte, cum eius tempus a natura datum aduenit, decus aliquod quærere.

ſed animo per libidines corrupto, nihil honeſtum inerat.

ANIMO per libidines corrupto, nihil honeſti ineſt.

lacry-

lacrymæq. & queſtus irriti ducebantur. Tum impetu venientium pulſæ fores, aſtitit tribunus per ſilentium, ac libertus increpans multis ac ſeruilibus probris. Tunc primum fortunam ſuam introſpexit,

IMPRVDENTIS eſt, vſque ad vltimam neceſſitatem imminentia non prævidere: & tunc mala introſpicere, cum remedijs locus non eſt.

Ferrumq. accepit, quod fruſtra iugulo ac pectori per trepidationem admouens, ictu tribuni transfigitur. corpus matri conceſſum. Nuntiatumq. Claudio epulanti periiſſe Meſſalinam, non diſtincto, ſua an aliena manu. nec ille quæſiuit, popoſcitq. poculum, & ſolita conuiuio celebrauit. Ne ſecutis quidem diebus, odij, gaudij, iræ, triſtitiæ, vllius denique humani affectus ſigna dedit: non cum lætantes accuſatores aſpiceret, non cum filios mærentes.

A Varijs cauſis ſæpe ijdem veniunt effectus, vt ſupra obſeruauimus. Nam vt ſapiens, ob animum compoſitum, nec odij, nec gaudij, nec iræ, nec triſtitiæ, nec vllius denique humani affectus ſigna dabit; ſic idem aget ſtolidus, ob animi ſtuporem.

Iuuitq. obliuionem eius ſenatus, cenſendo nomen & effigies priuatis ac publicis locis demouendas.

DISCRETE agunt Aulici illi, & quicumque poſſunt, in doloribus Principis, arte aliqua iuuare obliuionem illorum.

Decreta Narciſſo quæſtoria inſignia, leuiſſimum faſtigij eius, cum ſecundum Pallantem & Caliſtum ageret, honeſta quidem, ſed ex quibus deterrima orirentur, ⋆ flagitijs multis.

OB præclara & magna geſta, honores magni, & præclari ſunt illis, qui ea geſſerunt, tribuendi. Et hic textus adeo corruptus eſt in fine, vt emendari non poſſit. Vide Lipſium in Commentarijs.

Commentariorum in Librum XI. Annalium P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI
IN P. CORNELII TACITI
Annales Commentarij.

Ex Lib. XII. Annal. P. Cornelij Taciti.

CÆDE Meſſalinæ conuulſa principis domus, orto apud libertos certamine, quis diligeret vxorem Claudio cælibi vitæ intonanti, & coniugum imperijs obnoxio.

SOLERS Aulicus in id ſemper vires ingenij intendat, vt naturam Principis, cui inſeruit, cognoſcat. Cetera enim ſemper recte cedent. Ideo ſi perſpiciet Principem ipſum cælibi vitæ intonantem, ſed coniugum imperijs obnoxiũ; callide aget, illi ſtudio ſuo vxorem aliquam copulando.

Nec minore ambitu feminæ exarſerant,

QVOD feminæ in ambitu viris non cedant, ſed potius illos ſuperent; dubium non eſt: & ideo ſupra Auctor appellauit ſexum hunc ambitioſum, & poteſtatis auidum.

ſuam quæque nobilitatem, formam, opes contendere, ac digna tanto matrimonio oſtentare.

HAEC ſunt, quæ præcipuè in vxore diligenda inſpicere ſolent homines: nobilitas, forma, & opes. Pudicitia vero, & probitas, quæ omnes alias partes præcedere deberet, paruipenditur: idq. ob ſæculi corruptionem.

Sed maxime ambigebatur inter Lolliam Paulinam, M. Lollij conſularis filiam, & Iuliam Agrippinam Germanico genitam. huic Pallas, illi Caliſtus, fautores aderant. at Ælia Petina e familia Tuberonum Narciſſo fouebatur.

FERME ſemper apud vnumquemque Principem reperiuntur gratioſi aliqui, & præpotentes viri, qui fautores omnibus ceteris Aulæ ſectatoribus euadunt: & vt vulgo Romæ dicitur, In piſcinam ferunt.

Ipſe modo huc, modo illuc, vt quemque ſuadentium audierat promptus, diſcordantes in concilium vocat, ac promere ſententiam, & adijcere rationes iubet.

A CLAVDIO, etſi in ceteris fatuo Principe, hoc tamen addiſcant Principes: quòd cum inter ſuos Conſiliarios diuerſitas ſententiarum exoritur, tunc vocare in concilium diſcordantes debeant, ac vniuſcuiuſque ſententiam exquirere, & promi illam imperare cum rationibus ſuis. Ipſe Princeps poſtea deliberet id, quod ſibi magis conducere iudicabit.

Narciſſus vetus matrimonium, familiam communem, nam Antonia ex Petina erat, nihil in penatibus eius nouum differebat, ſi ſueta coniux rediret, haud quaquam nouercalibus odijs viſura Britannicum & Octauiam, proxima ſuis pignora.

NOVERCALIA odia eſſe acerrima, & omnia alia ſuperare, notiſſimum eſt. Et ſupra in lib. i. initio, de Liuia loquendo, idem explanauimus.

Caliſtus

Caliſtus improbatam longo diſſidio, ac ſi rurſus aſſumererur, eo ipſo ſuperbam,

IMPROBATI longo diſsidio, ſi rurſus aſſumuntur, eo ipſo ſuperbi fiunt. Et hæc regula tam in miniſtris Principum, quàm in vxoribus veriſsima eſſe conſpicitur.

longeq. rectius Lolliam induci, quando nullos liberos genuiſſet, vacuam æmulatione,

QVI vacui ſunt æmulatione, dubium non eſt, quin rectius in ſeruitio Principis agant. Aemulationis enim affectus, ſæpe a recta ratione deflectit voluntatis habenas.

& priuignis parentis loco futuram.

RARISSIMAE ſunt nouercæ, quæ priuignis ſint loco parentum: eum potius eos mortali odio proſequi ſoleant.

At Pallas id maxime in Agrippina laudare, quòd Germanici nepotem ſecum traheret dignum prorſus imperatoria fortuna, ſtirpem nobilem & familiæ Claudiæ, quæ poſteros cōiungeret; ne femina experta fecunditatis, integra iuuenta, claritudinem Cæſarum aliam in domum ferret. Præualuere hæc adiuta Agrippinæ illecebris.

ILLECEBRAE muliebres, adeo ſunt efficaces, & validæ, vt ſæpe etiam prudentiſsimorum hominum mentes conuellant, & tranſuertant. Et obſeruanda eſt hæc dictio, Adiuta: nam in Aula Romana quotidie de Aulico dicitur: Ipſe ſe adiuuat, adiuuate: & nulla fere alia vox hac eſt vulgatior. Et qui magis ſe ſcit adiuuare, ille ſolertior æſtimatur Aulicus. Sed modi adiuuandi ſe multi ſunt, tam recti, quàm mali: de quibus nunc locus non eſt diſſerendi. Illud tantum dico, & cum hoc concludo, quòd Aulicus cum virtute ſemper in Dei ſeruitio, & Principis ſui gradiens, ſeipſum optime adiuuabit; & a Deo, & Principe, cui inſeruit, adiuuabitur.

Quæ ad eum per ſpeciem neceſſitudinis crebro ventitando pellicit patruum;

SAEPE ſpecie neceſsitudinis mulieres cum affinibus & conſanguineis tractando, adulterijs & inceſtibus occaſionem præbent. Ideo remouendæ ſunt occaſiones, & perraro cum eis verſandum.

Vt prælata ceteris, & nondum vxor, potentia vxoria iam vteretur.

NONNVMQVAM euenire ſolet, vt mulier, quæ aliquem amore incendit; etſi nondum vxor ſit, potentia tamen vxoria vtatur.

Nam vbi ſui matrimonij certa fuit, ſtruere maiora, nuptiasq. Domitij, quem ex Gn. Ænobarbo genuerat, & Octauiæ Cæſaris filiæ moliri:

DVAS in Tacito obſeruet Lector Agrippinas, matrem, & filiam, longe diuerſas. Mater pudiciſsima, filia impudiciſsima fuit: ſed vtraque ferox animi, & dominandi auida.

quod ſine ſcelere perpetrari non poterat, quia L. Sillano deſponderat Octauiam Cæſar, iuuenemq. & alia clarum, inſigni triumphalium, & gladiatorij muneris magnificentia, protulerat ad ſtudia vulgi.

DIGNITATES, & Principatus, ad quos aſcendi ſine ſcelere non poteſt; fugere ſemper debet quiuis probus & cordatus vir. Tamen, neſcio quo modo effectum eſt, vt hæc dominandi ambitio omnia confundat, & nihil penſi ducat, honeſtum ne ſit, vel inhoneſtum medium, per quod ad imperium peruenire poſsit.

Sed nihil arduum videbatur in animo principis, cui non iudicium, non odium erat, niſi indita & iuſſa.

ARDVVM nihil videri poteſt in animo Principis, cui non iudicium, non odium eſt, niſi indita, & iuſſa. Ideo Princeps qui exiſtimationem acquirere & conſeruare velit, totus ex ſe, & ex ſuo iudicio pendere debet. Nam alioquin contemnendus euadet. Vt ſupra ſæpe obſeruauimus.

Igitur Vitellius nomine Cenſoris, ſeruiles fallacias obtegens, ingruentiumq. dominationum prouiſor, quo gratiam Agrippinæ pararet,

SAGAX Aulicus ſemper ingruentes dominationes prouidet, & gratiam earum parat. Et ſub ſpecioſo alicuius dignitatis nomine, ſeruiles fallacias adulando obtegere ſolet.

conſilijs eius implicari,

QVI vult adipiſci potentiam & gratiam apud aliquem Principem, conſilijs illius implicare ſe ſtudeat. Hac enim eſt potiſſima via acquirendi apud ipſum, vim & fauorem.

Ferre crimina in Sillanum, cui ſane decora & procax ſoror Iunia Caluina haud multum ante Vitellij nurus fuerat. hinc initium accuſationis, frattisq. non inceſtum, ſed incuſtoditum amorem ad infamiam traxit.

INFAMIA ſæpe venit, non tam ex illicito, quàm ex incuſtodito amore: qui quamuis ſit ſine crimine; rapi tamen in crimen poteſt.

& præbebat Cæſar aures, accipiendis aduerſum generum ſuſpicionibus charitate filiæ promptior.

PROMPTI ſunt ſoceri ad accipiendas ſuſpiciones erga generos charitate filiarum.

At Sillanus inſidiarum neſcius, ac forte eo anno prætor, repente per edictum Vitellij ordine ſenatorio mouetur, quamquā lecto pridem ſenatu, luſtroq. condito, ſimul affinitatem Claudius diremit. adactusq. Sillanus eiurare magiſtratum, & reliquus præturæ dies in Eprium Marcellum collatus eſt. C. Pompeio, Q. Verannio COSS. pactum inter Claudium & Agrippinam matrimonium. Iam fama, iam amore illicito firmabatur, necdum celebrare ſollemnia nuptiarum audebant, nullo exemplo deducta in domum patrui fratris filia. Quin & inceſtum, ac ſi ſperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur.

PRINCEPS ſtudeat omnibus modis, non ſpernere flagitiorū infamiam: & caueat mala exempla in ciuitate ſua introducere. Inde enim malum publicum erumpet.

Nec ante omiſſa contatio, quàm Vitellius ſuis artibus id perpetrandum ſumpſit. Percontatusq. Cæſatem, an iuſſis populi, an auctoritati ſenatus cederet? vbi ille vnum ſe ciuium & ſenatus conſenſui imparem reſpondit, opperiri intra palatium iubet.

ET hanc vocem non fatuam a fatuo Principe prolatam, mandent menti Principes. Nempe, quòd Princeps vnus eſt ciuis, & ſenatus conſenſui impar.

ipſe curiam ingreditur, ſummamq. Reip. agi obteſtans, veniam dicendi ante alios expoſcit, orditurq. Grauiſſimos principis labores, quîs orbem terræ capeſſat, egere adminiculis, vt domeſtica cura vacuus in commune conſulat.

PRINCIPIS labores grauiſſimi, quîs orbem terræ capeſſit, egent adminiculis: vt domeſtica cura vacuus, in commune conſulat.

quòd porro honeſtius cenſoriæ mentis leuamen, quàm aſſumete coniugem proſperis dubijsq. ſociam?

PROPRIVM munus eſt coniugum, vt ſint ſocia proſperis dubijsq.

cui cogitationes intimas, cui patuos liberos tradat, non luxui aut volupratibus aſſuefactus, ſed qui prima ab iuuēta legibus obtemperauiſſet. Poſtquam hæc fauorabili oratione præmiſit, multaq. patrum aſſentatio ſequebatur; capto rurſus initio. Quando maritandum principem cuncti ſuaderent, diligi oportere feminā nobilitate, puerperijs, ſanctimonia inſignem. Nec diu inquirendū, quin Agrippina claritudine generis anteiret. datum ab ea fecunditatis experimentum, & congruere artes honeſtas. Id vero egregium, quòd prouiſu deum vidua iungeretur principi, ſua tantū matrimonia experto. audiuiſſe a parentibus, vidiſſe ipſos, arripi coniuges ad libita Cæſarum: procul id a præſenri modeſtia: ſtatuetetur immo documentum, quo vxorem imperator accipetet. At enim noua nobis in fratrum filias coniugia. Sed alijs gentibus ſollemnia, nec lege vlla prohibita. Et ſobrinarum diu ignotata, tempore addito percrebuiſſe: morem accommodati prout conducat,

PRVDENTIS eſt morem accommodare, prout conducit. Talia ſunt ingenia verſatilia.

& fore

& fore hoc quoque in his, quæ mox vſurpentur.

SIC ſupra lib. xj. inquit: Inueteraſcet hoc quoque, & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.

Haud defuere qui certatim, ſi contaretur Cæſar, vi acturos teſtificantes, erumperent curia. Conglobatur promiſcua multitudo, populumq. Romanum eadem rogare elamitat. Nec Claudius vltra expectato, obuium apud forum præbet ſe gratantibus.

NVMQVAM. Aulicus præbeat obuium ſe gratantibus, niſi certo ſciat ſe dignitatem adeptum eſſe, & certitudinem expectet. Stis quod dico.

Senatumq. ingreſſus decretum poſtulat, quo iuſtæ inter patruos fratrumq. filias nuptiæ etiam in poſterum ſtatuerentur. Neque tamen repertus eſt, niſi vnus talis matrimonij cupitor, T. Alledius Seuerus eques Romanus, quem plerique Agrippinæ gratia impulſum ferebant.

NIHIL nouum eſt, gratia Principum regnantium multos impelli ad ſcelera & flagitia patranda.

Verſa ex eo ciuitas, & cuncta feminæ obediebant, non per laſciuiam, vt Meſſalina, rebus Romanis illudenti.

FEMINAE, ſi quando regnant, ſolent fere ſemper per laſciuiam illudere rebus publicis & populorum ſaluti.

Addictum quaſi & virile ſeruitium. Palam ſeueritas, ac ſæpius ſuperbia: nihil domi impudicum, niſi dominationi expediret: cupido auri immenſa obtentum habebat, quaſi ſubſidium regno pararetur.

TYRANNICVM morem exprimit Auctor hic, qui quaſi ad amuſſim in Angliæ peſſima Regina hodie conſpicitur. Vbi palam ſeueritas eſt, ac ſæpius ſuperbia nihil domi impudicum, niſi dominationi expediat: cupido auri immenſa obtentum habet, quaſi ſubſidium regno paretur.

Die nuptiarum Silanus ſibi mortem conſciuit, ſiue eo vſque ſpem vitæ produxerat, ſeu delecto die, augendam ad inuidiam.

TEMPORIS circumſtantia multum referi in aliquo facinore: ſiue ad augendam inuidiam, ſiue ad aliud adhibeatur.

Caluina ſoror eius Italia pulſa eſt. Addidit Claudius ſacra ex legibus Tulli regis, piaculaq. apud lucum Dianæ per Pontifices danda: inridentibus cunctis, quòd pœnæ procurationesq. inceſti id temporis exquirerentur.

TVRPE eſt auctori, cum culpa redarguit ipſum. Ideo Princeps, qui in alio plectit, quod ipſe admittit; rem facit, & illaudatam, & turpem: immo etiam ridiculam.

At Agrippina ne malis tantum facinoribus innoteſceret,

VE illis, qui malis tantum facinoribus innoteſcunt: cito enim corruunt.

Veniam exſilij pro Annæo Seneca, ſimul præturam impetrat, lætum in publicum rata, ob claritudinem ſtudiorum eius;

MAGNVM apud vulgus fauorem conciliare ſolet, claritudo ſtudiorum, quæ in aliquo viro emineat. Et tales vere ſunt patriæ decora: vt ſuprà Auctor dixit.

vtq. Domitij pueritia tali magiſtro adoleſceret, & conſilijs eiuſdem ad ſpem dominationis vteretur.

RECTE agunt Principes, qui filiorum pueritiam clariſſimis magiſtris erudiendam, & inſtituendam tradunt; vt conſilijs eorum ad ſpem dominationis vtantur. Nam,

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu: vt inquit Horatius.

Et hoc quantum referat, clarum exemplum nobis reliquit Philippus ille Macedonia Rex celebris, & fortis: qui eo die, quo natus eſt ſibi Alexander, talem Ariſtoteli ſcripſit epiſtolam: Philippus Ariſtoteli ſalutem dicit. Filium mihi genitum ſcito. Quod equidem dijs habeo gratiam: non proinde quòd natus eſt, quàm quòd eum naſci contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore, vt eductus, eruditusq. a te, dignos exſtat & nobis, & rerum iſtarum ſucceſſione. *Gel. lib. 9. c. 3. Noct. Attic. Hinc prudentiſsime SIXTVS V. ferme ſtatim ac creatus eſt Pont. Max. Alexandri Card. de Montealto Pronepotis ſui adoleſcentiam Io. Angelo Papio viro eruditiſsimo vni omnium præ ceteris erudiendam, & inſtituendam tradidit.*

quia Seneca fidus in Agrippinam memoria beneficij, & infenſus Claudio dolore iniuriæ credebatur.

EX memoria beneficiorum, fidi redduntur nobis homines: vt econuerſo e dolore iniuria infenſi. Et hoc præceptum eſt vtiliſsimum Principibus, vt ſciant quibus modis gentem demerere poſsint: & quibus amittere, & alienare.

Placitum dehinc non vltra contari: ſed deſignatum conſulem Memmium Pollionem ingentibus promiſſis inducunt ſententiam expromere, qua hortaretur Claudius, deſpondere Octauiam Domitio.

PER ingentia promiſſa a Principe facta alicui, quid iniquum, & iniuſtum ille non committet? Male equidem hoc fiet. Deus tamen ab hac tentatione nos liberet.

quod ætati vtriuſque non abſurdum, & maiora patefacturum erat. Pollio haud diſparibus verbis, ac nuper Vitellius, cenſet. deſponderturq. Octauia. ac ſecundum priorem neceſſitudinem, ſponſus iam & gener Domitius æquari Britannico, ſtudijs matris, arte eorum quis ob accuſatam Meſſalinam vltio ex filio timebatur.

PRVDENTER faciunt Aulici, qui ſi aliqua in re magni momenti Principem defunctum leſerunt, ſtudent, ne ſanguis eius regnum apiſcatur. Nam proculdubio ſemper illis erit vltio in perniciem ſuam timenda.

Per idem tempus legati Parthorum ad expetendum, vt retuli, Meherdatem miſſi, ſenatum ingrediuntur, mandata in hunc modum incipiunt: Non ſe fœderis ignaros, nec defectione a familia Arſacidarum venire: ſed filium Vononis, nepotem Phrahatis, accerſere aduerſus dominationem Gotarzis, nobilitati plebiq. iuxta intolerandam.

BREVIS & caduca, neceſſe eſt, vt ſit dominatio illa, quæ nobilitati & plebi iuxta eſt intoleranda. Ex his enim duobus membris, omnium fere ciuitatum corpus conſtat.

Iam fratres, iam propinquos, iam longius ſitos, cædibus exhauſtos: adijci coniuges grauidas, liberos paruos, dum ſecors domi, bellis infauſtus, ignauiam ſæuitia tegat.

TYRANNI fere ſemper hoc agunt: Sunt domi ſecordes, bellis infauſti, & ignauiam ſæuitia tegunt.

Veterem ſibi ac publice cœptam nobiſcum amicitiam: & ſubueniendum ſocijs virium æmulis, cedentibusq. per reuerentiam.

CERTE, & ſubueniendum, & fauendum eſt ſocijs virium æmulis, cedentibusq. per reuerentiam. Simile habes infra in lib. 2. Hiſt. de Mutiano in ipſius oratione ad Veſpaſianum, cum inquit: Ne tamen Mutianum ſocium ſpreueris, quia æmulum non experiris.

Ideo regum obſides liberos dari, vt ſi domeſtici imperij tædeat, ſit regreſſus ad principem patresq. quorum moribus aſſuefactus rex melior aſciſceretur.

RATIONE hac impulſi, ſolebant Reges dare antiquitus filios obſides Principi Romano: vt ſi domeſtici imperij tæderet, eſſet regreſſus ad eum, patresq. quorum moribus aſſuefactus Rex melior aſciſceretur.

Vbi hæc atque talia diſſertauere, incipit orationem Cæſar, de faſtigio Romano, Parthorumq. obſequijs: ſeq. diuo Auguſto adæquabat, petitum ab eo regem referens, omiſſa Tiberij memoria, quamquam is quoque miſerat. Addiditq. præcepta, & enim aderat

Meherda-

Meherdates, vt non dominationem & ſeruos, ſed rectorem & ciues cogitaret, clementiamq. ac iuſtitiam quanto ignara barbaris, tanto tolerantiora capeſſeret.

HOC modo Principatus eſſent diuturni: ſi Principes non dominationem, & ſeruos, ſed rectorem, & ciues cogitarent: clementiamq. & iuſtitiam, quanto ignara pleriſque, tanto tolerantiora capeſſerent.

hinc verſus ad legatos, extollit laudibus alumnum vrbis, ſpectatę ad id modeſtiæ: ac tamen ferenda regum ingenia, neque vſui crebras mutationes.

REGVM ingenia ſunt ferenda, nec vſui veniunt crebræ mutationes: etſi aliquibus de Imperijs alij diuerſe ſentiant. In eandem ſententiam in perſona Marcelli Eprij in lib. iiij. Hiſt. inquit Auctor: Principes bonos ſe expetere, qualeſcumque tolerare.

rem Romanam huc ſatietate gloriæ prouectam, vt externis quoque gentibus quietem velit datam.

CVM gloria ardor fuerit ſemper vna ex potiſſimis cauſſis ferendi bella inter magnos Principes, recte poteſt dici, quòd ſi aliquis magnus & potens Princeps externis gentibus velit quietem datam, gloriæ ſatietas hunc teneat.

Poſt hæc C. Caſſio, qui Syriæ præerat, deducere iuuenem ripam ad Euphratis iubet. Ea tempeſtate Caſſius ceteros præeminebat peritia legum. nam militares artes per otium ignotæ, induſtriosq. ac ignauos pax in æquo tenet.

PER otium ſunt ignotæ militares artes, induſtriosq. ac ignauos pax in æquo tenet. Hoc eſt, non diſcernitur nec diſtinguitur re in aliqua induſtrius ab ignauo pacis & otij tempore. Quod non ſucederet, ſi bellum ardeſceret: nam tunc ille huic imperaret, & præferretur ab omnibus.

Attamen quantum ſine bello dabatur, reuocare priſcum morem, exercere legiones, cura, prouiſu agere, perinde ac ſi hoſtis ingrueret.

DISCIPLINÆ militari hoc cõuenit, vt quantum ſine bello datur, dux reuocet priſcum morem, exerceat milites, cura, & prouiſu agat, perinde ac ſi hoſtis ingruat. Et cum nihil aliud agere poſſit, aliqua meditetur, & machinetur, quæ, exoriente bello, illi poſſint vtilitatem conferre. Sic agebat Philopœmenes ille ſolertiſſimus Achæorum Dux: Sic etiam hodie factitare ſolent plerique Duces, qui a VENETORVM REPVBLICA ſtipendio conducti, tam in pace, quàm in bello ei addicti ſunt.

Ita dignum maioribus ſuis, & familia Caſſia ratus, per illas quoque gentes celebrata. Igitur excitis quorum de ſententia petitus rex, poſitisq. caſtris apud Zeugma, vnde maxime peruius amnis, poſtquam inluſtres Parthi, rexq. Arabum Abbarus aduenerat, monet Meherdatem, barbarorum impetus acres contatione langueſcere, aut in perfidiam mutari. itaque vrgeret cœpta.

IMPETVS barbarorum acres contatione langueſcunt, aut in perfidiam mutantur: proinde vrgenda cum illis ſunt cœpta. Idem fere de omnibus ceteris populis poteſt dici.

Quod ſpretum fraude Abbari, qui iuuenem ignarum, & ſummam fortunam in luxu ratum, multos per dies attinuit apud opidum Edeſſam.

MERETVR iure nomen ignari Princeps ille, qui ſummam fortunam principatus in luxu conſiſtere opinatur. Cum immo in curis, laboribus, vigilijs, & prouiſu verſetur.

Et vocante Carrhene, promptasq. res oſtentante, ſi citi aduenisſent, non cominus Meſopotamiam, ſed flexu Armeniam petunt, id temporis importunam, quia hiems occipiebat.

AD militarem diſciplinam hoc ſummopere pertinet, vt in aggrediendo aliquo magno facinore, temporis conditio, & regionis qualitas conſideretur. Hiemali enim tempore in frigidis regionibus belligerare inutum, & inutile prorſus eſſet.

Exin

Exin niuibus & montibus feſſi, poſtquam campis propinquabant, copijs Carrhenis adiunguntur. Tranſmiſſoq; amne Tigri, permeant Adiabenos, quorum rex Iuliates ſocietatem Meherdatis palam induerat, in Gotatzen per occulta & magis fida inclinabat.

PRODITORES hoc modo ſe gerunt: palam ſocietatem tuam induunt, & per occulta & magis fida in hoſtes tuos inclinant.

Sed capta in tranſitu vrbs, Ninos vetuſtiſſima ſedes Aſſyriæ, caſtellum inſigne fama, quòd poſtremo inter Dariū atque Alexandrum prçlio Perſarum illic opes conciderant. Interea Gotarzes apud montem, cui nomen Sambulos, vota dijs loci ſuſcipiebat, præcipua religionè Herculis: qui tempore ſtatuto, per quietem monet ſacerdotes, vt templum iuxta equos venatui adornatos ſiſtant. equi vbi pharetras telis onuſtas accepere, per ſaltus vagi, nocte demum vacuis pharetris, multo cum anhelitu redeunt. Rurſus deus quas ſiluas pererrauerint, nocturno viſu demonſtrat: reperiunturq. fuſæ paſſim feræ. Ceterum Gotarzes nondum ſatis aucto exercitu, flumine Corma pro munimento vti. Et quamquam per inſectationes & nuncios ad prælium vocaretur, nectere moras, locos mutare, & miſſis corruptoribus exuendam ad fidem hoſtes emercati.

INTER militaria ſtratagemata & hoc connumeratur: emercari nempe hoſtes, ad exuendam fidem miſſis corruptoribus. idq. factitari ſolet ab ijs, qui impares ſunt militum numero hoſtibus.

Ex quis Ezates Adiabenus, mox Abbarus Arabum cum exercitu abſcedunt, leuitate gentili, & quia experimentis cognitum eſt, Barbaros malle Roma petere Reges quàm habere. At Meherdates validis auxilijs nudatus, ceterorum proditione ſuſpecta, quod vnum reliquum, rem in caſum dare, prælioq. experiri ſtatuit. Nec detractauit pugnam Gotarzes, diminutis hoſtibus ferox.

AVGETVR ferocia ex diminutione hoſtium.

Concurſumq. magna cæde, & ambiguo euētu: donec Carrhenem, profligatis obuerſis, longius euectum integer a tergo globus circumueniret. Tum omni ſpe perdita, Meherdates promiſſa Parrhacis paterni cliētis ſecutus, dolo eius vincitur, traditurq. victori.

FERME ſemper omnia aduerſa ſunt intuta: vt ſupra dixit Auctor. Nec horum tempore inuenitur ſalus, nec ſubſidium etiam a propinquis, & conſanguineis. Immo ſæpiſſime hi ſunt primi, qui te produnt.

Atque ille non propinquum, neque Arſacis de gente, ſed alienigenam & Romanum increpans; auribus deciſis, viuere iubet oſtentui clementiæ ſuæ, & in nos dehoneſtamēto.

MODERATE vti victoria ſemper debent Principes: nec vmquam ob eam inſoleſcere. Rerum enim magnæ ſunt mutationes, ſic vt ſæpe quod in hoſtem tuum hodie exerces, poſtea ab alio hoſte pati tu potes.

Dein Gotarzes morbo obijt, accitusq. in regnum Vonones, Medis tum præſidens. Nulla huic proſpera, aut aduerſa quis memoraretur. breui & inglorio imperio perfunctus eſt.

IMPERIA, quorum temporibus Principibus nihil proſperi aut aduerſi memorandum euenit; ferme ſunt ſemper ingloria: nam, vt ſupra dixit Auctor, multa læta & aduerſa efficiunt, vt quis præ ceteris clarior & inſignior habeatur.

Resq. Parthorum in filiū eius Vologeſen tranſlatæ. At Mitradates Boſphoranus amiſſis opibus vagus, poſteaquam Didium ducem Romanum, toburq. exercitus abijſſe cognouerat, relictos in nouo regno Cotyn iuuentā rudem,

RVDIS eſt iuuenta, ob paucam annorum experientiam. Ariſt. in 2. Ethic. Hinc a ſapientibus negatur illi prudentia.

& paucas cohortium cum Iulio Aquila equite Romano, ſpretis vtriſque, concire nationes, illicere perfugas, poſtremo exercitu, coacto, regem Dandaridarum exturbat, imperioq. eius potitur. Quæ vbi cognita, & iam iamq. Boſphorum inuaſurus habebatur,

diffiſus

diffiſus proprijs viribus Aquila & Cotys, quia Zorſines Soracorum rex Hoſtilia reſumpſerat, externas & ipſi gratias quæſiuere, miſſis legatis ad Eunonem, qui Adorſorum genti præcellebat. Nec fuit in arduo ſocietas, potentiam Romanam aduerſus rebellem Mithradatem oſtentantibus. Igitur pepigere, equeſtribus prælijs Eunone certaret, obſidia vrbium Romani capeſſerent. Tum compoſito agmine incedunt. cuius frontem & terga, Adorſi; media cohortes & Boſphorani, tutabantur; noſtris, in armis. Sic pulſus hoſtis, ventumq. Soza opidum Dandaricæ, quod deſertum a Mithradate, ob ambiguos popularium animos obtineri relicto ibi præſidio viſum. Exin Soracos pergunt. & tranſgreſſi amnem Pandam, circumueniunt vrbem Vſpen, editam loco, & mœnibus ac foſſis munitam, niſi quòd mœnia non ſaxo ſed cratibus iunctis, ac media humo aduerſum irrumpentes inualida erant: eductæq. altius turres, facibus atque haſtis turbabant obſeſſos. ac ni prælium nox diremiſſet, cœpta patrataq. expugnatio eundem intra diem foret. Poſtero miſere legatos, veniam liberis corporibus orantes: Seruitij decem millia offerebant. quod aſpernati ſunt victores, quia trucidare deditos ſæuum, tantam multitudinem cuſtodia cingere arduum: vt belli potius iure caderent. Datumq. militibus, qui ſcalis euaſerant, ſignum cædis.

CVM ad hoc redigitur in oppugnatione maximæ alicuius & rebellis vrbis dux prudens: vt aut recipere multa ſeruitia poſſit ſe dedentium, aut eam vi excindere: potius eam excindere debet. Nam trucidare deditos, ſæuum eſt. Ingentem multitudinem cuſtodia cingere arduum. Melius ergo eſt, vt iure belli cadant.

Excidio Vſpenſium metus ceteris iniectus, nihil tutum ratis, cum arma, munimenta, impediti vel eminentis loci, amnesq. & vrbes iuxta perrumperentur. Igitur Zorſines diu penſitato Mithradatis ne rebus extremis, an patrio regno cōſuleret: poſtquam præualuit gentilis vtilitas, datis obſidibus, apud effigiem Cæſaris procubuit, magna gloria exercitus Romani, quem incruentum & victorem,

MAGNA laus eſt, victoriam de hoſte adipiſci. Sed incruentam eam reportare, multo eſt laudabilius.

tridui itinere abfuiſſe ab amne Tanai conſtitit. Sed in regreſſu diſpar fortuna fuit; quia nauium quaſdam, quæ mari remeabant, in litora Taurorum delatas circumuenere barbari, præfecto cohortis, & pleriſque centurionum interfectis. Interea Mithradates nullo in armis ſubſidio, conſultat cuius miſericordiam experiretur.

CVM nullum eſt in armis ſubſidium; tunc experienda eſt hoſtis miſericordia. Hoc eſt, fortiter omnia conari, & aggredi, antequam ad hoc vir fortis deueniat.

Frater Cotys proditor olim, deinde hoſtis metuebatur.

QVI olim te prodidit, deinde tibi hoſtis fuit: hunc ſemper metuas, nec vmquam illi fidem adhibeas.

Romanorum nemo id auctoritatis aderat, vt promiſſa eius magni penderentur.

MAXIMAE auctoritatis oportet ſit ille, cuius promiſſa magni pendantur ab hoſte.

Ad Eunonem conuertit proprijs odijs infenſum, & recens coniuncta nobiſcum amicitia, validum.

SAEPE in hoſte externo, & ſolum proprijs odijs infenſo, plus clementia inuenitur, quàm in conſanguineo. Sic, vt hic Mithradates cum Eunone, egit Coriolanus cum Tullio Actio Volſcorum Rege. Liuius, Plutarchus, & Dionyſius.

Igitur cultu, vultuq. quàm maxime ad præſentem fortunam comparato, regiam ingreditur,

MVLTVM refert in vnaquaque re perſuadenda, vt cultum, vultumq. habeamus quàm maxime ad præſentem fortunam accommodatum.

genibusq.

genibusq. eius prouolutus, Mithradates, inquit, terra mariq. Romanis per tot annos quæſitus, ſponte adſum. Vtere vt voles prole magni Achemenis, quod mihi ſolum hoſtes non abſtulerunt.

ET vitam, & opes, & cetera bona, quæ fortunæ appellantur, eripi nobis ab hoſte poſſunt. Nobilitas vero, & generis claritudo numquam auferri poterit. Et eſt admodum magnanima hæc Mithradatis oratiuncula.

At Eunones claritudine viri, mutatione rerum, & prece haud degenere permotus,

TRIA hæc debent maxime permouere Principem ad miſericordiam: claritudo perſonæ, mutatio rerum, & preces haud degeneres.

alleuat ſupplicem, laudatq. quod gentem Adorſorum, quòd ſuam dexteram petendæ veniæ dilegerit.

QVI ex pluribus alijs, quorum fidem petenda venia dilegere potuiſſet, noſtram dexteram & fidem præfert; is meretur, vt eum omni conatu adiuuemus. Ne fruſtra eum ſic credidiſſe, appareat.

Simul legatos litterasq. ad Cæſarem in hunc modum mittit. Po. Romani imperatoribus magnarumq. nationum regibus, primam ex ſimilitudine fortunæ amicitiam,

IMPERATORIBVS, & magnarum nationum Regibus, prima eſt ex ſimilitudine fortunæ amicitia.

ſibi & Cladio, ex communione victorꝯ eſſe.

MAGNIS ducibus, ex communione victoriæ, amicitia gigni ſolet.

Bellorum egregios fines, quoties ignoſcendo tranſigatur.

EGREGII ſunt fines bellorum, quoties ignoſcendo tranſiguntur.

Sic Zorſini victo nihil ereptum. Pro Mithradate quando grauius mereretur, non potentiam neque regnum precari, ſed ne triumpharetur, neue pœnas capite expenderet.

IN petitionibus, ſemper eſt modeſtiæ ratio habenda, & merita perſonarum recta lance debent à Principe diſtingui.

Atque Cladius, quamquam nobilitatibus externis mitis,

PRINCEPS debet eſſe mitis, non ſolum nobilitatibus externis: ſed etiam ſubditorum ſuorum. Conformitas enim ſui ſtatus cum illorum ſtatu plurima ineſt.

dubitauit tamen, accipere captiuum pacto ſalutis, an repetere armis rectius foret. Hinc dolor iniuriarum, & libido vindictæ adigebat.

QVID poſſit dolor iniuriarum, & libido vindictæ in Principe; ſatis ſuperq. ſupra in lib. j. initio obſeruauimus. Ibi ergo Lectorem remittimus.

Sed differebatur contra: ſuſcipi bellum auio itinere, importuoſo mari: ad hoc reges feroces, vagos populos, ſolum frugum egens: tum tædium ex mora pericula ex properantia; modicam victoribus laudem, ac multum infamiæ, ſi pellerentur. quin arriperet oblata, & ſeruaret exulem.

IN bello difficili ac longinquo, quod ſuſcipiendum eſt auio itinere, importuoſo mari, inter Reges feroces, vagos populos, vbi ſit ſolum frugum egens, tum tædium ex mora, pericula ex properantia, & in fine eius poſtea modica victoribus laus, ſed multum infamia, ſi pellantur: Satius eſt, inquam, tot tantasq. difficultates examinando, arripere oblata pacis cum dignitate, & bellum omittere.

cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus ſupplicij fore.

QVANTO longior eſt vita Principi inopi, tanto plus eſt ſupplicij. Nec eſt res vlla in hoc terrarum orbe, quæ magis ante oculos mortalium ponat miſeriæ extremæ ſpeciem: quàm Princeps inops, & mendicus.

His

His permotus, ſcripſit Eunoni meritum quidem nouiſſima exempla Mithradatem, nec ſibi vim ad exequendum deeſſe: verum ita maioribus placitum, quanta peruicacia in hoſtem, tanta beneficentia aduerſus ſupplices vtendum. nam triumphos de populis regnisq. integris adquiri.

PRAECLARI Principes, magna debent vti in hoſtem pernicacia, & aduerſus ſupplices beneficentia. Triumphi enim non de vno ſupplice tantum, ſed de regnis, & populis integris acquiruntur.

Traditus poſt hæc Mithradates, vectusq. Romam per Iunium Colonem procuratorem Ponti, ferocius quàm pro fortuna diſſeruiſſe apud Cæſarem ferebatur.

IMPRVDENTIS eſt diſſerere ferocius quàm pro fortuna. Huc perbelle faciunt Horatiani illi verſus in lib. De arte Poetica.

Telephus & Peleus, cum pauper, & exſul vterque,
Proijcit ampullas, & ſeſquipedalia verba;
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela.

Elataq. vox eius in vulgum hiſce verbis:

MAGNORVM virorum ac Principum verba, ſtatim ac ore proferuntur, ſimul etiam in vulgus efferuntur.

Non ſum remiſſus ad te, ſed reuerſus: vel ſi non credis, dimitte & quære.

ALIVD eſt aliquem aliquo remitti, aliud reuerti. Illud enim prius in alterum manu poſitum eſt, & hominem ſui iuris non eſſe indicat: hoc vero in poteſtate reuertentis manet. Ideo Mithradates, dedignando quòd vt captiuus crederetur Romam veniſſe, ferociter dixit: Se non remiſſum eſſe, ſed reuerſum.

vultu quoque interrito permanſit, cum roſtra iuxta, cuſtodibus circumdatus, viſui populo præberetur. Conſularia inſignia Coloni, Aquilæ prætoria decernuntur. Iiſdem conſulibus atrox odij Agrippina ac Lolliæ infenſa, quòd ſecum de matrimonio principis certauiſſet; molitur crimina, & accuſatorem, qui obijceret Chaldęos, magos, interrogatumq. Apollinis Clarij ſimulacrum ſuper nuptijs imperatoris.

ACERRIMAE ſemper præ ceteris omnibus ſunt feminarum æmulationes, ſed eæ præſertim, quæ aut ab amoris, vel matrimonij certamine proueniunt.

Exin Claudius inaudita rea,

TVRPE eſt, & Principi exitiabile, damnare reos inauditos.

multa de claritudine eius apud ſenatum præfatus, ſorore L. Voluſij genitam maiorem ei patruum Cottam Meſſalinum eſſe, Memmio quondam Regulo nuptam, nam de C. Cæſaris nuptijs conſulto reticebat, addidit pernicioſa in Remp. conſilia, & materiem ſceleri detrahendam.

SI recte viuere volumus, materies ſceleri eſt detrahenda: & non ſolum ſceleri, ſed ſceleris ſuſpicioni, vnde ſcandalum venire poſſit. Huc pertinet Euangelicum illud Matthæi 5. Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum: & quæ ſequuntur.

Proin publicatis bonis, cederet Italia. Ita quinquagies ſeſtertium ex opibus immenſis exſuli relictum. Et Calpurnia inluſtris femina peruertitur, quia formam eius laudauerat princeps, nulla libidine ſed fortuito ſermone.

ZELOTYPIA in muliere feroci, furori & inſaniæ ſimillima eſt, vnde nil mirum, ſi ab ea multa & enormia veniunt ſcandala.

vnde vis Agrippinæ citra vltima ſtetit. In Lolliam mittitur tribunus, a quo ad mortem adigeretur. Damnatus & lege repetundarum Cadius Rufus, accuſantibus Bithynis. Galliæ Narbunenſi ob egregiam in patres reuerentiam datum, vt ſenatoribus eius prouin-

prouinciæ, non exquiſita principis ſententia, iure quo Sicilia haberetur, res ſuas inuiſere liceret.

PERSONARVM merita numquam ſine debito præmio linquat Princeps. Ob hoc enim præcipue imperat, vt virtutibus præmia, flagitijs pœnas irroget.

Ituræiq. & Iudæi, defunctis regibus Sohemo atque Agrippa, prouinciæ Syriæ additi.

Salutis augurium quinque & viginti annis omiſſum repeti ac deinde continuari placitum. Et pomerium vrbis auxit Cæſar more priſco; quo ijs, qui protulere imperium, etiam terminos vrbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus ſubactis, vſurpauerant, niſi L. Sulla, & diuus Auguſtus. Regum in eo ambitio, vel gloria varie vulgata. Sed initium condendi, & quod pomerium Romulus poſuerit, noſcere haud abſurdum reor.

HISTORIARVM ſcriptor non debet omittere in ſcriptis ſuis, relationem originis rerum, & actionum magnarum.

Igitur a foro boario, vbi æreum tauri ſimulacrum aſpicimus, quia id genus animaliũ aratro ſubditur, ſulcus deſignandi opidi cœptus, vt magnam Herculis aram amplecteretur. Inde certis ſpatijs interiecti lapides, per ima montis Palatini ad aram Conſi, mox ad Curias veteres, tum ad ſacellum Larium, forumq. Romanum & Capitolium non a Romulo, ſed a T. Tatio additum vrbi credidere. Mox pro fortuna pomerium auctum.

RES noſtræ, & publicæ, & priuatæ, ſemper pro fortuna augentur: hoc eſt in creſcendis fortunæ bonis, & cetera res ereſcere ſolent.

Et quos tum Claudius terminos poſuerit, facile cognitu, & publicis actis præſcriptum. C. Antiſtio, M. Suilio Coss. adoptio in Domitium auctoritate Pallantis feſtinatur. qui obſtrictus Agrippinæ vt conciliator nuptiarum, & mox ſtupro eius illigatus,

ARS ſceleſtorum, illigare flagitij conſcios, vt magis ſibi obſtringantur. Sic ſupra de Seiano cum Lygdo ſpadone.

ſtimulabat Claudium, conſuleret Reip. Britannici pueritiam robore circumdaret.

PRINCEPS debet circumdare robore filij vnici pueritiam. Sic ſupra in lib. i. initio de Auguſto: Sed quo pluribus munimentis inſiſteret: &c.

Sic apud diuum Auguſtum, quamquam nepotibus ſubnixum, viguiſſe priuignos: a Tiberio, ſuper propriam ſtirpem, Germanicum aſſumptum. Se quoque accingeret iuuene, partem curarum capeſſituro. His euictus, biennio maiorem natu Domitium filio anteponit, habita apud ſenatum oratione in eundem, quem a liberto acceperat, modum. Adnotabant periti, nullam ante hac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eosq. ab Atto Clauſo continuos durauiſſe.

PERITORVM & prudentium munus eſt, annotare præterita, vt præſentia dirigere, & futurorum rationem callere poſſint.

Ceterum actæ principi grates.

FINIS eſt hic ſemper omnium cum dominante: agere nempe illi grates. Sic infra lib. xiij. Annal. in Seneca cum Nerone videbimus.

exquiſitiore in Domitium adulatione.

POSTERIOR & recentior adulatio ſemper ſolet eſſe exquiſitior: & hoc ſtudent adulatores, vt eam reddant gratiorem, & digniorem.

Rogataq. lex, qua in familiam Claudiam & nomen Neronis tranſiret. Augetur & Agrippina cognomento Auguſtæ. quibus patratis, nemo adeo expers miſericordiæ fuit, quem non Britannici fortunæ mæror afficeret. deſolatus paulatim etiam ſeruilibus miniſterijs, per intempeſtiua nouercæ officia, in ludibria vertebat, intelligens falſi.

VIDE hoc in loco Lipſij Commentarium.

Neque

Neque enim ſegnem ei fuiſſe indolem ferunt, ſiue verum, ſeu periculis commendatus retinuit famam ſine experimento.

PLERVMQVE accidit, vt viri periculis commendati, retineant famam ſine experimento.

Sed Agrippina, quo vim ſuam ſocijs quoque nationibus oſtentaret, in opidum Vbiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamq. deduci imperat; cui nomen inditum ex vocabulo ipſius.

INTER præcipuas magni Principis in pace actiones, quæ laudem mereantur; eſt vrbium, & ciuitatum ædificatio. Quibus iure poſtea nomen ex ipſorum vocabulo imponi debet. Et locis, in quibus geniti ſunt, conueuit ſemper Principes addere dignationem, & decus. Sic PIVS II. Corſinianum opidum, in quo natus fuerat, in ciuitatem redegit, & Pientiam nominauit. Sic SIXTVS V. Montealtum patriam ſuam illuſtrauit, ei iura ciuitatis, & Epiſcopatum tribuendo.

Ac forte acciderat, vt eam gentem Rhemo tranſgreſſam auus Agrippa in fidem acciperet. Iiſdem temporibus in ſuperiore Germania trepidatum, aduentu Cattorum latrocinia agitantium. Deinde L. Pomponius legatus auxiliares Vangiones ac Nemetas addito equite alario monuit, vt anteirent populatores, vel delapſis improuiſi circumfunderentur. Et ſecuta conſilium ducis induſtria militum.

RES in bello ſemper proſpere cedent, cum ducis conſilium ſequetur induſtria militum.

diuiſiq. in duo agmina, qui læuum inter petiuerant, recens reuerſos, prædaq. per luxum vſos, & ſomno graues circumuenere.

FACILE circumueniuntur ab hoſtibus milites, qui præda per luxum vtuntur, & ſomno graues degunt.

Aucta lætitia, quòd quoſdam e clade Variana, poſt quadrageſimum annum, ſeruitio exemerant. At qui dextris & proprioribus compendijs ierant, obuio hoſti & aciem auſo, plus cladis faciunt. Et præda famaq. onuſti, ad montem Taunum reuertuntur, vbi Pomponius cum legionibus opperiebatur, ſi Catti cupidine vlciſcendi caſum pugnæ præberent. Illi metu ne hinc Romanus, inde Cheruſci, cum quîs æternum diſcordant, circumgrederetur, legatos in vrbem & obſides miſere. decretusq. Pomponio triumphalis honos, modica pars famæ eius apud poſteros, in quîs carminum gloria præcellit.

CONSPICITVR hoc ſæpe in maximis viris, vt ob virtutum, quas poſſident, varietatem, aliqua magna gloria ſit modica pars eius apud poſteros, in quis alia maiori præcellunt.

Per idem tempus Vannius Sueuis a Druſo Cæſare impoſitus, pellitur regno, prima imperij ętate clarus acceptusq. popularibus: mox diuturnitate in ſuperbiam mutans, & odio accolarum, ſimul domeſticis diſcordijs circumuentus.

NONNVMQVAM Principes, qui prima imperij ætate fuerunt clari, acceptiq. popularibus, poſtea diuturnitatem in ſuperbiam mutando; odio accolarum, domeſticis inſidijs circumueniuntur.

Auctores fuere Iubillius Hermundurorum rex, & Vangio ac Sido ſorore Vannij geniti. Nec Claudius, quamquam ſępe oratus, arma certantibus barbaris interpoſuit, tutum Vannio perfugium promittens, ſi pelleretur. ſcripſitq. P. Attilio Hiſtro, qui Pannoniæ præſidebat, legionem, ipſaq. e prouincia lecta auxilia pro ripa componeret, ſubſidio victis, & terrori aduerſus victores, ne fortuna elati, noſtram quoque pacem turbarent.

SIC debent ſe gerere magni principes, & quibus conducit res ſuas quiete habere: cum vicini externi inter ſe certant, arma ſua non interponere. Sed tamen exercitum compoſitum habere, ſubſidio victis, & terrori aduerſus victores: ne fortuna elati, ſuam pacem quoque turbent.

Bb nam

nam vis innumera Ligij, aliæq. gentes aduentabant, fama ditis regni, quod Vannius xxx. per annos prædationibus & vectigalibus auxerat. Ipſi manus propria pedites; eques e Sarmatis Iazygibus erat, impar multitudini hoſtium: eoq. caſtellis ſeſe defenſare, bellumq. ducere ſtatuerat. Sed Iazyges obſidionis impatientes, & proximos per campos vagi, neceſſitudinem pugnæ attulere, quia Ligius Hermundurusq. illic ingruebant. Igitur digreſſus caſtellis Vannius, funditur prælio; quamquam rebus aduerſis laudatus, quòd & pugnam manu capeſſit, & corpore aduerſo vulnera excepit.

POSSVMVS mereri multam laudem, quamquam rebus noſtris aduerſis. Cum eas ſcilicet fortiter excipimus, & conſtanter toleramus.

Ceterum ad claſſem in Danubio opperientem perfugit. Secuti mox clientes, & acceptis agris, in Pannonia locati ſunt. Regnum Vangio ac Sido inter ſe partiti ſunt, egregia aduerſus nos fide: ſubiectis ſuone an ſeruitij ingenio, dum adipiſcerentur dominationes multa cha ritate, & maiore odio poſtquam adepti ſunt.

ET aliquorum Principum; & ſubiectorum hoc eſt ingenium: vt dum illi adipiſcuntur dominationes, ſint erga hos multa charitate, & maiore odio poſtquam adepti ſunt.

At in Britannia P. Oſtorium proprætorem turbidę res excepere, effuſis in agrum ſociorum hoſtibus, eo violentius quòd nouum ducem exercitu ignoto, & cœpta hieme, iturum obuiam non rebantur.

NON paruam cauſſam ferociendi habent rebelles, cum aduerſus eos, mittitur nouus dux exercitui ſuo ignotus, & tempore hiemis ſiniſtro.

Ille gnarus primis euentibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit.

BELLORVM primi euentus metum aut fiduciam gignunt hoſtibus. Et ob hoc dux prouidus ſemper in his plurimum fundare exiſtimationem ſuam, & victoria ſpem debet.

& cæſis qui reſtiterunt, diſiectos conſectatus, ne rurſus conglobarentur, infenſaq. & infida pax non duci, non militi requiem permitteret.

PAX infenſa, & infida, non duci non militi requiem permittit. Et ideo prudentes Principes hanc ſemper in bellum mutant, inimicos præueniendo.

detrahere arma ſuſpectis, cinctosq. caſtris Antonam & Sabrinam fluuios cohibere parat.

BREVISSIMVS, & vtiliſſimus modus eſt hic, quo dux aduerſus perfidos victos, in ſe, ab illis tutando, vti poteſt: detrahere nempe illis arma, & poſtea in aliquo ſeruili opere eos exercere. Primum enim remedium modum eis res turbandi aufert, cum ſint inermes: ſecundum ſpiritus eorum frangit, & penitus deprimit. Sicq. tam animi, quàm corpora eorum retunduntur.

Quod primi Iceni abnuere, valida gens, nec prælijs concuſſa, quia ſocietatem noſtram volentes acceſſerant.

DIFFICILE eſt, ne dicam impoſſibile, iugum imponere genti validæ, quæ nullis pretijs ſit adhuc contuſa, & a voluntate ſua pendeat.

hisq. auctoribus circumiectæ nationes locum pugnæ dilegere, ſeptum agreſti aggere & aditu anguſto, ne peruius equiti foret. Ea munimenta dux Romanus, quamquam ſine robore legionum ſociales copias ducebat, perrumpere aggreditur, & diſtributis cohortibus, turmas quoque equitum ad munia accingit. Tunc dato ſigno perfringunt aggerem, ſuisq. clauſtris impeditos turbant. Atque illi conſcientia rebellionis & obſeptis effugijs, multa & clara facinora fecere.

DVO ſunt hæc genera neceſſitatum, quibus adducti hoſtes acerrime pugnare conſueuerunt: conſcientia rebellionis, & obſepta effugia. Ob primam enim neceſſitatem de venia deſperant: ob ſecundam de fuga.

Qua

Qua pugna filius legati, M. Oſtorius ſeruati ciuis decus meruit. Ceterum clade Icenorum compoſiti, qui bellum inter & pacem dubitabant:

VICTORIA, quæ aduerſus rebelles acquiritur, hoc efficit: ipſos domat, & illos, qui bellum inter & pacem dubitabant, componit.

& ductus in Cangos exercitus. Vaſtati agri, prædæ paſſim actæ: non auſis aciem hoſtibus, uel ſi ex occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. Iam uentum haud procul mari, quod Hiberniam inſulam aſpectat: cum ortæ apud Brigantes diſcordiæ retraxere ducem, deſtinationis certum, ne noua moliretur, niſi prioribus firmatis.

HOC ſemper deſtinare debet prudens Princeps; præſertim in bellis inferendis: noua numquam moliri, niſi prioribus firmatis.

Et Brigantes quidem, paucis, qui arma cœptabant, interfectis, in reliquos data uenia, reſedere.

HOC modo debent agere Principes cum ciuitatibus, & prouincijs, primum tunc diſcordantibus: punire paucos, qui arma cœptant, ceteris vero dare veniam.

Silurum gens, non attrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret, caſtriſq. legionum præmenda foret.

PERVERSA eſt illorum rebellium natura, qui non atrocitate, non clementia Principis mutantur, quin bellum exerceant, & in contumacia maneant.

Id quo promptius veniret, colonia Camalodunum valida ueteranorum manu deducitur in agros captiuos, ſubſidium aduerſus rebelles, & imbuendis ſocijs ad officia legum.

COLONIAE, quæ deducuntur in agros captiuos, ſunt ſubſidium aduerſum rebelles, & imbuunt ſocios ad officia legum.

Itum inde in Siluras, ſuper propriam ferociam, Caractaci viribus confiſos. quem multa ambigua, multa proſpera extulerant, vt ceteros Britannorum imperatores præmineret.

QVI ceteros æmulos præminere vult, hunc conuenit, vt multa ambigua, multa proſpera extollant: id eſt, vt in ambiguis fortiter, in ſecundis moderatum ſe gerat.

Sed aſtu, tum locorum fraude prior, vi militum inferior.

POTEST proculdubio certare cum altero duce ille, qui etſi vi militum eſt inferior, aſtu tamen, & locorum fraude eſt prior.

transfert bellum in Ordouicas, additiſq. qui pacem noſtram metuebant, nouiſſimum caſum experitur, ſumpto ad prælium loco, vt aditus, abſceſſus, cuncta nobis importuna, & ſuis in melius eſſent.

ARS hæc eſt periti ducis, qui ſit militum hoſti inferior, transferre nempe bellum, & ſumere locum ad prælium, vt aditus, abſceſſus, cuncta hoſti importuna, & ſuis in melius ſint.

Tunc montibus arduis, & ſi qua clementer accedi poterant, in modum valli ſaxa præſtruit: & præfluebat amnis vado incerto, cateruaq. maiorum pro munimentis conſtiterant. Ad hoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos, minuendo metu, accendenda ſpe, alijſq. belli incitamentis.

ANIMI militum firmantur ab eloquenti exercitus duce minuendo illius metum, & accendendo ſpem, & alijs belli incitamentis.

Enimuero Caractacus huc illuc volitans, illum diem, illam aciem teſtabatur, aut reciperandæ libertatis, aut ſeruitutis æternæ initium fore. vocabatq. nomina maiorum, qui

dictatorem Cæſarem pepuliſſent: quorum virtute uacui a ſecuribus & tributis, intemerata coniugum & liberorum corpora retinerent.

SVB Tyrannorum ſeruitute, intemerata numquam retineri poſſunt coniugum, & liberorum corpora. Secus in libero ciuitatis ſtatu.

Hæc atque talia dicenti, adſtrepere vulgus; gentili quiſque religione obtingi, non telis, non vulneribus ceſſuros. Obſtupefecit ea alacritas ducem Romanum: ſimul obiectus amnis, additum vallum, imminentia iuga, nihil niſi atrox & propugnatoribus frequens, terrebat. Sed miles prælium poſcere, cuncta virtute expugnabilia clamitare.

VIRTVTE cuncta ſunt expugnabilia. Adeo vt mortalibus hac duce nitentibus nil arduum reperiatur,

præfectiq. ac tribuni patria diſſerentes, ardorem exercitus incendebant. Tum Oſtorius, circumſpectis quæ impenetrabilia, quæque peruia, ducit infenſos, amnemq. haud difficulter euadit.

DVCIS prouidi hoc eſt officium, antequam manum cum hoſte conſerat, circumſpicere quæ ſunt impenetrabilia, & quæ peruia.

Vbi ventum ad aggerem, dum miſſilibus certabatur, plus vulnerum in nos, & pleræque cædes oriebantur. Poſteaquam facta teſtudine rudes & informes ſaxorum compages diſtractæ, parq. cominus acies; decedere Barbari in iuga montium. Sed eo quoque irrupere ferentarius grauiſq. miles. illi telis aſſultantes, hi, conferto gradu, turbatis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearumue tegmina, & ſi auxiliaribus reſiſterent, gladijs ac pilis legionariorum, ſi huc verterent, ſpatijs & haſtis auxiliarium ſternebantur. clara ea victoria fuit, captaq. vxore & filia Caractaci, fratres quoque in deditionem accepti. Ipſe, vt ferme intuta ſunt aduerſa, cum fidem Cartiſmanduæ reginæ Brigantum petiuiſſet, vinctus ac victoribus traditus eſt, nono poſt anno, quàm bellum in Britannia cœptum.

ADVERSA ferme ſunt intuta: nam in paucis fides tunc reperitur: & quod hic Caractaco euenit, idem Ludouico Sfortiæ, Moro nuncupato, accidit. Guiceiard. in Ital. Hiſt.

Vnde fama eius euecta inſulas, & proximas prouincias peruagata, per Italiam quoque celebrabatur: auebantq. viſere, quis ille, tot per annos, opes noſtras ſpreuiſſet. Ne Romę quidem ignobile Caractaci nomen erat. Et Cæſar dum ſuum decus extollit, addidit gloriam victo.

SAEPE dum victor decus ſuum extollit, addit gloriam victo.

Vocatus quippe vt ad inſigne ſpectaculum populus. Stetere in armis prætoriæ cohortes, campo qui caſtra præiacet. Tunc incedentibus regijs clientulis phaleræ torquesque, quæq. externis bellis quæſierat, traducta, mox fratres & coniux & filia: poſtremo ipſe oſtentatus. Ceterorum preces degeneres fuere ex metu.

CAVSSA precum degenerum ſolet eſſe metus.

At non Caractacus aut vultu demiſſo, aut verbis miſericordiam requirens, vbi tribunali aſtitit, in hunc modum locutus eſt:

FORTES ac magnanimi, ob aduerſa, nec vultum demittunt, nec verbis miſericordiam requirunt. Retinent enim ſemper dignitatem, nec ab ingruentibus caſibus franguntur.

Si quanta nobilitas & fortuna mihi fuit, tanta rerum proſperarum moderatio fuiſſet; amicus potius in hanc vrbem, quàm captus veniſſem:

CVI nobilitas & fortuna adſunt, huic etiam prodeſt eſſe proſperarum rerum moderationem. Sic enim euitantur ſæpe aduerſa.

neque

neque dedignatus eſſes claris maioribus ortum, pluribus gentibus imperantem fœdere pacis accipere.

DEDIGNARI non debet quilibet Monarca, & maximus Princeps, fœdere pacis accipere alterum Principem, etſi non ſibi in potentia parem, attamen claris maioribus ortum, & pluribus gentibus imperantem.

Præſens ſors mea vt mihi informis; ſic tibi magnifica eſt.

VICTORVM ſors aduerſa, vt eſt ipſis victis informis, ſic victoribus eſt magnifica.

habui equos, viros, arma, opes. quid mirum, ſi hæc inuitus amiſi?

BONORVM, quæ fortunæ appellantur, iucunditas, & amor adeo profunde in mortalium animis radices ſuas figit; vt perpaucos inuenias, niſi admodum philoſophico animo & forti ſint prædıti, qui ea inuiti non amittant, ſi habent: ſi non habent, qui plurimum diligentiæ & laboris in acquirendo non ponant. Immo etiam, quod maius & peius eſt, plurima ſcelera, & flagitia in illis adipiſcendis non admittant.

Nam ſi vos omnibus imperitate vultis; ſequitur vt omnes ſeruitutem accipiant.

IMPERIVM vnius ſupponit alterius ſeruitutem. Ideo qui vnus omnibus imperitare debet, is oportet, vt ceteros omnes in ſeruitutem redigat.

Si ſtatim deditus traderer; neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruiſſet.

CVM hoſtis ſtatim ſe dedit, nec illius fortuna, nec victoris gloria inclareſcit.

& ſupplicium mei obliuio ſequetur, at ſi incolumem ſeruaueris, æternum exemplar clementiæ ero.

HOSTIS captiuus ſi ſtatim a victore ſupplicio afficitur, obliuione ſepelitur. At ſi viuus & incolumis ſeruatur, æternum exemplar clementiæ victoris eſt.

Ad ea Cæſar veniam ipſiq. & coniugi, & fratribus, tribuit. Atque illi vinclis exſoluti Agrippinam quoque haud procul alio ſuggeſtu conſpicuam, iiſdem, quibus principem, laudibus gratibusq. venerati ſunt. Nouum ſane, & moribus veterum inſolitum, feminam ſignis Romanis præſidere.

QVID de feminarum impotentia & fragilitate ſenſerint prudentes omnes, & Philoſophi, & Legumlatores, vide præter ceteros Vlpianum in l. 2. ff. de reg. Iuris.

Ipſa ſemet parti a maioribus ſuis imperij ſociam ferebat. Vocati poſthàc patres, multa & magnifica ſuper captiuitate Caractaci diſſeruere. Neque minus id clarum, quàm cum Siphacem P. Scipio, Perſem L. Paulus, & ſi qui alij victos reges populo Romano oſtendere. Cenſentur Oſtorio triumphi inſignia proſperis ad id rebus eius, mox ambiguis. ſiue quod amoto Caractaco, quaſi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit; ſiue hoſtes miſeratione tanti regis, acrius ad vltionem exarſere.

NON ſemper cedunt proſpere in bellis res ducum: ſed ſuccedunt illis ſæpe ambigua. Ideo dux quiſque ſemper intentus curis eſſe debet, & in exercitu diſciplinam exacte ſeruare: vt ſi hoſtes ad vltionem ſuorum exardeſcant, inueniant omnia contra ſe parata, & compoſita.

Præfectum caſtrorum, & legionarias cohortes extruendis apud Siluras præſidijs relictas, circumfundunt. Ac ni cito vicis & caſtellis proximis ſubuentum foret; copiæ tum occidione occubuiſſent. Præfectus tamen & octo centuriones, ac promptiſſimus quiſque manipulus cecidere. nec multo poſt pabulantis noſtros, ipſasq. miſſas ad ſubſidium turmas profligant. Tum Oſtorius cohortes expeditas expoſuit: nec ideo fugam ſiſtebat, ni legiones prælium excepiſſent. Earum robore æquata pugna, dein nobis pro meliore fuit. Effugere hoſtes tenui damno, quia inclinabat dies. crebra hinc prælia, & ſæpius in modum latrocinij: per ſaltus, per paludes, ut cuique ſors, aut virtus: temere, prouiſa; ob iram, ob prædam; iuſſu, & aliquando ignaris ducibus. ac præcipua Silurum peruicacia, quos accendebat vulgata imperatoris Ro. vox: vt quondam Su-

gambri exciſi, & in Gallias traiecti forent, ita Silurum nomen penitus exſtinguendum. Igitur duas auxiliares cohortes, auaritia præfectorum incautius populantes, intercepere. Spoliaq. & captiuos largiendo, ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant: cum tædio curarum feſſus Oſtorius, conceſſit vita.

PLERVMQVE tadio curarum feſſi Principes concedunt vita.

lætis hoſtibus, tamquam ducem haud ſpernendum; & ſi non prælium, at certe bellum abſumpſiſſet. At Cæſar, cognita morte legati, ne prouincia ſine rectore foret, A. Didiũ ſuffecit. Is propere vectus, non tamen integras res inuenit, aduerſa interim legionis pugna, cui Manlius Valens præerat. auctaq. & apud hoſtes eius rei fama, quo venientem ducem exterrerent: atque illo augente audita, vt maior laus compoſitis, vel ſi durauiſſent, venia iuſtior tribueretur.

CALLIDE agit, augendo famam rerum turbatarum ille, qui a Principe ad eas ſedandas delegitur. Nam, ſi eas componit, maiorem laudem, ſin durant, veniam iuſtiorem meretur. Et obſeruent hinc Principes, quòd numquam Prouinciæ ſine rectore linquendæ ſunt. Sed mortuo vno, alter ſtatim eſt ſufficiendus iuxta illud Virgil.

.... Vno auulſo, non deficit alter.

Silures id quoque damnum intulerant, lateq. perſultabant, donec accurſu Didij pellerentur. Sed poſt captum Caractacum, præcipuus ſcientia rei militaris Venutius e Iugantum ciuitate, vt ſupra memoraui, fidusq. diu, & Romanis armis defenſus, cum Cartimandam reginam matrimonio teneret, mox orto diſſidio, & ſtatim bello, etiam aduerſus nos hoſtilia induerat. Sed primo tantum inter ipſos certabatur, callidisq. Cartimanda artibus, fratrem ac propinquos Venutij intercepit.

FERME ſemper infelicitas temporum tulit, vt Anglia Reginas, & ſceleſtas, & feroces ſortiretur.

Inde accenſi hoſtes, ſtimulante ignominia, ne feminæ imperio ſubderentur,

IGNOMINIOSVM eſt, viros ſeruire femina. Sic ſupra lib. j. in principio: Seruiendum femina, &c.

valida & lecta armis iuuentus regnum eius inuadunt. quod nobis præuiſum, & miſſæ auxilio cohortes acre prælium fecere, cuius initio ambiguo, finis lætior fuit. Neque diſpari euentu pugnatum a legione, cui Ceſius Naſica præerat. Nam Didius ſenectute grauis, & multa copia honorum, per miniſtros agere & arcere hoſtem ſatis habebat.

DVCES exercituum, ſenectute graues, & multa copia honorum, per miniſtros agere, & arcere hoſtem ſatis habent. Idq. ea potiſſimum de cauſſa ab illis factitatur, ne exiſtimationem multorum annorum curſu partam, dubio vnius pralij euentui in caſum dent.

Hæc, quamquam a duobus Oſtorio Didioq. proprætoribus plures per annos geſta, coniunxi, ne diuiſa haud perinde ad memoriam ſui valerent. Nunc ad temporum ordinem redeo. Ti. Claudio quintum, Ser. Cornelio Orfito Coſs. virilis toga Neroni maturata, quo capeſſendæ Reip. habilis videretur. Et Cæſar adulationibus ſenatus libens ceſſit, vt viceſimo ætatis anno conſulatum Nero iniret: atque interim deſignatus, proconſulare imperium extra vrbem haberet, ac princeps iuuentutis appellaretur. Additum nomine eius donatiuum militi, congiarium plebi. & ludicro Circenſium, quod acquirendis vulgi ſtudijs edebatur, Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veſte tranſuecti ſunt. Spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu, ac perinde fortunam vtriuſque præſumeret.

EX habitu viri, & ſignis extrinſecis, ſæpe eius fortuna præſumitur.

Simulq.

Simulq. qui centurionum tribunorumq. ſortem Britannici miſerabantur, remoti fictis cauſſis, & alij per ſpeciem honoris: etiam libertorum ſi quis incorrupta fide, depellitur. Tali occaſione

SOLENT, qui æmulum potentem deprimere cupiunt, eius amicos remouere, alios fictis cauſis, alios per ſpeciem honoris. Et illum penitus orbare perſonis fidioribus, & incorrupta fide. Sic infra Mutianus in labefactando Antonio Primo, ab illo amouit legiones, quæ ipſi fidiſſimæ erant.

obuij inter ſe, Nero Britannicum nomine, ille Domitium, ſalutauere. Quod vt diſcordiæ initium, Agrippina multo queſtu, ad maritum defert: ſperni quippe adoptionem, quæq. cenſuerint patres, iuſſerit populus, intra penates abrogari: ac niſi prauitas tam infenſa docentium arceatur, eruptura in publicam perniciem. Commotus his quaſi criminibus Claudius, optimum quemque educatorem filij exſilio ac morte afficit: datoſq. a nouerca, cuſtodiæ eius imponit. Nondum tamen ſumma moliri Agrippina audebat, ni prætoriarum cohortium cura exſolueretur Luſius Geta, & Rufus Criſpinus, quos Meſſalinæ memores, & liberis eius deuinctos credebat. Igitur diſtrahi cohortes ambitu duorum, & ſi ab vno tegerentur, intentiorem fore diſciplinam, aſſeuerante vxore,

REGIMINE duorum diſtrahuntur ſubditi: & ſi ab vno reguntur, intentior eſt diſciplina.

transfertur regimen cohortium ad Burrhum Afranium egregiæ militaris famæ, gnatum tamen cuius ſponte præficeretur.

MVLTVM refert, quando quis ope tua ad aliquam dignitatem promouetur, vt ille huius rei gnarus ſit. Suo enim tempore & loco, gratitudinis vices reddere poteſt, & debet.

Suum quoque faſtigium Agrippina extollere altius, carpento Capitolium ingredi, qui mos ſacerdotibus & ſacris antiquitus conceſſus, venerationem autem augebat feminæ: quam Imperatore genitam, ſororem eius, qui rerum potitus ſit, & coniugem & matrem fuiſſe, vnicum ad hunc diem exemplum eſt. Inter quæ præcipuus propugnator eius Vitellius, validiſſima gratia, ætate extrema, adeo incertæ ſunt potentium res, accuſatione corripitur, deferente Iunio Lupo ſenatore.

NIHIL eſt, quod Aulicum de gratia ſua apud Principem tutum reddere poſſit, niſi propria virtus. Nam ſecus, incertiſſimæ ſunt potentium res.

Is crimina maieſtatis, & cupidinem imperij obiectabat. Præbuiſſetq. aures Cæſar, niſi Agrippinæ minis magis quàm precibus mutatus eſſet, vt accuſatori aqua, atque igne interdiceret.

TVRPISSIMVM eſt in quouis viro, præſertim Principe, vxoris minis terreri, & e mentis propoſito dimoueri.

Hactenus Vitellius voluerat. Multa eo anno prodigia euenere. Inſeſſum diris auibus Capitolium, crebris terræmotibus prorutæ domus; ac dum latius metuitur trepidatione vulgi, inualidus quiſque obtritus.

TREPIDAT ſemper vulgus, & latius quàm par ſit, metuit pericula. Inde vulgus meticuloſum appellatur.

Frugum quoque egeſtas, & orta ex eo fames, in prodigium accipiebatur. Nec occultì tantum queſtus; ſed iura reddentem Claudium circumuaſere clamoribus turbidis, pulſumq. in extremam fori partem vrgebant, donec militum globo infeſtos perrupit.

NIHIL eſt, quod magis afficiat plebem & commoueat, quàm frugum egeſtas, & annonæ caritas: vt ſæpius diximus.

Quindecim dierum alimenta vrbi non amplius ſuperfuiſſe conſtitit. magnaq. deûm benignitate, & modeſtia hiemis rebus extremis ſubuentum. At Hercule olim ex Italiæ regionibus longinquas in prouincias commearus portabant. nec nunc infecundirate laboratur,

boratur, ſed Africam potius & Ægyptum exercemus nauibusq & caſibus vita populi Romani permiſſa eſt. Eodem anno bellum inter Armenios Hiberosq. exortum, Parthis quoque ac Romanis grauiſſimorum inter ſe motuum cauſſa fuit. Genti Parthorum Vologeſes imperitabat, materna origine ex pellice Græca, conceſſu fratrum regnum adeptus. Hyberos Pharaſmanes vetuſta poſſeſſione, Armenios frater eius Mithradates obtinebat opibus noſtris. Erat Pharaſmani filius nomine Rhadamiſtus, decora proceritate, vi corporis inſignis, & patrias artes edoctus, claraq. inter accolas fama. Is modicum Hyberiæ regnum ſenecta patris detineri ferocius crebriusq. iactabat, quàm vt cupidinem occultaret.

A*VLICVS prudens caueat ſe a iactatione crebra & feroci: qua cupidinem ſuam patefacere poſſit. Nam eam occultare ſemper proderit.*

Igitur Pharaſmanes iuuenem potentiæ promptæ, & ſtudio popularium accinctum, vergentibus iam annis ſuis metuens, aliam ad ſpem trahere, & Armeniam oſtentare, pulſis Parthis, datam Mithradati a ſemet memorando: ſed vim differendam, & potiorem dolum, quo incautum opprimerent.

I*N opprimendo hoſte, ſæpe ſatius eſt vim differre, & dolo eum aggredi, vt incautum eum inuenias.*

Ita Rhadamiſtus ſimulata aduerſus pattem diſcordia, tamquam nouercæ odijs impar, pergit ad patruum. multaq. ab eo comitate in ſpeciem liberum cultus, primores Armeniorum ad res nouas illicit, ignaro & ornante inſuper Mithradate. Reconciliationis ſpecie aſſumpta, regreſſus ad pattem, quæ fraude confici potuerint prompta nunciat, cetera armis exſequenda.

N*VMQVAM ſine ſuſpicione debet eſſe prudens Princeps. Et fraudem ſimilem huic, qua vſus eſt Rhadamiſtus erga Mithradatem, exercuit Sextus Tarquinius erga Gabinos. De qua vide Dionyſ. & Liuium.*

Interim Pharaſmanes belli cauſſas confingit. prælianti ſibi aduerſus regem Albanorum, & Romanos auxilio vocanti fratrem aduerſatum; eamq. iniuriam excidio ipſius vltum iterum. Simul magnas copias filio tradidit. Ille irruptione ſubita territum exutumq. campis Mithradatem, compulit in caſtellum Gorneas, tutum loco ac præſidio militum, quis Cælius Pollio præfectus, centurio Caſperius præerat. Nihil tam ignarum barbaris, quàm machinamenta & aſtus oppugnationum.

B*ARBARIS ſunt ignara machinamenta & aſtus oppugnationum. Et huc mirifice pertinet inſcitia illa inſignis Acchilla, & Aegyptiorum, in obſidendo Cæſare in aula: quam pulcherrime deſcribit Lucanus in x. Pharſaliæ, his carminibus:*

> Non aries vno moturus limina pulſu,
> Fracturusq. domum, non vlla eſt machina belli:
> Nec flammis mandatur opus, ſed cæca iuuentus
> Conſilij, vaſtos ambit diuiſa penates
> Et nuſquam totis incurſat viribus agmen. Et quæ ſequuntur.

At nobis ea pars militiæ maxime gnara eſt. Ita Rhadamiſtus fruſtra vel cum damno tentatis munitionibus, obſidium incipit. Et cum vis negligeretur, auaritiam præfecti emercatur; obteſtante Caſperio, ne ſocius rex, ne Armenia donum populi Romani, ſcelere & pecunia venderentur. Poſtremo quia multitudinem hoſtium Pollio, iuſſa patris Rhadamiſtus obtendebant, pactus inducias abſcedit: vt niſi Pharaſmanem bello abſterruiſſet, T. Vinidium Quadratum præſidem Syriæ doceret, quo in ſtatu Armeniæ forent. Digreſſu centurionis velut cuſtode exſolutus præfectus, hortari Mithradatem ad ſanciendum fœdus; coniunctionem fratrum, ac priorem ętate Pharaſmanem, & cetera neceſſitudinum nomina referens, quòd filiam eius in matrimonio haberet, quòd ipſe Rhadamiſto ſocer eſſet. Non abnuere pacem Hyberos, quamquam in tempore validiores; & ſatis cognitam Armeniorum perfidiam, nec aliud præſidij quàm caſtellum commeatu egenum. nec dubitaret armis, quàm incruentas condiciones malle. Contante

ad ea

ad ea Mithradate, ſuſpectis præfecti conſilijs, quòd pellicem regiam polluerat, inq. omnem libidinem venalis habebatur.

IVRE merito ſuſpecta tibi eſſe debent eius conſilia, qui mulierem tuam polluit, & in omnem libidinem venalis habetur.

Caſperius interim ad Pharaſmanem peruadit: vtq. Hyberi obſidio decedant expoſtulat. Ille propalam incerta, & ſæpius molliora reſpondens, ſecretis nuncijs monet Rhadamiſtum, oppugnationē quoquo modo accelerare. Augetur flagitij merces, & Pollio occulta corruptione impellit milites, vt pacem flagitarent, ſeq. præſidio abituros minitarentur. Qua neceſſitate, Mithradates diem locumq. fœderi accepit, caſtelloq. egreditur. Ac primo Rhadamiſtus in amplexus eius effuſus, ſimulare obſequium, ſocerum ac parentem appellare. Adijcit iuſiurandum, non ferro, non veneno vim allaturum: ſimul in lucum propinquum trahit, prouiſu illic ſacrificium imperatum dictitans, vt dijs teſtibus pax firmaretur. Mos eſt regibus, quoties in ſocietatem coeant, implicare dextras, pollicesq. inter ſe vincire, nodoq. præſtringere. Mox vbi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum. Sed tunc qui ea vincula admouebat, decidiſſe ſimulans, genua Mithradatis inuadit, ipſumq. proſternit: ſimulq. concurſu plurium iniciuntur catenæ, ac compede, quod dedecorum Barbaris, trahebatur. Moxq. vulgus duro imperio habitum, probra ac verbera intentabat.

CVM ſe offert occaſio, vulgus duro imperio habitum a Principe, erga illum acriter ſe vlciſcitur.

Et erant contra, qui tantam fortunæ commutationem miſerarentur. Secutaq. cum paruis liberis coniux, cuncta lamentatione complebat. Diuerſis & contectis vehiculis abduntur, dum Pharaſmanis iuſſa exquirerentur. Illi cupido regni fratre & filia potior, animusq. ſceleribus paratus. viſui tamen conſuluit, ne coram interficerentur. Et Rhadamiſtus quaſi iuriſiurandi memor, non ferrum, non venenum in ſororem & patruum expromit, ſed proiectos in humum, & veſte multa grauiq. opertos necat.

SIMILE exemplum habes de Solimano Turcarum Imperatore erga Abraimum Baſſam. Cum enim ipſi quondam iureiurando affirmaſſet, dum viueret, numquam vim nec mortem allaturum: poſtea eum dormientem necari iuſſit. Hoc obtendens, in periurij ſui defenſionem, quòd apud ipſos, dormientes pro defunctis habentur. Vide Iouium in hiſt.

Filij quoque Mithradatis, quòd cædibus parentum illacrymauerant, trucidati ſunt. At Quadratus cognoſcens proditum Mithradatem, & regnum ab interfectoribus obtineri, vocat concilium, docet acta, & an vlciſceretur conſultat. Paucis decus publicum curæ: plures tuta diſſerunt.

SEMPER hoc euenit, vt paucis ſit cura decus publicum, & plures tuta diſſerant.

omne ſcelus externum, cum lætitia habendum. Semina etiam odiorum iacienda, vt ſæpe Principes Romani eandem Armeniam ſpecie largitionis, turbandis Barbarorum animis præbuerint.

SOLENT Principes iacere ſemina odiorum inter inimicos: vt ſic ipſorum turbatis animis, ad damna eorum conſpirare nequeant.

Potiretur Rhadamiſtus male partis, dum inuiſus, infamis. quando id magis ex vſu, quàm ſi cum gloria adeptus foret.

CONDVCIT Principi, quòd aduerſarius eius potiatur male partis, dummodo inuiſus, & infamis, quando id magis ex vſu eius eſt, quàm ſi cum gloria adeptus eſſet. Et eſt obſeruandum, quòd qui potiuntur male partis, ſunt inuiſi, & infames.

In hanc ſententiam itum. Ne tamen annuiſſe facinori viderentur, & diuerſa Cæſar præciperet; miſſi ad Pharaſmanem nuncij, vt abſcederet a finibus Armenijs, filiumq. abſtra-

abſtraheret. Erat Cappadociæ procurator Iulius Pelignus, ignauia animi, & deridiculo corporis iuxta deſpiciendus.

QVI præter ignauum animum, corporis eſt etiam deridiculi; is penitus eſt deſpiciendus.

ſed Claudio perquam familiaris, cum priuatus olim conuerſatione ſcurrarum, iners otium oblectaret.

MVLTAE viæ ſunt efficiendi potẽtes Aulicos apud Principem, inter quas eſt ars aliquorum, qui ipſius Principis iners otium oblectare ſolebant, cum priuatus adhuc, conuerſatione ſcurrarum gauderet.

Is Pelignus auxilijs prouincialium contractis, tamquam recuperaturus Armeniam, dum ſocios, magis quàm hoſtes prædatur,

PRAVI miniſtri Principum, ſæpe magis ſocios, quàm hoſtes prædantur.

abſceſſu ſuorum, & incurſantibus Barbaris, præſidij egens, ad Rhadamiſtum venit, donisq. eius euictus, vltro regiũ inſigne ſumere cohortatur: ſumentiq. adeſt auctor & ſatelles. Quod vbi turpi fama diuulgatum; ne ceteri quoque ex Pelignó coniectarentur, Heluidius Priſcus legatus cum legione mittitur,

HOC obſeruent prudentes Principes: ſi quando aliquis eorum miniſter foris flagitium aliquod inſigne commiſerit, quod turpem famam diuulget: ſtatim mittere in eius locum virum aliquem virtute, & probitate eminentem: ne diutius morando, ceteri eius miniſtri coniectentur ex illo primo flagitioſo.

rebus turbidis pro tempore vt conſuleret.

QVANDO res adeo ſunt turbidæ, vt certa mandata iniungi non poſſint miniſtris: tunc requirenda eſt prudentia viri, qui pro tempore conſulat, & vt dici ſolet, conſilium in arena capiat.

Igitur propere montem Taurum tranſgreſſus, moderatione plura, quàm vi compoſuerat.

PRVDENTES, & experientiæ pleni viri, plura moderatione, quàm vi componunt. Sic ſupra de Tiberio: Plura conſilio, quàm armis egiſſe: inquit Auctor.

cum redire in Syriam iubetur, ne initium belli aduerſus Parthos exſiſteret. Nam Vologeſes caſum inuadendæ Armeniæ obueniſſe ratus, quam a maioribus ſuis poſſeſſam, externus rex flagitio obtineret, contrahit copias, fratremq. Tiridatem deducere in regnũ parat, ne qua pars domus ſine imperio ageret. Inceſſu Parthorum, ſine acie pulſi Hyberi: vrbesq. Armeniorũ Artaxata & Tigrano certa iugum accepere. Dein atrox hiems, ſeu parum prouiſi commeatus, & orta ex vtroque tabes, perpellunt Vologeſen omittere præſentia. vacuamq. rurſus Armeniam Rhadamiſtus inuaſit, truculentior quàm antea, tamquàm aduerſus defectores, & in tempore rebellaturos.

SEMPER Principes ſunt truculentiores quàm antea fuerint aduerſus defectores, & quos in tempore ſuſpicantur rebellaturos.

Atque illi quamuis ſeruitio ſueti, patientiam abrumpunt, armisq. regiam circumueniunt.

SAEVA dominatio, etſi erga ſuetos ſeruitio exercetur; tamen durabilis non eſt. Nam illi tandem patientiam abrumpunt, & iugum intolerabile excutere conantur.

Nec aliud Rhadamiſto ſubſidium fuit, quàm pernicitas equorum, quîs ſeq. & coniugem abſtulit. Sed coniux grauida, primam vtcumque fugam ob metum hoſtilem & mariti charitatem tolerauit. Poſt feſtinatione continua, vbi quati vterus, & viſcera vibrantur, orare vt morte honeſta contumelijs captiuitatis eximeretur.

PRAEPONENDA eſt mors honeſta contumelijs captiuitatis.

Ille

Ille primo amplecti, alleuare, adhortari, modo virtutem admirans, modo timore æger, ne quis relicta potiretur. Poſtremo violentia amoris, & facinorum non rudis, diſtringit acinacem, vulneratamq. ad ripam Araxis trahit, flumini tradit, ne corpus etiam auferretur.

SI in homine facinorum non rude, violentia amoris inſederit, ad quid eum non adiget?

Ipſe præceps Hyberos ad patrium regnum peruadit. Interim Zenobiam, id mulieri nomen, placida illuuie, ſpirantem ac vitæ manifeſtam aduertêre paſtores; & dignitate formæ haud degenerem reputantes,

EX forma dignitate præſumitur animus non degener.

obligant vulnus, agreſtia medicamina adhibent; cognitoq. nomine & caſu, in vrbem Artaxata ferunt. vnde publica cura deducta ad Tiridatem, comiterq. excepta, cultu regio habita eſt.

MVLTIS plerumque euenit, quod Themiſtoclem de ſeipſo dixiſſe legitur: Perieram, niſi periſſem. Nam ſæpe ex aduerſo fortunæ caſu, in magnam tranſiliunt homines lætitiam.

Fauſto Sulla, Saluio Othone Coss. Furius Scribonianus in exſilium agitur, quaſi finem Principis per Chaldæos ſcrutaretur.

SCRVTARI finem Principis per mathematicos, & aſtrologos, impium & deteſtabile eſt.

adnectebatur crimini Iunia mater eius, vt caſus prioris, nam relegata erat, impatiens. Pater Scriboniani Camillus arma per Dalmatiam mouerat. Idq. ad clementiam trahebat Cæſar, qui ſtirpem hoſtilem iterum conſeruaret.

SIGNVM magnæ clementiæ in Principe eſt, ſtirpem hoſtilem iterum conſeruare.

Neque tamen exſuli longa poſthac vita fuit: morte fortuita, an per venenum extinctus eſſet, vt quiſque credidit, vulgauere. De mathematicis Italia pellendis factum Senatuſconſultum atrox & irritum.

PARVM eſt condere edicta & leges, ſi poſtea irritantur. Nam ſatius eſt, non condere; quàm condita non obſeruare.

Laudati dehinc oratione principis, qui ob anguſtias familiares ordine ſenatorio ſponte cederent, motiq. qui remanendo impudentiam paupertati adijcerent.

TVRPE eſt virum nobilem paupertati impudentiam adijcere. Vt contra, laudabile eſt, eam bene tolerare. Sic ſupra de Lepido loquens Auctor inquit: Marco Lepido bene tolerata paupertas laudem addiderat: & quæ ſequuntur.

Inter quæ refertur ad patres de pœna feminarum, quæ ſeruis coniungerentur. Statuiturq. vt ignaro domino, ad id prolapſa, in ſeruitutem ſui conſenſiſſet, & qui nati eſſent, pro libertis haberentur. Pallanti, quem repertorem eius relationis ediderat Cæſar, prætoria inſignia, & centies quinquagies ſeſtertiū cenſuit conſul deſignatus Barea Soranus: additum a Scipione Cornelio, grates publice agendas, quòd regibus Arcadiæ ortus veterrimam nobilitatem vſui publico poſtponeret, ſeq. inter miniſtros principis haberi ſineret.

QVI nobilitatem veterrimam vſui publico poſtponit, ſeq. inter miniſtros Principis haberi ſinit, hic certe dignus eſt, vt publice ei honores, & præmia decernantur. Et hic in textu quædam deſunt: ob quæ adi Lips. in Comment.

Aſſeuerauit Claudius, contentum honore Pallantem, intra priorem paupertatem ſubſiſtere. Et fixum eſt publico Senatuſconſultum, quo libertinus ſeſtertij ter millies poſſeſſor, antiquæ parcimoniæ laudibus cumulabatur. At non frater eius cognomento Felix pari moderatione agebatur,

NON ſemper fratres pari virtute, ac moderatione agunt.

iam

iam pridem Iudææ impoſitus, & cuncta malefacta ſibi impune ratus, tanta potentia ſubnixo.

DEVS auertat, quòd improbi homines potentia magna apud Principem ſubnitantur: nam cuncta maleficia ſibi impune exiſtimabunt.

Sane præbuerant Iudæi ſpeciem motus orta ſeditione, poſtquam cognita cæde Caij haud ⁎ obtemperatum eſſet. manebat metus, ne quis principum eadem imperitaret. Atque interim Felix intempeſtiuis remedijs delicta accendebat,

TEMPORIS opportunitas in negotijs aggrediendis adeo refert; vt ſæpe intempeſtiua remedia delicta accendant. Et hic textus eſt mutilus.

æmulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars prouinciæ habebatur:

VT æmulatio ad optima, bonos producere fructus conſueuit; ſic cum ad deterrima vergit, exitia & mala infinita generat.

ita diuiſis, vt huic Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent, diſcordes olim & tum contemptu regentium minus coerciris odijs.

AD conſeruandos in pace & concordia ſubditorum animos, opus eſt auctoritate magna in illo, qui eos regit. Nam, ſi ipſe erit contemptui apud ipſos, erunt non ſolum animis diſcordes; ſed parum, aut nihil odia coercebunt, quin ad publicum damnum erumpant.

Igitur raptare inter ſe, immittere latronum globos, componere inſidias, & aliquando prælijs congredi, ſpoliaq. & prædas ad procuratores referre. Hiq. primo lætari, mox gliſcente pernicie, cum arma militum interieciſſent, cæſi milites. Arſiſſetq. bello prouincia, ni Quadratus Syriæ rector ſubueniſſet. Nec diu aduerſus Iudæos, qui in necem militum proruperant, dubitatum, quin capite pœnas luerent: Cumanus & Felix contationem afferebant, quia Claudius cauſſis rebellionis auditis, ius ſtatuendi etiam de procuratoribus dederat. Sed Quadratus Felicem inter iudices oſtentauit, receptum in tribunal, quo ſtudia accuſantium deterrerentur. Damnatusq. flagitiorum, quæ duo deliquerant, Cumanus,

PLERVMQVE ob gratiam, quam obtinet apud Principem, reus abſoluitur: & flagitiorum, quæ ipſe deliquit, alius damnatur. Tantum apud Iudicem, & magiſtratum refert nomen & famam gratioſi apud Principem obtinere.

& quies prouinciæ reddita.

CVM flagitia puniuntur, tunc quies redditur prouincijs. Quod ſole clarius vidimus in SIXTI V. Pontificatus initio: & nunc continue cernimus.

Nec multo poſt agreſtium Cilicum nationes, quibus Clitarum cognomentum, ſæpe & alias commotæ, tunc Troſobore duce, montes aſperos caſtris cepêre. Atque inde decurſu in litora aut vrbes vim cultoribus ac opidanis, ac plerumque in mercatores & nauicularios audebant. Obſeſſaq. ciuitas Anemurienſis, & miſſi e Syria in ſubſidium equites cum præfecto Curtio Seuero turbantur: quòd duri circum loci, peditibusq. ad pugnam idonei, equeſtre prælium haud patiebantur. Dein rex eius oræ Antiochus, blandimentis aduerſus plebem, fraude in ducem, cum Barbarorum copias diſſociaſſet.

ARS eſt hac diſſociandi nationes, & exercitus: aggredi duces fraude, & plebem blandimentis.

Troſobore paucisq. primoribus interfectis, ceteros clementia compoſuit.

AD ſedandum tumultum aliquem validum, ſufficit paucos primores ſupplicio afficere: nam ceteri clementia componuntur.

Sub idem tempus, inter lacum Fucinum amnemq. Lyrin perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viſeretur, lacu in ipſo nauale prælium adornatur, vt quondam Auguſtus ſtructo cis Tiberim ſtagno, ſed leuibus nauigijs & minore copia ediderat.

Claudius triremes quadriremesq. & vndeuiginti hominum millia armauit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent: attamen ſpatium amplexus, ad vim remigij, & gubernantium artes, impetusq. nauium prælio ſolitos. in ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæq. adſtiterant antepoſitis propugnaculis, ex quîs catapultæ baliſtæq. tenderentur. Reliqua lacus, claſſiarij tectis nauibus obtinebant. Ripas & colles, ac montium edita in modum theatri, multitudo innumera compleuit, proximis e municipijs, & alij vrbe ex ipſa viſendi cupidine, aut officio in principem. Ipſe inſigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata præſedêre. Pugnatum, quamquam inter ſontes, fortium virorum animo; ac poſt multum vulnerum, occidioni exempti ſunt. Sed perfecto ſpectaculo apertum aquarum iter, & incuria operis manifeſta fuit, haud ſatis depreſſi ad lacus ima vel media. Eoq. tempore interiecto, altius effoſſi ſpecus, & contrahendæ rurſus multitudini, gladiatorum ſpectaculum editur, inditis pontibus pedeſtrem ad pugnam. Quin & conuiuium effluuio lacus appoſitum magna formidine cunctos affecit, quia vis aquarum prorumpens, proxima trahebat, conuulſis vlterioribus, aut fragore & ſonitu exterritis. Simul Agrippina trepidatione principis vſa, miniſtrum operis Narciſſum incuſat cupidinis, ac prædarum.

AVLICVS ſolers ſæpe vtitur occaſione affectus Principis, ad incuſandum & deprimendum æmulum aliquem, prout rei condicio poſtulat.

Nec ille reticet, impotentiam muliebrem nimiasq. ſpes eius arguens.

QVI ab æmulo inſimulatur apud Principem, ne cunctetur ſe purgare ſi poteſt, innocẽtiam ſuam oſtendendo, & crimina in æmulum retorquendo. Alioquin inauditus, ſæpe excidet a gratia & Aula Principis.

D. Iunio, Q. Haterio Coss. ſedecim annos natus Nero Octauiam Cæſaris filiam in matrimonium accepit. Vtq. ſtudijs honeſtis, & eloquentiæ gloria niteſceret;

PRIMARII iuuenes niteſcunt ſtudijs honeſtis, & eloquentia gloria.

cauſſa Ilienſium ſuſcepta, Romanum Troia demiſſum, & Iuliæ ſtirpis auctorẽ Æneam, aliaq. haud procul fabulis vetera facunde exſecutus, impetrat vt Ilienſes omni publico munere ſoluerentur. Eodem oratore Bononienſi Coloniæ igni hauſtæ ſubuentum, centies ſeſtertij largitione. Redditur Rhodijs libertas, adempta ſæpe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi ſeditione deliquerant.

TVNC recte ſe habet principatus, cum merita præmijs, & delicta pœnis afficiuntur. Vt econuerſo in male inſtituto regimine, præmia delictis, & pœna meritis ſæpe compenſari ſolent.

Tributumq. Apamienſibus terræmotu conuulſis, in quinquennium remiſſum. At Claudius ſæuiſſima quæque promere adigebatur eiuſdem Agrippinæ artibus.

ARTES miniſtrorum & perſonarum apud eum potentium, ſæpe adigunt Principem promere ſæuiſſima quæque: licet ipſe natura ſua ab illis abhorreat. Tantum intereſt, quales viri Principi aſſiſtant.

quæ Statilium Taurum opibus inluſtrem hortis eius inhians peruertit, accuſante Tarquitio Priſco.

VILLA mea me perdidit: inquit ille proſcriptus, cum ſe legeret in numero damnatorum. Peruertuntur enim ſæpe clari viri à Tyranno nullam ob aliam cauſſam, quàm quòd opibus illorum inhiat.

Legatus is Tauri Africam imperio proconſulari regentis, poſtquam reuenerant, pauca repetundarum crimina, cetera magicas ſuperſtitiones obiectabat. Nec ille diutius falſum accuſatorem indigna ſorte perpeſſus, vim vitæ ſuæ attulit, ante ſententiam ſenatus. Tarquitius tamẽ curia exactus eſt, quòd Patres odio delatoris, contra ambitum Agrippinæ peruicêre. Eodem anno ſæpius audita vox principis, parem vim rerum habendam a procuratoribus ſuis iudicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet.

VIDEAT Princeps, & cogitet quid, & quo modo loquatur, ſiue ſerio, ſiue per iocum. Nã voces illius auditæ, in pectoribus hominũ conſeruantur, & ſuper illis varia deducũtur concluſiones.

Ac ne forruito prolapſus videretur, & Senatus quoque conſulto cautum, plenius quàm antea & vberius.

TVRPE eſt dici de Principe, quòd in verba fortuita prolabatur.

Nam diuus Auguſtus apud equeſtres, qui Ægypto præſiderent lege agi, decretaq. eorum proinde haberi iuſſerat, ac ſi magiſtratus Romani cōſtituiſſent: mox alias per prouincias, & in vrbe pleraque conceſſa ſunt, quæ olim a prætoribus noſcebātur. Claudius omne ius tradidit, de quo toties ſeditione aut armis certatum, cum Sempronijs rogationibus equeſter ordo in poſſeſſione iudiciorum locaretur, aut rurſum Seruiliæ leges ſenatui iudicia redderent. Mariusq. & Sulla olim de eo vel præcipue bellarunt. Sed tunc ordinum diuerſa ſtudia: & qui vicerant, publice valebant. C. Oppius & Cornelius Balbus primi Cæſaris opibus potuere condiciones pacis & arbitria belli tractare. Matios poſthac & Vedios, & cetera equitum Romanorum præualida nomina, referre nihil attinuerit; cum Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat, ſibiq. & legibus adæquauerit.

PERNICIOSVM maxime eſt Reipublicæ, cum Princeps adeo extollit Aulicum aliquem gratioſum, vt eum ſibi, & legibus adæquet. Immo etiam temporis proceſſu hoc ipſi Principi exitioſum ſolet eſſe: ſicut ſupra in Seiano erga Tiberium obſeruauimus.

Retulit deinde immunitate Cois ttribuenda. Multaq. ſuper antiquitate eorum memorauit: Argiuos vel cum Latonæ parente, vetuſtiſſimos inſulæ cultores: mox aduentu Æſculapij artem medendi illatam, maximeq. inter poſteros eius celebrem fuiſſe, nomina ſingulorum referens, & quibus quiſque ætatibus viguiſſet. Quin etiam dixit Xenophontem, cuius ſcientia ipſe vteretur, eadem familia ortum.

MAGNI & præſtantes viri hoc mereri debent, vt in eorum gratiam patriæ eorum ratio magna omni in tempore habeatur. Sic Cæſar ob Arrium Philoſophum, Alexandriæ illius patriæ pepercit. Plutar. & Dio.

Precibusq. eius dandum, vt omni tributo vacui in poſterum Coi, ſacram & tanti dei miniſtram inſulam colerent. neque dubium habetur, multa eorundem in Pop. Rom. merita, ſociasq. victorias potuiſſe tradi. Sed Claudius, facilitate ſolita, quod vni conceſſerat, nullis extrinſecus adiumentis velauit.

NIMIA facilitas in Principe obeſt: contemptū enim parit. Ideo cū ſeueritate moderanda eſt.

Ac Byzantij, data dicendi copia, cum magnitudinem onerum apud ſenatum deprecarentur, cuncta repetiuere; orſi a fœdere, quod nobiſcum iceranr, qua tempeſtate bellauimus aduerſus regem Macedonum, cui vt degeneri, Pſeudophilippi uocabulum impoſitum. Miſſas poſthac copias in Antiochum, Perſen, Ariſtonicum, & piratico bello adiutum Antonium. memorabantq. quæ Sullæ, aut Lucullo, aut Pompeio obtuliſſent. Mox recentia in Cæſares merita.

RECENTIA in Principem merita, ſæpe per ſe veteribus anteponuntur. Sed cum illis mixta, maximam ſemper efficaciam obtinebunt.

quando ea loca inſiderent, quæ tranſmeantibus terra mariq. ducibus, exercitibusq. ſimul vehendo commeatu opportuna forent. Namque artiſſimo in Europam Aſiamq. diuortio, Byzantium in extrema Europa poſuere Græci. quibus Pythium Apollinem conſulentibus vbi conderent vrbem, redditum oraculum eſt: quærerent ſedem, cæcorum terris aduerſam. Ea ambage Chalcedonij monſtrabantur, quòd priores illuc aduecti parum viſa locorum vtilitate peiora legiſſent.

CAECVS merito appellatur ille, qui viſis melioribus, tamen peiora ſequitur.

Quippe Byzantium fertili ſolo, fecundoq. mari. quia vis piſcium in Pontum erumpens, & obliquis ſubter vndas ſaxis exterrita, omiſſo alterius litoris flexu, hos ad portus defertur. Vnde primo quæſtuoſi & opulenti;

CIVITATES illæ, quæ portum cum mari, aut flumen nauigabile obtinent, ſemper ciues ſuos reddent quæſtuoſos, & opulentos: ob commercij commodum cum alijs gentibus. Hinc prudentes Politici tali in loco condi vrbem nouam debere cenſent.

post

poſt, magnitudine onerum vrgente, finem aut modum orabant, annitente principe, qui Thracio Boſphoranoq. bello recens feſſos iuuandosq. retulit. Ita tributa in quinquennium remiſſa.

CVM magnitudo onerum vrget prouinciam aliquam, aut ciuitatem, præſertim recenti feſſam longo bello; tunc debet eam Princeps iuuare, eiq. tributum in aliquod tempus remittere.

M. Aſinio, M. Acilio Coss. mutationem rerum in deterius portendi, cognitum eſt crebris prodigijs. Signa enim ac tentoria militum igne cæleſti arſere. Faſtigio Capitolij examen apum inſedit. Biformes hominum partus. Et ſuis fetum editum, cui accipitrum vngues erant. Numerabatur inter oſtenta, diminutus omnium magiſtratuum numerus, quæſtore, ædili, tribuno, ac prætore, & conſule paucos intra menſes defunctis. Sed in præcipuo pauore Agrippina vocem Claudij, quam temulentus iecerat, fatale ſibi vt coniugum flagitia ferret, dein puniret, metuens,

MINAE, & verba, nihil aliud ſunt, quàm tela eius, in quem iaciuntur. Prudens ergò ſemper ab his abſtinebit, & quod agere intendet, non manifeſtabit.

agere & celerare ſtatuit, perdita prius Domitia Lepida leuibus & muliebribus cauſſis: quia minore Antonia genita, auunculo Auguſto, Agrippinæ ſobrina prior, ac Gnei mariti eius ſoror, parem ſibi claritudinem credebat. nec forma, ætas, opes multum diſtabant; & vtraque impudica, infamis, violenta, haud minus virijs æmulabantur quàm ſi qua ex fortuna proſpera acceperant. Enimuerò certamen acerrimum, amita potius an mater apud Neronem præualeret. Nam Lepida blandimentis & largitionibus iuuenilem animum deuinciebat; truci contra ac minaci Agrippina,

VT blandimentis ac largitionibus iuueniles animi deuinciuntur: ſic contra trucibus & minacibus ſpeciebus alienantur.

quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat.

INIQVVM eſt, alicui velle dare imperium, ſed imperitantem tolerare nolle.

Ceterum obiecta ſunt quòd coniugium principis deuotionibus petiuiſſet, quodq. parum coercitis per Calabriam ſeruorum agminibus pacem Italiæ turbaret.

QVI cum poteſt, flagitioſos non coercet, reus flagitiorum quodam modo tenetur.

Ob hæc mors indicta, multum aduerſante Narciſſo, qui Agrippinam magis, magisq. ſuſpectans, prompſiſſe inter proximos ferebatur, certam ſibi perniciem, ſeu Britannicus rerum, ſeu Nero potiretur.

AVLICVS potens videat, quo modo loquatur, & quid promat inter proximos: nam omnia eius verba in vulgus emanant; & propter illius faſtigium celari nequeunt.

Verum ita de ſe meritum Cæſarem, vt vitam vſui eius impenderet.

PRINCEPS benefaciendo alicui Aulico, vel miniſtro, hoc meretur, vt ille Aulicus, ſeu miniſter vitam vſui eius impendat.

Conuictam Meſſalinam & Silium. Pares iterum accuſandi cauſſas eſſe, ſi Nero imperitaret. Britannico ſucceſſore, nullum principi meritum, ac nouercæ inſidijs domum omnem conuelli, maiore flagirio, quàm ſi impudicitiam prioris coniugis reticuiſſet; quamquam ne impudicitiam quidem nunc abeſſe, Pallante adultero; ne quis ambigat, decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habere.

SVPRA annotauimus, & nunc denuo repetimus: Deſiderium dominationis, vbi ſemel alte radices egerit, infandos effectus parere. Nam decus, pudorem, corpus & omnia præ regno, viliora habebit ille, qui animo hanc ſitim dominandi conceperit.

Hæc atque talia dictitans, amplecti Britannicum, robur ætatis quàm maturrimum precari, modo ad deos, modo ad ipſum tendere manus, adoleſceret, patris inimicos depelleret: matris etiam interfectores vlciſceretur.

ETIAM leges ciuiles volunt, vt filij vindicent necem parentum. Tamen Euangelica lex aliter ſentit: & huic obtemperandum eſt.

In tanta mole curarum, Claudius valetudine aduerſa corripitur,

PRAEPOTENTES Principes plerumque corripiuntur valetudine aduerſa in mole curarum. Sic PAVLO III. PONT. MAX. euenit: ſic EMANVELI PHILIBERTO Sabaudiæ Duci: ſic alijs multis.

refouendisq. viribus mollitie cæli & ſalubritate aquarum, Sinueſſam pergit. Tum Agrippina ſceleris olim certa & oblatæ occaſionis propera,

OCCASIO in quolibet negotio arduo eſt maximi momenti, tam apud prudentes, quàm apud ſceleſtos.

nec miniſtrorum egens, de genere veneni conſultauit: ne repentino & præcipiti facinus proderetur; ſi lentum & tabidum dilegiſſet, ne admotus ſupremis Claudius, & dolo intellecto, ad amorem filij rediret. Exquiſitum aliquid placebat, quod rurbaret mentem, & mortem differret. Diligitur artifex talium, vocabulo Locuſta, nuper veneficij damnata,

IN quacumque re perficienda, diligere oportet media apta, & conuenientia, quæ te ad optatum finem tutiſſime perducant.

& diu inſtrumenta regni habita.

ETIAM ſceleſti & facinoroſi, inter inſtrumenta regni haberi ſolent: Sed regni ſcilicet, quod tyrannidem ſapiat.

Eius mulieris ingenio paratum virus, cuius miniſter e ſpadonibus fuit Halotus, inferre epulas, & explorare guſtu ſolitus. Adeoq. cuncta mox pernotuere, vt temporum illorum ſcriptores prodiderint, infuſum delectabili cibo boletorum venenum: nec vim medicaminis ſtatim intellectam, ſecordiamne Claudij an vinolentia. ſimul ſoluta aluus ſubueniſſe videbatur. Igitur exterrita Agrippina, & quando vltima timebantur, ſpreta præſentium inuidia,

SPERNITVR præſentium inuidia, quando vltima timentur. Nam e duobus malis ingruentibus, minus eligitur.

prouiſam iam ſibi Xenophontis medici conſcientiam adhibet.

DENVO annotare non piget, raro magna ſcelera ſine ope & conſcientia alicuius Medici in Aulis patrari. Nam ſpecie artis ſunt frequentes ſecretis.

Ille tamquam niſus euomentis adiuuaret, pinnam rapido veneno illitã faucibus eius demiſiſſe creditur: haud ignarus ſumma ſcelera incipi cũ periculo, peragi cum præmio.

INCIPIVNTVR ſumma ſcelera cum periculo, & peraguntur cum præmio.

Vocabatur interim ſenatus, votaq. pro incolumitate principis conſules & ſacerdotes nuncupabant, cum iam exanimis veſtibus & fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis imperio componuntur.

IDEM ſupra de Liuia erga Tiberium lib. i. ibi lectorem remittimus.

Iam primum Agrippina, velut dolore victa & ſolatia conquirens, tenere amplexu Britannicum, veram paterni oris effigiem appellare, ac varijs artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque & Octauiam ſorores eius attinuit, & cunctos aditus cuſtodijs clauſerat;

ET hoc etiam à Liuia didicerat Agrippina ſupra lib. i. Et locus ille cum præſenti adeo conformatur, vt nihil dici poſſit, nec excogitari ſimilius.

crebroq.

crebroq. vulgabat, ire in melius valetudinem principis, quo miles bona in ſpe ageret, tempuſq. proſperum ex monitis Chaldæorum attentaret. Tunc medio diei, tertio ante idus Octobr. foribus palatij repente diductis, comitante Burrho, Nero egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubijs adeſt. ubi, monente Præfecto, feſtis vocibus exceptus, inditur lecticæ.

GRATIAM reddere in tempore conuenit. Burrhus ab Agrippina honorem adeptus erat, & ideo recte egit, illi gratiam referendo.

Dubitauiſſe quoſdam ferunt reſpectantes, rogitanteſq. vbi Britannicus eſſet? mox nullo in diuerſum auctore, quæ offerebantur ſecuti ſunt.

MVLTITVDO, cum illi aliquis auctor & dux eſt, mouetur & tumultus ciet. Sed cum deeſt, qui in diuerſum eam impellat, ſequitur quæ offeruntur.

Illatuſq. caſtris Nero, & congruentia tempori præfatus,

QVAE ſunt tempori congruentia, præfari debent ſemper prudentes Principes, & præcipue noui, cetera omittere. Verboſitas enim Principem dedecet.

promiſſo donatiuo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator conſalutatur.

IMPERIA illa, quæ potiſſimum militari fauore nituntur, vt erat Romanum, & hodie Turcicum, requirunt hoc neceſſario, vt Imperator militibus donatiua largiendo, eorum animos demereatur. Sic Auguſtus, vt ſupra lib. i. obſeruauimus, donis ſibi militem deuinciendo tutus regnauit. Contra Galba, vt infra. in Hiſt. lib. i. videbimus, ob non præſtitum donatiuum, ab illis deſertus eſt, & trucidatus.

Sententiam militum ſecuta Patrum conſulta. nec dubitatum eſt apud prouincias.

CVM vniuerſitas potentior Principi inclinat, facile eſt, & reliquos demereri: nam minores ſemper maioribus cedunt, & debiliores potentioribus ſuccumbunt.

Cæleſteſq. honores Claudio decernūtur, & funeris ſollemne perinde ac diuo Auguſto celebratur: æmulante Agrippina proauiæ Liuiæ magnificentiam. Teſtamentum tamen haud recitatum,

IN magnis, & arduis negotijs id, quod obeſſe, & nihil prodeſſe poteſt, ſemper a prudente eſt omittendum.

ne antepoſitus filio priuignus, iniuria & inuidia animos vulgi turbaret.

DVABVS his rebus maxime turbantur hominum animi, & præſertim vulgarium: iniuria, & inuidia. Ideo ſolerter Agrippina omiſit illud, quod duos hos affectus commouere poterat.

Commentariorum in Librum XII. Annalium P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI
IN P. CORNELII TACITI
Annales Commentarij.

Ex Lib. XIII. Annal. P. Cornelij Taciti.

PRIMA nouo principatu mors Iunij Sillani proconſulis Aſiæ, ignaro Nerone, per dolum Agrippinæ paratur,

SAEPE accidit, vt ignaro Principe, multa per dolum eius miniſtrorum patrentur: quorum inuidia in Principem poſtea redundat. Ideo debet ſatagere Princeps in eam curam, vt nemo audeat aliquid tale, eo inſciente, agere. Et concordat locus iſte cum illo ſuperiore lib. i. vbi inquit: Primum noui principatus facinus fuit Poſthumi Agrippa cadis, &c.

non quia ingenij violentia exitum inritauerit, ſegnis & dominationibus alijs faſtiditus, adeo vt C. Cæſar pecudem auream eum appellare ſolitus ſit:

APVD Tyrannum non irritant ſubditis exitum, ſegnitia, & aliarum dominationum faſtidium: ſed violentia ingenÿ, de qua alibi plura diximus.

verum Agrippina fratri eius L. Sillano necem molita vltorem metuebat,

SCRIBAT in marmore lædens, non in puluere; vt ille aiebat. Ideo qui aliquem grauiter offendit; fratres, & propinquos eius, tamquam vltores ſemper metuat, & ab illis tutum ſe reddat.

crebra vulgi fama, anteponendum eſſe vix dum pueritiam egreſſo Neroni, & imperium per ſcelus adepto virum ætate compoſita, inſontem, nobilem,

DVBIVM non eſt, quòd ſi res humana voluerentur prout conueniret, anteponi deberet in principatu vir atate compoſita, inſons, & nobilis alteri vix dum pueritiam egreſſo, & imperium per ſcelus adepto. Sed adeo differt id, quod hodie fit, ab eo, quod deberet fieri; vt nil mirum, ſi hic, & multi alÿ abuſus conſpiciantur.

& quod tunc ſpectaretur, e Cæſarum poſteris. quippe & Sillanus D. Auguſti abnepos erat. hæc cauſſa necis:

PRIORIS Principis omnes cõiunctos, & poſteros ſolet ſemper Princeps nouus, & Tyrannus e medio tollere: vt ſecuritati conſulat. Id impie quidem & tyrannice: proinde deteſtandum, & fugiendum.

miniſtri fuere P. Celer eques Romanus, & Ælius libertus, rei familiari principis in Aſia impoſiti. Ab ijs proconſuli venenum inter epulas datum eſt, apertius quàm vt fallerent.

HAVD poteſt fallere, qui aperte agit. Sed falli ſic. Hinc cautus Aulicus diſcat.

Nec

Nec minus properato Narciſſus Claudij libertus, de cuius iurgijs aduerſus Agrippinam retuli, aſpera cuſtodia, & neceſſitate extrema, ad mortem agitur; inuito principe, cuius abditis adhuc vitijs per auaritiam ac prodigentiam mire congruebat.

IN Principe iuuene, & nouo non ſtatim palam fit eius natura, ſed aliqua vitia abduntur, quæ tractu temporis promuntur: & interim multi per ſimilia vitia illi mire congruunt & nanciſcuntur apud illum potentiam.

Ibaturq. in cædes, niſi Afranius Burrhus, & Annæus Seneca obuiam iſſent. Hi rectores imperatoriæ iuuentæ, & pari in ſocietate potentiæ concordes,

RARO euenit, vt duo viri, in pari potentia ſocietate apud Principem, ſint concordes.

diuerſa arte ex æquo pollebant.

POSSVNT optime non ſolum diuerſa arte duo ex æquo pollere, & magnam gloriam adipiſci: ſed etiam in eadem arte diuerſis modis vtendo, æqualiter excellere. Sic Fabius Maximus, & Marcellus apud Romanos, temporibus vetuſtioribus. Recentioribus vero, Franciſcus Sfortia, & Nicolaus Picininus, diuerſis inſtitutis, & rationibus ad ſummam claritudinem peruenerunt in arte militari.

Burrhus militaribus curis, & ſeueritate morum; Seneca præceptis eloquentiæ, & comitate honeſta,

VT militares curas decet eſſe ſociatas ſeueritate morum, ſic præcepta eloquentiæ conuenit miſceri comitate honeſta.

iuuantes inuicem, quo facilius lubricam principis ætatem, ſi virtutem aſpernaretur, voluptatibus conceſſis retinerent.

MAGNVM eſt retinere in officio, & intra virtutis terminos, lubricam Principis ætatem: & ideo ad hoc expedit, ſi ille virtutem aſpernatur, honeſtas aliquas voluptates concedere, vt illum finem conſequamur.

Certamen vtrique vnum erat contra ferociam Agrippinæ, quæ cunctis malę dominationis cupidinibus flagrans,

OPTANDVM eſt, ne in manus incidamus Principis, qui cunctis malæ dominationis cupidinibus flagret. Omne fas enim & nefas confundet, iura humana, & diuina violabit; & nihil penſi circa ſanguinem & fortunas ſubditorum habebit.

habebat in partibus Pallantem, quo auctore Claudius nuptijs inceſtis & adoptione exitioſa ſemet peruerterat.

QVI prauo conſilio in actionibus ſuis vtuntur, & earum non reſpiciunt diligenter finem; ſemetipſos ſæpiſſime peruertunt, & ſibi exitium parant. Ideo cogitandæ & ruminandæ exactiſſime ſunt res, quas aggredimur: dubium enim non eſt, quòd quanto maiorem diligentiam in excogitando adhibuerimus, tanto melius cadent earum rerum exitus.

Sed neque Neroni infra ſeruos ingenium:

PRINCIPIS ingenium debet eſſe ſupra, non infra ſeruos. Alioquin ſemper contemnendus apparebit. Huc reſpicit illud Euangelicum de Saluatore noſtro: Et ſtans ſuper illam imperauit febri, & dimiſit illam. Luca 4.

& Pallas triſti arrogantia modum liberti egreſſus, tædium ſui mouerat.

QVI modum ſtatus ſui, & condicionis ſuæ triſti arrogantia egreditur, is tædium ſui apud omnes mouet.

Propalam tamen omnes in eam in honores cumulabantur, ſignumq. more militiæ petenti tribuno dedit, OPTIMÆ MATRIS. Decreti & a ſenatu duo lictores, flaminium Claudiale, ſimul Claudio cenſorium funus, & mox conſecratio.

NON ſemper honores, qui a populo in Principem propalam cumulantur, beneuolentiam & amorem arguunt: nam ille ſæpe interno affectu eum odit, in quem honorem confert.

Die

Die funeris, laudationem eius princeps eſorſus eſt. Dum antiquitatem generis, conſulatus, ac triumphos maiorum enumerabat, intentus ipſe & ceteri. Liberalium quoque artium commemoratio, & nihil, regente eo, Reip. triſte ab externis accidiſſe, pronis animis audita.

MAGNAM laudem affert Principi, de eo dici poſſe, quòd, eo regente, nihil triſte ab externis Reipublicæ ſuæ acciderit.

Poſtquam ad prouidentiam ſapientiamq. flexit; nemo riſui temperare.

IN laudando aliquo, ſiue Principe, ſiue alterius condicionis viro, cauendum, eſt ne aliqua celebremus, quæ certo falſa ab his, qui audiunt, argui poſſint. Semper enim ridiculi erimus.

quamquam oratio a Seneca compoſita, multum cultus præferret: vt fuit illi viro ingenium amœnum, & temporis illius auribus accommodatum.

NON ſufficit quòd aliquis ſit praditus amœno, & præſtanti ingenio, niſi etiam fuerit accommodatum auribus & moribus ſui temporis.

Adnotabant ſeniores, quibus otium eſt vetera & præſentia contendere;

SENIORIBVS otium & conſuetudo eſt, vetera & præſentia contendere: & fere ſemper illa laudare, hæc deteſtari. Quod forſitan non vitio temporum, ſed ætatis tribui poteſt.

primum ex ijs, qui rerum potiti eſſent Neronem, alienæ facundiæ eguiſſe.

INTER ceteras partes, quæ Principi maxime conueniunt, & proſunt, eſt eloquentia ſiue facundia. Turpe eſt enim dici de vno, qui rerum potiatur, quòd aliena facundia egeat.

Nam dictator Cæſar ſummis oratoribus æmulus, & Auguſto prompta ac profluens, quæ deceret principem, eloquentia fuit.

PRINCIPEM decet prompta ac profluens eloquentia.

Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus ſenſibus aut conſulto ambiguus.

MVLTI reperiuntur validi ſenſibus, & conſulto ambigui. Id Principi maxima ſolet afferre commoda.

Etiam C. Cæſaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quoties meditata diſſereret, elegantiam requireres.

EA eloquentia, quæ meditatione indiget, proprie Principi non conuenit: ſed potius Rhetori, aut Hiſtorico.

Nero puerilib. ſtatim annis, viuidum animum in alia detorſit.

MVLTVM refert, in quæ ſtudia detorqueat aliquis viuidum animum puerilibus annis. Nam ſtatim, vt aiunt ſacri Canones, intelligitur ex his, qualis debeat eſſe in ætate ſequenti.

Cælare & pingere, cantus, aut regimen equorum exercere. & aliquando carminibus pangendis ineſſe ſibi elementa doctrinæ oſtendebat.

ALIA debent eſſe ſtudia priuatorum, alia Principum. Hinc cælare, pingere, cantus, regimen equorum, & cetera exercitia, quæ hic in Nerone enumerat Auctor noſter; eſſent forſan laudabilia in hominibus alterius condicionis: quæ in Principe ſemper erunt illaudabilia. Quæ proprie decet iuſtitia, fortitudo, liberalitas, magnanimitas, & cetera virtutes. Huc pertinet prudens illa reſponſio Gemen Othomanni captiui Romæ ad aliquos, qui illi Regem Ferdinandum Neapolit. laudabant, ob artis deſultoriæ & equitandi peritiam.

Ceterum peractis triſtitiæ imitamentis, curiam ingreſſus, & de auctoritate patrum, & conſenſu militum præfatus, conſilia ſibi & exempla capeſſendi egregie imperij memorauit.

NVMQVAM aberrabit a recto regimine Princeps ille, cui & conſilia, & exempla egregie capeſſendi imperij aderunt.

nec

nec iuuentam armis ciuilibus, aut domeſticis diſcordijs imbutam; nulla odia, nullas iniurias, nec cupidinem vltionis afferre.

TRANQVILLA dominatio poteſt præſumi a ſubditis de illo principe, qui nullis armis ciuilibus, aut domeſticis diſcordijs imbutus ad Principatum accedit: nec ibi affert vlla odia, vllas iniurias, nec cupidinem vltionis.

Tum formam futuri principatus præſcripſit, ea maxime declinans, quorum recens flagrabat inuidia.

HANC debet formam principatus nouus Princeps præſcribere, vt ea maxime declinet, quorum recens flagrat inuidia. Id Auguſtus optime obſeruauit: & hinc tutus vſque ad vltimam ſenectam regnauit. Id etiam OCTAVIVS FARNESIVS Plac. & Par. Dux eximie præſtitit vnde illi dominatio ſecura.

Non enim ſe negotiorum omnium iudicem fore, vt clauſis vnam intra domum accuſatoribus & reis, paucorum potentia graſſaretur.

QVANDO intra vnam domum clauſi ſunt accuſatores, & rei, tunc paucorum potentia graſſatur.

Nihil in penatibus ſuis venale, aut ambitioni peruium:

VTINAM in omni Aula hoc ſeruaretur inſtitutum, vt nihil ibi eſſet venale, aut ambitioni peruium. Aurea equidem rediret ætas, & ſæcula illa feliciſſima a Poetis decantata.

diſcretam domũ & Remp. Teneret antiqua munia ſenatus Conſulum tribunalibus Italia & publicæ prouinciæ aſſiſterent. Illi patrum aditum præberent; ſe mandatis exercitibus conſulturum. Nec defuit fides.

INTER cetera Principis præclari fundamenta, & animi bona, hoc eſt præcipuum: vt verbis eius non deſit fides, ſed ſint voces ſuæ, leges inuiolabiles, & promiſſa ſua numquam exitu careant.

Multaq. arbitrio ſenatus conſtituta ſunt: Ne quis ad cauſſam orandam mercede aut donis emeretur: Ne deſignaris quidem quæſtoribus edendi gladiatores neceſſitas eſſet. Quod quidem, aduerſante Agrippina, tamquam acta Claudij ſubuerterentur, obtinuere patres.

ACTA prædeceſſoris ſubuertuntur, cum Princeps ſucceſſor diuerſa ſtatuit, etſi de illis mentionem non faciat.

qui in palatium ob id vocabuntur, vt aſtaret abditis a tergo foribus velo diſcreta, quod viſum arceret, auditus non adimeret. Quin & legatis Armeniorum cauſſam gentis apud Neronem orantibus, aſcendere ſuggeſtum imperatoris, & præſidere ſimul parabat niſi ceteris pauore defixis, Seneca admonuiſſet, venienti matri occurreret. Ita ſpecie pietatis, obuiam itum dedecori.

SAEPE ſpecie pietatis, Princeps poteſt ire obuiam dedecori.

Fine anni turbidis rumoribus prorupiſſe rurſum Parthos, & rapi Armeniam allatum eſt, pulſo Rhadamiſto, qui ſæpe regni eius potitus, dein profugus, tum quoque bellum deſeruerat. Igitur in vrbe ſermonum auida,

AVIDA ſermonum eſt ſemper vrbs: Sic ſupra; In vrbe omnium gnara, & nihil reticente: &c.

quemadmodum princeps vix ſeptemdecim annos egreſſus, ſuſcipere eam molem, aut propulſare poſſet: quod ſubſidium in eo qui a femina regeretur.

CONTEMNENDVS eſt certe Princeps qui a femina regitur: & parum ſubſidij in illo repoſitum eſt ſubditis.

num

num prælia quoque & oppugnationes vrbium, & cetera belli per magiſtros adminiſtrari poſſent, anquirebant.

PRAETER multa alia, in quibus maximam laudem poteſt acquirere Princeps, hæc non eſt vltima pars officij ſui, vt ſubditorum opera vtatur, prout quiſque eorum ad aliquid idoneus reperitur. Sicut enim oculos ad videndum, aures ad audiendum, pedes ad eundum, creauit natura; & qui eius ordinem peruertere conabitur, totum confundet, & corpus humanum inutile prorſus reddet: ſic Princeps, qui miniſtrum, verbi gratia, qui arte vna polleat, ad aliam diuerſam, & ſæpe contrariam applicare volet, ſibi dedecus, illi infamiam, & Reipublicæ damnum maximum irrogabit. Et huc pertinent verba illa Centurionis in ſacro Euangelio Matth. 8. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, Vade, & vadit: & alio, Veni, & venit: & ſeruo meo, Fac hoc & facit. *In hanc materiam eleganter admodum, & ſcite diſſerit Fabius Albergatus Bononienſis, vir multæ eruditionis, & prudentiæ, in ſermone quodam ad Philippum Boncompagnum Card. S. Sixti.*

Contra alij melius eueniſſe dixerunt, quàm ſi inualidus ſenecta & ignauia Claudius, militiæ ad labores vocaretur, ſeruilibus iuſſis obtemperaturus.

IS eſt vere laudandus Princeps, qui totus ex ſe pendet, & ex ſuo iudicio. Vt econtra deſpiciendi ſunt penitus, ſi modo aliqui reperiuntur, qui ſeruilibus iuſſis obtemperant. Et nihil eſt abſurdius, quàm homines ſenecta, & ignauia inualidos, vocari ad labores militiæ.

Burrhum tamen & Senecam multarum rerum experientia cognitos:

VICE oraculi apud ceteros mortales ſunt, qui multarum rerum experientiam habent: & locum præſcij numinis, vt ita dicam, cum reliquis obtinent.

& imperatori quantum ad robur deeſſe? cum octauodecimo ætatis anno Gn. Pompeius, nonodecimo Cæſar Octauianus, ciuilia bella ſuſtinuerint. Pleraque in ſumma fortuna auſpicijs & conſilijs, quàm telis & manibus geri.

IN ſumma fortuna pleraque auſpicijs & conſilijs quàm telis & manibus geruntur. Sic ſupra lib. 1. de Tiberio loquitur Auctor.

Daturum plane documentum, honeſtis an ſecùs amicis vteretur, ſi ducem, amota inuidia, egregium, quàm ſi pecunioſum & gratia ſubnixum per ambitum diligeret.

PRINCEPS ille, qui dignitates & honores potius collocat in viris, amota inuidia, egregijs, quàm pecunioſos, & gratia ſubnixos per ambitum diligat: plane dat documentum, quòd honeſtis amicis, & conſultoribus vtitur.

Hæc atque talia vulgantibus, Nero & iuuentutem proximas per prouincias quæſitam ſupplendis Orientis legionibus admouere, legionesq. ipſas proprius Armeniã collocari iubet. Duosq. veteres reges Agrippam & Iocchum expedire copias, quis Parthorum fines vltro intrarent, ſimul pontes per amnem Euphratem iungi. Et minorem Armeniam Ariſtobulo, regionem Sophenem Sohemo cum inſignibus regijs mandat. Exortusq. in tempore æmulus Vologeſo, filius Vardanes.

OPPORTVNE ſemper ſurgit inimico tuo æmulus domeſticus, cum ille te infeſtare molitur. Sic enim ab iſto occupatus, contra te nihil machinari poteſt.

Et abſceſſere Armenia Parthi, tamquam differrent bellum.

NON ſemper quando hoſtes abſcedunt, bellum finire ſolent: ſed ſæpe illud differunt.

Sed apud ſenatum omnia in maius celebrata ſunt.

SEMPER in maius celebrantur geſta Principum a ſuis ſubditis, vt illi morem gerant.

ſententijs eorum, quo ſupplicationes & diebus ſupplicationum veſtem principi triumphalem, vtq. ouans vrbem iniret, effigiesq. eius pari magnitudine, ac Martis Vltoris eodem

dem in templo cenſuere: prçter ſuetam adulationem læti, quòd Domitium Corbulonem retinendæ Armeniæ præpoſuerat. Videbaturq. locus virtutibus patefactus.

TVNC iure lætantur ſubditi, cum Princeps honores demandat egregijs & claris viris. Nam locus videtur patefactus virtutibus. Et in hoc tota conſiſtit optimi principatus ſubſtantia. Nam ſi econuerſo clauſus erit illis aditus, & illarum vice ambitioni, auaritiæ, & ceteris malis artibus ingreſſus aperietur; tunc omnibus bonis deſperandum eſt. Semper enim humi iacebunt, & principatus claudicabit.

Copiæ Orientis ita diuiduntur, vt pars auxiliarium cum duabus legionibus apud prouinciam Syriam, & legatum eius Quadratum Vinidium remaneret; par ciuium ſociorumq. numerus Corbuloni eſſet, additis cohortibus alisq. quæ apud Cappadociam hiemabant. Socij reges prout bello conduceret parere iuſſi. Sed ſtudia eorum in Corbulonem promptiora erant. qui vt famæ inſeruiret, quæ in nouis cœptis validiſſima eſt,

FAMAM eſſe validiſſimam in nouis cœptis præſertim bellorum, nemo eſt, qui neſciat. Ideo loco & tempore eſt illi inſeruiendum.

itinere propere confecto, apud Ægæas ciuitatem Ciliciæ obuium Quadratum habuit illuc progreſſum, ne ſi ad accipiendas copias Syriam intrauiſſet Corbulo, omnium ora in ſe verteret, corpore ingens, verbis magnificus,

SOLET ſolers Aulicus ea ſemper declinare, quæ æmuli exiſtimationem augere poſſunt. Inde enim ſequitur ſui ipſius depreſſio.

& ſuper experientiam ſapientiamq. etiam ſpecie inanium validus.

VIRI, qui magnam apud gentes exiſtimationem adepti ſunt, fere ſemper ſunt tales, vt ſuper experientiam, ſapientiamq. etiam ſint ſpecie inanium validi. Quorum inanium in numero, cenſeri poſſunt corporis proceritas, & verborum magnificentia, cum alijs ſimilibus.

Ceterùm vterque Vologeſem regem nuncijs monebant, pacem quàm bellum mallet, datisq. obſidibus, ſolitam prioribus reuerentiam in populum Romanum continuaret. Et Vologeſes quo bellum ex æquo modo pararet, an vt æmulationis ſuſpectos per nomen obſidium amouerat, tradit nobiliſſimos ex familia Arſacidarum.

ARS magna Principis eſt, ſuſpectos æmulationis per nomen obſidum amouere, & hoſti in ſignum pacis tradere.

Accepitq. eos centurio Hoſtorius ab Vinidio miſſus, forte priore de cauſſa adito rege. Quod poſtquam Corbuloni cognitum eſt; ire præfectum cohortis Arrium Vatum, & recipere obſides iubet. Hinc ortum inter præfectum & centurionem iurgium, ne diutius externis ſpectaculo eſſet, arbitrium rei obſidibus legatisq. qui eos ducebant, permiſſum. Atque illi ob recentem gloriam,

GLORIA recens in aliquo duce, ſemper ſuperabit vetuſtam alterius.

& inclinatione quadam etiam hoſtium, Corbulonem prætulere. Vnde diſcordia inter duces. querente Vinidio prærepta, quæ ſuis conſilijs patrauiſſet; teſtante contra Corbulone, non prius conuerſum regem ad offerendos obſides, quàm ipſe dux bello dilectus, ſpes eius ad metum mutaret.

MVLTVM intereſt, qualis ſit exercitus dux. Nam ſæpe eius nomen ſolum ſpes hoſtium ad metum mutat.

Nero quo componeret diuerſos, ſui euulgari iuſſit: Ob res a Quadrato & Corbulone proſpere geſtas, laurum faſcibus imperatorijs addi.

STVDEAT ſemper Princeps, qui verus & legitimus ſit Princeps, & non recenter principatum inuaſerit; ſtudeat, inquam, viros primarios ſui ſubditos, cum inter ſe ſunt diuerſi, componere & in concordiam reducere. Manuum enim coniunctio, capiti magnum addit robur.

quæ

quæ in allos conſules egreſſa, coniunxi. Eodem anno Cæſar effigiem Gn. Domitio patri, conſularia inſignia Aſconio Labeoni, quo tutore vſus erat, petiuit a ſenatu:

GRATITVDO erga tutores omnibus conuenit, præſertim Principibus, in quantum poſſunt. Locum enim parentum tenuerunt: quibus (ſecundum Platonem) par gratia non poteſt reddi.

ſibiq. ſtatuas argento vel auro ſolidas, aduerſus offerentes prohibuit.

PROHIBERE ſibi ſtatuas argento, vel auro ſolidas, aduerſus offerentes debet ſemper prudens Princeps. Idq. ob duas rationes: Primo quia multum in illis pecuniæ impenditur inutiliter. Secundo quia maximam conflare inuidiam ſolent. Vide conſilium Mæcenatis hac in re exhibitum Auguſto, apud Dionem lib. 52. in illa oratione a me toties allegata.

Et quamquam cenſuiſſent patres, vt principium anni inciperet menſe Decemb. quo ortus erat Nero, veterem religionem Kalendarum Ianu. inchoando anno retinuit. Neque recepti ſunt in reos Carinâs Celer ſenator, ſeruo accuſante, aut Iulius Denſus equeſter, cui fauor in Britannicum crimini dabatur.

SEMPER dabitur in crimen apud nouum Principem, fauor alicuius in illius æmulum. Sic ſupra de Titio & Silio inquit Auctor: Amicitia Germanici exitioſa vtrique.

Claudio Nerone, L. Antiſtio Coſs. cum in acta principum iurarent magiſtratus, in ſua acta collegam Antiſtium iurare prohibuit: magnis patrum laudibus, vt iuuenilis animus leuium quoque rerum gloria ſublatus, maiores continuaret,

BENE eſt, iuuenes ob leuia etiam laudari: vt ea gloria ſublati, maiora contineuent.

Secutaq. lenitas in Plautium Lateranum, quem ob adulterium Meſſalinæ ordine remotum, reddidit ſenatui, clementiam ſuam obſtringens crebris orationibus; quas Seneca, teſtificando quàm honeſta præciperet, vel iactandi ingenij, voce principis vulgabat. Ceterum infracta paulatim potentia matris, delapſo Nerone in amorem libertæ, cui vocabulum Acte fuit.

HIC incipit Agrippinæ præcipitium: Ex quo colligere poſſumus, quod nemo vult ſocium in dominatione, nec patrem, nec matrem, nec fratres, nec propinquos.

ſimul aſſumptis in conſcientiam Othone & Claudio Senecione adoleſcentulis decoris, quorum Otho familia conſulari, Senecio liberto Cæſaris patre genitus, ignara matre, dein fruſtra obnitente, penitus inrepſerant per luxum & ambigua ſecreta.

IN amicitiam Principum, præſertim iuuenum, multi irrepunt per luxum, & ambigua ſecreta.

ne ſeuerioribus quidem principis amicis aduerſantibus, muliercula nulla cuiuſquam iniuria cupidines principis explente;

TOLERANDVM eſt cũ Principis, præſertim iuuenis, cupidines explentur ab vna muliercula, nulla cuiuſquam iniuria. Et hinc diſcant rectores Principum iuuenum, etſi ſeueriores, conniuere ad aliqua in illa ætate: vt in ceteris rebus maioris momenti illos regere poſſint.

quando vxore ab Octauia nobili quidem, & probitatis ſpectatæ,

EVENIT ſæpe, vt ab vxoribus, quamuis nobilibus, & probitatis ſpectatæ, abhorreant mariti, & in alienarum amores ferantur.

fato quodam, an quia præualent illicita, abhorrebat.

REBVS humanis ineſt hæc infelicitas, vt ſæpe illicita præualeant.

metuebaturq. ne in ſtupra feminarum inluſtrium prorumperet, ſi illa libidine prohiberetur.

SATIVS equidem eſſet, Principem temperantia in omnibus actionibus ſuis vti: ſed cum difficillimum id ſit in Principe ætatis flore vigente, minus malum erit, vt ille aliqua priuata libidine fruatur, quæ illius deſiderium expleat: ne in ſtupra illuſtrium feminarum prorumpat.

Sed

Sed Agrippina libertam æmulam, nurum ancillam, aliaq. eundem in modum muliebriter fremere.

OB impotentiam ſexus facile ab affectibus ſuperantur mulieres : adeo vt tunc cum expediret diſſimulare, & patientia vti; illa clament, & muliebriter fremant.

Neque pœnitentiam filij, aut ſatietatem opperiri:

VERE dicitur: Patientes eſſe ſapientes. Cum ſola impatientia ſæpiſſime multi ſe, & res ſuas funditus euerterint. Et obſeruandum eſt, quòd iuuenum amores, vt feruentes ſolent eſſe, ſic etiam facile ad ſatietatem, & pœnitentiam reducuntur. Quæ duo ſolent eſſe omnium amorum venena.

quantoq. fœdiora exprobrabat, acrius accendere.

EXPROBRATIO per ſe accendit illum, in quem exercetur. Vnde fit, quòd quanto fœdiora exprobrauerimus, tanto acrius accendemus.

donec vi amoris ſubactus exueret obſequium in matrem, Senecæq. permitteret.

MAGNA eſt vis affectus huius amoris in iuuenibus, multaq. mala parere ſolet. Vt præter cetera hoc producit, cum aliquem ſubigit, efficit vt exuat obſequium ab illis, quibus illud præſtare omnino lege naturæ & ſanguinis tenetur.

Ex cuius familiaribus Annęus Serenus, ſimulatione amoris aduerſus eandem libertam primas adoleſcentis cupidines velauerat,

AMICI ſæpe amoris ſimulatione, cupidines amicorum velare ſolent. Hac ars adoleſcentibus notiſſima eſt.

præbueratq. nomen, vt quę princeps furtim mulierculæ tribuebat, ille palam largiretur.

ET hoc in Aulis perſæpe conſpicitur. Vt muneribus illis, quæ nonnulli furtim gratioſo alicui & apud Principem præpotenti tribuunt; præbeatur nomen, tamquam alter minus ſuſpectus illa palam largiatur. Idem etiam factiare ſolent iuuenes luxui dediti, qui corrumpere tentant mulieres nuptas: ne ſcilicet ſuſpecti reddantur illarum maritis. Vtraque eſt ars mala, ideoq. fugienda.

Tum Agrippina verſis artibus, per blandimenta iuuenem aggredi,

SERO ſapiunt Phryges: eſt in Adagio. Sic Agrippina nimium Neronem exaſperando, res ſuas in caſum dedit. Poſtea reſipiſcens, voluit illum demulcere, ſed non potuit. Hinc diſcant omnes homines, actiones ſuas, antequam in actum deducant, diligenter expendere, & ruminare.

ſuum potius cubiculum ac ſinum offerre contegendis quæ prima ætas, & ſumma fortuna expeterent.

QVID non expetit prima ætas, & ſumma rerum copia ſimul iuncta? Difficile equidem eſt modum ſeruare.

Quin & fatebatur intempeſtiuam ſeueritatem,

NOCEBIT ſemper intempeſtiua ſeueritas. Et quauis alia bona res, ſi in tempore non exercebitur.

& ſuarum opum, quę haud procul imperatorijs aberant, copias tradebat. vt nimia nuper coercendo filio; ita rurſum intemperanter demiſſa.

FERME ſemper qui in vno extremorum delinquunt; in altero etiam labuntur. Contrariorum enim eadem eſt diſciplina. Ideo, qui nimius erit coercendo filio ſeu ſubdito; ita rurſum erit erga illum intemperanter demiſſus.

Quæ mutatio neque Neronem fefellit, & proximi amicorum metuebant,

RARO propinquum & amicum, amici ac propinqui alterius mutatio fallit: & ſemper eſt timenda hæc mutatio.

orabantq. caueri inſidias mulieris ſemper atrocis tum & falſæ.

CAVENDAE ſunt inſidiæ mulieris ſemper: præſertim ſi atrox eſt, & falſa.

Forte illis diebus Cæſar inſpecto ornatu, quo principum coniuges ac parentes effulſerant, diligit veſtem & gemmas, miſitq. domum matri: nulla parcimonia, cum præcipua & cupita alijs, prior deferret.

IN muneribus, quæ Princeps alteri Principi mittere debet, nullam debet adhibere parſimoniam. Sed præcipua, & alijs cupita, libenter deferre debet: vt animi ſui magnitudinem oſtendat & illum magni facere declaret.

Sed Agrippina non his inſtrui cultus ſuos, ſed ceteris arceri proclamat, & diuidere filium, quæ cuncta ex ipſa haberet.

QVI aliquid alteri donat ex illo, quod prius ſecum habebat quaſi commune; tali munere non inſtruit cultus eius: ſed ceteris illum arcet, & quodam modo diuidet, qua cuncta ex illo habet.

Nec defuere qui in deterius referrent.

NVMQVAM deſunt qui in deterius referant res dictas erga amicum, ſeu coniunctam aliquam perſonam, præſertim in Aulis, circa Principum perſonas. Tanta eſt in his locis improborum turba.

Et Nero infenſus ijs, quibus ſuperbia muliebris innitebatur, demouet Pallantem cura rerum, quis a Claudio impoſitus, velut arbitrum regni agebat.

PRIMVS gradus deprimendi aliquem validum æmulum, incipit ab extenuatione amicorum; quibus æmuli ſuperbia præcipue inniti ſolet.

Ferebaturq. digrediente eo magna proſequentium multitudine, non abſurde dixiſſe: Ire Pallantem, vt eiuraret. Sane pepigerat Pallas, ne cuius facti in præteritum interrogaretur, pareſq. rationes cum Repub. haberet. Præceps poſt hæc Agrippina, ruere in terrorem & minas,

CVI vires non adſunt magnæ, is numquam aduerſus æmulum ruat præceps in terrorem & minas. Nihil enim aliud aget, quàm ſibi ipſi perniciem accelerabit & ridiculus euadet. Satius ergo eſt, ſilere, & temporis occaſionem præſtolari.

neque principis auribus abſtinere, quo minus teſtaretur, adultum iam eſſe Britannicum, veram dignamq. ſtirpem ſuſcipiendo patris imperio: quod inſitus & adoptiuus, per iniurias matris exerceret. Non abnuere ſe, quin cuncta infelicis domus mala patefierent; ſuæ in primis nuptiæ, ſuum veneficium. Id ſolum dij & ſibi prouiſum, quòd viueret priuignus. Ituram cum illo in caſtra. Audiretur hinc Germanici filia; inde vilis rurſus Burrhus & exul Seneca, trunca ſcilicet manu, profeſſoria lingua, generis humani regimen expoſtulantes. Simul intendere manus, aggerere probra: conſecratum Claudium, infernos Sillanorum manes inuocare, & tot inrita facinora.

TVNC vere præceps ruit in terrorem & conſternationem ſceleſtus, cum irrita cadunt facinora ſua. Et a ſpe, quam ſibi molitus fuerat, penitus decidit.

Turbatus his Nero, & propinquo die, quo quartumdecimum ętatis annum Britannicus explebat, volutare ſecum modo matris violentiam, modo ipſius indolem, vt quidem experimento nuper cognitam, quo tamen fauorem late quæſiuiſſet.

LATE quærere ſolet fauorem apud populum clarus aliquis & primarius adoleſcens, cum aliquo experimento oſtendit ſua idolis præſtantiam.

Feſtis Saturno diebus inter alia æqualium ludicra, regnum luſu ſortientium, euenerat ea ſors Neroni. Igitur cetera diuerſa, nec ruborem illatura; vbi Britannico iuſſit exſurgeret, progreſſuſq. in medium cantum aliquem inciperet, inriſum ex eo ſperans pueri ſobrios quoque conuictus, nedum temulentos ignorantis.

IS, qui ſobrios ignorat conuictus, multo magis in temulentis, quorum rationem non callet, apparebit ridiculus.

ille

ille conſtanter eſforſus eſt carmen, quo euolutum eum ſede patria rebusq. ſummis ſignificabatur. Vnde orta miſeratio manifeſtior, quia diſſimulationẽ nox & laſciuia exemerat.

NOX & laſciuia eximunt diſſimulationem. Et ſæpe conſilijs humanis cadunt in ſiniſtrũ euentus.

Nero intellecta inuidia, odium intendit.

SOLENT Tyranni intendere odia, & augere aduerſus illum, qui ipſis conflare inuidiam aliquo modo poſſunt. Vnde numquam ceſſare conſueuerunt quouſque illum e medio ſuſtulerint.

Vrgentibusq. Agrippinæ minis, quia nullum crimen, neque iubere cædem fratris palam audebat, occulta molitur.

OCCVLTA ſemper moliuntur Tyranni contra illum, quem odio proſequuntur, cum nullum in eum habent crimen, nec palam iubere eius cædem audent.

Parari venenum iubet, miniſtro Pollione Iulio prætoriæ cohortis tribuno, cuius cura attinebatur damnata veneficij nomine Locuſta, multa ſcelerum fama.

TAM per ſcelera, quàm per virtutes acquiritur fama. Sed hæc bona, illa mala appellatur.

Nam vt proximus quiſque Britannico, neque fas, neque fidem penſi haberet, olim prouiſum erat.

QVI alicuius exitium volunt, curant, vt quiſque illi proximus, neque fas, neque fidem penſi habeat. Sic enim facilius illos in amuli perniciem corrumpunt.

Primum venenum ab ipſis educatoribus accepit, tranſmiſitq. exſoluta aluo parum validum, ſiue temperamentum inerat, ne ſtatim ſæuiret. Sed Nero lenti ſceleris impatiens, minitari tribuno, iubere ſupplicium veneficæ; quòd dum rumorem reſpiciunt, dum parant defenſiones, ſecuritatem morarentur.

HOC vere de illis, qui aduerſus Principes conſpirant, dici poteſt: quòd dum rumorem reſpiciunt, dum parant defenſiones, ſecuritatem propriam morantur non ſolum, ſed amittunt. Tractu enim temporis panditur conirratio, & coniurati opprimuntur.

Promittentibus dein tam præcipitem necem, quàm ſi ferro vrgeretur, cubiculum Cæſaris iuxta decoquitur virus, cognitis antea venenis rapidum. Mos habebatur, principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus ſedentes veſci in aſpectu propinquorum, propria & parciore menſa. Illic epulante Britannico, quia cibos potusq. eius dilectus ex miniſtri guſtu explorabat, ne omitteretur inſtitutum, aut vtriuſque morte proderetur ſcelus, talis dolus repertus eſt.

HEV innocentiam proborum infelicem: ſi quando in manus ſceleſtorum perueneruнt. Nulla enim non omittitur ars nec dolus, ad eos peruertendos.

Innoxia adhuc ac præcalida, & libata guſtu potio traditur Britannico. Dein poſtquam feruore aſpernabatur, frigida in aqua affunditur venenum; quod ita cunctos eius artus peruaſit, vt vox pariter & ſpiritus eius raperentur.

EXCELLENS magiſter fraudis, & doli cuiuſque eſt dominandi ſitis & libido.

Trepidatum a circumſedentibus, diffugiunt imprudentes. At quibus altior intellectus, reſiſtunt defixi, & Neronem intuentes.

IN actionibus Principum vulgus natat ſolum, prudentes vero ſubmerguntur. Ab illo tantum rei cortex aſpicitur: hi vero, quibus altior eſt intellectus, ſtatim medullam penetrare ſolent.

Ille vt erat reclinis, & neſcio ſimilis, ſolitum ita ait, per comitialem morbum, quo primũ ab infantia afflictaretur Britanicus, & redituros paulatim viſus ſenſusq. At Agrippinæ is pauor, ea conſternatio mentis, quamuis vultu premeretur, emicuit; vt perinde ignarum fuiſſe ac Octauiam ſororem Britannici conſtiterit. quippe ſibi ſupremum auxilium ereptum, & parricidij exemplum intelligebat.

EX pernicie alicuius tecũ in vna eademq. cauſſa cõiuncti, intelligere potes & tui exitij exemplum.

Octauia quoque quamuis rudibus annis, dolorem, charitatem, omnis affectus abſcondere didicerat.

S*IC ſupra de Caio Caligula Auctor: Nam cuncta ſimulationum in ſinu aui perdidicerat.*

Ita poſt breue ſilentium, repetita conuiuij lætitia. Nox eadem necem Britannici & rogum coniunxit, prouiſo ante funebri apparatu, qui modicus fuit.

Q*VAE illi augere poſſunt ſubditorum odium, agere ſolet occulte, & in tenebris ſemper Tyrannus.*

In campo tamen Martio ſepultus eſt, adeo turbidis imbribus, vt vulgus iram deum portendi crediderit aduerſus facinus,

V*VLGVS ſemper vt eſt cauſſarum rerum ignarum, ſic in eis iudicandis aberrat.*

cui pletique etiam hominum ignoſcebant, antiquas fratrum diſcordias, inſociabile regnum exiſtimantes.

E*T regnum, & potenti inſociabilia ſunt. Et huc pertinent grauiſſimi illi Lucani in 1. Pharſalia verſus:*

Dum terra fretum, terramq. lauabit. . . . . .
Aer, & longi voluent Titana labores
Noxq. diem cælo totidem per ſigna ſequetur,
Nulla fides regni ſocijs: omniſq. poteſtas
Impatiens conſortis erit: nec gentibus vllis
Credite: nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri,
Nec pretium tanti tellus pontuſq. furoris
Tunc arat: exiguum dominos commiſit Aſylum.

& quæ ſequuntur.

Tradunt plerique eorum temporum ſcriptores, crebris ante exitium diebus illuſiſſe pueritiæ Britannici Neronem. vt iam non præmatura neque ſęua mors videri queat, quamuis inter ſacra menſæ, ne tempore quidem ad complexum ſorori dato, ante oculos inimici properata ſit in illum ſupremum Claudiorum ſanguinem, ſtupro prius quàm veneno pollutum.

O*abominandum ſcelus. Fratrem prius ſtupro, & poſtea veneno polluere. Quis alius hoc præter Neronem, egiſſet? Exemplum tamen ſimile etſi non in fratrem, habemus de Cæſare Borgia Duce Valentino. Qui Aſtorrem Manfredum, forma corporis iuuenem præſtantem; poſt adeptum illi principatum Fauentiæ, ſtupro prius, poſtea morte affecit. Guic. in Hiſt. Ital. lib. vij.*

Feſtinationem exſequiarum edicto Cæſar defendit, id a maioribus inſtitutum referens, ſubtrahere, oculis acerba funera, neque laudationibus, aut pompa detinere.

N*VMQVAM deſunt Tyrannis modi, & rationes defendendi, & vt ita dicam, velandi crudelitates & iniuſtitias ſuas. Sic ſupra de Tiberio inquit Auctor; Proprium id in Tiberio fuit, ſcelera nuper reperta priſcis verbis obtegere.*

Ceterum & ſibi amiſſo fratris auxilio, reliquas ſpes in Rep. ſitas: & tanto magis fouendum patribus populoq. principem: qui vnus ſupereſſet e familia ſummum ad faſtigium genita. Exin largitione potiſſimos amicorum auxit.

P*RINCEPS, qui ob aliquam cauſſam multos infenſos habet, ſtudeat potiſſimos amicorum largitione augere.*

Nec defuerunt, qui arguerent viros grauitatem, aſſeuerantes quòd domos villaſq. id temporis quaſi prædas diuiſiſſent.

T*VRPE eſt, verbis & ſignis extrinſecis grauitatem aſſeuerare, & poſtea manifeſte in auaritiam & rapinas prolabi. & hoc crimen intelligitur de Seneca & Burrho. Qua ſuper re vide Senecæ defenſionem in pluribus ſuarum epiſtolarum.*

Alij neceſſitatem adhibiram credebant a principe ſceleris ſibi conſcio, & veniam ſperante, ſi largitionibus validiſſimum quemque obſtrinxiſſet.

DVBIVM non eſt, largitiones obſtringere tibi illos, in quos eas confers. Et obſeruandum eſt, quòd Tyrannus ſcelerum ſibi conſcius, & proinde odium vniuerſale metuens, ſolet neceſſitatem adhibere validioribus ſuis amicis ad accipienda munera. Ob quæ venia ab illis detur tacite ſuis flagitijs, magisq. ſibi obſtringantur. Non tamen ſic agere voluit Reginaldus Polus, qui poſtea fuit a PAVLO III. creatus Cardinalis, cum Henrico. VIII. Angliæ Rege. Qui, vt ipſe ſuis flagitijs conuiueret, & repudium illud nefandum Catherinæ vxoris ſcriptis ſuis defenderet; offerebat in præmium eccleſias Eboracenſem, & Vintonienſem, & multa alia munera. Quæ omnia magnanime reſpuit Polus: & maluit indignationem Tyranni ſubire, patria carere, bonis proprijs multari: quàm iniquis petitionibus Regijs aſſentire. Vide Nicolaum Sanderum. De ſchiſmate Anglicano.

At matris ira nulla munificentia leniri;

IMPLACABILIS eſt illa ira, quæ nulla munificentia lenitur. Cum munera, vt ille ait, ſoleant placare homines q. deosq.

ſed amplecti Octauiam, crebra cum amicis ſecreta. Super ingenitam auaritiam, vndique pecunias quaſi in ſubſidium corripiens, tribunos & centuriones comiter excipere. Nomina & virtutes nobilium, qui etiam tum ſupererant, in honore habere: quaſi quæreret ducem & partes.

SVSPECTVS Principi debet eſſe iure merito ille, qui in aliqua re erga ipſum male affectus, amplectitur eius æmulos, ſecreta cum amicis crebra habet, vndique pecunias quaſi in ſubſidium corripit, fauorem militarem ambit, nomina, & virtutes nobilium viuentium in honore habet. Hæc omnia enim ſigna ſunt animi alienati a Principe, qui quærat ducem, & partes.

Cognitum id Neroni, excubiasq. militares, quæ vt coniugi imperatoris olim tum & vt matri ſeruabantur, & Germanos ſuper eundem honorem cuſtodes additos digredi iubet. Ac ne cœtu ſalutantium frequentaretur, ſeparat domum, matremq. transfert in eam, quæ Antoniæ fuerat: quoties ipſe illuc ventitaret, ſeptus turba centurionum & poſt breue oſculum digrediens.

HAEC eſt breuiſſima & facilliſſima via reprimendi quemcumque, qui in ciuitate contra Rempublicam, aut contra Principem inſurgere velit. Præcidere ſcilicet ei, & præoccupare omnes illas vias, per quas gradiendo, ille ad ſummas ſpes nititur.

Nihil rerum mortalium tam inſtabile ac fluxũ eſt, quàm fama potẽtię non ſua vi nixæ.

EST verior hæc ſententia, quàm vt opus explanatione habeat: nihil rerum mortalium tam inſtabile ac fluxum eſſe, quàm famam potentiæ non ſua vi nixam. Et Romæ qui degunt, non ſemel experientia id cognoſcunt. Et dicitur ſua vi nixa potentia, quæ ſub virtute, aut robore ſolius potentis fundatur: non ſub alio aduentitio fauore.

Statim relictum Agrippinæ limen. Nemo ſolari, nemo adire, prępter paucas feminas. amore an odio, incertum.

SEMPER relinquetur limen illius, qui in Principis odium inciderit. Neminem ille inueniet, qui ipſum adeat, vel ſoletur, niſi forſitan odij gratia. Adeo rara eſt in Aulis vera amicitia.

Ex quibus erat Iunia Silana, quam matrimonio C. Silij a Meſſalina depulſam ſupra retuli, inſignis genere, forma laſciua, & Agrippinæ diu perchara. mox occultis inter ęas offenſionibus, quia Sextium Africanum nobilem iuuenem a nuptijs Silanæ deterruerat Agrippina, impudicam & vergentem annis dictitans;

MVLIERI, præſertim nobili & laſciuæ, nulla maior iniuria fieri poteſt, quàm eam aut deformem, aut annis vergentem appellare.

non vt Africanum ſibi ſeponeret.

ARS eſt hæc mulierum impudicarum, deterrere ab amore aliarum mulierum iuuenes: vt poſtea illos ſibi ſeponant.

ſed ne opibus & orbitate Silanę maritus potiretur. Illa ſpe vltionis oblata, parat accuſatores ex clientibus ſuis Iturium & Caluiſium.

SEXVS muliebris ſuapte natura eſt vltionis cupidus. Sic ſupra lib. iij. de Agrippina Auctor: Et omnium, quæ vltionem morarentur, intolerans.

non vetera, & ſæpius iam audita deferens, quòd Britannici mortem lugeret, aut Octauiæ iniurias euulgaret: ſed deſtinauiſſe eam Rubellium Plautum per maternam originem pari ac Nero gradu a diuo Auguſto, ad res nouas extollere, coniugioq. eius etiam imperio Remp. rurſus inuadere.

QVI aliquem aduerſarium perdere vult, ei non obijcit vetera crimina, & ſæpius audita: nam hæc facile refelluntur, ſed noua aliqua, & atrociſsima componit, quorum recenti inuidia ſit impar defenſio reo.

hæc Iturius & Caluiſius Atimeto Domitiæ Neronis amitæ liberto aperiunt. Qui lætus oblatis, quippe inter Agrippinam & Domitiam infenſa æmulatio exercebatur, Paridem hiſtrionem liberrum & ipſum Domitiæ impulit ire propere, crimenq. atrociter deferre. Prouecta nox erat, & Neroni per vinolentiam trahebatur. Cum ingreditur Paris, ſolitus alioquin id temporis luſus principis intendere.

AD inſtillandum auribus Principis arcanum aliquod magni momenti, diligendi ſunt illi, qui eius intima familiaritate fruuntur, & eorum etiam luſus intendere ſolent. Ii enim facile nórunt horam & tempus, & cum efficacia loquuntur.

Sed tunc compoſitus ad mæſtitiam, expoſitoq. indicij ordine ita audientem exterret, vt non tantum matrem Plautumq. interficere, ſed Burrhum etiam dimouere præfecturà deſtinaret, tamquam Agrippinæ gratia prouectum, & vicem reddentem.

IVS requirit, vt qui alicuius gratia prouectus ad aliquam eſt dignitatem, ei vicem reddat, cum occaſio aduenerit.

Fabius Ruſticus auctor eſt, ſcriptos eſſe ad Cæcinnam Thuſcum, codicillos, mandata ei prætoriarum cohortium cura, ſed ope Senecæ dignationem Burrho retentam.

VVLGATVM eſt, neque aquam, neque aerem, neque ſolem tam hominibus prodeſſe, quàm amicum. Proinde ſtudeat Aulicus prudens, paucos, ſed bonos amicos in Aula habere. Nam ſæpe innocentibus ſtruuntur inſidiæ ab aduerſarijs, quæ illis dignationem omnem eriperent, niſi ope amicorum retineretur.

Plinius & Cluuius nihil dubitatum de fide præfecti referunt. ſane Fabius inclinat ad laudes Senecæ, cuius amicitia floruit.

INCLINARE debemus ad laudes illorum, quorum amicitia nos floremus. Sic enim gratitudinis vinculum poſtulat.

Nos conſenſum auctorum ſecuturi, quæ diuerſa prodiderint, ſub nominibus ipſorum trademus. Nero trepidus, & interficiendæ matris auidus, non prius differri potuit, quàm Burrhus necem eius promitteret, ſi facinoris coargueretur. Sed cuicumque, nedum parenti defenſionem tribuendam. nec accuſatores adeſſe, ſed vocem vnius ex inimica domo afferri.

DEFENSIO eſt tribuenda cuicumque accuſato: præſertim cum ex inimica domo affertur accuſatio, nec accuſatores ipſi adſunt.

Reputaret tenebras, & vigilatā conuiuio noctē, omniaq. temeritati & inſcitię propiora.

IN tenebris, & noctibus conuiuio vigilatis, omnia ſunt temeritati, & inſcitiæ propiora.

Sic lenito principis metu & luce orta, itur ad Agrippinam vt noſceret obiecta, diſſolueretq. vel pœnas lueret.

VNVM ex duobus debet facere reus, qui atrocis criminis alicuius arguitur: aut diſſoluere obiecta, aut pœnas luere.

Bur-

Burrhus ijs mandatis, Seneca coram fungebatur. Aderant & ex libertis, arbitri ſermonis. Deinde a Burrho poſtquam crimina & auctores expoſuit, minaciter actum. Agrippina ferociæ memor:

VIOLENTI & atroces ingenio, nec in ipſo vitæ diſcrimine, ferociam exuere poſſunt.

Non miror, inquit, Silanam numquã edito partu, matrum affectus ignotos habere.

NON eſt mirandum, matrum affectus ignotos eſſe mulieribus, quæ numquam partum ediderunt.

Neque enim perinde a parentibus liberi; quàm impudica adulteri mutantur.

AFFECTVS naturæ, & ſanguinis, qui ſub iure primæuo fundati ſunt, efficaciſſimi ſunt. Adeo vt nullo modo adæquari poſſint illis reliquæ omnes appetitiones, quæ a ſenſibus plerumque in nobis germinant. Vnde naſcitur, quòd non perinde a parentibus liberi, quàm ab impudica adulteri mutantur.

Nec ſi Iturius & Caluiſius adeſis omnibus fortunis, nouiſſimam ſuſcipiendæ accuſationis operam anui rependunt; ideo aut mihi infamia parricidij, aut Cæſari conſcientia ſubeunda eſt.

NON ſtatim, ac aliquis accuſatur, debet Princeps, vel iudex, in eum ſententiam definitiuam ferre. Nam ſæpe in perniciem innocentium calumniæ ab inimicis ſtruuntur. Quas æquum eſt diligenter expendere, & poſtea iudicare.

nam Domitiæ inimicitijs gratias agerem, ſi beniuolentia mecum in Neronem meum certaret.

GRATVM debet eſſe parentibus, quòd multi certent ſecum beneuolentia erga filios. Cum hoc reſultet in beneficium filiorum: quibus ipſi parentes omnia bona optare debent.

Nunc per concubinum Atimetum, & hiſtrionem Paridem quaſi ſcenæ fabulas componit.

SAEPE qualitas accuſatorum ex ſe ſola, leuitatem accuſationis abſque alia probatione, & rei ac ſenſione, patefacere ſolet.

Baiarum ſuarum piſcinas excolebat, cum meis conſilijs adoptio, & proconſulare ius, & deſignatio conſulatus, & cetera adipiſcendo imperio præpararentur.

SVNT aliqui caſus, in quibus abſque infamia poteſt aliquis ſeipſum laudare, vel ſuum officium alicui in mentem reducere. Vt inter ceteros, cum in ſuſpſius defenſionem id factitatur. Vide Plut. in tract. De ſuipſius laude.

Aut exſiſtat qui cohortes in vrbe tentatas, qui prouinciarum fidem labefactatam, denique ſeruos vel libertos ad ſcelus corruptos arguat.

HAEC, & ſimilia ſolent agere innouatores ſtatus alicuius: tentare milites, fidem prouinciarum labefactare, denique ſeruos & familiares Principis ad ſcelus corrumpere. Qui nihil horum molitus fuerit, de Principe poteſt ſecurus eſſe.

Viuere ego, Britannico potiente rerum, poteram. at ſi Plautus aut quis alius Remp. iudicaturus obtinuerit; deſunt ſcilicet mihi accuſatores, qui non verba impatientia charitatis aliquando incauta, ſed ea crimina obijciant, quibus niſi a filio mater abſolui non poſſim?

POTEST peccare in tali re aliquando, quòd de eo non niſi filius aut pater ſeinuicem abſoluere poſſint. Et locus huius contextus eſt corruptus. Ad Lipſium.

Commotis qui aderant, vltroq; ſpiritus eius mitigantibus, colloquium filij expoſcit.

INNOCENTIS rei defenſio, ſæpe adeo commouet adſtantes, vt loco pœnæ, ſpiritus illius ab eis mitigentur, & potentia augeatur.

Vbi

Vbi nihil pro innocentia quaſi diffideret, nec beneficijs quaſi exprobraret diſſeruit, ſed vltionem in delatores & præmia amicis obtinuit.

FLAGRANTI eſt equidem potentia apud Principem ille, qui accuſatus, ſupplicij loco obtinet ab illo vltionem in delatores, & præmia amicis.

Præfectura annonæ Fenio Rufo, cura ludorum, qui a Cæſare parabantur, Arruntio Stellæ, Ægyptus C. Babillo permittuntur. Syria P. Anteio deſtinata, & varijs mox artibus eluſus; ad poſtremum in vrbe retentus eſt.

HEV miſeram Aulicorum condicionem, qui ſi perchari Principi non fuerint, quamuis mereantur honores, & ipſis illi promittantur; tamen varijs artibus eludentur, & nihil aſſequentur.

At Silana in exſilium acta. Caluiſius quoque & Iturius relegantur. De Atimeto ſupplicium ſumptum, validiore apud libidines principis Paride, quàm vt pœna afficeretur.

NEC mille accuſationes, quæ quotidie inſurgant, efficere poterunt, vt aliquis Aulicus validus apud libidines Principis, pœna afficiatur. De Tyranno tamen intelligimus.

Plautus ad præſens ſilentio tranſmiſſus eſt.

NON eſt ſignum ſemper ignoſcendi, tranſmittere ad præſens aliquem ſilentio, qui accuſetur apud principem. Sæpe enim hoc fit, quo commodior occaſio ſe offerat illum citra inuidiam puniendi.

Deferuntur dehinc conſenſiſſe Pallas, ac Burrhus, vt Cornelius Sulla claritudine generis, & affinitate Claudij, cui per nuptias Antoniæ, gener erat, ad imperium vocaretur. Eius accuſationis auctor extitit Pętus quidam, exercendis apud ærarium ſectionibus famoſus, & tum vanitatis manifeſtus.

NIHIL ponderis habent verba illius, qui prius aliqua nota infamia reſperſus eſt, & vanitatis tunc manifeſtus.

Nec tam grata Pallantis innocentia, quàm grauis ſuperbia fuit.

AVLICVS prudens enitatur ſe ab omnibus vitijs illæſum conſeruare. Nã etſi plures virtutes, quàm vitia illi adſint; tamen non tantum erunt grata illa apud homines, quàm iſta grauia.

quippe nominatis libertis eius, quos conſcios haberet, reſpondit, nihil vmquam ſe domi, niſi nutu aut manu ſignificaſſe, vel ſi plura demonſtranda eſſent, ſcripto vſum, ne vocem conſociaret.

INTOLERANDA eſt domini illius ſuperbia, qui, ne vocem conſociet ſeruis, potius ſcripto vtitur, ſi plura demonſtranda ſunt.

Burrhus quamuis reus, inter iudices ſententiam dixit.

POTEST certa concluſio fieri de ſalute, & abſolutione rei, cum inter iudices ipſe dicit ſententiam, qui eam a iudicibus expectare deberet. Sic ſupra lib. 12. Auctor inquit: Sed Quadratus Felicem inter iudices oſtentauit receptum in tribunal, quo accuſantium ſtudia deterrerentur.

Exſiliumq. accuſatori irrogatum, & tabulæ exuſtæ ſunt, quibus obliterata ærarij monimenta retrahebat. Fine anni ſtatio cohortis aſſidere ludis ſolita, demouetur, quo maior ſpecies libertatis eſſet; vtq. miles theatrali licentiæ non permixtus incorruptior ageret,

INCORRVPTIOR agit miles, cum non eſt permixtus theatrali licentia: Et maior ſpecies libertatis eſt in Republica, quando ſpectaculis publicis milites non aſſident iuſſu Principis.

& plebs daret experimentum, an amotis cuſtodibus, modeſtiam retineret.

CVM amouetur ab aliquo ſolitus cuſtos, tunc præbetur illi occaſio dandi experimentum, an modeſtiam retineat.

Vrbem

Vrbem princeps luſtrauit e reſponſo haruſpicum, quòd Iouis ac Mineruæ ædes de cælo tactæ erant. Q. Voluſio, P. Scipione Coss. otium foris, fœda domi laſciuia, qua Nero itinera vrbis, & lupanaria, & diuerricula, veſte ſeruili in diſſimulationem ſui compoſitus pererrabat, comitantibus qui raperent ad venditionem expoſita, & obuijs vulnera inferrent, aduerſus ignaros adeo, vt ipſe quoque exciperet ictus, & ore præferret.

FOEDA eſt Principis iuuenis laſciuia, compoſitum in ſui diſsimulationem veſte ſeruili, lupanaria & diuerticula pererrare. Comitantibus qui ciues iniuria afficiant, tali cum confuſione, vt etiam ipſe ignarus ab ignaris vulnera excipere poſsit, & ore præferre.

Deinde vbi Cæſarem eſſe qui graſſaretur pernotuit, augebanturq. iniuriæ aduerſus viros feminaſq. inſignes, & quidam ſimili licentia ſub nomine Neronis, multi proprijs cum globis eadem exercebant, & in modum captæ ciuitatis nox agebatur.

QVALES in Republica Principes, tales & ceteros ſolere eſſe ciues, prudenter ſcripſit Plato. Proinde, nihil illicitum agat Princeps, quod euulgetur. Nam multi ſimili licentia, ſub nomine eius, eadem exercebunt cum Principis infamia, & odio.

Iulius quidem Montanus ſenatorij ordinis, ſed qui nondum honorem capeſſiſſet, cōgreſſus forte per tenebras cum principe quia vim tentantem acriter repulerat, deinde agnitum orauerat, quaſi exprobraſſet, mori adactus eſt.

HEV quàm leues, & miſerabiles exitꝭ ſub Tyranno cauſſa ſubditis. Horret animus eas ſcribere, & meditari. Quid poſtea perpeti?

Nero autem metuentior in poſterum, milites ſibi, & pleroſque gladiatorum circumdedit, qui rixarum initia modica, & quaſi priuata finerent. ſi a læſis validius ageretur; arma inferebant.

HOC faciunt pericula elapſa, vt in poſterum ſimus metuentiores; & hinc maiorem cautionem ſaluti noſtræ adhibeamus.

Ludicram quoque licentiam, & fauores hiſtrionum velut in prælia conuertit, impunitate & præmijs; atque ipſe occultus & plerumque coram proſpectans: donec diſcordi populo, & grauioris motus terrore, non aliud remedium repertum eſt, quàm vt hiſtriones Italia pellerentur, milesq. theatro rurſum aſſideret.

CVM dubium oritur, ne aliquis cœtus, vel aliqua hominum ſocietas in vrbe, vel in prouincia motus concitet: nullum aliud melius remedium poteſt adhiberi a Principe, quàm illos pellere ex vrbe, vel ex prouincia.

Per idem tempus actum in ſenatu de fraudibus libertorum, efflagitatumq. vt aduerſus male meritos, reuocandæ libertatis ius patronis daretur.

ABSVRDVM eſſe non deberet, quòd aduerſus libertos male meritos, reuocandæ libertatis ius daretur patronis. Cum etiam leges ciuiles velint, vt ob ingratitudinem donatarij, a donante poſsit reuocari donatio. Et de hac materia vide apud Iuriſconſ. in tit. ff. de iurepatron.

Nec deerant qui cenſerent. Sed conſules relationem incipere non auſi ignaro principe, perſcripſere tamen conſenſum ſenatus. * Ille auctor conſtitutionis fieret, vt inter paucos & ſententiæ aduerſos, quibuſdam coalitam libertate irreuerentiam eo prorupiſſe frementibus,

LIBERTATE coaleſcit erga Principem irreuerentia. Et eſt mutilus hic locus. Adi Lipſium in Commentarijs: & etiam in proxime ſequenti textu. Noſtra enim hæc non eſt cura. qui Politica tantum attingimus.

vi an æquo cum patronis iure agerent, ſententiam eorum conſultarent, * an verberibus manus vltro intenderent, impellerentve pœnam ſuā diſſuadentes. Quid enim aliud læſo patrono conceſſum, quàm vt viceſimum vltra lapidem, in oram Campaniæ liberrum releget? Ceteras actiones promiſcuas & pares eſſe. Tribuendum aliquod telum quod ſperni nequeat.

NVMQVAM tutus eris ille ab aduerſario, qui aliquod telū non habebit, quod ſperni nequeat.

Nec

Nec graue manumiſſis, per idem obſequium retinendi libertatem, per quod aſſecuti ſint.

GRAVE non debet eſſe tibi retinere per idem obſequium dignitatem, per quod illam aſſecutus es. Ideo Aulicus prudens etſi a Principe promotus, numquam exuat priſtinum obſequium, cuius gratia fuit promotus: ne ſua negligentia callem aperiat Aulicis nouis, & diligentioribus.

Ac criminum manifeſtos, merito ad ſeruitutem retrahi; vt metu coerceantur, quos beneficia non mutauiſſent.

COERCENDI ſunt metu, quos beneficia non mutant. Sed prius beneficijs eſt agendum.

Differebatur contra. Paucorum culpam ipſis exitioſam eſſe debere. nihil vniuerſorum iuri derogandum.

CVLPA paucorum, ipſis exitioſa eſſe debet: & nihil derogandum eſt iuri vniuerſorum.

quippe late fuſum id corpus. Hinc plerumque tribus, decurias, miniſteria magiſtratibus & ſacerdotibus, cohortes etiam in vrbe conſcriptas. & plurimis equitum, pleriſque ſenatoribus, non aliunde originem trahi. Si ſeparentur libertini; manifeſtam fore penuriam ingenuorum. non fruſtra maiores cum dignitatem ordinum diuiderent, libertatem in communi poſuiſſe.

LIBERTATIS donum eſt commune: omnes enim, vt ſupra diximus, ab initio naſcebantur liberi. Ideo in commune fuit poſitum, cum ordinum dignitas ſepararetur.

Quin & manumittendi duas ſpecies inſtitutas, vt relinqueretur pœnitentiæ aut nouo beneficio locus. Quos vindicta patronus non liberauerit; velut vinculo ſeruitutis attineri. Diſpiceret quiſque merita, tardeq. concederet, quod datum non adimeretur.

DISPICIAT diligenter Princeps cuiuſcumque merita, & tarde concedat, quod datum non adimitur: præſertim cum de eximia aliqua, & rara dignitate collocanda agitur.

Hæc ſententia valuit. Scripſitq. Cæſar ſenatui priuatim expenderent cauſſam libertorum, quoties a patronis arguerentur: in commune nihil derogent.

PRIVATORVM cauſſæ diligenter ſunt expendendæ, ſed nihil in commune eſt derogandum a iudice, ſeu Principe.

Nec multo poſt, ereptus amitæ libertus Paris, quaſi iure ciuili, non ſine infamia principis, cuius iuſſu perpetratum ingenuitatis iudicium erat. Manebat nihilominus quædam imago Reip.

SVB Tyranno, vt alias obſeruauimus, numquam eſt vera libertas, ſed potius imago quædam, & ſimulacrum, quod ille artificioſe retinet, ad demulcendos ciuium animos. Sic ſupra de Tiberio Auctor: Sed Tiberius imaginem ſenatui præbebat. Et lib. i. etiam: Manebant etiam tunc morientis veſtigia Reipublicæ: & quæ ſequuntur.

Nam inter Vibullium prætorem, & plebei tribunũ Antiſtium ortum certamen, quòd immodeſtos fautores hiſtrionum & a prætore in vincula ductos, tribunus omitti iuſſiſſet. comprobauere patres, incuſata Antiſtij licentia.

DEBET a Principe & Senatu incuſari, & coerceri ille, qui immodeſtos hiſtrionum fautores defendit: Et a magiſtratu in vincula ductos, omitti iubet.

Simul prohibiti tribuni ius prætorum & conſulum præripere, aut vocare ex Italia cum quibus lege agi poſſet. Addidit L. Piſo deſignatus conſul, ne quid intra domum pro poteſtate animaduerterent: neve multam ab ijs dictam, quæſtores ærarij in publicas tabulas ante quattuor menſes referrent: medio temporis contradicere liceret. deq. eo conſules ſtatuerent. Cohibita artius & ædilium poteſtas, ſtatutumq. quantum curules, quantum plebei pignori caperent, vel pœnæ irrogarent. Et Heluidius Priſcus tribunus

bunus plebis aduerſus Obultronium Sabinum ærarij quæſtorem contentiones proprias exercuit, tamquam ius haſtæ aduerſus inopes inclementer ageret.

INCLEMENTER non eſt agendum ius haſta aduerſus inopes. Qui potius miſerationem, & ſubſidium merentur, quàm grauamen: dummodo non ſint probroſi, nec flagitijs dediti.

Dein princeps curam tabularum publicarum a quæſtoribus ad præfectos tranſtulit. Varie habita, ac ſæpe immutata eius rei forma. Nam Auguſtus permiſit ſenatui deligere præfectos. dein ambitu ſuffragiorum ſuſpecto, ſorte ducebantur ex numero prætorum qui præeſſent.

CVM ſuffragiorum ambitus eſt ſuſpectus, ſorte debent duci, qui officio alicui præſint. Quæ res vnicum eſt in Rebuſpublicis aduerſus ambitum remedium.

Neque id diu manſit, quia ſors deerrabat ad parum idoneos.

QVANDO res ſorti committitur, ſæpe illa deerrat ad parum idoneos. Sed non debet committi ſorti res talis, quæ magnum nocumentum afferre poſſit. Quâ de re plura dicemus infra lib. 4. Hiſt. in contentione Heluidij Priſci cum Marcello Eprio: ibi enim huius materiæ eſt proprius locus.

Tunc Claudius quæſtores rurſum impoſuit, ijsq. ne metu offenſionum ſegnius conſulerent, extra ordinem honores permiſit.

TVRPE eſt, magiſtratum metu offenſionis, ſegnius munia ſua exercere. Quod non laudabat Tiberius: nam ſupra inquit: Me offenſionum impauidum: & quæ ſequuntur.

Sed deerat robur ætatis eum primum magiſtratum capeſſentibus.

REQVIRITVR ætatis robur in capeſſentibus magiſtratum. Sic ſupra lib. 1. Annal. inquit, Agrippam non ætate, non experientia tantæ moli parem: &c.

Igitur Nero præfectura perfunctos, & experientia probatos dilegit.

QVOS experientia probauit hos dilegere debet Princeps ad magiſtratus obeundos.

Damnatus iiſdem conſulibus Vipſanius Lenâs, ob Sardiniam prouinciam auare habitam. Abſolutus Ceſtius Proculus repetundarum, cedentibus accuſatoribus. Clodius Quirinalis, quòd præfectus remigum qui Rauennæ haberentur, velut infimam nationum, Italiam luxuria ſæuitiaq. afflictauiſſet,

AFFLICTANTVR prouinciæ ob luxuriam, ſæuitiamq. magiſtratuum. Ideo rectè aget Princeps, aut eas quotannis præſentia ſua refouendo: aut, ſi hoc non poteſt, viros aliquos iuſtitia & virtute inſignes ad illas reuiſendas, & corrigenda miniſtrorum errata, mittendo. Vt prudentiſſime facit PHILIPPVS HISP. REX maximus cum prouincijs ſibi ſubditis, & longinquis.

veneno damnationem anteuertit. Aminius Rebius ex primoribus peritia legum, & pecuniæ magnitudine,

MAGNITVDO pecuniæ facit, vt eam poſſidens inter primores nominetur.

cruciatus ægræ ſenectæ, miſſo per venas ſanguine, effugit: haud creditus ſufficere ad conſtantiam ſumendæ mortis, ob libidines muliebriter infamis.

IVRE merito creditur non ſufficere ad conſtantiam rei alicuius arduæ ille, qui ob libidines muliebriter eſt infamis. Nam, vt ſupra dixit idem de Meſſalina loquens: In animo libidinibus corrupto, nihil honeſti ineſt.

At L. Voluſius egregia fama conceſſit. cui tres & nonaginta anni ſpatium viuendi, præcipuæq. opes bonis artibus, inoffenſa tot imperatorum malitia fuit.

NON vltima laus eſt, Principibus placuiſſe viris: inquit ille. Sed maxima eſt in viro claro, & inſigni tranſigere longam ætatem in ciuitate, inoffenſa multorum Principum malitia: ſeu mauis, amicitia. Sed mihi magis placet legere, malitia. Omnes enim ante Neronem Imperatores, ſub quibus vixit Voluſius, fuerunt praui & ſceleſti.

Nerone

Nerone ſecundum, L.Piſone conſulibus, pauca memoria digna euenêre niſi cui libeat, laudandis fundamentis & trabibus, quîs molem amphitheatri apud campum Martis Cęſar exſtruxerat, volumina implere: cum ex dignitate populi Romani repertum ſit, res inluſtres annalibus; talia diurnis vrbis actis mandare.

EX dignitate ſcriptoris Annalium, & populi, cuius geſta ſcribit, non eſt quibuſuis rebus volumina implere: ſed ſolum illuſtribus. Cetera enim diurnis actibus mandari debent.

Ceterum coloniæ Capua atque Nuceria, additis veteranis, firmata ſunt. Plebeiq. congiarium quadringeni nummi viritim dati, & ſeſtertium quadringentes ærario illatum eſt ad retinendam populi fidem.

PRAETER cetera commoda, quæ affert Principi ærarium pecunia refertum; hoc non eſt vltimum, quòd retinetur populi fides, & in officio melius permanet.

Vectigal quoque quintæ & viceſimæ venalium mancipiorum remiſſum, ſpecie magis quàm vi.

SIC ſupra de Tiberio inquit Auctor: Magis fama, quàm vi ſtare res ſuas.

quia cum venditor pendere iuberetur, in partem pretij emptoribus accreſcebat. Edixit Cæſar, ne quis magiſtratus, aut procurator qui prouinciam obtineret, ſpectaculum gladiatorum, aut ferarum, aut quod aliud ludicrum ederet. Nam ante non minus tali largitione, quàm corripiendis pecunijs, ſubiectos affligebat; dum quæ libidine deliquerant, ambitu propugnabant.

ACCIDIT plerumque, vt homines, quæ libidine delinquunt, ambitu propugnent. Quod perniciosſum maxime ſolet eſſe in magiſtratibus.

Factum & S. conſultum vltioni iuxta & ſecuritati, vt ſi quis a ſuis ſeruis interfectus eſſet, ij quoque qui teſtamento manumiſſi ſub eodem tecto manſiſſent, inter ſeruos ſupplicia penderent. Redditur ordini Luſius Varius conſularis, auaritiæ criminibus olim perculſus. Et Pomponia Græcina inſignis femina Plautio, qui ouans ſe de Britannijs retulit, nupta, ac ſuperſtitionis externæ rea, mariti iudicio permiſſa. Isq. priſco inſtituto, propinquis coram, de capite famaq. coniugis cognouit, inſontem nunciauit. Longa huic Pomponiæ ætas, & continua triſtitia fuit. Nam poſt Iuliam Druſi filiam dolo Meſſalinæ interfectam, per quatuordecim annos, non cultu niſi lugubri, non animo niſi mæſto egit. Idq. illi, impetrante Claudio, impune, mox ad gloriam vertit.

SAEPE ex triſtitia & mæſtitia offertur nobis occaſio, res noſtras ad gloriam vertendi. Exercere enim poſſumus fortitudinem, patientiam, tolerantiam, & pleraſque alias virtutes. Vnde vera emergit gloria. Nam cetera gloriæ ſpecies, quæ non a virtute producuntur; vera non ſunt gloriæ, ſed fuci, & imagines caducæ & fluxæ gloriæ.

Idem annus plures reos habuit quorum P. Celerem, accuſante Aſia, quia abſoluere nequibat Cæſar, traxit, ſenecta donec mortem obiret.

REOS ſcelerum atrócium, ſi Princeps, qui eos aliqua de cauſſa percharos habet, nequit abſoluere; trahit tamen, intantum vt ſupplicium effugiant. Et hoc de Tyranno intelligendum. Nam veri & iuſti Principes indiſtinctam omnibus præbent iuſtitiam.

Nam Celer interfecto, vt memoraui, Sillano proconſule, magnitudine ſceleris cetera flagitia obtegebat.

OBTEGVNTVR cetera minora flagitia, magnitudine alicuius ſceleris, in gratiam Principis perpetrati.

Coſſutianum Capitonem Cilices detulerant, maculoſum fœdumq. & idem ius audaciæ in prouincia ratum, quod in vrbe exercuerat. Sed peruicaci accuſatione conflictatus, poſtremo defenſionem omiſit, ac lege repetundarum damnatus eſt. Pro Eprio Marcello, a quo Lycij res repetebant, eo vſque ambitus præualuit, vt quidam accuſatorum eius exſilio multarentur, tamquam inſonti periculum feciſſent.

ACCVSATVR ſæpe aliquis adeo apud Principem potens, & gratioſus; vt quamuis cõuictus ſit, ipſe abſoluatur, & accuſatores eius pœna afficiantur: tamquam inſonti periculum fecerint.

Nerone

Nerone tertium conſule, ſimul inijt conſulatū Valerius Meſſalla, cuius proauum oratorem Coruinum, diuo Auguſto abauo Neronis, collegam in eo magiſtratu fuiſſe, pauci iam ſenum meminerant. ſed nobili familiæ honor auctus eſt, oblatis in ſingulos annos quingenis ſeſtertijs, quibus Meſſalla paupertatem innoxiam ſuſtentaret. Aurelio quoque Cottæ & Haterio Antonino annuam pecuniam ſtatuit princeps, quamuis per luxum auitas opes diſſipaſſent.

OFFERRE nobili alicui pauperi tantum pecuniæ quotannis, vt ſubleuare innoxiam paupertatem poſſit, debet quidem Princeps: & eſt magnificum opus. Sed illis, qui per luxum ſuas opes diſſipauerunt, minime. Immo Princeps hoc modo indiſtincte largiendo, in neutro caſu virtutem exercebit, nec laudem acquiret.

Eius anni principio, mollibus adhuc initijs prolatatum inter Parthos Romanosq. de obtinenda Armenia bellum, acriter ſumitur.

HOC ſæpe in bellis euenire inter duos potentes Principes cernitur; vt ſcilicet mollibus initijs inter ipſos prolatetur: & poſtea acriter ſumatur.

quia nec Vologeſes ſinebat fratrem Tiridatem dati a ſe regni expertem eſſe, aut alienæ id potentiæ donum habere:

E dignitate maximi Principis & Regis non eſt, quòd aliquis ſit expers muneris ab illo donati, aut alienæ potentiæ id donum habeat.

& Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur, parta olim a Lucullo Pompeioq. recipere.

PRAECLARVM opus conficit ille dux, qui Principi ſuo vel reipub. recuperat ab hoſte, quæ prius amiſerat.

Ad hæc Armenij ambigua fide vtraque arma inuitabant, ſitu terrarum, ſimilitudine morum Parthis propiores, connubijsq. permixti, ac libertate ignota illuc magis ad ſeruitium inclinantes.

HAEC conſiderari debet in inclinatione vnius populi ad alterum, cui debeant eſſe propiores: ſitus terrarum, ſimilitudo morum, connubiorum permixtio, & condicio ſtatus conformis.

Sed Corbuloni plus molis aduerſus ignauiā militum, quàm cōtra perfidiam hoſtiū erat.

SAEPE dux fortis, & ſeuerus habet plus molis aduerſus ignauiam militum ſuorum, quàm contra perfidiam hoſtium.

Quippe Syria tranſmotæ legiones, pace longa ſegnes, munia Romanorum ægerrime tolerabant.

MILITES pace longa ſegnes, ægerrime munia militiæ tolerant.

Satis conſtitit fuiſſe in eo exercitu veteranos, qui non ſtationem, non vigilias iniſſent: vallum foſſamq. quaſi noua & mira viſerent: ſine galeis, ſine loricis, nitidi & quæſtuoſi, militia per opida expleta.

VITVPERABILE admodum eſt in milite veterano, quòd numquam inierit ſtationem, numquam vigilias: vallum foſſamq. quaſi mira & noua, conſpiciat: ſine galea ſine lorica, nitidus & quæſtuoſus militiam per opida expleuerit.

Igitur dimiſſis quibus ſenecta, aut valetudo aduerſa erat, ſupplementum petiuit. Et habiti per Galatiam ac Cappadociam dilectus. Adiectaq. ex Germania legio cum equitibus alarijs, & peditatu cohortium. Retentusq. omnis exercitus ſub pellibus, quamuis hieme ſæua adeo, vt obducta glacie niſi effoſſa humus, tentorijs locum non præberet. Ambuſti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati ſunt. Annotatusq. miles, qui faſcem lignorum geſtabat, ita præriguiſſe manus, vt oneri adhærentes, truncis brachijs deciderent. Ipſe cultu leui, capite intecto, in agmine, in laboribus, frequens adeſſe: laudem ſtrenuis, ſolatium inualidis, exemplum omnibus oſtendere.

SIC ſe deberent gerere omnes exercituum duces, vt pulchre in Corbulone effingit eorū exemplar Auctor noſter. Nempe cultu leui, capite intecto, in agmine, in laboribus frequentes adeſſe:

laudem ſtrenuis, ſolatium inualidis, & omnibus exemplum oſtendere. Talem ſe hodie præſtat inuictiſſimus temporum noſtrorum exercituum ductor ALEXANDER FARNESIVS Placen. & Parmæ Dux III. contra Belgas, iam duodecim voluuntur anni, ſemper vincendo, bellum gerens.

Dehinc quia duritiam cæli militiæq. multi abnuebant, deſerebantq. remedium ſeueritate quæſitum eſt.

IN exercitibus corruptis ferme ſemper remedium ſeueritate quæritur.

Necenim, vt in alijs exercitibus, primum alterumq. delictũ venia proſequebatur, ſed qui ſigna reliquerat, ſtatim capite pœnas luebat. Idq. vſu ſalubre, & miſericordia melius apparuit. Quippe pauciores illa caſtra deſerere, quàm ea, in quibus ignoſcebatur.

PLECTERE ſtatim delinquentes in exercitu, præſertim corrupto eſt ſalubrius & melius, quàm vti miſericordia. Nam pauciores illa caſtra deſerent, in quibus capite pœnas luit, qui ſigna relinquit, quàm ea, in quibus venia datur delictis.

Interim Corbulo legionibus intra caſtra habitis, donec ver adoleſceret, diſpoſitisq. per idoneos locos cohortibus auxiliarijs, ne pugnam priores adirent, prædicit. Curam præſidiorum Pactio Orphito primipili honore perfuncto mandat. Is quamquam incautos Barbaros, & bene gerendæ rei caſum offerri ſcripſerat, tenere ſe munimentis, & maiores copias opperiri iubetur. Sed rupto imperio, poſtquam paucæ e proximis caſtellis turmæ aduenerant pugnamq. imperitia poſcebant; congreſſus cum hoſte funditur. Et damno eius exterriti qui ſubſidium ferre debuerant, ſua quiſque in caſtra trepida fuga redire. Quod grauiter Corbulo accepit. Increpitumq. Pactium, & præfectos, militesq. tendere omnes extra vallum iuſſit. Inq. ea contumelia detenti, nec niſi precibus vniuerſi exercitus exſoluti ſunt.

INOBEDIENTIA ſemper eſt pernicioſiſſima, & peſſimi exempli: præſertim in exercitu, Ideo ſeuere eſt a ducibus caſtiganda. Sint exemplo Papyrius Curſor, & Manlius Torquatus. Quorum hiſtoriam vide apud Liuium, Val. Max. & alios. Certe Othomannorum res non ob aliam cauſſam magis ſic ſe in bellis bene habuerunt; niſi ob admirabilem in eorum exercitu militum erga ſuos duces obedientiam.

At Tiridates ſuper proprias clientelas, ope Vologeſi fratris adiutus, non furtim iam, ſed palam bello infenſare Armeniam, quosq. fidos nobis rebatur depopulari, & ſi copiæ contraducerentur, eludere, hucq. & illuc volitans, plura fama quàm pugna exterrere.

CVM hoſtis eſt nobis impar vi & numero militum; eludere ſemper fere ſolet, huc & illuc volitare; & plura fama, quàm pugna exterrere. Vt in Tacfarinate Numida ſupra obſeruauimus.

Igitur Corbulo, quæſito diu prælio, fruſtra habitus, & exemplo hoſtium circumferre bellum coactus, diſpartit vires, vt legati præfectiq. diuerſos locos pariter inuaderent. Simul Antiochum regem monet, proximas ſibi præfecturas petere. Nam Pharaſmanes interfecto filio Rhadamiſto, quaſi proditore ſui, quo fidem in nos teſtaretur, vetus aduerſus Armenios odium promptius exercebat. Tunc quoque primum illecti Iſichi, gens haud alias ſocia Romanis, auia Armeniæ incurſauit. Ita conſilia Tiridati in contrarium vertebantur.

PRVDENTIS eſt, conſilia inimici in contrarium vetere. Hinc elicitur regula optima, quòd ad deprimendum aliquem, qui nimis ſupra ceteros in ciuitate, vel collegio aliquo inſurgat; nulla eſt potior ratio, quàm media illa, quibus ipſe vtitur ad potentiam aſſequendam, ipſi præoccupare; & ſic eum præueniendo, conatus eius irritos reddere: vt ſupra proxime obſeruauimus in Nerone cum Agrippina matre.

Mittebatq. oratores, qui ſuo Parthorumq. nomine expoſtularent, cur datis nuper obſidibus, redintegrataq. amicitia, quæ nouis quoque beneficijs locum aperiret,

LOCVM aperit nouis beneficijs amicitia, quæ inter aliquos redintegratur.

vetere

vetere Armeniæ poſſeſſione depelleretur? Ideo nondum ipſum Vologeſem commotum, quia cauſſa, quàm vi agere mallet.

BONI viri eſt, cauſſa magis, quàm vi agere. Nec ad hanc deſcendere, niſi coactum.

Sin perſtaretur in bello; non defore Arſacidis virtutem fortunamq. ſæpius clade Romana expertam. Ad ea Corbulo, ſatis cōperto, Vologeſem defectione Hyrcaniæ attineri.

DVX prouidus, debet ſemper res hoſtium compertas habere: & eorum conſilia præſentire ſemper ſtudeat. Inde enim ſemper deliberationibus ſalubribus & vtilibus viam ſibi aperiet.

ſuadet Tiridati precibus Cæſarem aggredi: poſſe illi regnum ſtabile, & res incruentas contingere, ſi omiſſa ſpe longinqua & ſera, præſentem potioremq. ſequeretur.

SAPIENTIS munus eſt, ſpem longinquam & ſeram omittere, & præſentem potioremq. ſequi.

Placitum dehinc, quia commeantibus inuicem nuncijs, nihil in ſumma pacis proficiebatur, colloquio ipſorum tempus locumq. deſtinari.

CVM de pace inter duos magnos Principes agitur, ſi commeant inuicem nuncij, parum proficitur in ſumma pacis. Ideo ſatius eſt colloquio ipſorum tempus locumq. deſtinari. Hac de cauſſa PAVLVS III. Nicæam ſe contulit, ibiq. CAROLVM V. & FRANCISCVM I. coniunxit.

Mille equitum præſidium Tiridates affore ſibi dicebat: quantum Corbuloni cuiuſque generis militum aſſiſteret, non ſtatuere, dum poſitis loricis & galeis, in faciem pacis veniretur. Cuicumque mortalium, nedum veteri & prouido duci,

RARO fit, vt veteri & prouido duci aſtutiæ hoſtium non pateant. Ideo talem virum decipere difficillimum eſt, & pene impoſſibile.

barbaræ aſtutiæ patuiſſent.

FERME numquam voti compos efficitur illa, quæ ſtatim patet aſtutia, & nimium vulgaris eſt. Euitandi enim ſeſe commoditatem facile hominibus præbet.

Ideo artum inde numerum finiri, & hinc maiorem afferri, vt dolus patraretur. Nam equiti ſagittarum vſu exercito ſi detecta corpora obijcerentur; nihil profuturam multitudinem. Diſſimulato tamen intellectu, rectius de his, quæ in publicum conſulerentur totis exercitibus coram diſſertaturos reſpondit.

ETSI intelligamus inimicorum actus, & conſilia; tamen nonnumquam nobis conducit intellectum diſſimulare.

Locumq. dilegit, cuius pars altera colles erant clementer aſſurgentes, accipiendis peditum ordinibus; pars in planitiem porrigebatur, ad explicandas equitum turmas. Dieq. pacto, prior Corbulo ſocias cohortes & auxilia regum pro cornibus, medio ſextā legionem conſtituit: cui accita per noctem alijs ex caſtris, tria millia tertianorum permiſcuerat, vna cum aquila, quaſi eadem legio ſpectaretur. Tiridates vergente iam die, procul aſtitit, vnde videri magis quàm audiri poſſet. Ita ſine congreſſu dux Romanus abſcedere militem ſua quemque in caſtra iubet. Rex ſiue fraudem ſuſpectans, quia plura ſimul in loca ibatur; ſiue vt commeatus noſtros Pontico mari, & Trapezunte opido aduentantes interciperet, propere diſcedit. Sed neque commeatibus vim facere potuit, quia per montes ducebantur præſidijs noſtris inſeſſos: & Corbulo, ne irritum bellum traheretur, vtq. Armenios ad ſua defendenda cogeret, exſcindere parat caſtella.

DVCIS eſt proprium, efficere omnia & conari, ne irritum bellum trahatur. Quod conſilium & Politicus ſequi debet, & prudens Aulicus: nempe vt numquam ſine negotijs viuat. Nam negotiorum tractatio, multam affert tractanti exiſtimationem.

Sibiq. quod validiſſimum in ea præfectura cognomento Volandum, ſumit. minora Cornelio Flacco legato, & Iſteo Capitoni caſtrorum præfecto mandat.

HOC modo debet agere fortis & ſtrenuus dux: in expeditionibus militaribus ſibi ſumere, quæ ſunt magis ardua, & laborioſa, & maioris mometi. Minores vero mādare ſuis ducibus inferioribus.

Tum circumſpectis munimentis, & quæ expugnationi idonea, prouiſis, hortatur milites, vt hoſtem vagum, neque paci aut prælio paratum, ſed perfidiam & ignauiam fuga confitentem, exuerent ſedibus,

SPERNENDVS eſt hoſtis, qui ſemper vagus nec bello nec prælio vmquam eſt paratus: ſed perfidiam & ignauiam fuga confitetur.

gloriæq. pariter & prædæ conſulerent. 1

FINIS eſt ille belli præclarus, in quo & gloria pariter, & præda conſuli poteſt.

Tum quadripartito exercitu, hos in teſtudinem cōglobatos, ſubruendo vallo inducit: alios ſcalas mœnibus admouere; multos tormentis faces & haſtas incutere iubet. Libratoribus funditoribusq. attributus locus, vnde eminus glandes torquerēt: ne qua pars ſubſidium laborantibus ferret, pari vndique metu. tantus inde ardor certantis exercitus fuit, vt intra tertiam diei partem, nudati propugnatoribus muri, obijces portarum ſubuerſi, capta eſcenſu munimenta, omnesq. puberes trucidati ſint, nullo milite amiſſo, paucis admodum vulneratis, & imbelle vulgus ſub corona venundatum: reliqua præda victoribus ceſſit.

SEMPER iure belli ſolet cedere victoribus præda. Et ob hanc ſæpiſſime exardeſcunt inter ſocios, & commilitones acerrimæ contentiones. Vt in ſpecie exemplum pulcherrimum habemus in lib. i. Decad. ij. Hiſt. Aelij Antonij Nebriſſenſis. Vbi habetur, quòd cum in ſolutione obſidionis Alamæ facta per Henricum Guzmanum Methymnæ Aſindicæ Ducem, orta eſſet inter ſuos milites, & illos, qui liberati obſidione fuerant, magna contentio ob diuiſionem prædæ: adeo illa exarſit, vt ad pugnam cruentam res eruptura videretur: cum auxiliares milites prædicti Ducis validis rationibus, aſſeuerarent ſe illius prædæ debere eſſe participes, quam hoſtes fugando ſuo aduentu comparauerant. Sed Dux ipſe a Methimna hanc litem diremit, eadem magnanimitate, qua æmulum liberauerat, oratione graui, & liberali, milites ſuos compeſcendo: & prædam illis condonando, quibus prius vitam donauerat. Vide fuſius hiſtoriam apud præfatum Auctorem.

Pari fortuna legatus ac præfectus vſi ſunt, tribusq. vna die caſtellis expugnatis, cetera terrore, & alia ſponte incolarum, in deditionem veniebant. vnde orta fiducia caput gentis Artaxata aggrediendi. Nec tamen proximo itinere ductæ legiones, quæ ſi amnem Araxem, qui mœnia alluit, ſponte tranſgrederentur, ſub ictum dabantur: procul & latioribus vadis tranſiere. At Tiridates pudore & metu, ne ſi conceſſiſſet obſidioni, nihil opis in ipſo videretur: ſi prohiberet, impeditis locis ſeq. & equeſtres copias illigaret: 1

CVM a pudore, & metu hoſtis valide exagitatur, facile eſt ex illo victoriam reportare.

ſtatuit poſtremo oſtendere aciem & dato die prælium incipere. vel ſimulatione fugæ locum fraudi parare. Igitur repente agmen Romanum circumfundit, non ignaro duce noſtro, qui viæ pariter & pugnæ compoſuerat exercitum.

PLERVMQVE hoſtis ſimulatione fugæ, locum fraudi parat. Exemplorum ſunt plena hiſtoriæ. Cautus ideo dux numquam ordines a militibus deſeri in illis inſequendis ſinat: ne hoc modo palantes deleantur: ſed ſemper via, & pugna exercitum componat. Sic Marius & Metellus erga Iugurtham geſſerunt. Sal. in bello Iugurth.

Latere dextro tertia legio, ſiniſtro ſexta incedebat, medijs decumanorum delectis: recepta inter ordines impedimenta, & tergum mille equites tuebantur. quibus iuſſerat, vt inſtantibus cominus reſiſterent, refugos non ſequerentur. In cornibus pedes ſagittarius, & cetera manus equitum ibat, productior cornu in ſiniſtro per ima collium, vt ſi hoſtis intrauiſſet, fronte ſimul & ſinu exciperetur. Aſſultare ex diuerſo Tiridates, non vſque ad iactum teli, ſed tum minitans, tum ſpecie trepidantis, ſi laxare ordines & diuerſos conſectari poſſet. Vbi nihil temeritate ſolutum,

IN exercitu recte compoſito, nihil debet eſſe temeritate ſolutum.

nec amplius quàm decurio equitum audentius progreſſus, & ſagittis confixus, ceteros ad obſequium exemplo firmauerat,

EXEMPLVM alicuius militis in acie, qui temeritatis ſuæ pœnas luat, ceteros ad obſequiū firmat.

propinquis iam tenebris abſceſſit. Et Corbulo caſtra in loco metatus, an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret, obſidioneq. circumdaret, agitauit, cõceſſiſſe illuc Tiridatẽ ratus. Dein poſtquã exploratores attulere longinquum regis iter, & Medi an Albani peterentur, incertũ, lucem opperitur: præmiſſaq. leuis armatura, quę muros interim ambiret, oppugnationẽq. eminus inciperet. Sed opidani, portis ſponte patefactis, ſe ſuaq. Romanis permiſere. quod ſalutẽ ipſis tulit: Artaxatis ignis immiſſus deletaq. & ſolo æquata ſunt. quia nec teneri ſine valido præſidio, ob magnitudinem mœnium; nec id nobis virium erat, quod firmando præſidio, & capeſſendo bello diuideretur. Vel ſi integra & incuſtodita relinquerentur, nulla in eo vtilitas, aut gloria quòd capta eſſent.

DVX prudens, cum vrbem hoſtium aliquam magnam capit, quam ob magnitudinem mœnium tenere ſine valido præſidio non poſſit, nec id virium habeat, quod firmando præſidio, & capeſſendo bello diuidatur: debet eam ſolo æquare, & delere. Nam ſi integra, & incuſtodita relinquetur, nulla in eo erit vtilitas aut gloria, quòd capta ſit.

Adijcitur miraculum velut numine oblatum. Nam cuncta extra tecta tenus ſole inluſtria fuere: quòd mœnibus cingebatur, ita repente atra nube coopertum, fulguribusq. diſcretum eſt, vt quaſi infenſantibus deis exitio tradi crederetur. Ob hæc conſalutatus imperatot Nero, & ſenatuſconſulto ſupplicationes habitæ: ſtatuæq. & arcus, & continui cõſulatus principi: vtq. inter feſtos referrerur dies, quo patrata victoria, quo nunciata, quo relatum de ea eſſet, aliaq. in eandem formam decernuntur. adeo modum egreſſa, vt C. Caſſius de ceteris honoribus aſſenſus, ſi pro benignitate fortunæ dijs grates agerentur; ne totum quidem annum ſupplicationibus ſufficere diſſeruerit. eoq. oportere diuidi ſacros, & negotioſos dies, quîs diuina colereutur, & humana non impedirent.

DIVIDENDI ſunt ſacri dies a negotioſis, quo diuina colantur, & humana non impediantur.

Varijs deinde caſibus iactatus, & multorum odia meritus reus, haud tamen ſine inuidia Senecæ damnatur. Is fuit P. Suïlius, imperitante Claudio, terribilis ac venalis.

CONSPICITVR hoc exemplum in multis quotidie. Qui cum ſub vno Principe fuerint præpotentes, terribiles, & venales; tamen poſtea ſub ſucceſſore, varijs caſibus iactantur, & tandem damnantur.

& mutatione temporum, non quantum inimici cuperent demiſſus:

INIMICI ira & odium multum minuitur, cum inimicum videt humilem, & demiſſum. Vt econuerſo, conſpiciendo illum nihil animo infractum, odij vim intendit. Rationem habes apud Philoſophum in ij. Rhetor. vbi de ira loquitur.

quiq. ſe nocentem videri, quàm ſupplicem mallet.

MAGNA fatendum eſt, ſit illius viri ſuperbia, & nequitia; qui ſe magis nocentem, quàm ſupplicem videri malit.

Eius opprimendi gratia repetitum credebatur ſenatuſconſultum, pœnaq. Cinciæ legis aduerſus eos, qui pretio cauſſas orauiſſent. nec Suilius queſtu, aut exprobratione abſtinebat præter ferociam animi extrema ſenecta liber,

LIBERTATEM animi inducit extrema ſenecta. Nam cum parum ſibi vitæ ſupereſſe cernat, parum etiã habet, quòd timeat. Vnde reſponſum illud Conſidij ad Cæſarem Imp. Qui cum eum interrogaret, qua potiſſimum re confiſus, tam libere aduerſus eum loqueretur: Senectute, reſpondit, & orbitate. Valer. Max. in lib. . . . cap. libere dicta &c.

& Senecam increpans, infenſum amicis Claudij, ſub quo iuſtiſſimũ exſilium pertuliſſet.

HOMINES fere ſemper ſunt infenſi amicis Principis illius, ſub quo damnum aliquod, aut pœnam paſſi ſunt: nec conſiderant, iuſte an iniuſte illis a Principe talis pœna irrogata fuerit.

Simul ſtudijs inertibus,

EA dicuntur ſtudia inertia, quæ nihil priuatim vel publice proſunt. Sic ſupra de Lutorio Priſco Auctor: Studia illi, vt vecordia plena, ita fluxa, & fragilia ſunt. Et quæ ſint ſtudia vtilia,

& quæ inutilia, vide Senecam in Epiſtolis fere omnibus: Plutarchum in moralibus, & Gellium in lib. . . . Noct. Attic. cap. . . .

& iuuenem imperitiæ ſuetum, inuidere ijs qui viuidam, & incorruptam eloquentiam tuendis ciuibus exercerent.

MAXIMAM laudem merentur illi, qui exercent eloquentiam viuidam, & incorruptam tuendis ciuibus. De cuius laudibus, vide præter ceteros M. Tullium in libris De Inuentione.

Se quæſtorem Germanici; illum domus eius adulterum fuiſſe.

DICI non poteſt, quàm grauem mereantur pœnam illi, qui amicitiæ ſeu affinitatis ſpecie, domus amicorum, ſiue aſſinium adulterys, & libidinibus fœdant, & infamant.

An grauius exiſtimandum, ſponte litigatoris præmium honeſtæ operæ aſſequi, quàm corrumpere cubicula principum feminarum? Qua ſapientia, quibus philoſophorum præceptis, intra quadriennum regiæ amicitiæ, ter millies ſeſtertium parauiſſet.

ETSI prima facie videatur ſapientia repugnare & philoſophorum præceptis, parare pecuniam & congerere; tamen ſunt aliqui caſus, in quibus etiam Philoſophum decet diuitias poſſidere. De quibus vide Senecam in lib. De Beata vita. Quem in ſui defenſionem præſertim contra has calumnias ſcripſit.

Romæ teſtamenta & orbos, velut indagine eius capi: Italiam & prouincias, immenſo fenore hauriri.

TYRANNVS ſemper habet prauos & ſceleſtos aliquos miniſtros, quorum opera vtitur, tamquam indagine, ad capiendas miſerorum ciuium facultates, & hauriendas ſuas prouincias immenſo fenore.

At ſibi labore quæſitam, & modicam pecuniam eſſe.

INVIDIAM conflare non ſolet modica pecunia, & labore ab aliquo parata. Sed immenſa & cum ſcelere quæſita ſic.

Crimen, periculum, omnia potius toleraturum, quàm veterem ac olim partam dignationem ſubitæ felicitati ſubmitteret.

FORTIS & magnanimi eſt, crimen, periculum, & omnia potius tolerare, quàm veterem, ac olim partam dignationem ſubitæ felicitati æmulis ſubmittere. Sed talem magnanimitatem hodie in perpaucis Aulicis inuenias.

Nec deerant qui hæc ijſdem verbis, aut verſa in deterius Senecæ deferrent.

VTINAM in Aulicis ſic reperirentur homines, qui verba in melius referrent ad generandam pacem & concordiam inter homines: vt inueniuntur multi, qui ea in deterius ad inimicitias conflandas referunt. Supra etiam idem annotauimus.

Repertiq. accuſatores, direptos ſocios cum Suilius prouinciam Aſiam regeret, ac publicæ pecuniæ peculatum detulêre. Mox quia inquiſitionem annuam impetrauerat, breuius viſum, ſuburbana crimina incipi, quorum obuij teſtes erant. Ij acerbitate accuſationis. Q. Pomponium ad neceſſitatem belli ciuilis detruſum. Iuliam Druſi filiam, Sabinamq. Poppæam ad mortem actas: & Valerium Aſiaticum, Luſium Saturninum, Cornelium Lupum circumuentos: iam equitum Romanorum agmina damnata, omnemq. Claudij ſæuitiam Suilio obiectabant.

SAEPE Principum ſæuitia non ipſis, ſed eorum miniſtris obiectari poteſt. Relationi enim eorum credendo, multa iniungunt Principes, quæ alias non inberent.

Ille nihil ex his ſponte ſuſceptum, ſed principi paruiſſe defendebat,

INEXCVSABILIS & indigna eſt illa defenſio miniſtri, quæ culpam flagitiorum ſuorum in Principis iuſsionem reycit. Illi enim parere non debet, niſi in honeſtis, & iuſtis rebus; non in ſceleribus.

donec

donec eam orationem Cęſar cohibuit, compertum ſibi referens ex commentarijs patris ſui, nullam cuiuſquam accuſationem ab eo coactam.

NVMQVAM debet cogere miniſtrum Piuceps, vel quemuis alium, ad ſuſcipiendas accuſationes contra inſontem aliquem. Tyrannicum enim hoc eſſet, & impium.

Tum iuſſa Meſſalinæ prætendi, & labare defenſio. Cur enim neminem alium electum, qui ſæuienti impudicæ vocem præberet?

QVI ſceleſto paret ſeipſum ſceleſtum indicat. Et Tyrannus in mandandis rebus turpibus & ſceleſtis, numquam niſi turpes & ſceleſtas perſonas ad hac miniſteria eliget. De bonorum enim obedientia diffidet.

Puniendos rerum atrocium miniſtros, vbi pretia ſcelerum adepti, ſcelera ipſa alijs delegent.

PVNIENDI ſunt rerum atrocium miniſtri, vbi pretia ſcelerum adepti, ſcelera ipſa alijs delegant.

Igitur adempta bonorum parte, nam filio & nepti pars concedebatur, eximebanturq. etiam quæ teſtamento matris, aut aui acceperant, in inſulas Baleares pellitur: non in ipſo diſcrimine, non poſt damnationem fractus animo.

FORTES viri & feroces non in ipſo diſcrimine, nec poſt damnationem franguntur animo.

Ferebaturq. copioſa & molli vita ſecretum illud tolerauiſſe. Filium eius Nerulinum agreſſis accuſatoribus per inuidiam patris, & crimina repetundarum, interceſſit princeps, tamquam ſatis expleta vltione.

SAEPE alicuius criminis nocentes ſaluantur, ob expletam a iudicibus erga alios vltionem. Quod etiam ſupra obſeruauimus.

Per idem tempus Octauius Sagitta plebei tribunis Pontiæ mulieris nuptæ amore vecors, ingentibus donis adulterium, & mox vt omitteret maritum emercatur; ſuum matrimonium promittens, ac nuptias eius pactus.

Improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis?

SCITE cecinit Maro noſter. Nam nullum eſt tam magnum ſcelus, quod animus amore vecors non audeat, ac leue non exiſtimet.

Sed vbi mulier vacua fuit, nectere moras, aduerſam voluntatem patris cauſſari, repertaq. ſpe ditioris coniugis, promiſſa exuere.

VARIVM, ac mutabile ſemper femina: ſcripſit idem Maro. Et vt ſupra dixit Tacitus noſter: Sexus muliebris eſt natura ſua auarus, & ambitioſus. Proinde nilmirum, ſi improbra hæc mulier, reperta ſpe ditioris coniugis, promiſſa exuit.

Octauius contra modo conqueri, modo minitari, famam perditam, pecuniam exhauſtam obteſtans: denique ſalutem, quæ ſola reliqua eſſet, arbitrio eius permittens.

INSANOS & illicitos amores, hæc ferme ſemper ſequuntur: fama perditur, pecunia exhauritur, & poſtremo ſalus, quæ ſola reliqua eſt, arbitrio feminæ permittitur.

Ac poſtquam ſpernebatur; noctem vnam ad ſolatium poſcit, qua delinitus, modum in poſterum adhiberet.

NON vna nox, ſed mille, vt ita dicam, ſæcula, non lenibunt ſolatio ſuo dolorem, quo, quis ab amaſia ſpretus, affligitur. Modum enim adhibere ſibi reſpuit hæc cæca & inſana hominum paſſio. A qua proinde omni cura cauendum eſt iuuenibus: cum illa ætas maxime in has cupidines prona eſſe ſoleat.

Statutus

Statuitur nox. Et Pontia conſciæ ancillæ cuſtodiam cubiculi mandat. Ille, vno cum liberto, ferrum veſte occultum infert. Tum, vt aſſolet in amore & ira, iurgia, preces, exprobratio, ſatisfactio; & pars tenebrarum libidine ſepoſita.

ADSVNT hæc in amore: ira, iurgia, preces, exprobratio, ſatisfactio, & pars tenebrarum libidine ſeponitur.

Et queſtu incenſus, nihil metuentem ferro tranſuerberat, & accurrentem ancillam vulnere abſterret, cubiculoq. prorumpir.

HAEC, & ſimilia damna proueniunt ab hoc deteſtabile amoris illiciti affectu. Obſeruent adoleſcentes, & euitent.

Poſtera die manifeſta cędes, haud ambiguus percuſſor, quippe manſitaſſe vna conuincebatur. Sed libertus ſuum illud facinus profiteri, ſe patroni iniurias vltum iſſe.

QVANTO rarior eſt in ſeruis fides, tanto eſt laudabilior.

Commoueratq. quoſdam magnitudine exempli.

COMMOVERI ſolent homines omnes exemplorum magnitudine.

donec ancilla ex vulnere refecta, verum aperuit. poſtulatusq. apud conſules a patre interfectæ, poſtquam tribunatu abierat, ſententia patrum, & lege Cornelia de ſicarijs condemnatur. Non minus inſignis eo anno impudicitia, maiorum Reip. malorum initium fecit.

NON eſt nouum ex vnius feminæ impudicitia, plerumque magnorum malorum initium in Republica fieri. Cum etiam prouincia integra & regna hac de cauſſa funditus euerſa fuerint. Vt in Ilio patuit, & Priami imperio.

Erat in ciuirate Sabina Poppæa, T. Ollio patre genita, ſed nomen aui matetni ſumpſerat, inluſtri memoria Poppæi Sabini conſulare & triũphali decore præfulgentis. Nam Ollium honoribus nondum functum, amiciria Seiani peruertit. Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honeſtum animum.

CVI mulieri cuncta alia adſunt, præter honeſtum animum; huic recte dici poteſt, quòd nihil adſit.

Quippe mater eius ætatis ſuæ feminas pulchritudine ſupergreſſa, gloriam pariter & formam dederat.

A matribus vt gloriam, ſi pudicæ fuerunt, acquirunt filiæ; ſic econuerſo, ſi parum honeſtæ vixerunt, infamiam conſequi, dubitari non debet.

Opes claritudini generis ſufficiebant.

TVNC vere ſplendor nobilitatis ſuſtineri poteſt, cum opes claritudini generis ſufficiunt.

Sermo comis, nec abſurdum ingenium, modeſtiam præferre, & laſciuia vti. rarus in publicum egreſſus;

HAE ſunt res, quæ in femina validiſſimæ ſunt ad accendendos homines: forma, nobilitas, diuitia, ſermo comis, ingenium non abſurdum, modeſtiam præferre, & laſciuia vti, & rarus in publicum egreſſus. Qui ab his rebus ſe tutum ſeruabit, his vere temperans dicetur: & gloriari vt temperans, poterit.

idq. velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic decebat.

PARTEM oris velare, mulieri duabus de cauſſis conuenit. Primo quia ſic decet: ſecundo ne ſaties aſpectum. Hoc idem factitare Arabiæ mulieres, habemus e Tertulliani libello, De virginibus Arabiæ.

Famæ

Famę numqam pepercit, maritos & adulteros non diſtinguens: neque affectui ſuo, aut alieno obnoxia. vnde vtilitas oſtenderetur, illuc libidinem transferebat.

INSIGNIS meretricis qualitatem & mores hic ſcite exprimit Auctor noſter. Nempe, famæ numquam parcere, maritos & adulteros non deſtinguere, neque ſuo, neque alieno affectui eſſe obnoxiam & denique, vnde vtilitas oſtendatur, illuc libidinem transferre. Et prodeſt hæc omnia callere, vt harum luparum inſidias magis præcauere poſſint incauti iuuenes.

Igitur agentem eam in matrimonio Rufi Criſpini equitis Romani ex quo filium genuerant, Otho pellexit iouenta ac luxu, & quia flagrantiſſimus in amicitia Neronis habebatur. Nec mora, quin adulterio matrimonium iungeretur.

TRIBVS his rebus facile pelliciuntur, & corrumpuntur mulieres ab amatoribus: iuuenta, luxu, & potentia. Vnde nil mirandum, ſi ſtatim laſciuiæ ſuæ compotes euadunt, qui his medijs eas ſolicitant.

Otho, ſiue amore incautus,

NIHIL eſt, quod magis incautum reddat hominem, quàm nimius amor.

laudare formam elegantiamq. vxoris apud principem: ſiue vt accenderet, ac ſi eadem femina potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adijceret.

ARS hæc eſt multorum Aulicorum noſtri temporis ad potentiam adipiſcendam apud principem: laudare formam elegantiamq. vxorum, ſororum & propinquarum apud eum, vt illum accendant, & hoc modo ſibi deuinciant. quaſi potiri eadem femina, vinculum potentiæ adjciat. Quæ ars turpiſſima eſt, & omnibus modis vituperanda.

Sæpe auditus eſt conſurgens e conuiuio Cæſaris, ſe ire ad illam, ſibi conceſſam dictitans nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium, & gaudia felicium.

ADEO obcæcat animos ſtultorum amantium hic inſanus amoris affectus; vt in vna mulier cula æſtimet ſibi miſer homo conceſſa nobilitatem, pulchritudinem vota omnium, & gaudia filicium. Et textus hic non eſt ſanus. Lipſium vide.

His atque talibus inritamentis, non longa contatio interponitur.

PAVCIS irritamentis opus eſt ad accendendum amore cum pulchra muliere Principem ætatis vigore florentem. Nec vmquam interponetur ab illo longa contatio, in perueniendo ad finem amoris optatum. Quod ſecus eſſe deberet. Nam cui plus licet, quàm libet; huic deberet minus libere, quàm liceat.

Sed accepto aditu, Poppæa primum per blandimenta & artes valeſcere, imparem cupudini ſe, & forma Neronis captam ſimulans: mox acri iam principis amore, ad ſuperbiam vertens, ſi vltra vnam alteramq. noctem attineretur, nuptam eſſe ſe dictitans, nec poſſe matrimonium amittere, deuinctam Othoni per genus vitæ, quod nemo adæquaret.

SEQVITVR hic in exprimenda natura inſignis meretricis Auctor. Quæ cum amatoribus ſuis, primum quidem per blandimenta & artes valeſcit, ſimulans ſe imparem cupidini & captam forma eorum. Mox cum iam acrem eorum amorem cognoſcit, ad ſuperbiam vertit, & illos torquet.

Illum animo & cultu magnificum: ibi ſe ſumma fortuna digna viſere. At Neronem pellice ancilla, & aſſuetudine Actes deuinctum, nil e contubernio ſeruili, niſi abiectum & ſordidum traxiſſe.

E contubernio ſeruili nihil trahitur niſi abiectum & ſordidum. Hinc patres, qui filios recte educare volunt, eos cum nobilibus agere aſſueſcant a teneris annis, & a ſeruorum familiaritate & conuictu abſtineant.

Deijcitur familiaritate ſueta, poſt congreſſu & comitatu Otho: & poſtremo, ne in vrbe æmulatus ageret prouinciæ Luſitaniæ præficitur.

POTERAT dicere Otho, quod de Perillo ænei tauri inuentore ſcriptum eſt.

Ingenio

Ingenio experior funera digna meo.

Hinc pro imprudentibus natum Adagium : Turdus male ſibi cacat.

Vbi vſque ad ciuilia arma, non ex priore infamia, ſed integre ſanctéq. egit procax otij, & poteſtatis temperantior.

INVENIVNTVR multi homines, qui otij ſunt procaces, & poteſtatis temperantiores. Hinc dictum illud celebre : Magiſtratus virum oſtendit.

Hactenus Nero flagitijs & ſceleribus velamenta quæſiuit.

QVI flagitijs & ſceleribus velaměta non quærunt, vere perditi, & ſceleſtiſſimi appellari debēt.

Suſpectabat maxime Cornelium Sullam, ſecors ingenium eius in contrarium trahens, callidumq. & ſimulatorem inrerprerando.

A Principe, qui de te malam ſuſpicionem concepit, omnia tua dicta & facta in deterius accipiuntur. Et ſi ſecors etiam ſit ingenium tuum, id pro callido & ſimulatore interpretatur. Proinde cum tali Principe, nihil ſatius eſt, quàm ob eo longe abeſſe : præſertim ſi in tua ciuitate, nobilitate, opibus, & bonis artibus polles.

Quem metum Graptus ex libertis Cęſaris, vſu & ſenecta a Tiberio vſque domum principum edoctus, tali mendacio intendit.

AVLICVS ille, qui vſu & ſenecta domum Principum eſt edoctus, poteſt in illis quoſcumque affectus, quando ipſi libuerit, intendere & remittere.

Pons Miluius in eo tempore celebris nocturnis illecebris erat: ventitabatq. illuc Nero, quo ſolutius vrbem extra laſciuiret.

EXTRA vrbem ſolutius laſciuiunt homines. Abſunt enim res illæ, ex quibus pudor & verecundia oritur. Ariſt. in 2. Rhet. De verecundia.

Igitur regredienti per viam Flaminiam compoſitas inſidias, fatoq. euitatas, quoniam diuerſo irinere Salluſtianos in horros remeauerit: auctoremq. eius doli Sullā ementitur; quia forte redeuntibus miniſtris principis, quidam per iuuenilem licētiam, quæ tunc paſſim exercebatur, inanem metū fecerant. Neque ſeruorum quiſquā, neque clientiū Sullæ agnitus. Maxime, deſpecta & nullius auſi capax natura eius, a crimine abhorrebat:

ABHORRET a crimine audacia pleno natura alicuius deſpecta, & nullius auſi capax.

perinde tamen quaſi conuictus eſſet, cedere patria, & Maſſilienſium mœnibus coerceri iubetur.

ACCVSATVS apud Tyrannum, tametſi clare innocens ſit; tamen, perinde, quaſi conuictus de crimine ſit, criminis pœnam ſubire cogitur.

Iiſdem conſulibus auditæ Puteolanorum legationes, quas diuerſas ſenatorius ordo plebsq. ad ſenarum miſerant: illi vim mulritudinis; hi magiſtratuum & primi cuiuſque auaririam increpantes. Cumq. ſeditio ad ſaxa & minas ignium progreſſa necem & arma perliceret.

SEMPER maxima mala pariet in ciuitate ſeditio illa inter patres, & plebem : in qua illis auaritia dominabitur; hæc vero vi & numero valeſcet.

C. Caſſius adhibendo remedio dilectus. quia ſeueritatem eius non tolerabant.

NIMIA ſeueritas plerumque obeſt in Principe & iudice, qui loco & tempore debet eſſe prudens moderandi : vt ſupra in Tiberio obſeruauimus.

precante ipſo, ad Scribonios fratres ea cura transfertur; data cohorte prætoria, cuius rerrore & paucorum ſupplicio, redijt opidanis concordia.

LAVDANDVS eſt ille Princeps, Dux, & Magiſtratus, qui ſolo terrore, & paucorum ſupplicio concordiam, & pacem diſcordanti, & tumultuanti vrbi, & prouinciæ reſtituit.

Non

Non referrem vulgatiſſimum ſenatuſconſultum, quo ciuitati Syracuſanorum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum permittebatur; niſi Pætus Thraſea contradixiſſet, præbuiſſetq. materiam obtrectatoribus arguendæ ſententiæ.

SEMPER ex actionibus & conſilijs magni alicuius viri, multæ oriuntur conſiderationes & indicia multa apud gentes. Adeo vt variæ interpretationes illi ſemper attribuentur. Tantum refert viri vnius auctoritas & æſtimatio: vt ab illius quibuſcumque vel leuibus factis & dictis, materia præbeatur gentibus ratiocinandi, & diſſerendi.

Cur enim ſi Remp. egere libertate ſenatoria crederet, tam leuia conſectaretur? quin de bello aut pace, de vectigalibus & legibus, quibusq. alijs Romana continentur, ſuaderet diſſuaderetve?

GRAVIS & amantis patriæ ſenatoris eſt, non conſectari leuia, cum Reſpublica libertate ſenatoria indiget: ſed de bello & pace, & alijs rebus maximis, quibus Reſpublica continentur, ſuadere, & diſſuadere.

Licere patribus, quoties ius dicendæ ſententiæ accepiſſent, quæ vellent expromere, relationemq. in ea poſtulare. An ſolum emendatione dignum, ne Syracuſis ſpectacula largius ederentur? Cetera per omnes imperij partes perinde egregia, quàm ſi non Nero, ſed Thraſea regimen eorum teneret? Quæ ſi ſumma diſſimulatione tranſmitterentur, quanto magis inanibus abſtinendum.

AVLICVS prudens & ſenator, cum ſumma tranſmittit diſſimulatione, tanto magis inanibus abſtinere debet.

Thraſea contra, rationem poſcentibus amicis, non præſentium ignarum reſpondebat, eiuſmodi conſulta corrigere:

NVMQVAM non debet vir prudens rerum ſuarum, & actionum poſſe reddere rationē poſcentibus amicis: vt appareat illum agere omnia prauia ratione, & conſilio.

ſed patrum honori dare, vt manifeſtum fieret magnarum rerum curam non diſſimulaturos, qui animum etiam leuiſſimis aduerterent.

CREDIBILE eſt, non diſſimulaturos magnarum rerum curam, qui etiam leuiſſimis animum aduertunt.

Eodem anno crebris populi flagitionibus immodeſtiam publicanornm arguentis, dubitauit Nero an cuncta vectigalia omitti iuberet: idq. pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum eius, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere ſeniores, diſſolutionem imperij docendo, ſi fructus, quibus Reſp. ſuſtineretur, deminuerentur.

IMPERIVM diſſoluitur, ſi fructus, quibus Reſpublica ſuſtinetur, diminuuntur.

Quippe ſublatis portorijs, ſequens vt tributorum abolitio expoſtularetur. Pleraſque vectigalium ſocietates, a conſulibus & tribunis plebis conſtitutas, acri etiam populi Rom. tum libertate. Reliqua mox ita prouiſa, vt ratio quæſtuum & neceſſitas erogationum inter ſe congruerent.

IN Republica, & Principatu recte inſtituto, ratio quæſtuum & neceſſitas erogationum inter ſe congruere debent. Vt etiam in priuata domo æconomus prudens reditus & ſumptus compenſare æqualiter debet.

Temperandas plane publicanorum cupidines, ne per tot annos ſine querela tolerata, nouis acerbitatibus ad inuidiam verterent.

TEMPERANDAE ſunt ab initio ſubiectorum cupidines: ne per multum tempus ſine querela toleratæ, nouis acerbitatibus ad inuidiam vertant. Et hinc regula elicitur; quòd primis flagitionibus ſubditorum debet Princeps repulſam dare: vt ſic aſſueſcant patientia vti, & non omnia pro libidine velle. Cum populus ad inſtar febricitantis ſit correpti ſiti, cui quo plus potui datur, non reſtinguitur, ſed accenditur ſitis.

Ergo

Ergo edixit princeps vt leges cuiuſque publici occultæ ad id tempus, proſcriberentur omiſſas petitiones, non vltra annum reſumeret. Romæ prætor per prouincias qui pro prerore aut conſule eſſent, iura aduerſus publicanos extra ordinem redderent. Militibus immunitas ſeruaretur, niſi in ijs, quę veno exercerent. Aliaq. admodum æqua: quæ breui ſeruata, dein fruſtra habita ſunt.

R *IDICVLVS eſt Princeps, cuius ſtatuta breui ſeruantur, dein fruſtra habentur.*

Manet tamen abolitio quadrageſimę quinquageſimæq. quę alia exactionibus illicitis nomina publicani inuenerant. Tēperata apud tranſmarinas prouincias frumenti ſubuectio. Et ne cenſibus negotiatorū naues aſcriberentur, tributumq. pro illis penderent, conſtitutū. Reos ex prouincia Africa, qui proconſulare imperiū illic habuerant, Sulpicium Camerinum, & Pomponium Siluanum, abſoluit Cæſar. Camerinum aduerſus priuatos & paucos, ſæuitiæ magis quàm captarum pecuniarum crimina obijcientes: Siluanum magna vis accuſatorum circumſteterat, poſcebatq. tempus euocandorum teſtium; reus illico defendi poſtulabat. Valuitq pecunioſa orbitate & ſenecta, quam vltra eorum vitam produxit, quotum ambitu euaſerat.

P *ECVNIOSA orbitas & ſenecta proderunt, ſemper omnibus reis ſub Tyranno, vt etiam ſupra obſeruauimus.*

Quietæ ad id tempus res in Germania fuerant, ingenio ducum, qui peruulgatis triumphi inſignibus, maius ex eo decus ſperabant, ſi pacem continuauiſſent. Paulinus Pompeius, L. Vetus ea tempeſtate exercitui præerant. Ne tamen ſegnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres & ſexaginta annos a Druſo aggerē coercendo Rheno, abſoluit. Vetus Moſellam atque Ararim, facta inter vtrumque foſſa, connectere parabat, vt copiæ per mare, dein Rhodano & Arare ſubuectæ, per eam foſſam, mox fluuio Moſella, in Rhenum, exin Oceanum decurrerent; ſublatiſq. itinerum difficultatibus, nauigabilia inter ſe occidentis ſeptentrioniſq. litora fierent.

O *MNIA moliatur dux, & aggrediatur: ne ſegnem militem attineat. Inde enim multa mala.*

Inuidit operi Ælius Gracilis Belgicæ legatus, deterrendo Veterem, ne legiones alienæ prouinciæ inferret, ſtudiaq. Galliarum affectaret;

S *EMPER egregijs operibus inuidetur. Hinc prudens Aulicus diſcat egregia opera, quæ incipit, occultare, quouſque ad exitum perducta fuerint. Alioquin multi inuidia moti ea impedient, & illis ſe opponent.*

formidoloſum id imperatori dictitans; quo plerumque prohibetur conatus honeſti.

O *MNIA ſunt Tyranno formidoloſa. Immo plerumque ab illo prohibentur conatus honeſti.*

Ceterum continuo exercituum otio fama inceſſit, ereptum ius legatis ducendi in hoſtem. Eoq. Friſij, iuuentutem ſaltibus aut paludibus, imbellem ętatem per lacus admouere ripæ agroſq. vacuos, & militum vſui ſepoſitos inſedere, auctore Verrito, & Malorige, qui nationem eam regebant, ⋆ in qua tum Germani regnabant. Iamq. fixerant domos, ſemina aruis intulerant, vtq. patrium ſolum exercebant, cum Didius Auitus accepta a Paulino prouincia, minitando vim Romanam, niſi abſcenderent Friſij veteres in locos, nouam ſedem a Cæſare impetrarent, perpulit Verritum & Malorigem preces ſuſcipere. Profectiq. Romam, dum alijs curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea, quæ Barbaris oſtentantur, intrauere Pompeij theatrum, quo magnitudinem populi viſerint. Illic per otium, neque enim ludicris ignari oblectabantur, dum conſenſum caueæ diſcrimina ordinum, quis eques, vbi ſenatus percontantur, aduertere quoſdam cultu externo in ſedibus ſenatorum: & qui nam forent rogitantes, poſtquam audiuerant, earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute & amicitia Romana præcellerent, NVLLOS MORTALIVM ARMIS AVT FIDE ANTE GERMANOS ESSE, exclamant, digrediunturq. & inter patres conſidunt. quod comiter a viſentibus exceptum, quaſi impetus antiqui, & bona æmulatio.

A *CTIONES, quæ a bona æmulatione proficiſcuntur, ſemper ſunt laudādæ & comiter excipiēdæ.*

Nero

Nero ciuitate Romana ambos donauit Friſios decedere agris iuſſit. Atque illis aſpernantibus, auxiliaris eques repente immiſſus, neceſſitatem attulit, captis cæſiſue, qui peruicacius reſtiterant.

PRIVS QVAM ad vim veniat Princeps cum populis aliquibus contumacibus; omnia tentet. Quaſi non proderunt, tunc neceſsitatem parendi illis armorum vi afferat.

Eoſdem agros Anſibarij occupauere, validior gens non modo ſua copia, ſed adiacentium populorum miſeratione: quia pulſi a Chaucis & ſedis inopes, tutum exilium orabant. Aderatq. ijs clarus per illas gentes, & nobis quoque fidus, nomine Boiocalus, vinctum ſe rebellione Cheruſca, iuſſu Arminij referens, mox Tiberio & Germanico ducibus, ſtipendia meruiſſe, quinquaginta annorum obſequio. Id quoque adiungere, quòd genrem ſuam ditioni noſtrę ſubijceret. Quo tantam partem campi iacere, in quam pecora & armenta militum aliquando tranſmitterentur? Seruarent ſane receptos gregibus inter hominum famem; modo ne vaſtitatem & ſolitudinem mallent, quàm amicos populos.

MALLE vaſtitatem & ſolitudinem, quàm amicos populos, non eſt homine dignum. Niſi aliqua arcana ratio, qua dominationis ſecuritatem reſpiciat, Principem vrgeat.

Chamauorum quondam ea arua, mox Tubantum, & poſt Vſipiorum fuiſſe. Sicut cælum dijs, ita terras generi mortalium datas: quæq. ſint vacuæ, eas publicas eſſe.

HAEC eſt diuiſio totius orbis: Vt cælum Deo, ſic terra generi mortalium ſunt data, & quæ ſunt vacua, ea ſunt publica. Et videndi ſunt Iuriſconſulti in tit. ff. de Rerum diuiſione.

Solem deinde reſpiciens, & cetera ſidera vocans, quaſi coram interrogabat, vellent ne contueri inane ſolum? potius mare ſuperfunderent aduerſus terrarum ereptores. Nec commotus his Auitus, patienda meliorum imperia ait.

MELIORVM imperia ſemper ſunt patienda.

Dijs quos implorarent placitum, vt arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent; neque alios iudices, quàm ſeipſos paterentur.

QVADRAT huic loco, id quod S. Apoſtolus Paulus inquit: Omnis poteſtas a Deo.

Hæc in publicum Anſibarijs reſpondit, ipſi Boiocalo ob memoriam amicitiæ daturum agros. quod ille, vt proditionis pretium, aſpernatus addidit.

MAGNANIMI eſt, aſpernari dona, quæ afferuntur, vt proditionis pretia. Sicut Fabritius erga Pyrrhum regem, & Phocion erga Antipatrum fecere. Plut. in vitis.

Deeſſe nobis terra, in qua viuamus, in qua moriamur, non poteſt.

HOMINI forti, & ſtrenuo poteſt quidem deeſſe terra, in qua viuat, non in qua moriatur.

atque ita infenſis vtrimque animis diſceſſum. Illi Bructeros, Tencteros, vlteriores etiam nationes ſocias bello vocabat. Auitus ſcripto ad Curtilium Manciam ſuperioris exercitus legarum, vt Rhenum tranſgreſſus, arma a tergo oſtenderet, ipſe legiones in agrum Tencterum induxir, excidium minitans, niſi cauſſam ſuam diſſociarent. Igitur abſiſtentibus his, pari metu exterritis Bructeris, & ceteris quoque aliena pericula deſerentibus, ſola Anſibariorum gens retro ad Vſibios & Tubantes conceſſit.

OBSTARE ſemper debet prouidus dux principijs ſeditionum, minitando excidium illis, qui ſe admiſcere tentant ſeditioſis, niſi cauſſam diſſocient. Sic enim fiet, vt in tempore, abſiſtentibus ſocijs, & pari metu omnibus exterritis, ſeditioſi ſoli remaneant, faciles coercitu.

quorum terris exacti, cum Cattos, dein Cheruſcos petiſſent, errore longo, hoſpites, egeni, hoſtes in alieno, quod iuuentutis erat, cæduntur. Imbellis ætas in prædam diuiſa eſt.

SEQVITVR ſemper hic exitus illos, qui tumultus concitare contra Principem, aut Rempublicam volunt, cum ſectatores non habent: vt ab omnibus deſerti, errore longo, hoſpites, egeni, & infinitis alijs malis conflictati, pereant, perdantur, & male intereant.

Eadem æſtate inter Hermunduros Cattosq. certatum magno prælio, dum flumen gignendo ſale fecundum, & conterminum, vi trahunt; ſuper libidinẽ cuncta armis agendi, religione inſita, eos maxime locos propinquare cælo, preſensve mortalium a deis nuſquam proprius audiri.

ATROCIA ſunt bella inter populos, quæ ſuper libidinem cuncta armis agendi, fiunt etiam impulſu religionis. Qualia hodie vigent inter Turcas, & Perſas, diuerſa dogmata in Mahometis doctrina ſequentes.

Inde indulgentia numinum illo in amne, illisq. ſiluis ſalem prouenire, non vt alias apud gentes eluuie maris areſcente vnda, ſed ſuper ardentem arborum ſtruem fuſa, contrarijs inter ſe elementis, igne atque aquis concretum. Sed bellum Hermunduris proſperum: Cattis exitio fuit. quia victores diuerſam aciem Marti ac Mercurio ſacrauere, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur. * Et minæ quidem hoſtiles in ipſos vertebantur. Sed ciuitas Iuhonum ſocia nobis malo improuiſo afflicta eſt. Nam ignes terra editi, villas, arua, vicos, paſſim corripiebant, ferebanturq. in ipſa conditæ nuper Coloniæ mœnia. neque extingui poterant; non ſi imbres caderent, non ſi fluuialibus aquis, aut quo alio humore niterentur.

EXTIMESCENDA maxime populis ſunt illa mala, quæ cælitus proueniunt repentina & terribilia: adeo vt nulla humana ope tolli queant. Et hic in textu deeſt neſcio quid.

donec inopia remedij, & ira cladis, agreſtes quidam eminus ſaxa iacere, dein reſidentibus flammis proprius ſuggreſſi, ictu fuſtium, alijsq. verberibus, vt feras abſterrebant: poſtremo tegmina corpori direpta inijciunt, quanto magis profana, & vſu polluta, tanto magis oppreſſura ignes.

SAEPE inopia conſueti remedij, & ira magna alieuius cladis, ad incogitata, & vt ita dicam, monſtruoſa remedia deſcendunt homines, qui alia omnia nihil profuiſſe viderunt.

Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quæ ſuper octingentos & guadraginta ante annos Remi Romuliq. infantiam texerat, mortuis ramilibus, & areſcente trunco, deminutam, prodigij loco habitum eſt, donec in nouos fetus reuiuiſceret.

PRODIGIIS multam fidem adhibebat antiquitas, luce veritatis carens. Apud Liuium, & Valerium Maximum lector abunde ſitim explere in hac materia poteſt. Religio tamen noſtra, & veritas ipſa nolunt, vt illis fides aliqua adhibeatur.

Commentariorum in Librum XIII. Annalium P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI
IN P. CORNELII TACITI
Annales Commentarij.

Ex Lib. XIV. Annal. P. Cornelij Taciti.

CAIO Vipſanio, Fonteio Coss. diu meditatum ſcelus non vltra Nero diſtulit, vetuſtate imperij coalita audacia,

COALESCIT non ſolum audacia Tyranni vetuſtate imperij; ſed etiam quælibet alia dominatio, & poteſtas. Diuturnitas enim magnum addit humanis rebus robur & auctoritatem magnam.

& flagrantior in dies amore Poppeæ.

TYRANNVS adoleſcens, & amore meretricis flagrans, ecqua ſcelera non audebit, & patrabit?

quæ ſibi matrimonium, & diſſidium Octauiæ incolumi Agrippina haud ſperans, crebris criminationibus, aliquando per facetias incuſare principem, & pupillum vocare, qui iuſſis alienis obnoxius, non modo imperij, ſed libertatis etiam indigeret.

VERE nomen pupilli meretur Princeps ille, qui iuſſis alienis obnoxius, non modo imperij, ſed etiam libertatis indiget.

Cur enim differri nuptias ſuas? formam ſcilicet diſplicere, & triumphales auos? An fecunditatem, & verum animum?

HAEC ſunt quæ in vxore præcipue requiruntur: forma, nobilitas, fecunditas, & verus animus: cuius vltimi nomine, venit pudicitia.

timeri ne vxor ſaltem iniurias patrum, iram populi aduerſus ſuperbiā auaritiamq. matris aperiat. Quòd ſi nurum Agrippinam non niſi filio infeſtam ferre poſſet, reddatur ipſa Othonis coniugio, ituram quoquo terrarum, vbi audiret potius contumelias imperatoris, quàm viſeret periculis eius immixta.

ET iure merito. Nam, vt ait ille: Segnius irritant animos demiſſa per aures, Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus. Præſertim cum præſentes periculis aliorum immiſcemur.

Hæc atque talia lacrymis & arte adulteræ penetrantia; nemo prohibebat.

QVID referant artes & lacrymæ impudicæ mulieris, & quantum in animum iuuenilem penetrent, omnes ſciunt: & tantis exemplis referta ſunt hiſtoriæ ſacræ, & profanæ; noua, & veteres; vt ſuperfluum ſit de hac re agere.

cupientibus cunctis infringi matris potentiam,

CVM aliquis adeo potens apud Principem euadit, vt illum quaſi arbitrio ſuo domiuetur, & regat; tunc ſemper illius potentiam cupient omnes infringi. Numquam enim non ſequitur in Aulis magnam potentiam magna inuidia.

& credente nullo, vſque ad cædem eius duratura filij odia.

CREDIBILE eſt, quòd vſque ad necem parentis non durent filiorum odia. Et hac de cauſſa impulſus Lycurgus noluit pœnam vllam aduerſus parricidas in ſuis legibus infligere. Ne magis videretur admonere, quàm deterrere homines. Nero tamen humanam feritatem ſupergreſſus eſt.

Tradit Cluuius ardore retinendæ Agrippinam potentiæ eo vſque prouectam, vt medio diei, cum id temporis Nero per vinum & epulas incaleſceret, offerret ſe ſæpius temulento comptam, & inceſto paratam.

SI violandum ius eſt, regnandi gratia, violandum: cecinit Tragicus auctor. Proinde nil mirum, ſi ardore retinendæ potentiæ Agrippina eouſque proueheretur; vt mater offerret ſe filio temulento comptam, & inceſto paratam.

Iamq. laſciua oſcula, prænuncias flagitij blanditias, annotantibus proximis,

PRAEPARATORIA adulteriorum & inceſtuum ſunt oſcula, vt habetur apud Iuriſconſultos varijs in locis: eo modo, quo ſponſalia matrimoniorum.

Senecam contra muliebres illecebras ſubſidium a fœmina petiuiſſe:

PRVDENTES viri ſemper conſilijs abundant, & remedia in tempore eliciunt, ad effugienda pro ſeipſis, aut amicis probra & damna.

immiſſamq. Acten libertam, quæ ſimul ſuo periculo, & infamia Neronis anxia, deferret, peruulgatum eſſe inceſtum, gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium.

CONTEMNENDVS efficitur Princeps, præſertim apud milites, cum laſciui & mulieroſi incurrit nomen, & famam. Quid erit poſtea, ſi profani & inceſtuoſi infamiam, & ſuſpicionem acquiret? Certe hic talis ſemper breui corruet.

Fabius Ruſticus non Agrippinæ, ſed Neroni cupitum id memorat, eiuſdemq. libertæ aſtu diſiectum. Sed quæ Cluuius, eadem ceteri quoque auctores prodidere; & fama huc inclinat, ſeu conceperit animo tantum immanitatis Agrippina, ſeu credibilior nouæ libidinis meditatio in ea viſa eſt, quæ puellaribus annis ſtuprum cum Lepido ſpe dominationis admiſerat, pari cupidine vſque ad libita Pallantis prouoluta, & exercita ad omne flagitium patrui nuptijs.

EX ſtudijs ſuis intelligitur puer: habetur in ſacris Canonibus. Et valida eſt præſumptio ex anteacta ætate ad præſentem vitam: per tot. tit. ex. De præſumpt. in vol. Decret.

Igitur Nero vitare ſecretos eius congreſſus.

QVI crimen vitare cupit, occaſionem auferat.

Abſcedentem in hortos, aut Tuſculanum vel Antiatem in agrum, laudare quod otium laceſſeret.

LACESSERE otium dicitur Princeps, cum ex vrbis ſtrepitu, ſe in agros, hortos, & ſolitudinem recipit.

Poſtremo vbicumque haberetur, prægrauem ratus, interficere conſtitit:

QVI odio nobis eſt, vbicumque habetur, prægrauis nobis eſt.

hactenus conſultans, veneno, an ferro, vel qua alia vi. Placuitq. primo venenum. Sed inter epulas principis ſi daretur, referri ad caſum non poterat, tali iam Britannici exitio. Et miniſtros tentare arduum videbatur, mulieris vſu ſcelerum aduerſus inſidias intentæ,

QVI ſcelera committere ſueuerunt, ſunt vſu eorum, aduerſus inſidias intenti. Hiq. difficile ab aduerſarijs perduntur.

atque ipſa præſumendo remedia munierat corpus.

SCELESTI, & male ſibi conſcij, fere ſemper præſumendo malum, ſibi aduerſus illud muniunt corpus.

Ferrum

Ferrum & cædes quo nam modo occultaretur, nemo, teperiebat; & ne quis illi tanto facinori dilectus, iuſſa ſperneret, metuebat. Obtulit ingenium Anicetus libertus, claſſis apud Miſenum præfectus, & pueritiæ Neronis educator.

TYRANNIS numquam deſunt miniſtri, qui offerant ingenium ad ſcelera perpetranda, quantumuis magna, & inaudita.

ac mutuis odijs Agrippinæ inuiſus.

OBSERVENT hinc quicumque apud Principem vigent, & præpollent, omnium animos, & beneuolentiam ſibi comparare. Si enim aliquando, vt facile euenire in Aulis ſolet, excident a Principis gratia, neminem habebunt mutuis odijs ſibi inuiſum: qui aduerſus ipſos miniſter odiorum Principis exiſtat.

Ergo nauem poſſe componi docet, cuius pars ipſo in mari per artem ſoluta effunderet ignaram. Nihil tam capax fortuitorum quàm mare;

FORTVITORVM nihil tam capax eſt, quàm mare.

& ſi naufragio intercepta ſit, quem adeo iniquum, vt ſceleri aſſignet, quòd venti & fluctus deliquerint.

INIQVVM eſt, ſceleri alicuius aſſignare, quòd venti & fluctus delinquunt.

Additurum principem defunctæ templum, & aras, & cetera oſtentandæ pietatis.

HOC eſt proprium ſceleratorum, pietate velare flagitia.

Placuit ſolertia, tempore etiam adiuta, quando Quinquatruum feſtos dies apud Baias frequentabat. Illuc matrem elicit ferendas parentum iracundias, & placandum animum dictitans.

PARENTVM ferendæ ſunt iracundiæ, & animi eorum placandi.

quo rumorem reconciliationis efficeret, acciperetq. Agrippinam, facili feminarum credulitate ad gaudia venientem.

PROPRIVM eſt feminarum facilis credulitas, & libenter ad gaudia ſemper accedunt.

Dehinc obuius in littora, nam Antio aduentabat, excipit manu & complexu, ducitq. Baulos: id villæ nomen eſt, quę promontorium Miſenum inter & Baianum lacum flexo mari alluitur. ſtabat inter alias nauis ornatior, tamquam id quoque honori matris daretur. Quippe ſueuerat triremi, & claſſiariorum remigio vehi. Ac tum inuitata ad epulas erat, vt occultando facinori nox adhiberetur.

FACINORIBVS occultandis nox eſt idonea; vt ſupra non ſemel obſeruauimus.

Satis conſtitit extitiſſe proditorem.

MAGNORVM ſcelerum, quæ in Aulis Tyrannorum patrantur, ferme ſemper ante executionem ipſorum, ſolent extare proditores. Cum omnia in Aulis ſint varijs ſtudijs diſtincta: & quiſque Aulicus conſilia, & acta aliorum rimetur, & ſcrutetur.

& Agrippinam, auditis inſidijs, an crederet ambiguam, geſtamine ſellæ Baias peruectam. Ibi blandimentum ſubleuauit metum, comiter excepta ſuperq. ipſum collocata.

AD ſubleuandum metum alicuius, qui male de te ſuſpicatur, ars quidem eſt bona blandimentum, & illecebra, & honoris oblatio. Sed hoc numquam in alterius perniciem agere debes.

Nam pluribus ſermonibus modo familiaritate iuuenili Nero, & rurſus adductus quaſi ſeria conſociaret.

SOLENT qui ſeria conſociant, vultu & aſpectu adduci: vnde facile ex eorum motibus, ſolers Aulicus magnas poteſt deducere concluſiones.

tracto in longum conuictu, proſequitur abeuntem, artius oculis & pectori hærens, ſiue explenda ſimulatione,

PARVM eſt aliquid bene inchoare, ſi illud ad exitum non ducis, & penitus non exples.

ſeu perituræ matris ſupremus aſpectus, quamuis ferum animum retinebat.

PERITVRAE matris ſupremus aſpectus animum quamuis ferum retinere poteſt.

Noctem ſideribus inluſtrem, & placido mari quietam, quaſi conuincendum ad ſcelus, dij præbuere.

CVM Deo diſpliceat ſummopere malum, credibile eſt, quòd ad conuincenda magna ſcelera, libenter quandoque ipſe cælitus ſigna aliqua & indicia ad hoc praſtet.

Nec multum erat progreſſa nauis, duobus e numero familiarium Agrippinam comitantibus: ex quibus Crepereius Gallus haud procul gubernaculis adſtabat, Aceronia ſuper pedes cubitantis reclinis, pœnitentiã filij & reciperatam matris gratiam per gaudium memorabat. cũ dato ſigno, ruere tectum loci multo plumbo graue, preſſusq. Crepereius, & ſtatim exanimatus. Agrippina & Aceronia eminentibus tecti parietibus forte validioribus, quamuis oneri cederent, protectæ ſunt: nec diſſolutio nauigij ſequebatur turbatis omnibus, & quòd plerique ignari conſcios impediebant.

IN arduis facinoribus obeundis, ignari impediunt conſcios.

Viſum dehinc remigibus, vnum in latus inclinare, atque ita nauem ſubmergere. Sed neque ipſis promptus in rem ſubitam conſenſus; & alij contra nitentes dedere facultatem lenioris in mare iactus.

DIVERSIS hominibus in re aliqua ardua efficienda, non eſt promptus in rem ſubitam conſenſus: & ſæpe ab alys eiuſdem rei ignaris, totum factum ſubuertitur.

Verum Aceronia imprudens, dum ſe Agrippinam eſſe, & vt ſubueniretur matri principis, clamitat, contis & remis & quæ fors obtulerat, naualibus telis conficitur.

IMPRVDENTIA radix eſt omnium malorum.

Agrippina ſilens, eoq. minus agnita, vnum tamen vulnus humero excepit.

PROFVIT ſemper ſilentium, & garrulitas nocuit. Ideo illud amplectendum, hæc fugienda eſt.

Nando deinde, occurſu lembunculorũ Lucrinum in lacum vectam, villæ ſuę inferunt. Illic reputans, ideo ſe fallacibus litteris accitam, & honore præcipuo habitam, quodq. litus iuxta non ventis acta non ſaxis impulſa nauis, ſumma ſui parte veluti terreſtre machinamentum concidiſſet, obſeruans etiam Aceroniæ necem, ſimul ſuum vulnus aſpiciens, ſolum inſidiarum remedium eſſe, ſi non intelligerentur.

SAEPE ſolum inſidiarum remedium eſt, eas non intelligere: præſertim ſub Tyranno.

miſit liberrum Agerinum, qui nunciaret filio, benignitate deum, & fortuna eius euaſiſſe grauem caſum. orare, vt quamuis periculo matris exterritus, viſendi curam differret ſibi ad præſens quiete opus. Atque interim ſecuritate ſimulata, medicamina vulneri, & fomenta corpori adhibet. Teſtamentum Aceroniæ requiri, bonaq. obſignari iubet id tantum non per ſimulationem.

HINC cernere licet quòd ad euitandas inimicorum fraudes & inſidias, nonnumquam ſimulare conuenit, & diſſimulare. Sed hoc prudentia magna, & iudicio indiget.

At Neroni nuncios patrati facinoris opperienti, affertur euaſiſſe ictu leui ſauciam, & hactenus adito diſcrimine, ne auctor dubitaretur. Tum pauore exanimis, & iam iamq.

affore

afforé obteſtans vindictæ properam, ſiue ſeruitia armaret, vel militem accenderet, ſiue ad ſenatum & populum peruaderet, naufragium & vulnus, & interfectos amicos obijciendo. quod contra ſubſidium ſibi? niſi quid Burrhus & Seneca expergiſcerentur: quos ſtatim acciuerat, incertum an & ante ignaros.

SCELESTO & improbo, cum male cedunt mala conſilia, dici non poteſt quanta conſternatio, & quantus pauor accedat. Adeo vt nullus Euripus adeo æſtuet pelagi ſæuientis furore: quantum ille præceps metu, & vecordia caſu in tali feratur.

Igitur longum vtriuſque ſilentium, ne inriti diſſuaderent, & eo deſcenſum credebant, vt niſi præueniretur Agrippina, pereundum Neroni eſſet.

HAC ratione adducti nonnulli Politici affirmant, quòd cum ab aliquo exitium times, iuſte potes illum præuenire, & de medio tollere. Sed hoc præceptum ad Chriſtianæ legis noſtræ dogmata conformandum eſt.

Poſt Seneca hactenus promptior, reſpicere Burrhum, ac ſi ſcitaretur, an militi imperanda cædes eſſet. Ille prætorianos toti Cæſarum domui obſtrictos, & memores Germanici, nihil aduerſus progeniem eius atrox auſuros reſpondit.

QVI ob beneficia a parentibus noſtris accepta, obſtricti ſunt nobis; credibile eſt, quòd illorum memores, nihil atrox vmquam aduerſus nos perpetrabunt.

perpetraret Anicetus promiſſa. Qui nihil contatus, poſcit ſummam ſceleris.

FACINOROSI, & improbi ſicarij, qui ſe ſanguine innocentium fœdare conſueuerunt, nihil contantur in poſcendo ſummam ſcelerum, quæ ab alijs, vt mala, & ardua declinantur.

Ad illam vocem Nero, illo ſibi die dari imperium, auctoremq. tanti muneris libertum profitetur.

AESTIMAT haud iniuria Princeps, quòd ſibi det imperium miniſter ille, qui acriter & impigre validum æmulum, & inimicum ſibi ſubuertit.

Iret propere, duceretq. promptiſſimos ad iuſſa.

IN magnis facinoribus obeundis, ducendi ſunt promptiſſimi ad iuſſa.

Ipſe audito, veniſſe miſſu Agrippinæ nuncium Agerinum, ſcenam vltro criminis parat: gladiumq. dum mandata perfert, abijcit inter pedes eius. tum quaſi deprehenſo, vincla inijci iubet:

NON ſufficit ſceleſtis & improbis vitam inſontibus eripere; niſi poſtea etiam ſcenam criminis vltro in eos parent: quaſi ab ipſis prius tentatum ſit in ipſos homicidium, & exitium.

vt exitium principis molitam matrem, & pudore deprehenſi ſceleris ſponte mortem ſumpſiſſe confingeret.

MIRE congruit hic locus illi ſuperiori de Druſo erga Tiberium.

Interim vulgato Agrippinæ periculo, quaſi caſu eueniſſet, vt quiſque acceperat, decurrere ad litus. Hi molium obiectus, hi proximas ſcaphas ſcandere. Alij quantum corpus ſinebat, vadere in mare; quidam manus protendere. Queſtibus, uotis, clamore diuerſa rogantium, aut incerta reſpondentium, omnis ora compleri: affluere ingens multitudo cum luminibus,

PROPRIVM eſt hoc humanitatis, vt ad pericula, quæ caſu creduntur euenire alicui, çeteri homines miſericordia moueantur, & ad ſubueniendum accurrant.

atque vbi incolumem eſſe pernotuit, ut ad gratandum ſeſe expedire, donec aſpectu armati & minitantis agminis disiecti ſunt.

NESCIT ſæpe humana mens, quid agat. Nam tali de re nonnumquam lætatur & gaudet, de qua poſtea ſe debuiſſe dolere & triſtari cognoſcit.

Anicetus

Anicetus villam ſtatione circumdat, refractaq. ianua, obuios ſeruorum arripit, donec ad fores cubiculi veniret: cui pauci adſtabant, ceteris terrore irrumpentium exterritis. Cubiculo modicum lumen inerat, & ancillarum vna: magis ac magis anxia Agrippina, quòd nemo a filio, ac ne Agerinus quidem. aliam fere litore faciem nunc, ſolitudinem ac repentinos ſtrepitus, & extremi mali indicia.

ANTEQVAM extremum malum nobis ingruat, ſolent anteire illius non leuia indicia.

Abeunte dehinc ancilla: Tu quoque me deſeris, prolocuta,

IN vltimis calamitatibus numquam non deſeruntur ab omnibus miſeri mortales.

reſpicit Anicetum trierarcho Herculeo & Oloarito centurione claſſiario comitatum: Ac ſi ad viſendum veniſſet, refotam nunciaret: ſin facinus patraturus, nihil ſe de filio credere, non imperatum parricidium.

ET qua mater vmquam credere poſſet à filio imperari aduerſus ſe parricidium?

Circumſiſtunt lectum percuſſores, & prior trierarchus fuſti caput eius afflixit. Nam in mortem centurioni ferrum diſtringenti, protendens vterum ventrem feri, exclamauit: multisq. vulneribus confecta eſt. Hæc conſenſu traduntur. Aſpexerit ne matrem exanimem Nero, & formam corporis eius laudauerit, ſunt qui tradiderint, ſunt qui abnuant. Cremata eſt nocte eadem, conuiuali lecto, & exſequijs vilibus. Neque dum Nero rerum potiebatur congeſta aut clauſa humo; mox domeſticorum cura, leuem tumulum accepit, viam Miſeni propter, & villam Cæſaris dictatoris quæ ſubiectos ſinus editiſſima proſpectat. Accenſo rogo libertus eius cognomento Mneſter, ipſe ferro ſe tranſegit: incertum charitate in patronam, an metu exitij.

CVM ratio ſacti alicuius reddi non poteſt, illud poteſt trahi tam in malam, quàm in bonam partem.

Hunc ſui finem multos ante annos crediderat Agrippina, contempſeratq. Nam conſulenti ſuper Nerone, reſponderunt Chaldæi, fore vt imperaret, matremq. occideret: atque illa: Occidat, inquit, dum imperet. Sed a Cæſare perfecto demum ſcelere, magnitudo eius intellecta eſt:

MAGNITVDO ſceleris tunc intelligitur, cum illud perfectum eſt.

reliquo noctis, modo per ſilentium defixus, ſæpius pauore exſurgens, & mentis inops lucem opperiebatur, tamquam exitium allaturam.

NVMQVAM horam vnam diei, vel noctis quietam degit, qui conſcientiam habet criminibus, & ſceleribus maculatam. Nam ſemper latrat, tamquam Scylla, aut Cerberus: & illum continue pungit & excruciat.

Atque eum auctore Burrho, prima centurionum tribunorumq. adulatio ad ſpem firmauit, prehenſantium manu, gratantiumq. quòd diſcrimen improuiſum, & matris facinus euaſiſſet. Amici dehinc adire templa: & cœpto exemplo, proxima Campaniæ municipia victimis & legationibus lætitiam teſtari. Ipſe diuerſa ſimulatione, mæſtus, & quaſi incolumitati ſuæ infenſus, ac morti parentis illacrymans; quia tamen non vt hominum vultus, ita locorum facies mutantur, obuerſabatur maris illius & litorum grauis aſpectus, & erant qui crederent, ſonitum tubæ collibus circum editis, planctusq. tumulo matris audiri, Neapolim conceſſit,

PARVM prodeſt ſceleſtis mutare ſedem, & habitationem: quia, non vt hominum vultus, ita locorum facies mutantur.

litterasq. ad ſenatum miſit, quarum ſumma erat: Repertum cum ferro percuſſorem Agerinum, ex intimis Agrippinæ libertis, & luiſſe eam pœnam ea conſcientia, qua ſcelus parauiſſet.

SAEPE multi luunt pœnas ea conſcientia, qua ſcelus parant: quod poſtea ad exitum non perducitur.

Adijcie-

Adijciebat crimina longius repetita, quòd conſortium imperij, iuraturaſq. in feminæ verba prætorias cohortes, idemq. dedecus ſenatus & populi ſperauiſſet: ac poſteaquam fruſtra ab illa tentata ſint, infenſa militibus patribusq. & plebi, diſſuaſiſſet donatiuum & congiarium, periculaq. viris inluſtribus inſtruxiſſet. Quanto ſuo labore perpetratũ, ne irrumperet curiam, ne gentibus externis reſponſa daret. Temporum quoque Claudianorum obliqua inſectatione, cuncta eius dominationis flagitia in matrem tranſtulit, publica fortuna exſtinctam referens. Namque & naufragium narrabat. Quod fortuitum fuiſſe, quis adeo hebes inueniretur, vt crederet? aut a muliere naufraga miſſum cum telo vnum, qui cohorres, & claſſes imperatoris perfringeret?

ETSI Tyrannus multis quæſitis coloribus velare, & excuſare ſua ſcelera nititur, transferendo culpam in res remotas, & longe a facto alienas: tamen apud prudentes numquam fidem mendacijs ſuis acquiret.

Ergo non iam Nero, cuius immanitas omnium queſtus anteibat, ſed aduerſo rumore Seneca erat, quòd oratione tali confeſſionem ſcripſiſſet.

IN his, quæ Principes male committunt & gerunt, plerumque non ipſi, ſed eorum conſiliarij aduerſo rumore ſunt, & his culpa attribuitur.

Miro tamen certamine procerum decernuntur ſupplicationes apud omnia puluinaria, vtq. Quinquatrus, quibus apertæ eſſent inſidiæ, ludis annuis celebrarentur. Aureum Mineruæ ſimulacrum in curia, & iuxta principis imago ſtatueretur. Dies natalis Agrippinæ inter nefaſtos eſſet. Thraſea Pætus ſilentio vel breui aſſenſu priores adulationes tranſmittere ſolitus, exijt tum ſenatu, ac ſibi cauſſam periculi fecit, ceteris libertatis initium non præbuit.

QVAMVIS ſub Tyranno ſoleant ſæpe graues, & probi viri, vt ſupra in Lepido obſeruauimus, ſilentio, vel breui aſſenſu tranſmittere fædas aliorum adulationes: tamen, cum adeo ſæua, ac enormia a Tyranno eueniunt ſcelera, vt ferri non poſſint; patientiam abrumpere ſolent: vnde ſequitur, vt ſibi cauſſam periculi faciant, & ceteris libertatis initium non præbeant.

Prodigia quoque crebra & inrita interceſſere. Anguem enixa mulier, & alia in concubitu mariti fulmine exanimata. iam ſol repente obſcuratus, & tactæ de cælo quattuordecim vrbis regiones. quæ adeo ſine cura deûm eueniebant, vt multos poſt annos Nero imperium & ſcelera continuauerit.

EX ore & confeſſione huius noſtri Auctoris Ethnici & gentilis obſeruare licet, quòd his, quæ vulgus prodigia, & oſtenta vocat, & in quibus maximam reponere fidem ſolet; nulla prorſus eſt adhibenda fides: & omnia tamquam vana & fallacia explodenda, & obliuioni mandanda.

Ceterum quo grauaret inuidiam matris, eaq. demota; auctam lenitatem ſuam teſtificaretur; feminas inluſtres Iuniam & Calpurniam, prætura functos, Valerium Capitonem & Licinium Gabulum ſedibus patrijs reddidit, ab Agrippina olim pulſos. Etiam Lolliæ Paulinæ cineres reportari, ſepulcrumq. exſtrui permiſit: quosq. ipſe nuper relegauerat, Iturium & Caluiſium pœna exſoluit.

SIC agere ſolet Tyrannus, cum aliquem æmulum iniuſte oppreſſit: ad grauandam eius inuidiam, & teſtificandam ſuam lenitatem, erigere & fouere quoſcumque inimicos ille habuit; & ſi qua in re ab illo læſi ſunt, eos reſtaurare, & reficere.

Nam Silana fato functa erat, longinquo ab exſilio Tarentum regreſſa, labante iam Agrippina, cuius inimicitijs conciderat, vel tum mitigata.

CVM inimicus noſter, qui nos grauiſſimis etiam modis læſit, & afflixit, iam ſæuientis caſus ruina labat, & concidit; ſolet in nobis maxima in parte ira & vindictæ deſiderium mitigari.

Contanti in opidis Campaniæ, quo nam modo vrbem ingrederetur, an obſequium ſenatus, an ſtudia plebis repeteret anxio; contra deterrimus quiſque, quorum non alia regia fecundior exſtitit, inuiſum Agrippinæ nomen, & morte eius accenſum populi fauorem differunt.

NIHIL poteſt glorioſius euenire Principi in hac vita, quàm regiam, & Aulam refertam habere optimorum, & virtute præditorum virorum. Et in hoc elaborare omnes Principes deberent.

rent. Equidem SIXTVS V. PONT. MAX. *hoc aperte profitetur, neminem in ſuorum numero cenſeri velle, qui non ſit doctrina, virtute, & morum probitate inſignis. Contra, quid peius dici poteſt, quàm Aulam Principis eſſe fecundam deterrimorum? Quales plerunque ſolent eſſe Tyrannorum regiæ, ad exemplum Neroniana, quam Auctor hic improbat.*

Iret intrepitus, & venerationem ſui coram experiretur. Simul progredi expoſcunt, & promptiora quàm promiſerant inueniunt, obuias tribus, feſto cultu ſenatum: coniugum ac liberorum agmina per ſexum & ætatem diſpoſita: exſtructos qua incederet ſpectaculorum gradus, quo modo triumphi viſuntur. Hinc ſuperbus ac publici ſeruitij victor, Capitolium adijt, grates exſoluit: ſeq. in omnes libidines effudit, quas male coercitas qualiſcumq. matris reuerentia tardauerat.

I*N ſceleſtis, male coercitæ libidines ſæpe tardantur a reuerentia ſuperioris alicuius: in quas poſtea, hac ceſſante, ſe penitus effundunt. Sic ſupra de Tiberio Auctor, in vita eius elogio.*

Vetus illi cura erat curriculo quadrigarum inſiſtere, nec minus fœdum ſtudium citharæ ludiorum in modum canere, cum cænaret: quod regibus & antiquis ducibus factitatum memorabat. Idq. vatum laudibus celebre, & deorum honori datum. Enim vero cantus Apollini ſacros taliq. ornatu aſtare, non modo Græcis in vrbibus, ſed Romana apud templa, numen præcipuum, & præſcium. Nec iam ſiſti poterat; cum Senecæ ac Burrho viſum, ne vtrumque peruinceret, alterum concedere.

S*APIENTIS eſt, e duobus malis minus eligere.*

Clauſumq. valle Vaticana ſpatium, in quo equos regeret, haud promiſcuo ſpectaculo. mox vltro uocari populus Romanus, laudibus extollere, vt eſt vulgus cupiens uoluptatum, & ſi eo princeps trahat, lætum.

V*VLGVS eſt voluptatum cupiens, & ſi eo Princeps trahit, lætum.*

Ceterum euulgatus pudor non ſatietatem, vt rebantur, ſed incitamentum attulit.

S*OLET afferre ſatietatem pudor euulgatus: ſed nonnumquam illius vice incitamentum affert.*

Ratusq. dedecus amoliri, ſi plures fœdaſſet, nobilium familiarum poſteros, egeſtate venales in ſcenam deduxit:

H*OC eſt peculiare infamium & perditorum: plures ſceleribus ſuis & flagitijs fœdare, hoc modo credentes dedecus ſuum amoliri.*

quos fato perfunctos ne nominatim tradam, maioribus eorum tribuendum puto. Nam & eius flagitium eſt, qui pecuniam ob delicta potius dedit, quàm ne delinquerent.

M*AGNVM eſt Principis flagitium, pecuniam dare alicui, vt ille delinquat. Cum potius dare deberet, ne delinqueret.*

Notos quoque equites Romanos operas arenæ promittere ſubegit, donis ingentibus: niſi quòd merces ab eo, qui iubere poteſt, vim neceſſitatis affert.

M*ERCES ab eo, qui iubere poteſt, accepta vim neceſſitatis affert. Sicut & talium virorum preces, iuſsionum vim obtinent.*

Nec tamen adhuc publico theatro dehoneſtaretur, inſtituit ludos Iuuenalium uocabulo, in quos paſſim nomina data. non nobilitas cuiquam, nō ætas aut acti honores impedimento, quominus Græci Latinive hiſtrionis artem exercerent, vſque ad geſtus modosq. haud viriles. Quin & feminæ inluſtres deformia meditari. Exſtructaq. apud nemus, quod nauali ſtagno circumpoſuit Auguſtus, conuenticula & cauponæ, & poſita veno irritamenta luxus. dabanturq. ſtipes, quas boni neceſſitate, intemperantes gloria conſumerent.

S*VB Tyranno, boni neceſsitate, intemperantes gloria in luxum effunduntur.*

Inde gliſcere flagitia & infamia; nec vlla, moribus corruptis, olim plus libidinum circumdedit, quàm illa colluuies. Vix artibus honeſtis pudor retinetur: nedum inter certamina vitiorum, pudicitia, aut modeſtia, aut quidquam probi moris reſeruaretur.

ARGVMENTVM eſt a minori ad maius. Nam, ſi vix artibus honeſtis pudor retinetur, quanto minus inter certamina vitiorum, pudicitia, aut modeſtia, aut quidquam probi moris reſeruabitur?

Poſtremo ipſe ſcenam inſcendit, multa cura tentans citharam & præmeditans, aſſiſtentibus familiaribus, acceſſerat cohors militum, centuriones tribuniq. & mærens Burrhus, ac laudans.

SIC euenit claris & ſapientibus viris ſub Tyranno: ſæpe oportet, vt eius malefacta mærentes laudent.

Tumq. primum conſcripti ſunt equites Romani, cognomento Auguſtanorum, ætate ac robore conſpicui, & pars ingenio procaces, alij in ſpe potentiæ. Hi dies ac noctes plauſibus perſonare. Formam principis vocemq. deûm vocabulis appellantes, quaſi per virtutem clari, honoratiq. agere. Ne tamen ludicræ tantum imperatoris artes noteſcerent, carminum quoque ſtudium affectauit, contractis quibus aliqua pangendi facultas. Nec dum inſignis ⋆ ætatis nati, conſidere ſimul, & allatos vel ibidem repertos verſus connectere; atque ipſius verba quoque modo prolata ſupplere. quod ſpecies ipſa carminum docet, non impetu & inſtinctu, nec ore vno fluens. Etiam ſapientiæ doctoribus tempus impartiebat poſt epulas.

IDEM factitabat PAVLVS III. PONT. MAX. qui inter ipſas epulas, ſapientiæ & bonarum diſciplinarum doctioribus tempus impartiebat, & ſemper ab illis pulcherrimæ agitabantur quæſtiones.

vtq. contraria aſſeuerantium diſcordiæ eruebantur. nec deerant, qui voce vultuq. triſti inter oblectamenta regia ſpectari cuperent.

FVTILIS ambitionis hic ſæpe eſt effectus: vt aliqui grauitatem, & ſeueritatem in geſtibus affectando, voce & vultu triſti inter oblectamenta Principis ſpectari cupiant. Quod quam ſit ridiculum, & turpe omnes iudicare poſſunt.

Sub idem tempus, leui contentione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos Pompeianosq. gladiatorio ſpectaculo, quod Liuineius Regulus, quem motum ſenatu retuli, edebat. quippe opidana laſciuia inuicem inceſſentes, probra, deinde ſaxa, poſtremo ferrum ſumpſere, validiore Pompeianorum plebe, apud quos ſpectaculum edebatur. Ergo reportati ſunt in vrbem multi e Nucerinis trunco per vulnera corpore, ac plerique liberorum ac parentum mortes deflebant. Cuius rei iudicium princeps ſenatui, ſenatus conſulibus permiſit. Et rurſus re ad patres delata, prohibiti publice in decem annos eiuſmodi cœtu Pompeiani, collegiaq. quæ contra leges inſtituerant, diſſoluta. Liuineius, & qui alij ſeditionem conciuerant, exſilio multati ſunt.

DISSOLVENDA ſunt collegia, quæ contra leges inſtituuntur: & puniendi qui ſeditiones in ciuitatibus concitant.

Motus ſenatu & Pedius Blæſus, accuſantibus Cyrenenſibus, violatum ab eo theſaurum Æſculapij, dilectumq. militarem pretio & ambitione corruptum.

POENAM non paruam meretur, qui dilectum militarem pretio & ambitione corrumpit.

Iidem Cyrenenſes reum agebant Acilium Strabonem, prætoria poteſtate vſum, & miſſum diſceptatorem a Claudio agrorum, quos regis Apionis quondam auitos, & Pop. Rom. cum regno relictos, proximus quiſque poſſeſſor inuaſerant, diutinaq. licentia & iniuria, quaſi iure & æquo nitebantur.

MVLTI diutina iniuria & licentia ſæpe quaſi iure & æquo nituntur, erga quæ inuaſerunt.

Igitur

Igitur abiudicatis agris, orta aduerſus iudicem inuidia: & ſenatus ignota ſibi eſſe mandata Claudij, & conſulendum principem reſpondit. Princeps probata Strabonis ſententia, ſe nihilominus ſubuenire ſocijs, & vſurpata concedere ſcripſit.

PRVDENTER ſe gerit Princeps, cum in caſu aliquo ancipiti, in quo aut ſenatus acta reſcindere, aut aliquam vniuerſitatem lædere cogitur; medium inuenit, quo & illius ſententiam non improbat, & huic ſubuenit ſimul.

Sequuntur virorum inluſtrium mortes, Domitij Afri, & M. Seruilij, qui ſummis honoribus, & multa eloquentia viguerant. Ille orando cauſſas, Seruilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris, & elegantia vitæ, quam clariorem effecit, vt par ingenio, ita morum diuerſus.

Nerone quartum, Cornelio Coſſo Coss. quinquennale ludicrum Romæ inſtitutum eſt, ad morem Græci certaminis, varia fama, vt cuncta ferme noua.

FERME cuncta noua ſunt varia fama.

Quippe erant qui Gn. quoque Pompeium incuſatum a ſenioribus ferrent, quòd manſuram theatri ſedem poſuiſſet. Nam antea ſubitarijs gradibus, & ſcena in tempus ſtructa, ludos edi ſolitos: vel ſi vetuſtiora repetas, ſtantem populum ſpectauiſſe: ſi conſideret, theatro dies totos ignauia continuaret.

TVRPE eſt, dies totos ignauia continuare, ſedendo in theatro.

Ne ſpectaculorum quidem antiquitas ſeruaretur, quoties Prætores ederent, nulla cuiquam ciuium neceſſitate certandi. Ceterum abolitos paulatim patrios mores funditus euerti per accitam laſciuiam; vt quod vſquam corrumpi & corrumpere queat, in vrbe viſatur, degeneretq. ſtudijs externis iuuentus, gymnaſia & otia, & turpes amores exercendo,

PATRII mores funditus euertuntur per accitam laſciuiam: cum, quod vſquam corrumpere, & corrumpi queat, in vrbem portatur. Quo fit vt degeneret iuuentus ſtudijs externis. Et hæc fuit potiſſima ratio, quæ impulit Lycurgum Legiſlatorem Spartanorum, ad prohibendum auri & argenti vſum in legibus ſuis: & illorum vice, corij nummis vt uterentur, illis iubendo. Scilicet vt hoc modo aduenas ab illorum comercio arcendo, ſuos incorruptos conſeruaret.

principe & ſenatu auctoribus, qui non modo licentiam vitijs permiſerint, ſed vim adhibeant.

QVID poteſt dici aut excogitari flagitioſius; quàm illum, qui vitia acriter punire, & plectere deberet; illis non ſolum licentiam permittere, ſed etiam vim adhibere?

Proceres Romani ſpecie orationum & carminum, ſcena polluantur:

SPECIE virtutis, ſæpe vitio polluimur.

quid ſupereſſe, niſi vt corpora quoque nudent, & cæſtus aſſumant, easq. pugnas pro militia & armis meditentur? An iuſtitiam augurij, * & decurias equitum, egregium iudicandi munus expleturos, ſi fractos ſonos & dulcedinum vocum perite audiſſent? Noctes quoque dedecori adiectas, ne quod tempus pudori relinquatur, ſed cætu promiſcuo quod perditiſſimus quiſque per diem concupiuerit, per tenebras audeat.

PERDITISSIMVS quiſque, quod per diem concupiſcit, per tenebras audet. Et locus hic in textu eſt corruptus.

Pluribus ipſa licentia placebat, ac tamen honeſta nomina prætendebant.

ETSI nobis placent vitia, illis tamen honeſta nomina prætendimus.

Maiores quoque non abhorruiſſe ſpectaculorum oblectamenta pro fortuna, quæ tum erat; eoq. a Thuſcis accitos hiſtriones, a Thurijs equorum certamina, & poſſeſſa Achaia Aſiaq. ludos curatius editos. neque quemquã Romæ honeſto loco ortum, ad theatrales artes degenerauiſſe, ducentis iam annis à L. Mumij triumpho, qui primus id genus

ſpecta-

ſpectaculi in vrbe præbuerit. Sed & cõſultum parcimoniæ, quòd perpetua ſedes theatro locata ſit, potius quàm immenſo ſumptu, ſingulos per annos conſurgeret ac ſtrueretur.

IN rebus, quæ maximo ſumptu comparantur, & ſæpe exercentur; dignum eſt, conſulere parcimoniæ: adeo vt pro vna vice locetur id, quod alioquin immenſo ſumptu per ſingulos annos conſurgere & extrui deberet.

Nec perinde magiſtratus rem familiarem exhauſturos, aut populo efflagitandi Græca certamina a magiſtratibus cauſſam fore, cum eo ſumptu Reſp. fungatur. Oratorum ac vatum victorias incitamentum ingenijs allaturas:

STVDIOSORVM certamina & victoriæ, ingenijs incitamentum adferunt.

nec cuiquam iudici graue, aures ſtudijs honeſtis, & voluptatibus conceſſis impartire.

NVLLI iudici graue eſſe debet, quòd quis aures ſtudijs honeſtis & voluptatibus conceſſis impartiatur.

lætitiæ magis quàm laſciuiæ dari paucas totius quinquennij noctes,

IN voluptatibus honeſte ſumendis modus adhiberi debet. Nam ſi parce ſumentur, lætitiæ potius, quàm laſciuiæ dari videbitur tempus, quod illis impartimur.

quibus, tanta luce ignium, nihil illicitum occultari queat.

NIHIL illicitum occultari poteſt in loco ſpectaculorum, vbi multi ignes collucent. In tenebris enim patrantur ſcelera.

Sane nullo inſigni dehoneſtamento id ſpectaculum tranſijt. Ac ne modica quidem ſtudia plebis exarſere, quia redditi quamquam ſcenæ Pantomi, certaminibus ſacris prohibebantur. Eloquentiæ primas nemo tulit, ſed victorem eſſe Cæſarem pronuntiatum.

CVM Princeps in certamen deſcendit cum priuatis aliquibus, etſi etiam ipſe iure ſuperior non euadit, tamẽ ſemper victor pronunciabitur. Idem & de rebus Principẽ ſpectantibus dici poteſt.

Græci amictus, quos per eos dies plerique inceſſerant, tum exoleuerant. Inter quæ & ſidus cometes effulſit, de quo vulgi opinio eſt, tamquam mutationem regis portendat. Igitur quaſi iam depulſo Nerone. quis nam diligeretur inquirebant, & omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Iulia familia. Ipſe placita maiorum colebat, habitu ſeuero, caſta & ſecreta domo;

PERMAGNAM dignationem conciliant Aulico Romæ viuenti, hæ duæ condiciones: Habitus ſeuerus, & caſta ac ſecreta domus. Quæ duo maxime a SIXTO V. PONT. MAX. cum eſſet Cardinalis obſeruata, illi ad ſummum Pontificatus faſtigium viam ſtrauerunt.

quantoq. metu occultior, tanto plus famæ adeptus.

PLERVMQVE quanto aliquis vir clarus viuit metu occultior, tanto plus famæ adipiſcitur.

Auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. Nam quia diſcumbentis Neronis apud Simbruina ſtagna, cui Sublacæum nomen eſt, ictæ dapes, menſaq. diſiecta erat, idq. finibus Tiburtum acciderat, vnde paterna Plauto origo, hunc illum numine deum deſtinari credebant fouebantq. multi, quibus noua & ancipitia præcolere auida & plerumque fallax ambitio eſt.

IMPRVDENTIS Aulici eſt, adeo auida, & plerumque fallaci ambitione trahi; vt noua & ancipitia præcolat.

Ergo permotus ijs Nero componit ad Plautum litteras, conſuleret ſibi & turbis, ſeq. praue diffamantibus ſubtraheret. eſſe illi per Aſiam auitos agros, in quibus tuta & inturbida iuuenta frueretur. Ita illuc cum coniuge Antiſtia & paucis familiarium conceſſit.

NON ſolum, cum a Principe iubetur; ſed etiam ſua ſponte debet ab illo ſecedere vir clarus & inſignis, ſi nouerit ſe in ſuſpicionem apud ipſum incidiſſe.

Iiſdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni tulit.

NIMIA luxus cupido ſemper parit infamiam, & nonnumquam periculum hominibus, & præſertim Principibus.

quia fontem aquæ Martiæ ad vrbem deductæ nando inceſſerat: videbaturq. potus ſacros & cærimoniam loci corpore loto polluiſſe. ſecutaq. anceps valetudo, iram deum affirmauit.

EX aduerſitatibus, quæ ob ſcelera alicui eueniunt, ſolet plerumque affirmari ira Dei in illum.

At Corbulo poſt deleta, Artaxata, vtendum recenti terrore ratus, ad occupanda Tigranocerta, quibus excidis, metum hoſtium intenderet,

DVX cautus debet vti recenti terrore hoſtium, & eum, quantum poteſt, intendere.

vel ſi pepercisſet, clementiæ famam adipiſceretur; illuc pergit non infenſo exercitu, ne ſpem veniæ auferret: neque tamen remiſſa cura, gnarus facilem mutatu gentem, vt ſegnem ad pericula, ita infidam ad occaſiones.

GENS facilis mutatu, vt eſt ſegnis ad pericula, ita eſt infida ad occaſiones. Idem ſupra de Artabano lib. ij.

Barbari pro ingenio quiſque, alij preces offerre, quidam deſerere vicos, & in auia digredi, ac fuere qui ſe ſpeluncis, ac chariſſima ſecum abderent. Igitur dux Romanus diuerſis artibus, miſericordia aduerſus ſupplices, celeritate aduerſus profugos, immitis ijs, qui latebras inſederant, ora & exitus ſpecuum ſarmentis virgultisq. completos, igni exurit.

MAXIMA requiritur prudentia in eo, cui exercitus cura committitur. Et inter cetera, pro temporis conditione, diuerſis artibus debet ſe gerere erga hoſtes. Nam aduerſus ſupplices miſericordia, celeritate aduerſus profugos debet vti, immitem ſe præſtare aduerſus eos, qui arma retinendo, latebras inſedunt. denique ingenium verſatile habere, quod aptet, prout ipſi, & exercitui conduxerit.

Atque illum fines ſuos prætergredientem incurſauere Mardi, latrocinijs exerciti, contraq. irrumpentem montibus defenſi. quos Corbulo immiſſis Hyberis vaſtauit, hoſtilemq. audaciam externo ſanguine vltus eſt.

EST ducis ſapientis, vlciſci hoſtilem audaciam externo ſanguine. Huc quadrat illud Propheta. De inimicis meis vindicabor cum inimicis meis.

Ipſe exercitusq. vt nullis ex prælio damnis, ita per inopiam & labores fatiſcebant, carne pecudum propulſare famem adacti. Ad hæc penuria aquæ, feruida æſtas, longinqua itinera, ſola ducis patientia mitigabantur, eodem plura quàm gregario milite tolerante.

LABORES, quos perferunt milites in exercitu, penuria aquæ feruida æſtas, longinqua itinera, ceteraq. omnia incommoda mitigantur ſolâ ducis patientia; cum idem tolerat plus quàm gregarius miles. Quod etſi euenit, tamen non adeo illos labores ille ſentit ſic; vt gregarius miles, cum ipſe imperet, hic autem ſeruiat, & imperandi dulcedo omnem laborum moleſtiam illi auferat: vt ſcite inquit Cyrus apud Xenophontem. Quam vocem mirifice ſibi placere aiebat Themiſtocles. Cic. De Nat. Deor.

Ventum dehinc in locos cultos: demeſſæq. ſegetes, & ex duobus caſtellis, in quæ confugerant Armenij, alterum impetu captum, qui primam vim depulerant, obſidione coguntur. Vnde in regionem Taurantium trangreſſus, improuiſum periculum vitauit. Nam haud procul tentorio eius, non ignobilis barbarus cum telo repertus, ordinem inſidiarum, ſeq. auctorem & ſocios per tormenta edidit.

NONNVMQVAM aliqui experiuntur adeo audaces, ac ſuæ vitæ incurioſi; vt erga ducem & Principem aperte inſidias, & necem moriantur. Etſi nulla illis ſupereſt ſe ipſos tuendi ſpes, & aufugien-

aufugiendi. Idem, quod hic Barbarus aduerſus Corbulonem, tentauit quidam e Cimerijs montibus erga Solimanum Turcarum Imperatorem. Vide Paul. Iou. in Hiſt.

Conuictiq. & puniti ſunt, qui ſpecie amicitiæ dolum parabant.

SAEPE ſpecie amicitiæ dolus paratur. Vnde recte dictum eſt: Nullam eſſe peſtem maiorem, quàm domeſticum inimicum. Et huc tendit præceptum illud Biantis: Numquam aliquem adeo nobis debere eſſe amicum, vt non aliquando putemus poſſe illum nobis inimicum euenire: & econtra, neminem adeo odio nobis proſequendum, vt non aliquando eum amare poſſe credamus.

Nec multo poſt legati Tigranocerta miſſi, patere mœnia afferunt, intentos popularis ad iuſſa. Simul hoſpitale donum, coronam auream tradebant. Accepitq. cum honore, nec quidquam vrbi detractum, quo promptius obſequium integri retinerent.

QVI ſe dedunt, ſi integri relinquuntur, promptius obſequium retinent.

Ac præſidium regium, quod ferox iuuentus clauſerat, non ſine certamine expugnatum eſt. nam & prælium pro muris auſi erant, & pulſi intra munimenta aggeris, demum irrumpentium armis ceſſere, quæ facilius proueniebant, quia Parthi Hyrcano bello deſtinebantur. Miſerantq. Hircani ad principem Romanum ſocietatem oratum, attineri a ſe Vologeſen pro pignore amicitiæ oſtentantes. eos regredientes Corbulo, ne Euphratem trangreſſi hoſtium cuſtodijs circumuenirentur, dato præſidio ad litora maris rubri deduxit. Vnde vitatis Parthorum finibus, patrias in ſedes remeauere. Quin & Tiridatem per Medos extrema Armeniæ intrantem, præmiſſo cum auxilijs Verulano legato, atque ipſe, legionibus citis, abire procul ac ſpem belli amittere ſubegit: quosq. nobis ob regem auerſos animi cognouerat, cædibus & incendijs populatus, poſſeſſionẽ Armeniæ vſurpabat.

INIMICORVM amici, inimicorum loco nobis babendi ſunt. Et qui inimicorum inimici noſtra cauſſa efficiuntur; tuendi, & beneficio proſequendi ſunt.

cum aduenit Tigranes, a Nerone ad capeſſendum imperium dilectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos ſed quod diu obſes apud vrbem fuerat, vſque ad ſeruilem patientiam demiſſus.

QVANTVM referat in hominibus educatio, alibi obſeruauimus: ideo hic ſubiungimus, nil mirum eſſe, Regem vt ſeruum educatum euadere demiſſum vſque ad ſeruilem patientiam.

Nec conſenſu acceptus, durante apud quoſdam fauore Arſacidarum. At plerique ſuperbiam Parthorum peroſi, datum a Romanis regem malebant. Additum etiam præſidium, mille legionarij, tres ſociorum cohortes, duæq. equitum alæ. & quo facilius nouum regnum tueretur, pars Armeniæ vt cuique finitima, pars ⋆ Nipoliq. & Ariſtobolo atque Antiocho parere iuſſæ ſunt. Corbulo in Syriam abſceſſit, morte Vinidij legati vacuam, ac ſibi permiſſam. Eodem anno ex inluſtribus Aſiæ vrbibus, Laodicea tremore terræ prolapſa, nullo a nobis remedio, proprijs opibus reualuit.

MAGNAM vim ſibi ineſſe oſtendit ille, ſiue Princeps, ſiue Ciuitas aut Reſpublicá, qua ingenti aliquo caſu afflicta, nullo externo remedio, proprijs opibus reualet, & reſurgit. Et in textu locus eſt corruptus. Adi Lipſium.

At in Italia vetus opidum Puteoli, ius Coloniæ, & cognomentum a Nerone adipiſcuntur. Veterani Tarentum & Antium aſcripti, non tamen infrequentiæ locorum ſubuenere, dilapſis pluribus in prouincias, in quibus ſtipendia expleuerant. Neque coniugijs ſuſcipiendis, neque alendis liberis ſueti, orbas ſine poſteris domos relinquebant. Non enim, vt olim, vniuerſæ legiones deducebantur cum tribunis & centurionibus, & ſui cuiuſque ordinibus militibus, vt conſenſu & charitate Remp. efficerent; ſed ignoti inter ſe diuerſis manipulis, ſine rectore, ſine affectibus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium repente in vnum collecti, numerus magis quàm colonia.

RES magni momenti, quæ geruntur, habita ad tempora vetuſta earum relatione, niſi in omnibus circumſtantijs illo modo gerantur, quo priora illa geſta ſunt; numquam eundem finem ſortientur.

tieutur. Hinc in caſu Coloniarum, quando antiquitus priſci illi Romani eas ducebant, mittendo aliquam in vrbem vniuerſas legiones cum tribunis & centurionibus, & ſui euiuſque ordinis militibus, bonum opus producebant: efficiendo vnam rempublicam conſenſu & charitate. Sed poſtea illorum vice, deducendo Princeps homines ignotos inter ſe, diuerſis manipulis, ſine rectore, ſine affectibus mutuis, & quaſi ex alio genere mortalium in vnum repente collectos; efficiebat magis numerum, quàm coloniam. Vnde ſequebatur quòd omnes dilabebantur ex illis locis ipſis aſsignatis: & neque coniugijs ſuſcipiendis, neque liberis alendis ſueti, orbas ſine poſteris domos relinquebant.

Comitia prætorum arbitrio ſenatus haberi ſolita, quòd acriore ambitu exarſerant, princeps compoſuit, tris qui ſupra numerum petebant, legioni præficiendo.

CVM aliqui in petendis honoribus acriore ambitu exardeſcunt, eos Princeps componere debet.

Auxitq. patrum honorem ſtatuendo, vt qui a priuatis iudicibus ad ſenatum prouocauiſſent, eiuſdem pecuniæ periculum facerent, cuius ij, qui imperatorem appellauere. nam ante vacuum id, ſolutumq. pœna fuerat. Fine anni Vibrius ſecundus eques Romanus, accuſantibus Mauris, repetundarum damnatur, atque Italia exigitur: ne grauiore pœna afficeretur, Vibij Criſpi fratris fauore enixus.

ETIAM ſupra in Sillano obſeruauimus, multum fratribus prodeſſe fratrum potentiam & fauorem apud Principem.

Ceſonio Pæto, Petronio Turpiliano Coſs. grauis clades in Britannia accepta. In qua neque Auitus legatus, vt memoraui, niſi parta retinuerat; & ſucceſſor Verannius, modicis excurſibus Siluras populatus, quin vltra bellum proferrer, morte prohibitus eſt: magna dum vixit ſeueritatis fama, ſupremis teſtamenti ambitionis manifeſtus. quippe multa in Neronem adulatione addidit, ſubiectorum ei prouinciam fuiſſe, ſi biennio proximo vixiſſet. Sed tum Paulinus Suetonius obtinebat Britannos, ſcientia militiæ & rumore populi qui neminem ſine æmulo ſinit, Corbulonis concertator: receptæq. Armeniæ decus æquare domitis perduellibus cupiens.

IN Ciuitate magna, populus numquam ſinit virum aliquem clarum ſine æmulo. Et quod hic eueniebat de Corbulone, & Paulino Suetonio, idem etiam contigit de Furio Camillo & Manlio Capitolino: vt videri poteſt apud Liuium lib. vi. Dec. i.

Igitur Monam inſulam incolis validam, & receptaculum perfugarum aggredi parat, nauesq. fabricatur plano alueo, aduerſus breue litus & incertum. Sic pedites; equites vado ſecuti aut altiores inter vndas, adnantes equis trāſmiſere. Stabat pro litore diuerſa acies, denſa armis viriſq. intercurſantibus feminis, in modum Furiarum. veſte ferali, crinibus deiectis, faces præferebant. Druideq. circum, preces diras, ſublatis ad cælū manibus, fundentes, nouitate aſpectus perculere militem; vt quaſi hærētibus membris, immobile corpus vulneribus præberent. Dein cohortationibus ducis, & ſeipſi ſtimulantes, ne muliebre & fanaticū agmen pauefcerent; inferunt ſigna, ſternuntq. obuios, & igni ſuo inuoluunt. Præſidium poſthac impoſitum victis, exciſiq. luci, ſæuis ſuperſtitionibus ſacri. Nam cruore captiuo adolere aras, & hominum fibris conſulere deos fas habebant. Hæc agenti Suetonio, repentina defectio prouinciæ nunciatur. Rex Tigenorum Praſutagus, longa opulentia clarus, Cæſarem heredem duasq. filias ſcripſerat, tali obſequio ratus regnum & domum ſuam procul iniuria fore. quod contra vertit.

NONNVMQVAM, quæ eſt humani iudicij imbecillitas, illa, quæ à nobis ad arcendam iniuriam, & calamitatem aguntur, contra vertunt, & in calamitatem & miſeriam nos conijciunt.

adeo vt regnum, per centuriones; domus per ſeruos, velut capta vaſtarentur. Iam primum vxor Boodicia verberibus affecta, & filiæ ſtupro violatæ ſunt. Præcipui quique Icenorum, quaſi cunctam regionem muneri accepiſſent, auitis bonis exuuntur, & propinqui regis inter mancipia habebantur. Qua contumelia & metu grauiorum, quando in formam prouinciæ ceſſerant, rapiunt arma, commotis ad rebellionem Trinobantibus, & qui alij nondum ſeruitio aſſuefacti, reſumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio.

INIVRIAE, contumelia, & metus grauiorum, commouent ad rebellionem populos: præſertim feroces & nondum ſeruitio aſſuefactos.

Quippe

Quippe in coloniam Camalodunum recens deducti, pellebant domibus, exturbabant agris, captiuos, ſeruos appellando: fouentibus impotentiam veteranorum militibus, ſimilitudine vitæ, & ſpe eiuſdem licentiæ.

VITAE ſimilitudo, & eiuſdem licentiæ ſpes nobis adiungere fautores & ſectatores ſolet. Vt eſt in Adagio: Pares cum paribus facillime congregantur.

Adhæc templum diuo Claudio conſtitutum, quaſi ara æternæ dominationis aſpiciebatur: delectiq. ſacerdotes ſpecie religionis, omnes fortunas effundebant. Nec arduum videbatur exſcindere coloniam nullis munimentis ſeptam: quod ducibus noſtris parum prouiſum erat,

PARVM prouidus eſt dux ille, qui in regione hoſtium nuper deuictorum, coloniam nullis munimentis ſeptam condit: conſulendo prius amœnitati, quàm vſui.

dum amœnitati prius quàm vſui conſulitur.

PRIVS eſt vſui conſulendum, quàm amœnitati.

Inter quæ nulla palam cauſſa delapſum Camaloduni ſimulacrum victoriæ, ac retro conuerſum, quaſi cederent hoſtibus. Et feminæ in furore turbatæ, adeſſe exitium canebant. Externosq. fremitus in curia eorum auditos, conſonuiſſe vlulatibus theatrum, viſamq. ſpeciem in æſtuario, notam eſſe ſubuertendæ coloniæ. Iam Oceanum cruento aſpectu: dilabente æſtu, humanorum corporum effigies relictas, vt Britanni ad ſpem, ita veterani ad metum trahebant.

FORTVITA accidentia multos & magnos ſolent producere in imperitorum animis effectus: vt ſupra in Pannonicarum legionum defectione obſeruauimus. lib. i. An. initio.

Sed quia procul Suetonius aberat, petiuere a Cato Deciano procuratore auxilium. Ille haud amplius quàm ducentos ſine iuſtis armis miſit: & inerat modica militum manus, tutela templi freti. Et impedientibus, qui occultæ rebellionis conſcij conſilia turbabant, neque foſſam aut vallum præduxerunt, neque motis ſenibus & feminis, iuuentus ſola reſtitit: quaſi media pace incauti, multitudine barbarorum circumueniuntur.

NVMQVAM, etſi in media pace, ſtet adeo incautus miles, vt facile circumueniri poſſit: præſertim cum in regione recenter domita armis moratur.

Et cetera quidem Impetu direpta, aut incenſa ſunt. Templum, in quo ſe miles conglobauerat, biduo obſeſſum, expugnatumq. Et victor Britannus Pæto Ceriali legato legionis nonæ in ſubſidium aduentanti obuius, fudit legionem, & quod peditum interfecit. Cerialis cum equitibus euaſit in caſtra, & munimentis defenſus eſt. Qua clade & odijs prouinciæ, quam auaritia in bellum egerat, trepidus procurator Catus in Galliam tranſijt. At Suetonius mira conſtantia medios inter hoſtes Londinium perrexit, cognomento quidem coloniæ non inſigne, ſed copia negotiatorum & commeatu maxime celebre. ibi ambiguus an illam ſedem bello diligeret, circumſpecta infrequentia militis, ſatisq. magnis documentis temeritatem Petilij coercitam, vnius opidi damno ſeruare vniuerſa ſtatuit.

DAMNO vnius opidi ſunt ſeruanda vniuerſa, quando aliter dux non poteſt.

Nec fletu & lacrymis auxilium eius orantium flexus eſt, quin daret profectionis ſignum, & comitantes in partem agminis acciperet. Si quos imbellis ſexus, aut feſſa ætas, vel loci dulcedo attinuerat, ab hoſte oppreſſi ſunt. Eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari, omiſſis caſtellis præſidijsq. militarium, quod vberrimũ ſpoliant, & deferentes in tutum, læti præda, & aliorum inſignes petebant. Ad ſeptuaginta millia ciuium & ſociorũ, ijs quæ memoraui locis, occidiſſe conſtituit. Neque enim capere aut venundare, aliudve, quod belli commercium; ſed cædes patibulá, ignes, cruces, tamquam redditurs ſupplicium, ac prærepta interim vltione feſtinabant.

IDEM mores, eadem feritas eſt hodie etiam Britannorum: cædes, patibula, ignes, cruces, tamquam reddituri ſupplicium, ſub SIXTI V. Pontificatu, erga miſeros Chriſtianos exercent. Vt luculentiſſime tradit Nicolaus Sanderus in lib iij. de origine ſchiſmatis Anglicani.

Iam Suetonio quartadecima legio cum vexillarijs viceſimarijs,& e proximis auxiliares, decem ferme millia armatorum erant: cum omittere contationem, & congredi acie parat. diligitq. locum artis faucibus, & a tergo ſilua clauſum; ſatis cognito, nihil hoſtium niſi in fronte, & apertam planitiem eſſe ſine metu inſidiarum.

MAXIMA pars prouidentiæ ducis conſiſtit, in præſentiendo res hoſtium, & in capiendo loci ſitum, pro ſe æquum, & hoſtibus iniquum.

Igitur legionarius frequens ordinibus, leui circum armatura conglobatus, pro cornibus eques aſtitit. At Britannorum copiæ paſſim per cateruas & turmas exſultabant, quanta non alias multitudo, & animo adeo fero, vt coniuges quoque teſtes victoriæ ſecum traherent, plauſtriſq. imponerent, quæ ſuper extremum ambitum campi poſuerant. Boudicea curru filias præ ſe vehens, vt quamque nationem acceſſerat: Solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare teſtabatur;

BRITANNIS ſolitum vetuſtiſſimum eſt bellare feminarum ductu. unde nil mirum, ſi tanta patientia hodie vtantur, impiæ Iezabeli inſeruiendo.

ſed tunc non vt tantis maioribus ortam regnum & opes, verum vt vnam e vulgo, libertatem amiſſam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam vlciſci. eo prouectas Romanorum cupidines, vt non corpora, nec ſenectam quidem, aut virginitatem impollutam relinquant. Adeſſe tamen deos iuſtæ vindictæ.

SEMPER adſunt Dei iuſta vindicta. Hinc illud ex ore Dei dictum: Mihi vindictam, & ego retribuam.

cecidiſſe legionem, quæ prælium auſa ſit: ceteros caſtris occultari, aut fugam circumſpicere. Ne ſtrepitum quidem & clamorem tot millium, nedum impetus & manus perlaturos. Si copias armatorum, ſi cauſſas belli ſecum expenderent; vincendum illa acie, vel cadendum eſſe. Id mulieri deſtinatum: viuerent viri, & ſeruirent. Ne Suetonius quidem in tanto diſcrimine ſilebat. qui quamquam confideret virtuti, tamen exhortationes & preces miſcebat.

IN diſcrimine belli dux, etſi virtuti confidit, non tamen debet ſilere, ſed exhortationes & preces erga milites ſuos miſcere.

Vt ſpernerent ſonoras Barbarorum, & inanes minas. plus illic feminarum, quàm iuuentutis aſpici.

SPERNENDVS eſt inimicus, in quo nihil ineſt, præter ſonoras, & inanes minas. Et in quo plus feminarum, quàm iuuentutis aſpicitur.

imbelles, inermes ceſſuros ſtatim, vbi ferrum virtutemq. vincentium, toties fuſi agnouiſſent. etiam in multis legionibus, paucos eſſe, qui prælia profligarent.

ETSI a magno & numeroſo exercitu victoria acquiritur; tamen ſemper pauci milites ſunt, qui prælia profligant.

gloriæq. eorũ acceſſurum, quòd modica manu, vniuerſi exercitus famã adipiſcerentur.

INGENS eſt gloria militum, modica manu vniuerſi exercitus famam adipiſci. Vt in Heluetiorum manu illa apud Nouariam aduerſus Gallos ſub Tramulio & Triuultio militantes, præteritis temporibus conſpexerunt patres noſtri. Guicciard. & Iouius.

Conferti tantum, & pilis emiſſis, poſt vmbonibus & gladijs ſtragem cædemq. continuarent, prædæ immemores. parta victoria, cuncta ipſis ceſſura.

DVM præliatur, miles immemor debet eſſe prædæ, ſed ſtragem & cædem continuare. Nam parta victoria, cuncta illi cedunt.

Is ardor vrba ducis ſequebatur, ita ſe ad intorquenda pila expedierat vetus miles & multa præliorum experientia, vt certus euentus Suetonius, daret pugnæ ſignum.

CERTVS euentus pugnæ poteſt eſſe dux, cum verba eius ſequitur ardor militum. Sic ſupra lib. 9. de Germanico inquit Auctor: Orationem ducis ſequutus militum ardor: &c.

Ac pri-

Ac primum legio gradu immota, & anguſtias loci pro munimento retinens, poſtquā propius ſugreſſus hoſtis certo iactu tela exhauſerat, velut cuneis erupit. Idem auxiliarium impetus: & eques protentis haſtis, perfringit quod obuium & validum erat. Ceteri terga præbuere, difficili effugio, quia circumiecta vehicula ſepſerant abitus. Et miles ne mulierum quidem neci temperabat. confixaq. telis etiam iumenta, corporum cumulum auxerant. Clara & antiquis victorijs par ea die laus parta, quippe ſunt qui pauloninus quam octoginta millia Britannorum cecidiſſe tradant, militum quadrigentis ferme interfectis, nec multo amplius vulneratis.

OMNES quidem victoriæ ſunt claræ: ſed ex magis, quæ incruenta, aut paruo noſtrorum ſanguine nobis eueniunt.

Boudicea vitam veneno finiuit. Et Pœnius Poſthumus præfectus caſtrorum ſecundæ legionis, cognitis quartadecimanorum vicefimanorumq. proſperis rebus, quia pari gloria legionem ſuam fraudauerat, abnueratq. contra ritum militiæ iuſſa ducis, ſe ipſum gladio tranſegit.

INVIDORVM fermè ſemper infauſtus, & infelix eſt finis. Et dum viuit, ſeipſum macerat inuidus: nonnumquā vero eo adducitur ob res proſperas illius, cui inuidet; vt dolore, & animi angore diſrumpatur, & pereat. Plura de hac Aularum peſte dicere nolo: quia nec volumen integrum ſufficeret, & eius malignitas, & vilitas abunde omnibus eſt nota & perſpecta. Et forſan infra aliquid a nobis addetur opportuniori in loco.

Contractus deinde omnis exercitus ſub pellibus habitus eſt, ad reliqua belli perpetranda. Auxitq. copias Cæſar, miſſis e Germania duobus legionariorum millibus, octo auxiliariorum cohortibus, ac mille equitibus: quorum aduentu, nonani legionario milite ſuppleti ſunt. Cohortes alæq. nouis hibernaculis locatę, quodq. nationum ambiguum aut aduerſum fuerat, igni atque ferro vaſtatur.

IN Prouincia feroci & infida, nuper armis victa & perdomita, debet ſtatim prudens dux vaſtare igni atque ferro quod nationum, durante bello, aut ambiguum, aut aduerſum illi fuit: ne denuo illi obeſſe poſſit.

Sed nihil æque quàm fames affligebat ſerendis frugibus incurioſo hoſte, & omni ætate ad bellum verſa, dum noſtros commeatus ſibi deſtinant, genteſq. præferoces tardius ad pacem inclinant:

PROPRIVM eſt gentium præferocium, vt tardius ad pacem inclinent. Hinc eſt, quòd Belgæ nondum arma deponunt aduerſus PHILIPPVM Hiſpaniarum Regem, viginti iam ſunt anni, ſumpta. Etſi eos ingentibus cladibus, & maxima ſua cum gloria ALEX. FARNESIVS Dux Placent. & Parm. Imperator pro Rege inuictiſſimus, quotidie frangat, & conterat.

quia Iulius Claſſicianus ſucceſſor Cato miſſus, & Suetonio diſcors, bonum publicum priuatis ſimultatibus impediebat.

PLERVMQVE priuatis ſimultatibus impeditur publicum bonum. Vt ſupra etiam dixit idem Auctor e Ne amulatio inter pares, & ex eo impedimentum oriretur. Hoc malum eſſe, & magno & claro viro indignum, ſupra in 5. lib. fine annotauimus: exemplis etiam illuſtribus ſuper hac materia appoſitis.

diſperſeratq. nouum legatum opperiendum eſſe ſine hoſtili ira & ſuperbia victoris

HOSTIS eſt propria ira, & victoris ſuperbia.

clementer deditis conſultutum.

DEDITIS eſt ſemper elementer conſulendum.

Simul in vrbem mandabat, nullum præliorum finem expectarent, niſi ſuccederetur Suetonio: cuius aduerſa, prauitati ipſius; proſpera, ad fortunam Reip. referebat.

AEMVLI noſtri ſemper deferunt aduerſa prauitati noſtræ, & proſpera ad fortunam Reipublicæ, ſi quando magiſtratum gerimus.

Igitur

Igitur ad ſpectandum Britanniæ ſtatum miſſus eſt ex libertis Polycletus, magna Neronis ſpe, poſſe auctoritate eius, non modo inter legatum procuratoremq. concordiam gigni; ſed & rebelles Barbarorum animos pace componi.

MAGNA requiritur auctoritas in eo, qui poſſit concordiam inter magiſtratus diſcrepantes gignere, & rebelles animos hoſtium pace componere. Quid ſit, & qualis debeat eſſe hac auctoritas, eleganter Marcus Antonius Muretus agit in Oratione facta ad Cardinales tempore Sedis vacantis ob mortem GREG. XIII.

Nec defuit Polycletus, quo minus ingenti agmine Italiæ Galliæq. grauis, poſtquam Oceanum tranſmiſerat, militibus quoque noſtris terribilis incederet.

RAROS inuenias Principum miniſtros, qui in muneribus ſibi demandatis, illa obeant cum modeſtia terminis ſeruatis: immo potius omnia in ſui oſtentationem arroganter non augeant, & terribiles ſuis quoque euadant.

Sed hoſtibus inriſui fuit, apud quos, flagrante etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat, mirabanturq. quòd dux & exercitus tanti belli confector ſeruitijs obedirent.

VERE dignum & riſu, & admirationi eſſe debet apud gentes liberas, & quæ ſeruitium nondum cognouerunt, cernere ducem, & exercitum maximi belli confectorem, obedire liberto, & vili mancipio. Sed hoc inter præcipua tyrannidis mala non eſt ponendum: cum multo grauiora ſecum ferre ſoleat.

Cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata.

OMNES miniſtri Principum hanc ſententiam obſeruent: Quòd cuncta ſemper ad Principem in mollius referenda ſunt. Hoc neſcio, an Aulici hodierni exequantur.

Detentusq. rebus gerundis Suetonius, quòd poſt paucas naues in litore, remigiumq. in ijs amiſerat, tamquam, durante bello, tradere exercitum Petronio Turpiliano, qui iam conſulatu abierat, iubetur. Is non inritato hoſte, neque laceſſitus, honeſtum pacis nomen ſegni otio impoſuit.

SAEPE honeſtum nomen pacis imponitur ſegni otio a ducibus ſuapte natura non multum bellicoſis.

Eodem anno Romæ inſignia ſcelera, alterum ſenatoris, ſeruili alterum audacia, admiſſa ſunt. Domitius Balbus erat prætorius, ſimul longa ſenecta, ſimul orbitate & pecunia inſidijs obnoxius.

ADVERTENDA ſunt hac tria capita, ob quæ aliquis efficitur inſidijs obnoxius: longa ſenecta, orbitas, & pecunia.

Eius propinquus Valerius Fabianus capeſſendis honoribus deſtinatus, ſubdidit teſtamentum, aſcitis Vicio Rufino, & Terentio Lentino equitibus Romanis. Illi Antonium Primum & Aſinium Marcellum ſociauerant. Antonius audacia promptus, Marcellus Aſinio Pollione proauo clarus, neque morum ſpernendus habebatur, niſi quòd paupertatem præcipuum malorum crederet.

NIHIL boni ſperari poteſt de illo, qui paupertatem præcipuum malorum credit. Nam, vt hanc effugiat, nulla non admittet ſcelera.

Igitur Fabianus tabulas ijs, quos memoraui, & alijs minus inluſtribus, obſignat. Quod apud patres conuictum. Et Fabianus Antoniusq. cum Rufino & Terentio lege Cornelia damnantur. Marcellum memoria maiorum, & preces Cæſaris, pœnę magis, quàm infamiæ exemere.

REI conuicti alicuius criminis, etſi ob gratiam, aut preces a Principe liberantur in iudicio; tamen eximuntur magis pœna, quàm infamia.

Percu-

Perculit is dies Pompeianum quoque Ælianum iuuenem quæſtorium, tamquam flagitioſum Fabiani gnarum. Eiq. Italia & Hiſpania, in qua ortus erat, interdictum eſt. Pari ignominia Valerius Ponticus afficitur, quòd reos, ne apud præfectum vrbis arguerentur, ad prętorem detuliſſet; interim ſpecie legum, mox præuaricando vltionem eluſurus.

ARS eſt hæc nonnullorum ſceleſtorum, qui alienius grauis criminis ſunt rei: proprium & competentem iudicem declinare, & alium vocare: vt ſpecie legum, mox præuaricando, vltionem eludant.

Additur ſenatusconſultum: Qui talem operam emptitaſſet, vendidiſſetve, vt perinde pœna teneretur, ac ſi publico iudicio calumniæ condemnatus. Haud multo poſt præfectum vrbis Pedanium Secundum ſeruus ipſius interfecit: ſeu negata libertate, cui pretium pepigerat; ſiue amore exoleti infenſus, & dominum æmulum non tolerans.

CAECA eſt amoris cupiditas. Nam vbi ſemel radices fixit, nec ſerui tolerant æmulos dominos. Et inſociabilia ſunt hæc duo apud mortales: amor, & dominatio.

Ceterum cum vetere ex more familiam omnem, quæ ſub eodem tecto manſitauerat, ad ſupplicium agi oporteret, concurſu plebis, quæ tot innoxios protegebat, vſque ad ſeditionem ventum eſt: ſenatusq. in quo ipſo erant ſtudia nimiam ſeueritatem aſpernantium, pluribus nihil mutandum cenſentibus.

ASPERNANDA eſt nimia ſeueritas. Sed id loco & tempore fieri conuenit: & in hoc adhibere magnum iudicium oportet, & mentis acumen.

Ex quibus C. Caſſius ſententiæ loco in hunc modum diſſeruit:

OBSERVANDA eſt maxime hæc C. Caſſij oratio. Nam grauitatis, & veritatis animi multum pra ſe fert, & oſtendit.

Sępe numero P.C. in hoc ordine interfui, cum contra inſtituta & leges maiorum noua ſenatus decreta poſtularentur: neque ſum aduerſatus, non quia dubitarem ſuper omnibus negotijs melius atque rectius olim prouiſum, & quæ conuerterentur, in deterius mutari;

MELIVS eſt olim prouiſum ſuper omnibus negotijs, & rectius: & quæ conuertuntur, in deterius mutantur.

ſed ne nimio amore antiqui moris ſtudium meum extollere viderer. Simul quidquid hoc in nobis auctoritatis eſt, crebris contradictionibus deſtruendum non exiſtimabam, vt maneret integrum, ſi quando Reſpublica conſilijs eguiſſet.

DESTRVITVR auctoritas noſtra in conſilijs, ob crebras contradictiones. Ideo reſeruanda eſt integra, ſi quando Reſpublica aut Princeps conſilijs noſtris indiget.

quod hodie euenit, conſulari viro domi ſuæ interfecto, per inſidias ſeruiles; quas nemo prohibuit, aut prodidit, quamuis nondum concuſſo ſenatusconſulto, quod ſupplicium toti familiæ minitabatur. Decernite hercule impunitatem. At quem dignitas ſua defendet, cum præfectura vrbis non profuerit? Quem numerus ſeruorum tuebitur, cum Pedanium Secundũ quadringenti non protexerint? Cui familia opem feret, quæ ne in metu quidem pericula noſtra aduertit? An vt quidam fingere non erubeſcunt, iniurias ſuas vltus eſt interfector? quia de paterna pecunia tranſegerat, aut auitum mancipium detrahebatur? pronuntiemus vltro, dominum iure cæſum videri. Libet argumenta conquirere in eo, quod ſapientioribus deliberatum eſt. Sed & ſi nunc primum ſtatuendum haberemus, creditis ne ſeruum interficiendi domini animum ſumpſiſſe, vt non vox minax excideret? nihil per temeritatem proloqueretur? Sane conſilium occuluit, telum inter ignaros parauit. num excubias tranſiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret, omnibus neſcijs? Multa ſceleris indicia præueniunt ſerui.

SERVI præueniunt multa ſceleris indicia.

Si pro-

Si prodant, poſſumus ſinguli inter plures, tuti inter anxios: poſtremo ſi pereundum ſit, non inulti inter nocentes agere. Suſpecta maioribus noſtris fuere ingenia ſeruorum, etiam cum in agris aut domibus iiſdem naſcerentur, charitatemq. dominorum ſtatim caciperent.

SERVORVM ingenia omnibus prudentibus debent eſſe ſuſpecta.

Poſtquam vero nationes in familijs habemus, quibus diuerſi ritus, externa ſacra aut nulla ſunt, colluuiem iſtam non niſi metu coercueris.

IN magna familia ſeruorum, vbi ſunt variæ nationes, colluuies talis non niſi metu coercetur.

At quidam inſontes peribunt. Nam & ex fuſo exercitu, cum decimus quiſq. fuſte feritur, etiam ſtrenui ſortiuntur. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos, vtilitate publica rependitur.

EX iniquo aliquid habet omne magnum exemplum, quod contra ſingulos vtilitate publica rependitur. Vt vidimus in perſonis quattuor illorum Sicariorum, qui in primis diebus Pontificatus SIXTI V. ſuſpenſi fuerunt ob ſcloppettorum breuiorum, ſic vocant, geſtationem.

Sententiæ Caſſij, vt nemo vnus contraire auſus eſt, ita diſſonæ voces reſpondebant numerum, aut ætatem, aut ſexum, ac plurimorum indubiam innocentiam miſerantiũ. Præualuit tamen pars quæ ſupplicium decernebat. Sed obtemperari non poterat, conglobata multitudine ſaxa ac faces minitante. Tum Cęſar populum edicto increpuit: atque omne iter, quo damnati ad pœnam ducebantur, militaribus præſidijs ſepſit. Cenſuerat Cingonius Varro vt liberti quoque, qui ſub eodem tecto fuiſſent, Italia deportarentur. Id a principe prohibitum eſt, ne mos antiquus, quem miſericordia non minuerat, per ſæuitiam incenderetur.

MOS antiquus, quem miſericordia non minuit, per ſæuitiam non debet incendi.

Damnatus iiſdem conſulibus Tarquitius Priſcus repetundarum, Bithynis interrogantibus, magno patrum gaudio, qui accuſatum ab eo Statilium Taurum proconſulem ipſius meminerant. Cenſus per Gallias a Q. Voluſio & Sex. Africano, Trebellioq. Maximo acti ſunt, æmulis inter ſe per nobilitatem Voluſio atque Africano: Trebellium dum vterque dedignatur, ſupra tulere.

SAEPE cum duo nobiles inter ſe æmulatione contendunt; aliquem minorem, quem dedignabantur, extollunt. Vt antiquitus Craſſo, & Pompeio erga Cæſarem euenit. Et hic Voluſio & Africano erga Trebellium. Plut. in Cæſare.

Eo anno mortem obijt Memmius Regulus, auctoritate, conſtantia, fama, in quantum prçumbrante imperatoris faſtigio datur, clarus,

MVLTVM præumbrat Principis faſtigium ad hoc, vt non valde clareſcat in ciuitate ſua vir inſignis auctoritate, conſtantia, & fama.

adeo vt Nero æger valetudine, & adulantibus circum, qui finem imperio adeſſe dicebant, ſi quid fato pateretur, reſponderit habere ſubſidium Rempublicam. Rogantibus dehinc in quo potiſſimum, addiderit, in Memmio Regulo. Vixit tamen poſt hæc Regulus, quiete defenſus,

DEFENDENTVR ſub Tyranno clari viri, ob quietem vitæ.

& quia noua generis claritudine, neque inuidioſis opibus erat.

CVM noua eſt generis claritudo, & opes non inuidioſæ; minus a Tyranno timendum eſt. Illam enim minus formidat: has non adeo concupiſcit.

Gymnaſium eo anno dedicatum à Nerone, præbitumq. oleum equiti ac ſenatui Græca facilitate.

PRAECIPVA laus eſt in Principe, curam adhibere vt Gymnaſia erigantur in vrbibus ſuis, decorentur, & priuilegijs ornentur.

P.Mario

P. Mario, L. Aſinio Coss. Antiſtius prætor, quem in tribunatu plebis licenter egiſſe memoraui, probroſa aduerſus principem carmina factitauit: vulgauitq. celebri conuiuio, dum apud Oſtorium Scapulam epulatur. Exin a Coſſuriano Capitone, qui nuper ſenatorium ordinem precibus Tigellini ſoceri ſui receperat, maieſtatis delatus eſt. Tum primum reuocata ea lex credebatur, quæ haud perinde exitium Antiſtio, quàm imperatori gloriam quæſiuit, vt condemnatus a ſenatu, interceſſione tribunicia morti eximeretur. Et cum Oſtorius nihil audiuiſſe pro teſtimonio dixiſſet, aduerſis teſtibus creditum. Cenſuitq. Iunius Marulus conſul deſignatus, adimendam reo præturam, necandumq. more maiorum. Ceteris inde aſſentientibus, Pætus Thraſea multo cum honore Cæſaris, & acerrime increpito Antiſtio, non quidquid nocens reus pati mereretur, id egregio ſub principe, & nulla neceſſitate obſtricto ſenatu, ſtatuendum diſſeruit. carnificem & laqueum pridem abolita: & eſſe pœnas legibus conſtitutas, quibus ſine iudicum ſæuitia & temporum infamia, ſupplicia decernerentur.

NON ſemper, quidquid nocens reus pati meretur, id egregio ſub Principe, & nulla neceſſitate obſtricto, ſtatuendum eſt. Carnifex, & laqueus aliquando aboleri debent. Et ſunt pœnæ legibus conſtitutæ, quibus ſine iudicum ſæuitia & temporum infamia, ſupplicia decerni poſſunt.

Quin inſula publicatis bonis, quo longius ſontem vitam traxiſſet, & priuatim miſerior, & publice clementiæ maximum exemplum futurum.

NOCENS, quo longius vitam ſontem trahit, eo priuatim miſerior eſt, & publicæ clementiæ maximum exemplum.

Libertas Thraſeæ ſeruitium aliorum rupit. Et poſtquam diſceſſionem conſul permiſerat, pedibus in ſententiam eius iere, paucis exemptis: in quibus adulatione promptiſſimus fuit A. Vitellius, optimum quemque iurgio laceſſens, & reſpondenti reticens, vt pauida ingenia ſolent.

HAEC eſt natura pauidorum ingeniorum: vt optimum quemque iurgio laceſſant, & reſpondenti reticeant.

At conſules perficere ſenatus decretum non auſi, de conſenſu ſcripſere Cæſari. Ille inter pudorem & iram contatus, poſtremo reſcripſit, nulla iniuria prouocatum Antiſtium grauiſſimas in principem contumelias dixiſſe. earum vltionem a patribus poſtulatam. Et pro magnitudine delicti pœnam ſtatui par fuiſſe. ceterum ſe, qui ſeueritatem decernentium impediturus fuerit, moderationem non prohibere. ſtatuerent vt vellent, data etiam abſoluendi licentia.

STATVERE pœnam pro magnitudine delicti, par eſt quidem: tamen aliquando expedit moderationem adhibere, & ſeueritatem temperare.

His atque talibus recitatis, & offenſione manifeſta,

CVM offenſio in Principe eſt manifeſta, mutari debet cauſſa, quæ illam produxit.

non ideo aut conſules mutauere relationem, aut Thraſea deceſſit ſententia, ceterive, quæ probauerant deſeruere: pars ne principem obieciſſe inuidiæ viderentur, plures numero tuti Thraſea ſueta firmitudine animi & ne gloria intercideret.

VIR conſtans & fortis, debet ſemper, & in omni tempore retinere ſuetam firmitudinem animi, ne gloria intereidat.

Haud diſpari crimine Fabricius Veiento conflictatus eſt, qui multa & probroſa in patres & ſacerdotes compoſuiſſet ijs libris, quibus nomen codicillorum dederat. Adijciebat Talius Geminus accuſator, venditata ab eo munera principis & adipiſcendorum honorum ius.

FLAGITIOSVM eſt, & punitione acri dignum: venditare munera Principis, & adipiſcendorum honorum ius. Sciuit hoc Alexander Seuerus optimus Imperator: qui Thurinum familiarem ſuum intimum fumo enecari iuſſit, eo quòd fumum venderet.

quæ

quæ cauſſa Neroni fuit ſuſcipiendi iudicij. Conuictumq. Veientonem Italia depulit, & libros exuri iuſſit, conquiſitos lectitatosq. donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi obliuionem attulit.

HOC de libris euenit, vt donec cum periculo parantur, magna cura conquirantur & lectitentur: mox licentia habendi obliuionem afferat.

Sed grauaſcentibus in dies publicis malis, ſubſidia minuebantur.

MALE ſe habent res in ciuitate, cum ingraueſcentibus in dies malis, ſubſidia minuuntur.

Conceſſitq. vita Burrhus. incertum valetudine an veneno. Valetudo ex eo coniectabatur, quòd in ſe tumeſcentibus paularim faucibus & impedito meatu, ſpiritum finiebat. Plures iuſſu Neronis, quaſi remedium adhiberetur, illitum palatum noxio medicamine, aſſeuerabant: & Burrhum intellecto ſcelere, cum ad viſendum princeps veniſſet aſpectum eius auerſarum, ſciſcitantiq. hactenus reſpondiſſe: Ego me bene habeo. Ciuitati grande deſiderium eius manſit per memoriam virtutis,

GRANDE deſiderium relinquit ſui memoria virtutis in aliquo perſpecta. Huc quadrat Horatianum illud.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

& ſucceſſorum alterius ſegnem innocentiam,

INNOCENTIA vita, cum ſegnitia mixta, parum eſt laudabilis & parum prodeſt. Sed ea, qua cum animi vigore in aliquo elucet, eſt vera & laudabilis innocentia: & vniuerſo hominum generi vtilitatem afferre ſolet.

alterius flagrantiſſima flagitia & adulteria. quippe Cæſar duos prætorijs cohortibus impoſuerat: Fenium Rufum ex vulgi fauore, quia rem frumentariam ſine quæſtu tractabat: Soſonium Tigellinum, veterem impudicitiam atque infamiam in eo ſecutus: atque illi procognitis moribus fuere. Validior Tigellinus in animo principis, ex intimis libidinibus aſſumptus.

SEMPER ſunt in animo Principis validiores Aulici, qui ex intimis libidinibus aſſumuntur. Non ſunt tamen firma potentia, cum virtute non nituntur: qua eſt vera vis potentia.

Proſpera populi & militum fama Rufus, quod apud Neronem aduerſum experiebatur.

APVD Tyrannum eſt claro viro aduerſa, proſpera populi & militum fama. Eum namque formidabilem Tyranno reddit, qui ob hoc, quæſito aliquo colore, illum de medio tollet.

Mors Burrhi infregit Senecæ potentiam, quia nec bonis artibus idem virium erat, altero velut duce amoto, & Nero ad dereriores inclinabat.

IN Aula magna, & factionum, vt fere omnes ſunt, plena potentis Aulici amici mors infringit ſocij potentiam: præſertim ſi bonis artibus ambo valent, & Princeps ad deteriores inclinat.

Hi varijs criminationibus Senecam adoriuntur, tamquam ingentes & priuatum modum euectas opes adhuc augeret, quodq. ſtudia ciuium in ſe verteret, hortorum quoque amœnitate & villarum magnificentia quaſi principem ſupergrederetur. Obijciebant etiam eloquentiæ laudem vni ſibi aſciſcere, & carmina crebrius factitare, poſtquã Neroni amor eorum veniſſet. Nam oblectamentis principis palam iniquum, detractare vim eius equos regentis: illudere voces quoties caneret. Quem ad finem nihil in Rep. clarum fore, quod non ab illo reperiri crederatur.

SVPERBI & arrogantis eſt nihil in Republica clarum tenere, niſi quod tu reperias.

Certe finitam Neronis pueritiam & robur iuuentæ adeſſe. exueret magiſtrum, ſatis amplis doctoribus inſtructus, maioribus ſuis. At Seneca criminantium non ignarus,

AVLICVS prudens ſtudeat amicos habere, qui illi patefacere poſſint crimina, quibus impetitur apud Principem ab æmulis ſuis. Hoc enim modo ſe facile & in tempore purgare poterit, diluendo obiecta.

proden-

prodentibus ijs, quibus aliqua honeſti cura,

ETSI omnes Aulæ plerumque vitioſis & prauis hominibus ſcatent, tamen numquam vlla earum adeo ſceleſtorum plena inuenitur; quin nonnullos habeat, quibus aliqua inſit honeſti cura.

& familiaritatem eius magis aſpernante Cæſare,

CVM Princeps alicuius Aulici, qui antea intima familiaritate cum ipſo pollebat, poſtea conſuetudinem aſpernatur: ſignum eſt penitus illum Aulicum e gratia excidiſſe. Proinde recte aget ſi quantocius poterit, rebus ſuis conſulet.

tempus ſermoni erat: & accepto, ita incipit: Quartusdecimus annus eſt Cæſar, ex quo ſpei tuæ admotus ſum, octauus vt imperium obtines. Medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulaſti, vt nihil felicitati meæ deſit, niſi moderatio eius.

VERE de omnibus hominibus dici poteſt, quod hic de ſe inquit Seneca: Nihil ſcilicet, felicitati alicuius deeſſe, niſi eius moderationem.

Vtar magnis exemplis, nec meæ fortunæ, ſed tuæ. Abauus tuus Auguſtus, M. Agrippę Mitylenenſe ſecretum, C. Mæcenati vrbe in ipſa, velut peregrinum otium permiſit: quorum alter bellorum ſocius, alter Romæ pluribus laboribus iactatus, ampla quidem, ſed pro ingentibus meritis præmia acceperant.

IVSTVM eſt a Principe accipere ampla præmia pro ingentibus meritis.

Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui, quàm ſtudia, vt ſic dixerim, in vmbra educata? e quibus claritudo venit, quòd iuuentæ tuæ rudimentis affuiſſe videor, grande huius rei pretium. at tu gratiam immenſam, innumeram pecuniam dediſti, adeo vt plerumque intra me ipſum voluam: Egone equeſtri, & prouinciali loco ortus, proceribus ciuitatis annumeror? Inter nobiles & longa decora præferentes, nouitas mea enituit.

HOC efficit & virtus, & temporum conuerſio Romæ: vt ignobili, & prouinciali loco orti, inter proceres ciuitatis annumerentur; & inter nobiles & longa decora præferentes, nouitas eorum eniteat:

Vbi eſt animus ille modicis contentus? Tales hortos inſtruit & per hæc ſuburbana incedit, & tantis agrorum ſpatijs, tam lato fenore exuberat.

HVMANVS animus debet eſſe modicis contentus. De hoc pulcherrime Horatius in pulcherrima illa Ode, quæ incipit:

Rectius ages Licini, neque altum
Semper vrgendo: *& quæ ſequuntur:*

Vna defenſio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui.

MVNERIBVS Principis obniti Aulicus non debet, nec minus ea importunitate extorquere.

Sed vterque menſuram impleuimus, & tu quantum princeps tribuere amico poſſet, & ego quantum amicus a principe acciperė.

INTER Principem & amicum impletur menſura, cum ille tribuit quantum Princeps poteſt amico: & hic accipit, quantum amicus poteſt a Principe. Hodie neſcio an iſta menſura alicubi impleatur.

Cetera inuidiam augent. quæ quidem, vt omnia mortalia, infra tuam magnitudinem iacet. Sed mihi incumbit, mihi ſubueniendum eſt.

IACET infra magnitudinem Principis inuidia. Cum enim, teſte Philoſopho, accendatur illa inter ſimiles & pares: priuati vero condicio multum ſit inferior ac diſsimilis Principis condicioni, ſequitur vt priuatus numquam inuidere Principi poſsit.

quo modo in militia aut via feſſus adminiculum orarem: ita in hoc itinere vitæ, ſenex, & leuiſſimis quoque curis impar, cum opes meas vltra ſuſtinere non poſſim, præſidium peto.

VERE eſt contemnendus ſenex, qui leuiſſimis quoque curis eſt impar. Sed Seneca, vt Philoſophus, de ſe modeſte loquitur.

Iube eas per procurarores tuos adminiſtrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertarem ipſe detrudam, ſed tradiris quorum fulgo re perſtringor,

INVIDIA extinguitur, tradendo omnia, quorum fulgore illa accenditur: quæ ſi ſponte non traduntur, inuidus numquam deſinet, vſque ad interitum illius, cui inuidet.

quod temporis hortorum aut villarum curæ ſeponitur, in animum reuocabo. Supereſt tibi robur, & tot per annos nixum faſtigij regimen: poſſumus ſeniores amici, quiete reſpondere.

IN conſilijs Principum poſſunt ſeniores amici, quiete reſpondere.

Hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad ſumma vexiſſe, qui & modica tolerarent.

IN gloriam Principi cedit, eos ad ſumma vehere, qui & modica tolerare poſſunt. Iudicium enim eius apparet in electione prudenti perſonarum.

Ad quæ Nero ſic ferme reſpondit: Quòd meditatæ orationi tuæ ſtatim occurram, id primum rui muneris habeo, qui me non tantum præuiſa, ſed ſubita expedire docuiſti.

PRINCIPEM docet non tantum præuiſa, ſed etiam ſubita expedire.

Abauus meus Auguſtus Agrippæ & Mœcenati vſurpare otium poſt labores conceſſit, ſed in ea ipſa ætate, cuius auctoritas tueretur, quidquid illud & qualecumque tribuiſſet:

VERISSIMVM eſt, quod auctoritas viri tuetur, quidquid illud & qualecumque tribuit. Vt perbelle dixit OCTAVIVS FARNESIVS Placen. Dux Romæ in celebri quodam Principum conuiuio de Ghiſio Duce. Nam cum actio quadam illius a multis improbaretur, etſi feliciter poſtea ceſſiſſet: ipſe Dux Placentiæ, ſententiam eius requirentibus, qui aſtabant, dixit: Se quidam multa videre, ob quæ factum illud Ghiſij reprehendi poſſet. Sed poſtquam a tali & tanto viro actum fuerit, non poſſe illud non magnopere laudare, & cum optimo conſilio factum non cenſere.

attamen neutrum datis a ſe præmijs exuit.

INDIGNVM eſt & animi ingrati exuere aliquem præmijs a ſe datis.

Bello & periculis meruerant. In his enim iuuenta Auguſti verſata eſt. Nec mihi tela & manus tuæ defuiſſent, in armis agenti. Sed quod præſens conditio poſcebat, ratione, conſilio, præceptis pueritiam, dein iuuentam meam fouiſti.

FOVETVR pueritia, dein iuuenta noſtra ratione, conſilio, & præceptis ſeniorum.

Et rua quidem erga me munera, dum vita ſuppetet, æterna erunt. Quæ a me habes; horti, & fenus, & villæ, caſibus obnoxia ſunt.

MVNERA ingenij alicuius, quæ ad alterius animum excolendum, & inſtruendum conferuntur, dum vita ſuppetit, æterna ſunt. Horti vero, fenus, villæ, & reliqua fortunæ dona caſibus obnoxia ſunt. Sic M. Tullius in Philoſophicis, de virtute loquens diſſerit.

ac licet multa videantur, plerique haud quaquam artibus tuis pares, plura tenuerunt. Puder referre libertinos, qui ditiores ſpectantur. Vnde etiam rubori mihi eſt, quòd præcipuus charitare, nondum omnes fortuna antecellis.

PRINCEPS eniti debet, vt præcipui charitate erga ipſum, omnes ceteros bonis fortunæ antecellant.

Verum

Verum & tibi valida ætas, rebusq. & fructui rerum ſufficiens, & nos prima imperij ſpatia ingredimur: niſi forte aut te Vitellio ter conſuli, aut me Claudio non præponis. Sed quantum Volucio longa parſimonia quæſiuit,

OPTIMVM medium ad cumulandas magnas opes eſt longa parcimonia. Hac præcipua ratione SIXTVS V. in paruo temporis ſpatio, ingenti pecunia ærarium repleuit.

tantum in te mea liberalitas explere non poteſt. Quin ſi qua in parte lubricum adoleſcentiæ noſtrę declinat, reuocas, inornatumq. robur ſubſidio impenſius regis.

SAPIENTES præceptores Principum iuuenum debent eos reuocare, ſi qua in parte lubricum adoleſcentiæ eorum declinat, inornatumq. robur ſubſidio impenſius regere.

Non tua moderatio, ſi reddideris pecuniam, nec quies, ſi reliqueris principem; ſed mea auaritia, meæ crudelitatis metus in ore omnium verſabitur. Quod ſi maxime continentia tua laudetur, non tamen ſapienti viro decorum fuerit, vnde amico infamiam parat, inde gloriam ſibi recipere.

SAPIENTI viro non eſt decorum, vnde amico infamiam parit, inde gloriam ſibi recipere.

His adijcit complexum & oſcula, factus natura & conſuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditijs.

AVLICI omnes Romæ, aut natura ſunt facti, aut conſuetudine exerciti, velare odium fallacibus blanditijs.

Seneca, qui finis omnium cum dominante, grates agit.

CVM dominante omnium Aulicorum hic eſt finis: grates agere. Hac in ſententiam differit Seneca in libro De Beata vita, loquens de Aulico quodam qui, in Aula conſenuerat: qui cum interrogaretur, qua ratione ad extremam ætatem in Aula viuendo perueniſſet, reſpondiſſe fertur: Iniurias accipiendo, & gratias agendo.

ſed inſtituta prioris potentiæ commutat: prohibet cœtus ſalutantium, vitat comitantes, rarus per vrbem, quaſi valetudine infenſa, aut ſapientiæ ſtudijs domi attineretur.

CVM ratio poſtulat & tempus, inſtitura prioris vitæ mutare expedit. Huc pertinet ſententia: Sapientis eſſe mutare conſilium.

Perculſo Seneca, promptum fuit Rufum Fenium imminuere, Agrippinæ amicitiam in eo criminantibus. Validiorq. in dies Tigellinus; & malas artes, quibus ſolis pollebat, gratiores ratus, ſi principem ſocietate ſcelerum obſtringeret, metus eius rimutur.

MALAE artes, quibus Alienius apud Principem pollet, gratiores efficiuntur, ſi ſocietate ſceleris Princeps obſtringitur.

Compertoq. Plautum & Sullam maxime timeri, Plautum in Aſiam, Sullam in Galliam Narbonenſem nuper amotos: nobilitatem eorum, & propinquos huic Orientis, illi Germaniæ exercitus commemorat. Non ſe, vt Burrhum, diuerſas ſpes, ſed ſolam incolumitatem Neronis ſpectare.

HAEC eſt cauſſa, cur ſæpe Romæ multi Aulici nullos progreſſus faciant: ſpectare ſcilicet diuerſas ſpes, & nulli firme adhæreſcere patrono.

cui caueri vtcumque ab vrbanis inſidijs præſentia; longinquos motus quonam modo comprimi poſſe? Erectas Gallias ad nomen dictatorium, nec minus ſuſpectos Aſiæ populos claritudine aui Druſi. Sullam inopem, vnde præcipuam audaciam.

EX inopia præcipua oritur audacia.

& ſimulatorem ſegnitiæ, dum temeritati locum reperiret.

MVLTI prudentes ſæpe ſegnitiam ſimulant, dum temeritati locum reperiant. Sic Brutus erga Tarquinium ſuperbum egit. Dionyſ, Liuius, & alij.

Plautum magnis opibus, ne fingere quidem cupidinem otij, ſed veterum Romanorum imiramenta præferre: aſſumpta etiam Stoicorum arrogantia, ſectaq. quæ turbidos, & negotiorum appetentes faciat.

C*AVENDVM eſt a Principe ab iſtis Pſeudophiloſophis. Sub hac enim ſimulatione virtutis, celantur ingenia turbida, arrogantia, & negotiorum appetentia. Tale eſt conſilium Mæcenatis ad Auguſtum, apud Dionem. lib. lij.*

Nec vltra mora. Sulla ſexto die peruectis Maſſiliam percuſſoribus, ante metum & rumorem interficitur, cum epulandi cauſſa diſcumberet.

I*N negotijs patrandis, ſic ſe debent gerere prudentes viri: ea ſcilicet ante metum & rumorem perficere. Hoc enim modo numquam impedientur. Et hoc eſt quod vulgo dici ſolet:* Inferre ictum antequam ſentiatur.

Relatum caput eius illuſit Nero tamquam præmatura canitie deforme.

T*YRANNO non ſufficit, in vitam clarorum virorum ſæuire, & eos interficere: niſi etiam poſtea illis mortuis iam & ſublatis illudat. Sic & Antonius Triumuir cum Ciceronis capite, & dextra abſciſſa egit. Vide Appianum, & Dionem.*

Plauto parari necem, non perinde occultum fuit, quia pluribus ſalus eius curabatur, & ſpatium itineris ac maris tempusq. interiectum mouerat famam: vulgoq. fingebant, petitum ab eo Corbulonem, tum magnis exercitibus præſidentem, ſed clari atque inſontes interficerentur, præcipuum ac pericula:

C*VM Tyrannus ſæuus admodum, ac terribilis exiſtit, adeo vt erga claros viros ſæuitia ſua ſigna in dies effundat: tunc certo ſciat quicumque clarus præ ceteris & innocens erit in ciuitate, ſe eſſe præcipuum ad pericula. Vnde omnibus modis conſulere debebit ſuæ ſaluti, aut abeundo, aut aliquo alio modo.*

quin & Aſiam fauore iuuenis arma cepiſſe, nec milites ad ſcelus miſſos aut numero validos, aut animo promptos,

Q*VI ad aliquod magnum facinus patrandum deliguntur, oportet vt ſint numero validi, atque animo prompti.*

poſtquam iuſſa efficere nequiuerint, ad ſpes nouas tranſiſſe vna.

H*OC plerumque euenit, vt qui ad aliquod ſcelus contra aliquem patrandum mittuntur, poſtquam iuſſa efficere nequiuerint, ad ſpes nouas tranſeant vna cum illo aduerſus eum, qui ipſos miſerat.*

Hæc in ore famæ, credentium otio agebantur.

N*ON ſemper ea, quæ a fama vulgantur vt facta, vera ſunt. Sed plerumque euenit, vt otioſi homines fingant ea, quæ vereſimiliter poſſe fieri apparet: & ea tamquam facta diuulgent. Exempla huius rei quotidie magna Roma cernuntur.*

Ceterum libertus Plauti celeritate ventorum præuenit centurionem, & mandata L. Antiſtij ſoceri attulit: effugeret ſegnem mortem, otium, ſuffugium, & magni nominis miſerationem reperturum bonos, conſociaturum audaces. nullum interim ſubſidium aſpernandum:

V*IR fortis ſemper, ſi poteſt, effugere debet ſegnem mortem, otium, ſuffugium, & ſui nominis miſerationem: & neceſſitate vrgente, reperire bonos, conſociare audaces: nullum ſubſidium denique aſpernari, quod ſalutem illi in periculo vitæ afferre poſſit.*

ſi ſexaginta milites, tot enim adueniebant, propuliſſet: dum refertur nuncius Neroni, dum manus alia permeat, multa ſecutura, quæ ad vſque bellum eualeſcerent.

QVI tempus nanciſcitur, vitam habet: *dicit adagium. Hinc vir fortis, qui prima pericula propulſat, poteſt de vita ſua bene ſperare. Multa enim ſequuntur, quæ illi vtilia eſſe poſſunt.*

denique

denique aut ſalutem tali conſilio quæri, aut nihil grauius audenti quàm ignauo patiendum eſſe.

CVM res eo reducta ſint pro viro forti, vt ei audenti nihil grauius, quàm ignauo patiendum ſit; præſtat fortiter occumbere, quam ſegniter perire.

Sed Plautum ea non mouere. ſiue nullam opem prouidebat inermis atque exul;

INERMIS & exul, quam opem prouidere poteſt?

ſeu tædio ambiguæ ſpei;

TAEDIVM generare ſolet ambiguas ſpes: & hac de re interrogari poſſunt Aulici Romani, qui hac ſola fere viuunt.

an amore coniugis & liberorum, quibus placabiliorem fore principem rebatur, nulla ſollicitudine turbatum.

PLACABILIOR ſolet eſſe Tyrannus erga perſonas damnatorum cum nulla ſolicitudine ob los eſt turbatus.

Sunt qui alios a ſocero nuncios veniſſe ferant, tamquam nihil atrox immineret, doctoresq. ſapientiæ Cæranum Græci, Muſonium Thuſci generis conſtantiam opperiendæ mortis, pro incerta & trepida vita ſuaſiſſe.

OPPERIENDAE mortis conſtantia anteponenda eſt incerta, & trepida vita.

Repertus eſt certe per medium diei nudus, exercitando corpori. Talem eum centurio trucidauit, coram Pelagone ſpadone, quem Nero centurioni & manipulo quaſi ſatellitibus miniſtrum regium præpoſuerat. Caput interfecti relatum. cuius aſpectu, ipſa principis verba referam: Quin, inquit, Nero depoſito metu nuptias Poppææ ob eiuſmodi terrores dilatas maturare parat, Octauiamq. coniugem amoliri, quamuis modeſte agar, & nomine patris, eſt ſtudijs populi grauem? Sed ad ſenatum litteras miſit, de cæde Sullæ Plautiq. haud confeſſus. verum vtriuſque turbidum ingenium eſſe, & ſibi incolumitatem Reip. magna cura haberi. Decretæ eo nomine ſuppicationes, vtq. Sulla & Plautus ſenatu mouerentur, grauioribus tamen ludibrijs quàm malis.

SVB Tyranno ſæuo & atroci, etſi mala ſunt grauiſſima: tamen concomitantiam habent tantorum ludibriorum; vt illa videri poſſint his leuiora.

Igitur accepto patrum conſulto, poſtquam cuncta ſcelerum pro egregijs accipi videt, exturbat Octauiam, ſterilem dictitans. Exin Poppææ coniungitur.

QVI hiſtorias accurate legit, clare cognoſcit, ſolum nomina mutari, ſed res, & actiones eaſdem olim fuiſſe cum illis, quæ hodie contingunt. Sicut qui legerit hunc exitum Octauia cum Nerone, & illum Catharinæ Auſtriæ cum Henrico viij. Angliæ Rege: comparando vtrumque perſpicua cognoſcere poterit. Nic. Sanderus. De ſchiſmate Anglicano.

Ea diu pellex, & adulteri Neronis, mox mariti potens,

MVLIERES impudicæ, quæ prius pellices fuerunt, quam coniuges; ſi in illo pellicatus ſtatu fuerint potentes adulteri, tantundem erunt eiuſdem mariti.

quendam ex miniſtris Octauiæ impulit, ſeruilem ei amorem obijcere. deſtinaturq. reus cognomento Eucerus, natione Alexandrinus, canere tibijs doctus. Actæ ob id de ancillis quæſtiones, & vi tormentorum victis quibuſdam, vt falſa annuerent.

VIS tormentorum ſæpe vincit innocentes & impares dolori, vt falſa annuant.

plures perſtitere ſanctitatem dominæ tueri. Ex quibus vna inſtanti Tigellino, caſtiora eſſe muliebria Octauiæ reſpondit, quàm os eius. Mouetur tamen primo ciuilis diſſidij ſpecie: domumq. Burrhi, & prædia plauti, infauſta dona accipit. Mox in Campaniam pulſa eſt, addita militari cuſtodia.

TYRANNVS cum enorme aliquod & impium flagitium committere parat; non illud ſtatim admittit: ſed ſenſim & quaſi per gradus eundo, illud tandem perficit. Scilicet vt minus improbandum appareat: & minorem ex ſe infamiam, & tumultum excitet.

Inde crebri quæſtus nec occulti per vulgum, vti minor ſapientia, & ex mediocritate fortunæ, pauciora pericula ſunt.

IN vulgo eſt minor ſapientia, & ex mediocritate fortuna pauciora pericula adſunt illi.

His haud * quaquam Nero pœnitentia flagitij coniugem reuocauit Octauiam. Exin læti Capitolium ſcandunt, deosq; tandē venerantur. Effigies Poppeæ proruunt. Octauię imagines geſtant humeris, ſpargunt floribus, foroq. ac templis ſtatuunt. Itur etiam in principis laudes, repetitum venerantium. Iamq. & palatium multitudine & clamoribus complebant, cum emiſſi militum globi verberibus & intento ferro turbatos diſiecere. Mutataq. quæ per ſeditionem verterant. Poppeę honos repoſitus eſt. Quæ ſemper odio, tum & metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret, aut Nero inclinatione populi mutaretur prouoluta genibus eius: Non eo loci res ſuas agi, vt de matrimonio certet, quamquam id ſibi vita potius, ſed vitam ipſam in extremum adductam à clientelis & ſeruitijs Octauiæ, quæ plebis ſibi nomen indiderint, ea in pace auſis, quæ vix bello euenirent.

SEDITIOSI, cum magnos progreſſus facere volunt, ſibi nomen fauorabile induunt: & ſub hac ſpecie ea audent in pace, quæ vix in bello euenirent. Et textus hic admodum eſt corruptus.

Arma illa aduerſus principem ſumpta. ducem tantum defuiſſe, qui, motis rebus, facile reperiretur.

MOTIS rebus in populo, facile dux reperitur.

Omitteret modo Campaniam & in vrbem ipſam pergeret, ad cuius nutum abſentis tumultus cierentur. Quod alioquin ſuum delictum? quam cuiuſquam offenſionem? An quia veram progeniem penatibus Cæſarum datura ſit, malle populum Romanum tibicinis Ægyptij ſubolem imperatorio faſtigio induci? Denique ſi id rebus conducat, libens quàm coactus acciret dominam, vel conſuleret ſecuritati iuſta vltione.

HVC tendant omnes Principis ſemper actiones. Nempe, conſulere ſecuritati iuſta vltione.

Et modicis primos motus conſediſſe.

PRIMI motus conſidunt modicis remedijs.

at ſi deſperent vxorem Neronis fore Octauiam, illi maritum daturos. Varius ſermo, & ad metum atque iram accommodatus, terruit ſimul audientem & accendit.

QVID non poteſt flexanimis hæc virtus eloquentia vi ſua? terret ſimul & accendit audientem & artificioſe exercita, quoſcumque vult affectus gignit & concitat. Sed neſcio maiora bona, an mala afferat. Oratorem probum certe fatendum eſt cauſſam maximorum bonorum poſſe eſſe humano generi. Contra improbum & diſertum, ingentium malorum materiam poſſe ſubminiſtrare publico conſortio, dubium non eſt.

Sed parum valebat ſuſpicio in ſeruo, & quęſtionibus ancillarum eluſerat. Ergo confeſſionem alicuius quæri placet, cui rerum quoque nouarum crimen affingeretur. Et viſus idoneus maternæ necis patrator Anicetus, claſſi apud Mienum, vt memoraui, præfectus, leui poſt admiſſum ſcelus gratia, dein grauiore odio: quia grauiorum facinorum miniſtri quaſi exprobrantes aſpiciuntur.

MINISTRI grauiorum facinorum, quaſi exprobrantes aſpiciuntur a Principe. Et hi ferme ſemper poſt admiſſum ſcelus, leui ſunt gratia apud ipſum, poſtea grauiore odio. Quod ſi mente reuoluerent improbi & ſceleſti, numquam operam ſuam in ſceleribus pro Principe patrandis exhiberent.

Igitur accitum eum Cæſar operę prioris admonet. Solum incolumitati principis aduerſus inſidiantem matrem ſubueniſſe locum haud minoris gratiæ inſtare, ſi coniugem infenſam depelleret. Nec manu aut telo opus. Fateretur Octauiæ adulterium. Occulta quidem

quidem ad præſens, ſed magna ei præmia, & ſeceſſus amœnos promittit: vel ſi negauiſſet, necem intentat.

S IC miniſtros impellunt Tyranni ad magna ſcelera perpetranda: facilitatem facti oſtendunt, præmia dehinc magna pollicentur. Vel ſi negant, necem intentant.

Ille inſita vecordia, & facilitate priorum flagitiorum, plura etiam quàm iuſſum erat, fingit, fateturq. apud amicos, quos velut conſilio adhibuerat princeps.

S CELESTVS, & improbus, tam inſita vecordia, quàm facilitate priorum flagitiorum, nullum non ſcelus audet, & nulla non mendacia fingit.

Tum in Sardiniam pellitur, vbi non inops exſilium tolerauit, & fato obijt. At Nero præfectum ſpe ſociandæ claſſis corruptum, & incuſatæ paulo ante ſterilitatis oblitus abactos partus conſcientia libidinum, eaq. ſibi comperta dimemorat.

O PORTET mendacem non eſſe obliuioſum, ſed ſæpe in hoc deprahenditur, quòd ſibi ipſe conſtans non eſt: & quod modo dixit, & affirmauit, id paulo poſt ſolet negare vir mendax.

Inſulaq. Pandateria Octauiam claudit. Non alia exſul viſentium oculus maiore miſericordia affecit. Meminerant adhuc quidam Agrippinæ à Tiberio, recentior Iuliæ memoria obuerſabatur a Claudio pulſæ. Sed illis robur ætatis affuerat. Læta aliqua viderant, & præſentem ſæuitiam melioris olim fortunæ recordatione leuabant.

S AEVITIA præſentis fortunæ, leniri ſolet recordatione melioris olim actæ. Et robur ætatis multum refert in tolerandis aduerſis vitæ caſibus.

Huic primus nuptiarum dies loco funeris fuit, deductæ in domum, in qua nihil niſi luctuoſum haberet, erepto per venenum patre, & ſtatim fratre. Tum ancilla domina validior. Et Poppæa non niſi in perniciem vxoris nupta. Poſtremo crimen omni exitio grauius.

A DVLTERII crimen mulieri probæ eſt omni exitio grauius. In hanc ſententiam Lucretia apud Liuium lib. ij. Dec. i. inquit: Mulieri, amiſſa pudicitia, quid boni eſt reliquum? Et obſeruandi ſunt gradus hi infelicitatis Octauiæ. Cui primus nuptiarum dies loco funeris fuit: deducta in domum, in qua nihil niſi luctuoſum habuit: erepto per venenum patre, & ſtatim fratre. Tum ancillam habuit ſe ipſa domina validiorem. Adultera poſtea in vxoris perniciem nuptam. Poſtremo crimen omni exitio grauius. Quod fuit adulterium illi cum Aniceto oppoſitum.

Ac puella viceſimo ætatis anno, inter centuriones & milites, præſagio malorum iam a vita exempta, nondum tamen morte acquieſcebat. Paucis dehinc interiectis diebus, mori iubetur: cùm iam viduam ſe & tantum ſororem teſtaretur, communeq. Germanici, & poſtremo Agrippinæ nomen cieret. qua incolumi infelix quidem matrimonium, ſed ſine exitio pertuliſſet. Reſtringitur vinculis, venæq. eius per omnes artus exſoluuntur; & quia preſſus pauore ſanguis tardius labebatur, præ feruidi balnei vapore enecatur. Additurq. atrocior ſæuitia, quòd caput amputatum latumq. in vrbem Poppæa vidit. Dona ob hæc templis decreta. Quod ad eum finem memorauimus, vt quicumque caſus temporum illorum nobis vel alijs auctoribus noſcent, præſumptum habeant, quoties fugas & cædes iuſſit princeps, toties grates dies actas; quæq. rerum ſecundarum olim, tum publicæ cladis inſignia fuiſſe.

S VB Tyranno, quæ rerum ſecundarum olim in ciuitatibus, tum publicæ cladis inſignia ſunt.

Neque tamen ſilebimus, ſi quod ſenatuſconſultum, adulatione nouum, aut patientia poſtremum fuit. Eodem anno libertorum potiſſimos veneno interfeciſſe creditus eſt, Doryphorum quaſi aduerſatum nuptijs Poppææ,

P RVDENS Aulicus & potens apud Principem, numquam eius voluptatibus aduerſetur. Nam a gratia excidet, & fruſtra ſe opponet illius voluntati.

Pallan-

Pallantem quòd immenſam pecuniam longa ſenecta detineret.

ETIAM ſupra obſeruauimus, vim auri eſſe maximam cauſſam exitij ſubdito ſub Tyranno. Idem nunc etiam in caſu Pallantis repetimus, qui ob immenſam pecuniam longa ſenecta detentam interfectus eſt.

Romanus ſecretis criminationibus incuſauerat Senecam vt C. Piſonis ſocium, ſed validius a Seneca eodem crimine percuſſus eſt.

AVLICORVM peculiare conſpicitur officium eſſe: ſecretis criminationibus hunc vel illum apud Principem incuſare. Sed videant callidi Aulici, quem incuſent: nam ſæpe validius ab incuſato alijs criminibus percellentur.

Vnde Piſoni timor & orta inſidiarum in Neronem magna moles, ſed improſpera.

ADVERSVS Principes vſitatum eſt, oriri ſæpe inſidiarum magnam molem: ſed plerumque improſperam. Rariſſime enim ad exitum perducuntur, ob varias difficultates, quas ſecum omni tempore talia machinamenta ferunt: vt paulò inferius obſeruabimus.

Commentariorum in Librum XIV. Annalium P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI PLACENTINI

IN P. CORNELII TACITI

Annales Commentarij.

Ex Lib. XV. Annal. P. Cornelij Taciti.

INTEREA Rex Parthorum Vologeſes, cognitis Corbulonis rebus, regemq. alienigenam Tigranem Armeniæ impoſitum: ſimul, fratre Tiridate pulſo, ſpretum Arſacidarum faſtigium ire vltum volens,

NE ſinant ſperni faſtigium ſuum, & dignitatem Principes: Et ſi quis ſpreuerit, ſtatim vendicent. Baſis enim principatuum eſt obedientia ſubditorum, & veneratio externorum. Probe hôc nouit SIXTVS V. PONT. MAX. vnde ſit vt eius mandata a nemine impune ſpernantur: Et in hac re illius veſtigia ſequitur, cuius in terris perſonam ſuſtinet, DEI OPT. MAX. Qui, vt in ſacris Litteris habetur, pluribus in locis, ob nullam aliam magis rem cum populo indignabatur; quàm quòd ſpernerent mandata, & præcepta ſua. Exempla hic apponere ſuperſedeo: quia nemo eſt adeo peregrinus in ſacris Litteris & hoſpes, qui ea non viderit.

magnitudine rurſum Romana & continui fœderis reuerentia, diuerſas ad curas trahebatur: contator ingenio,

QVI ſunt contatores, ij ſemper ad diuerſas curas trahuntur: &, vt vulgo dicitur, ſunt irreſoluti. Quod obeſt maxime Principi.

& defectione Hyrcanorum gentis validæ, multisq. ex eo bellis illigatus. Atque illum ambiguum nouus inſuper nuncius contumeliæ extimulat.

NVLLA res magis extimulat Principem, quàm contumelia. Rationes alibi adduximus.

Quippe egreſſus Armenia Tigranes, Adiabenos conterminam nationem latius ac diutius quàm per latrocinia vaſtauerat.

LATROCINARI eſt vaſtare furtim & breuibus interuallis, & non in omni loco. Ideo qui late, & diu regionem aliquam populatur, hic a nomine latronis recedit.

Idq. primores gentium ægre tolerabant, eò contemptionis deſcenſum, vt ne duce quidem Romano incurſarentur, ſed temeritate obſidis, tot per annos inter mancipia habiti.

CONTEMPTVS ægre toleratur a nobilibus, & primoribus ciuitatum.

Accendebat dolorem eorum Monobazus, quem penes Adiabenum regimen, quod præſidium, aut vnde peteret rogitans. Iam de Armenia conceſſum, proxima trahi.

VIDEAT Princeps, ne aliquid de ſuo, etſi ambigui iuris, hoſti concedat: nam ille ſemper proxima trahet. Aegri, & febricitantis inſtar, cui quanto magis potum offers, plus ſitim accendis.

& niſi

& niſi defendant Parthi, leuius ſeruitium apud Romanos deditis, quàm captis eſſe.

APVD omnes duces victores, ſemper eſt leuius ſeruitium deditis, quàm captis. Magis enim ſunt digni, qui eorum experiantur clementiam, qui arma experiri noluerunt; quàm qui voluerunt. Huc quadrat, diuerſitas illa tentoriarum a Magno Tamberlano Scytarum Rege, in vrbium oppugnationibus erigi conſueta: prima primi diei ſcilicet alba, ſignificans omnibus parci, ſi ſe illo die dederent. Secunda rubra, oſtendens, paucis duntaxat exceptis, ignoſcere ſe reliquis. Tertia demum atri coloris, innuens omnia vaſtatum iri, & nemini locum gratiæ futurum. Vide Petrum Crinitum, De honeſta diſciplina.

Tiridates quoque regni profugus, per ſilentium haud modice querendo, grauior erat.

SAEPE aliquis per ſilentium haud modice queritur. Nam & voces & verba aliquando habere ſolet ſilentium. Vt de Aulico dici poteſt, qui multum Principi inſeruiſſet, & nihil mercedis ab illo vmquam reportaſſet: nam etſi ſileret, tamen in ſilentio haud modice queri videretur.

Non enim ignauia magna imperia contineri: virorum armorumq. faciendum certamen.

ADEO eſt verum: Ignauia non contineri magna imperia, vt omnes Politici in hoc conſentiant, quòd ſemper Princeps ad arma paratus eſſe debet. Hoc enim modo, qui eum lædere conabitur, abſterrebitur ab incæpto: Tucidides non ſemel in Hiſtoria. Et tale eſt pulcherrimum illud conſilium, quod apud Dionem. lib. 5 i. tradit Mecenas Auguſto.

Id in ſumma fortuna æquius, quod validius.

RECTE dictum fuit: Iura dari armis. Cum in ſumma fortuna id ſit æquius, quod eſt validius.

Et ſua retinere, priuatæ domus: de alienis certare, regiam laudem eſſe.

RETINERE ſua, eſt domus priuata: de alienis certare, laus regia eſt. Nam primi, qui bella gerere adorti ſunt, Reges fuerunt. Ninus enim, vt eſt apud Iuſtinum, primus omnium mortalium cum finitimis bellum gerere cæpit. Econuerſo Reſpublicæ, quæ ad priuatas domos magis ſimilitudine referuntur, ſtudent potius retinere parta, quàm noua parare. Exemplum luce illuſtrius nobis hodie præſtat VENETORVM prudens RESPVBLICA. Et quamuis Romanorum Reſpublica, aliter ſe geſſerit, vt quæ ſemper bella ex bellis ſerendo, aliena occuparit; reſpondetur, illius finem diuerſum fuiſſe ab omnibus ceterarum Rerumpublicarum finibus. Aliarum enim ſcopus ferme eſt, quies & libertatis conſeruatio: ipſius vero intentio fuit, Monarchia, & in totum orbem imperium. Liuius, Dionyſ. & Plutarchus.

Igitur commotus his Vologeſes concilium vocat, & proximum ſibi Tiridatem conſtituit, atque ita orditur: Hunc ego eodem mecum patre genitum, cum mihi per ætatem ſummo nomine conceſſiſſet,

IVSTVM eſt concedere fratri per ætatem. Et obſeruanda eſt hæc Vologeſis oratio. Multum enim regiæ dignitatis & grauitatis in ſe continet.

in poſſeſſionem Armeniæ deduxi, qui tertius potentiæ gradus habetur. Nam Medos Pacorus anteceperat. videbarq. contra vetera fratrum odia & certamina, familiæ noſtræ penates rite compoſuiſſe:

RITE componit familia ſua penates, qui cum fratribus ſuis æquo iure, & concorditer agit tollendo vetera eorum odia & certamina.

prohibent Romani, & pacem ipſis numquam proſpere laceſſitam, nunc quoque in exitium ſuum abrumpunt.

QVI pacem cum hoſte numquam proſpere laceſſiuit; is imprudenter aget, eam rurſus abrumpendo. In exitium enim ſuum id molietur.

Non

Non ibo infitias, æquitate: quàm ſanguine, cauſſa, quàm armis retinere parta maioribus malueram.

PRINCIPES ſemper, ſi poſſunt, debent potius retinere parta maioribus, æquitate, quàm ſanguine: cauſſa, quàm armis. Si hoc modo nequeunt, tunc demum ad arma deſcendere. PHILIPPVS HISPANIARVM REX hodie potentiſsimus, ſic egit cum Belgis perduellibus.

ſi contatione deliqui, virtute corrigam:

CORRIGI poteſt, & debet ſemper virtute a Principe id, quod ab eo contatione delinquitur. Sic infra lib. 4. Hiſt. in perſona Cerialis idem Auctor. Huc pertinet comparatio illa Ciceronis in Epiſt. xiiij. lib. ij. ad Quintum fratrem pulcherrima. Vbi ſe id effecturum dicit, quod ſæpe viatoribus, cum properant, euenit: vt, ſi ſerius, quàm voluerint, forte ſurrexerint: properando, etiam citius, quàm ſi de multa nocte vigilaſſent, perueniant, quo velint.

Veſtra quidem vis & gloria in integro eſt,

STVDEAT ſemper Princeps retinere in integro vim ſuam & gloriam.

addita modeſtiæ fama. quæ neque ſummis mortalium ſpernenda eſt, & a dijs æſtimatur.

MODESTIA neque ſummis mortalium eſt ſpernenda, & a Deo æſtimatur. In hunc ſenſum etiam Paulus Apoſtolus inquit ad Rom. xij. Prouidentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.

Simul diademate caput Tiridatis euinxit, promptam equitum manum, quæ regem ex more ſectabatur, Moneſi nobili viro tradidit, adiectis Adiabenorum auxilijs: mandauitq. Tigranem Armenia exturbari, dum ipſe poſitis aduerſus Hyrcanos diſcordijs, vires intimas, molemq. belli ciet, prouincijs Romanis minitans.

PRVDENS Princeps, antequam bellum cum hoſte potenti, & longinquo inchoet; ponat ſemper diſcordias, quas habet cum populis ſibi finitimis. Poſtea tute poterit, vires intimas, & belli molem ciere aduerſus longinquos hoſtes, & illis minitari.

Quæ vbi Corbuloni certis nuncijs audita ſunt:

DVX cautus, & prouidus non ſtatim ad quemlibet nuncium ſe debet accingere expeditioni, aut bello: ſed id ad certum nuncium agere debet. Vt hic in Corbulone obſeruare licet.

legiones duas cum Verulano Seuero, & Vectio Bolano, ſubſidium Tigrani mittit, occulto præcepto, compoſitius cuncta, quàm feſtinantius agerent.

EXPEDIT ſemper agere res compoſitius, quàm feſtinantius. Lente feſtina: dicebat Imperator ille.

quippe bellum habere, quàm gerere malebat.

SVB Tyranno ſæuo & ſuſpicioſo, expedit claro & inſigni duci, magis habere bellum, quàm gerere. Inde enim minor gloria ſequitur, quæ cum non tantum inuidiam ſecum trahat; magis tutum illum reddit cum Tyranno.

Scripſeratq. Cæſari, proprio duce opus eſſe, qui Armeniam defenderet: Syriam, ingruente Vologeſe, acriore in diſcrimine eſſe. Atque interim reliquas legiones pro ripa Euphratis locat. Tumultuariam prouincialium manum armat. hoſtiles ingreſſus præſidijs intercipit. Et quia egena aquarum regio eſt, caſtella fontibus impoſita. quoſdam riuos congeſtu arenæ abdidit.

A Corbulone diſcant hinc duces, qui pro Principibus abſentibus bella gerunt: vno eodemq. tempore, cum caſus ingruunt, & ipſos certiores facere; & interim prouidenda prouidere: & vt vulgo dicitur: Vnum facere, & aliud non omittere.

Ea dum a Corbulone tuendæ Syriæ parantur, acto raptim agmine, Moneſes, vt famam ſui præiret, non ideo neſcium aut incautum Tigranem offendit: qui occupauerat Tigranocerta, vrbem copia defenſorum & magnitudine mœnium validam.

NVMQVAM ſe ſinat offendi neſcium, & incautum ab hoſte, in bello excipiendo, Princeps. Qui enim primis bellorum impetibus cum hoſte valido reſiſtit, cetera facile ſuperat incommoda.

Ad hæc

Ad hæc Nicephorius amnis haud ſpernenda latitudine partem murorum ambit. & ducta ingens foſſa, qua fluuio diffidebatur. Inerant milites, & prouiſi ante commeatus: quorum ſubuectu pauci auidius progreſſi, & repentinis hoſtibus circumuenti, ira magis, quàm metu ceteros accenderant.

LEVES iniuriæ ira magis, quàm metu accendunt. Hinc aliquis, ſed male dixit: Homines aut eſſe demulcendos, aut extinguendos. Nam de leuioribus offenſis ſe vindicant, de grauiſſimis nequeunt: magis enim præſtat humanitate, & beneficentia demereri, & ſuperare omnes.

Sed Partho ad exſequendas obſidiones nulla cominus audacia: raris ſagittis, neque clauſos exterret, & ſemet fruſtratur.

EA ſunt irrita tela, quæ neque hoſtem exterrent nec lædunt, & illa exercentem fruſtrantur.

Adiabeni cum promouere ſcalas & machinamenta inciperent, facile detruſi, mox, erumpentibus noſtris, cæduntur. Corbulo tamen quamuis ſecundis rebus ſuis, moderandum fortunæ ratus,

FORTVNAE eſt moderandum, quamuis ſint ſecundæ res. Id quod pulcherrime ſupra in oratione ſua ad Neronem expreſſit Seneca, inquiens: Nihil ad felicitatem meam deeſt, niſi modus.

miſit ad Vologeſem, qui expoſtularent vim prouinciæ illatam. Socium amicumq. regem cohortes Romanas circumſedere. omitteret ocius obſidionem, aut ſe quoque in agro hoſtili caſtra poſiturum. Caſperius centurio in eam legationem delectus apud opidum Niſibin ſeptem & triginta millibus paſſuum a Tigranocerta diſtantem adit regem, mandata ferociter edidit.

CVM tempus & ratio negotij poſtulat, ſunt Principis mandata ab eius nuncio ferociter edenda. Nota eſt circumſcriptio Popilij Lænatis cum virgula erga Antiochum Regem: & quid operata fuerit. Liuius.

Vologeſi vetus & penitum infixum erat, arma Romana vitandi: nec præſentia proſpere fluebant. irritum obſidium. tutus manu & copijs Tigranes, fugati qui expugnationem ſumpſerant, miſſæ in Armeniam legiones, & aliæ pro Syria paratæ vltro irrumpere: ſibi imbecillum equitem pabuli inopia. nam exorta vis locuſtarum ambederat quidquid herbidum aut frondoſum. Igitur metu abſtruſo mitiora obtendens,

ETSI dux vel Princeps habeat timendi cauſſam, tamen metum ſemper abſtrudat, & alia obtendat. Quod mirifice expreſſit Virgilius, cum dixit:

Spem vultu ſtimulat, premit altum corde dolorem.

miſſurum ad imperatorem Romanum legatos ſuper petenda Armenia & firmanda pace reſpondet. Moneſen omittere Tigranocerta iubet, ipſe retro concedit. Hæc plures vt formidine regis, & Corbulonis minis patrata & magnifica extollebant. Alij occulte pepigiſſe interpretabantur, vt omiſſo vtrimque bello, & abeunte Vologeſe, Tigranes quoque Armenia abſcederet. Cur enim exercitum Romanum a Tigranocertis deductum? cur deſerta per otium, quæ bello defenderant?

RIDICVLVM eſt deſerere per otium, quæ bello defenderis.

An melius hibernauiſſe in extrema Cappadocia, raptim erectis tugurijs, quàm in ſede regni modo retenti? Dilata prorſus arma, vt Vologeſes cum alio quàm cum Corbulone certaret: Corbulo meritæ tot per annos gloriæ, non vltra periculum faceret.

DVX prudens non debet temere facere periculum gloriæ per multos annos meritæ. Parum enim acquirere, prælium vincendo; & multum amittere, ſi victus erit, poterit.

Nam, vt retuli, proprium ducem tuendæ Armeniæ popoſcerat, & aduentare Ceſennius Pætus audiebatur: iamq. aderat copijs ita diuiſis, vt quarta & duodecima legiones addita quinta, quæ recens e Mæſis excita erat, ſimul Pontica, & Galatarum Cappadocumq. auxilia Pæto obedirent: tertia & ſexta & decima legiones, priorq. Syriæ miles

paud

apud Corbulonem manerent. Cetera ex rerum vſu ſociarent, partirenturve. Sed neque Corbulo æmuli patiens.

RARO eſt, vt magni & excelſi viri, æmulorum ſint patientes.

& Pætus, cui ſatis ad gloriam erat, ſi proximus haberetur,

MVLTIS debet ſufficere ad gloriam, ſi proximi maximis & inſignibus viris habeantur, & non vltra velle.

deſpiciebat geſta, nihil cædis aut prædæ, vſurpatas nomine tenus vrbium expugnationes dictitans. Se tributa ac leges, & pro vmbra regis, Romanum ius victis impoſiturum.

ARROGANTIS eſt, deſpicere geſta clarorum virorum, & illa verbis extenuare.

Sub idem tempus legati Vologeſis, quos ad principem miſſos memoraui, reuertere inriti: bellumq. propalam ſumptum a Parthis. nec Pætus detractauit, ſed duabus legionibus, quarum quartam Famiſulanus Vectonianus eo in tempore, duodecimam Calauius Sabinus regebant, Armeniam intrat, triſti omine. Nam in tranſgreſſu Euphratis, quem ponte tranſmittebat, nulla palam cauſſa, turbatus equus, qui conſularia inſignia geſtabat, retro euaſit. Hoſtiaq. quæ muniebantur hibernaculis aſſiſtens, ſemifacta opera fuga perrupit, ſeq. vallo extulit. & pila militum arſere, magis inſigni prodigio, quia Parthus hoſtis miſſilibus telis decertat.

IN ominibus & prodigijs nullum ineſſe pondus; ſæpe alibi diximus: & nunc repetimus idem.

Ceterum Pætus ſpretis ominibus, nec dum ſatis firmatis hibernaculis, nullo rei frumentariæ prouiſu, rapit exercitum trans montem Turum, reciperandis, vt ferebat, Tigranocertis, vaſtandisq. regionibus, quas Corbulo integras omiſiſſet. Et capta quædam caſtella, gloriæq. & prædæ nonnihil partum, ſi aut gloriam cum modo, aut prædam cum cura habuiſſet.

DEBET, dux prudens gloriam cum modo, & prædam cum cura habere. Aliequin vtramque amittet.

Longinquis itineribus percurſando, quæ obtineri nequibant, corrupto qui captus erat commeatu, & inſtante iam hieme, reduxit exercitum, compoſuitq. ad Cæſarem litteras, quaſi confecto bello, verbis magnificas, rerum vacuas.

PARVIFACIENDAE ſunt illius literæ, quæ verbis ſint magnificæ, rerum vacuæ.

Interim Corbulo numquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus præſidijs inſedit: & ne ponti inijciendo impedimentum hoſtiles turmæ afferrent, iam enim ſubiectis campis, magna ſpecie volitabant, naues magnitudine præſtantes, & connexas trabibus, ac turribus auctas, agit per amnem, catapultisq. & baliſtis proturbat Barbaros. in quos ſaxa & haſtæ longius permeabant, quàm vt contrario ſagittarum iactu adæquarentur. Dein pons continuatus, collesq. aduerſi per ſocias cohortes, poſt legionum caſtris occupantur; tanta celeritate & oſtentatione virium, vt Parthi, omiſſo paratu, inuadendæ Syriæ, ſpem omnem in Armeniam vrterent. Ibi Pætus imminentium neſcius, quintam legionem procul in Ponto habebat.

MAGNAM meretur infamiam dux ille, qui in bello, quod gerit, imminentium eſt neſcius. Cum, vt ſæpe diximus, præcipua eius cura ſit, conſilia hoſtium præſentire, & illis obuiam ire.

Reliquas promiſcuis militum commeatibus infirmauerat; donec aduentare Vologeſem magno & infenſo agmine auditum. Accitur legio duodecima, & vnde famam aucti exercitus ſperat, prodita infrequentia: qua tamen retineri caſtra, & eludi Parthus tractu belli poterat, ſi Pæto aut in ſuis, aut in alienis conſilijs conſtantia fuiſſet.

IN conſilijs capiendis, conſtantia requiritur. Et poſtquam deliberaueris, inſiſtendum; & mature facto opus eſt. Salluſtius in Coniur. Catil. Et ſi aliquis conſilio per ſeipſum non valet, ſit tamen

conſtans in alienis, Peſſima enim res alioquin ſemper erit, nec in ſuis, nec in alienis conſtantem eſſe.

Verum vbi a viris militaribus aduerſus vrgentes caſus firmatus erat, rurſus ne alienæ ſententiæ indigens videretur, in diuerſa ac deteriora tranſibat.

DETERRIMA *eſt hominum illorum ſpecies, qui cum ex ſe neſciant conſulere, ne alienæ ſententiæ indigentes videantur, malunt in diuerſa ac deteriora tranſire, quàm peritorum conſilijs acquieſcere. Talis eſt oratio Fabij ad Minutium equitum magiſtrum, apud Liuium.*

Et tunc relictis hibernis, non foſſam neque vallum ſibi, ſed corpora & arma in hoſtem data clamitans, duxit legiones quaſi prælio certaturus. Deinde amiſſo centurione & paucis militibus, quos viſendis hoſtium copijs præmiſerat, trepidus remeauit. Et quia minus acriter Vologeſes inſtiterat, vana rurſus fiducia,

VT *fortes & prudentes viros ſemper vera confidentia plena virtus comitari ſolet; ſic vana fiducia eum ignauis & imprudentibus adeſſe ſuevit. Ariſt. in ij. Rhetor.*

tria millia delectorum proximo Tauri iugo impoſuit, quo tranſitum regis arcerent: Alares quoque Pannonios, robur equitatus in parte campi locat. Coniux ac filius caſtello, cui Arſamoſata nomen eſt, abditi, data in præſidium cohorte, ac diſperſo milite, qui in vnum habitus, vagum hoſtem promptius ſuſtentauiſſet.

MILES *in vnum habitus, poteſt ſuſtentare promptius hoſtem vagum. At ſi diſpergitur, inutilis omnino redditur.*

ægre compulſum ferunt, vt inſtantem Corbuloni fateretur.

ET *hoc vitium cum arrogantibus, & fatuis eſſe fere ſemper conſpicitur: vt agre errores ſuos fateri velint, & remedia requirere. Sic agunt ægri pervicaces, qui ne medicorum ope indigere videantur, malunt more belluarum & pecudum interire, quàm ſalutari eorum ope ſalutem recuperare.*

Nec a Corbulone properatum, quo gliſcentibus periculis etiam ſubſidij laus augeretur.

AVGETVR *laus ſubſidij, quod fert alicui, gliſcentibus eius periculis.*

Expediri tamen itineri ſingula millia ex tribus legionibus, & alarios octingentos, parem numerum e cohortibus iuſſit. At Vologeſes quamuis obſeſſa a Pæto itinera hinc peditatu, inde equite accepiſſet, nihil mutato conſilio, ſed vi ac minis alares exterruit, legionarios obtriuit, vno tantum centurione Tarquitio Creſcente turrim, in qua præſidium agitabat, defendere auſo: facta ſæpius eruptione, & cæſis qui Barbarorum proprius ſuggrediebantur, donec ignium iactu circumueniretur. peditum ſi quis integer, longinqua & auia: vulnerati, caſtra repetiuere: virtutem regis, ſæuitiam & copias gentium, cuncta metu extollentes,

QVAE *timemus, etſi magna per ſe ſint, tamen ſtudioſe extollere ſolemus: vt excuſatione dignior metus noſter appareat.*

Facili credulitate eorum, qui eadem pauebant.

EORVM, *qui eadem pauent, facilis eſt credulitas erga ea, quæ timentur.*

Ne dux quidem obniti aduerſis, ſed cuncta militiæ munia deſeruerat,

QVID *poteſt ſperari de illo exercitu, in quo dux ipſe cuncta militiæ munia deſerit?*

miſſis iterum ad Corbulonem precibus, veniret propere, ſigna & aquilas, & nomẽ reliquum infelicis exercitus tueretur: ſe fidem interim, donec vita ſuppeditet, retenturum.

QVI *iamiam ſubmerſioni vicinus eſt, pervicacem eſſe, niſi auxilium petat, inquit adagium Italicum. Pætus hic omnia mala expectauit, antequam Corbuloni ſcriberet: poſtea victus tarde auxilium petijt.*

Ille interritus & parte copiarum apud Syriam relicta, vt munimenta Euphrati impoſita retinerentur, qua proximum & commeatibus nõ egenum, regionem Comagenam, exin

exin Cappadociam, inde Armenios petiuit. Comitabantur exercitum præter alia aſſueta bello, magna vis camelorum onuſta frumenti, vt ſimul hoſtem famemq. depelleret.

PROVIDVS dux in eundo ſic ſe inſtructum prabeat, vt ſimul hoſtem & famem ab exercitu depellere poſſit. Si hoc conſideraſſet M. Craſſus, cum in Parthos expeditionem ſuſcepit, haud tam infeliciter illi res ceſſiſſent. Plut. in eius vita.

Primum e perculſis Pactium primipili centurionem obuium habuit, dein pleroſque militum: quos diuerſas fugæ cauſſas obtendentes, redire ad ſigna, & clementiam Pæti experiri monebat. Se niſi victoribus immitem eſſe, ſimul ſuas legiones adire, hortari, priorum admonere, nouam gloriam oſtendere.

EGREGIA eſt ducis ad veteranos milites hortatio, in qua illos priorum admonendo, nouam inſuper gloriam oſtendit.

Non vicos aut opida Armeniorum, ſed caſtra Romana, duasq. in ijs legiones pretium laboris peti. Si ſingulis manipularibus præcipua ſeruati ciuis corona imperatoria manu tribueretur; quod illud & quantum decus, vbi par eorum numerus adipiſceretur, qui attuliſſent ſalutem, & qui accepiſſent? His atque talibus in commune alacres, & erant quos pericula fratrum, aut propinquorum proprijs ſtimulis incenderent, continuum diu noctuq. iter properabant.

DICTA & orationes ducis ſtrenui, & ab exercitu amati, mirum in modum milites in commune alacres, & obſequentes reddere ſolent.

Eoq. intentius Vologeſes premere obſeſſos, modo vallum legionum, modo caſtellum quo imbellis ætas defendebatur, oppugnare, propius incedens quàm mos Parthis, ſi ea temeritate hoſtem in prælium eliceret.

TEMERITATEM propius, & inconſultius adeundi ſape ſimulat hoſtis, vt hoſtem in prælium eliciat. Hac arte vſus eſt Antonius apud Philippos cum Bruto, & Caſſio. Vide Appianum Alex. lib. iiij. bellorum Ciuilium.

At illi vix contubernijs extracti, nec aliud quàm munimenta propugnabant: pars iuſſu ducis, & alij propria ignauia, vt Corbulonem opperientes, ac ſi vis ingrueret, prouiſis exemplis Caudinæ ac Numantinæ cladis. Neque eandem vim Samnitibus Italico populo, aut Pœnis Romani imperij æmulis. Validam quoque & laudatam antiquitatem, quoties fortuna contra daret, ſaluti conſuluiſſe.

VALIDI & laudati viri, quoties aduerſus caſus contra eos dat, non ſemper conſulere debent ſaluti: ſed ſolum tunc, cum, ſaluo dignitatis ſua decore, id poſſunt.

Qua deſperatione exercitus dux ſubactus, primas tamen litteras ad Vologeſen non ſupplices, ſed in modum querentis compoſuit, quòd pro Armenijs ſemper Romanæ ditionis, aut ſubiectis regi, quem imperator dilegiſſet, hoſtilia faceret. Pacem ex æquo vtilem.

VTILIS eſt ex aquo pax. Ad eam enim diriguntur omnia bella, tamquam ad proprium finem.

Nec præſentia tantum ſpectaret.

NON tantum præſentia ſpectare debet prudens, ſed illis vti, tanquam luminibus ad progrediendum in reliquo vitæ itinere, quod ſibi ſupereſt.

Ipſum aduerſus duas legiones, totis regni viribus aduenìſſe: at Romanis orbem terrarum reliquum, quo bellum iuuarent. Ad ea Vologeſes, nihil pro cauſſa, ſed opperiendos ſibi fratres Pacorum ac Tiridaten reſcripſit. Illum locum tempusq. conſilio deſtinatum quid de Armenia cernerent ✶. Adieciſſe deos dignum Arſacidarum, ſimul & de legionibus Romanis ſtatuerent. Miſſi poſt a Pæto nuncij, & regis colloquium petitum, qui Vaſacem præfectum equitatus ire iuſſit. Tum Pætus, Lucullos, Pompeios,

& ſi qui duces obtinendæ donandæve Armeniæ egerant: Vaſaces imaginem retinendi donandive penes nos, vim penes Parthos memorat.

R*ELINQVI poteſt alteri imago retinendi & donandi; dummodo vis ſit apud te. Et locus in textu corruptiſsimus eſt.*

Et multum inuicem diſceptato, Monobazus Adiabenus in diem poſterum teſtis ijs, quę pepigiſſent, adhibetur. Placuitq. liberari obſidio legiones, & decedere omnem militem finibus Armeniorum, caſtellaq. & commeatus Parthis tradi. Quibus perpetratis copia Vologeſi fieret mittendi ad Neronem legatos. Interim fluuio Arſameti, is caſtra præfluebat, pontem impoſuit, ſpecie ſibi illud iter expedientis. Sed Parthi quaſi documentum victoriæ iuſſerant. namque ijs vſui fuit. Noſtri per diuerſum iere. Addidit rumor, ſub iugum miſſas legiones, & alia ex rebus infauſtis: quorum ſimulacrum ab Armenijs vſurpatum eſt. Nam & munimenta ingreſſi ſunt, antequam agmen Romanum decederet; & circumſtetere vias, captiua olim mancipia, aut iumenta agnoſcentes, abſtrahenteſq. Raptæ etiam veſtes, retenta arma, pauido milite & concedente ne qua prælij cauſſa exſiſteret.

R*ARO fit, vt victor temperate vti victoria ſciat: quin immo potius ſe in ſuperbiam & arrogantiam efferat. Præſertim ſi Barbarus eſt origine.*

Vologeſes armis & corporibus cæſorum aggregatis, quo cladem noſtram teſtaretur, viſu fugientium legionum abſtinuit. Fama moderationis quærebatur, poſtquam ſuperbiam expleuerat.

N*IMIVS eſt animi inſolentis & tyrannici faſtus, ſuperbiam explere, & poſtea famam moderationis quærere. Et hoc modo illudunt inferioribus ſuperbi, & præpotentes homines.*

Flumen Arſametem elephanto inſidens, & proximus quiſque regi vi equorum perrupere, quia rumor inceſſerat, pontem ceſſurum oneri, dolo fabricantium.

H*OC modo, quo Vologeſes flumen Arſemetem, & proximos quiſque vi equorum perruperunt, & tranauerunt; pertranſiit etiam Tarum amnem CAROLVS VIII. Gallorum Rex. Guic. lib. ij. Hiſt.*

Sed qui ingredi auſi ſunt, validum fidum intellexere.

N*VLLA res magis mendaciorum, & fama vana nebulas diſcutit, quàm experientia.*

Ceterum obſeſſis adeo ſuppedirauiſſe rem frumentariam conſtitit, vt horreis ignem inijcerent: contraq. prodiderit Corbulo Parthos inopes copiarum, & pabulo attrito, relicturos oppugnationem, neque ſe plus tridui itinere abfuiſſe. Adiecit, iureiurando Pæti cautum apud ſigna, adſtantibus ijs, quos teſtificando rex miſiſſet, neminem Romanum Armeniam ingreſſurum, donec referantur litteræ Neronis, an paci annueret. Quæ vt augendæ infamiæ compoſita,

H*IS, quæ ab æmulo aduerſus æmulum dicuntur, pauca fides adhiberi debet. Sæpe enim ad augendam æmuli infamiam ab æmulo componuntur.*

ſic reliqua non in obſcuro habentur: vna die quadraginta millium ſpatium emenſum eſſe Pætum, deſertis paſſim ſaucijs, neque minus deformem illam fugientium trepidationem, quàm ſi terga in acie vertiſſent. Corbulo cum ſuis copijs apud ripam Euphratis obuius, non eam ſpeciem inſignium & armorum prærulit, vt diuerſitatem exprobraret. Mæſti manipuli, ac vicem commilitonum miſerantes, ne lacrymis quidem temperauere. Vix præ fletu vſurpata conſalutatio. Deceſſerat certamen virtutis, & ambitio gloriæ, felicium hominum affectus.

C*ERTAMEN virtutis, & ambitio gloriæ ſunt felicium hominum affectus. Et eſt laudabilis modeſtia, non inſultare æmulo victo & afflicto; ſed potius illum erigere & ſubleuare.*

ſola miſericordia valebat, & apud minores magis.

A*PVD minores ſemper magis valet miſericordia.*

Ducum

Ducum inter ſe breuis ſermo ſecutus eſt, hic conqueri tantum irritum laborem, potuiſſe bellum fuga Parthorum finiri. Ille integra vtrique cuncta reſpondit, conuerterent aquilas, & iuncti inuaderent Armeniam abſceſſu Vologeſis infirmatam.

SEMPER quiſque propriæ fauet cauſſæ. Et vide Lipſium hic in Commentario. tenebræ enim ſunt in textu.

Non ea imperatoris habere mandata Corbulo:

FINES mandati non ſunt excedendi. Niſi vrgens aliqua cauſſa & neceſſitas cogat.

periculo legionum commotum, e prouincia egreſſum. Quando in incerto habeantur Parthorum conatus, Syriam repetiturum. Sic quoque optimam fortunam orandam, vt pedes confectus ſpatijs itinerum, alacrem & facilitate camporũ præuenientem equitem aſſequeretur. Exin Pætus per Cappadociam hibernauit. At Vologeſis ad Corbulonem miſſi nuncij, detraheret caſtella trans Euphratem, amnemq. vt omnium medium faceret. Ille Armeniam quoque diuerſis præſidijs vacuam fieri expoſtulabat. Et poſtremò conceſſit rex. Diruptaq. quæ vltra Euphratem communierat Corbulo, & Armenij ſuo arbitrio relicti ſunt. At Romæ trophæa de Parthis, arcusq. medio Capitolini montis ſiſtebantur: decreta ab ſenatu, integro adhuc bello, neque tum omiſſa, dum aſpectui conſulitur, ſpreta conſcientia.

PRVDENS Princeps, ad retinendum in fide populum, etſi clade aliqua premitur; tamen ſæpe conſulere debet aſpectui: hoc eſt diſſimulare mala interna, & illa occultare: ne populus pauore tumultuetur.

Quin & diſſimulandis rerum externarum curis Nero frumentum plebis vetuſtate corruptum, in Tiberim iecit, quo ſecuritatem annonæ oſtentaret, cuius pretio nihil additum eſt, quamuis ducentas ferme naues portu in ipſo, violentia tempeſtatis, & centum alias Tiberi ſubuectas, fortuitus ignis abſumpſiſſet.

PROPRIA eſt Principis cura, ſuſtentare ſecuritatem annonæ in populo. Quod etſi alias ſæpe diximus, tamen numquam nos pigebit id repetere, non ſine iteratione laudum debitarum SIXTO V. Sanctiſſimo Paſtori: qui in hanc curam egregie & feliciter incumbit, & illius pretio non ſolum aliquid addidit; immo multum detraxit, & detrahit.

Tris dein conſulares, L. Piſonem, Ducennium Geminum, Pompeium Paulinum vectigalibus publicis præpoſuit, cum inſectatione priorum principum, qui grauitate ſumptuum iuſtos reditus anteiſſent ſe, annuum ſexcenties ſeſtertium Reipubl. largiri.

ANTEIRE iuſtos reditus grauitate ſumptuum, Principi ſemper oberit. Ad inopiam enim hoc modo facile deueniet. Vnde poſtea illi neceſſe erit extorſiones & rapinas facere: ex quibus oriuntur coniurationes. Ideo prudens Princeps ſemper ſumptuum parcitate, ex iuſtis reditibus, quotannis aliquam pecuniæ ſummam ſeponet: quæ illi ad ingruentes caſus belli & pacis, firmiſſimum erit ſubſidium, & decus.

Percrebuerat ea tempeſtate prauiſſimus mos, cum propinquis comitijs, aut ſorte prouinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adſciſcerent filios præturasq. & prouincias inter patres ſortiti, ſtatim emitterent manu quos adoptauerant: Qui magna cum inuidia ſenatum adeunt, ius naturæ, labores educandi, aduerſus fraudem & artes & breuitatem adoptionis enumerant. Satis pretij eſſe orbis, quòd multa ſecuritate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta & obuia haberent. Sibi promiſſa legum diu exſpectata, in ludibrium verti, quando quis ſine ſolicitudine parens, ſine luctu orbus, longa patrum vota repente adæquaret.

ELEGANTER & acute poteſt dici de adoptantibus filios: vt ſint ſine ſolicitudine parentes, ſine luctu orbi, & longa patrum vota repente adæquent.

Factum ex eo ſenatuſconſultum, ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret, ac ne vſurpandis quidem hereditatibus prodeſſet.

SIMVLATA adoptio in nullà parte muneris publici iuuare debet, nec vſurpandis hereditatibus prodeſſe. Cum qua in fraudem aliorum fiunt, nullum habere robur debeant: ſicut plena ſunt omnium Iuriſconſultorum paginæ.

Exin Claudius Timarchus Cretenſis reus agitur, ceteris criminibus, vt ſolent præualidi prouincialium, & opibus nimijs ad iniurias minorum elati:

PRAEVALIDI nimijs opibus ad iniurias minorum facile efferuntur. Nam, teſte Ariſt. in ij. Rhet. ob fortunæ bona, quibus abundant, ſunt omnes diuites procliues ad inferendam iniuriam.

vna vox eius vſque ad contumeliam ſenatus penetrauerat, quòd dictitaſſet, in ſua poteſtate ſitum, an proconſulibus, qui Cretam obtinuiſſent, grates agerentur. Quam occaſionem Pætus Thraſea ad bonum publicum vertens,

PRVDENTIS Senatoris & Principis eſt, vertere omnes occaſiones ad bonum publicum.

poſtquam de reo cenſuerat, prouincia Creta depellendum, hæc addidit: Vſu probatum eſt P. C. leges egregias, exempla honeſta, apud bonos ex delictis aliorum gigni:

EGREGIAE leges, & exempla honeſta apud bonos, ex delictis aliorum gignuntur.

Sic oratorum licentia, Cinciam rogationem: candidatorum ambitus, Iulias leges: magiſtratuum auaritia, Calpurnia ſcita, pepererunt. Nam culpa quàm pœna tempore prior, emendari quàm peccare poſterius eſt.

PRIOR tempore eſt culpa, quàm pæna, & emendari, quàm peccare, poſterius eſt. Et eſt ratio hæc ſuperioris ſententiæ a Thraſea prolatæ.

Ergo aduerſus nouam prouinciarum ſuperbiam dignum fide conſtantiaq. Romana capiamus conſilium:

IN capiendis conſilijs, & Princeps, & Reſpublica, ſemper debet præ oculis habere fidem & conſtantiam, quam alias exhibuerit.

quo tutelæ ſociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat, qualis quiſque habeatur alibi quàm in ciuium iudicio eſſe. Olim quidem non modo prætor aut conſul, ſed priuati etiam mittebantur, qui prouincias viſerent, & quid de cuiuſque obſequio videretur, referrent. trepidabantq. gentes de æſtimatione ſingulorum.

BENEFICIVM hoc infertur prouincijs, ad quas Princeps mittit aliquos viros iuſtos & inſignes, qui eas videant, & referant, quid de cuiuſque obſequio illis videtur: vt trepident gentes de æſtimatione ſingulorum: & ſic ab iniurijs erga prouincias magis ſe abſtineant.

At nunc colimus externos, & adulamur, & quo modo ad nutum alicuius grates, ita promptius accuſatio decernitur. Decernaturq. ne maneat prouincialibus potentiam ſuam tali modo oſtentandi. Sed laus falſa & precibus expreſſa, perinde cohibeantur, quàm malitia, quàm crudelitas.

LAVS falſa, & precibus expreſſa, perinde cohiberi deberet; quàm malitia quàm crudelitas. Hic videndus eſt aureus ille Plutarchi tractatus; De adulatoris atque amici diſcrimine.

Plura ſæpe peccantur, dum demeremur, quàm dum offendimus.

PECCANTVR a nobis ſæpe plura, dum demeremur, quàm dum offendimus. In hoc enim ſæpe ira nos excuſat: ſed in illo conſilium & rationem adhibemus: adulando, aſſentando, & alia ſcelera committendo.

Quædam immo virtutes odio ſunt, ſeueritas obſtinata, inuictus aduerſum gratiam animus.

SAPIENTER fuit ab illo pronunciatum: Nequid nimis. Nam hæc de cauſſa, quando nimia, quædam virtutes odio ſunt: vt ſeueritas obſtinata, inuictus aduerſum gratiam animus, & ſimilia.

Inde

Inde initia magiſtratuum noſtrorum meliora ferme, & finis inclinat,

TVRPE eſt, cum initia magiſtratuum meliora ſunt, & finis inclinat: nam bonis initijs optimi deberent reſpondere fines. Et quo modo ſe gerere in prouincijs gubernandis magiſtratus debeant; legenda eſt aurea illa Ciceronis ad Q. Fratrem Epiſtola lib. 1. Qua quidem, vt recte inquit Budæus in annotationibus ad Pandectas, ſufficiet ad probe inſtruendum quemlibet præſidem prouinciæ.

dum in modum candidatorum ſuffragia conquirimus. quæ ſi arceantur, æqualius atque conſtantius prouinciæ regentur: nam vt metu repetundarum infracta auaritia eſt, ita vetita gratiarum actione ambitio cohibebitur.

IN magiſtratibus duo vitia ſunt formidanda: auaritia, atque ambitio. Porrò vt auaritia metu repetundarum infrangitur, ſic ambitio, vetita gratiarum actione, cohibetur.

Magno aſſenſu celebrata ſententia. Non tamen ſenatuſconſultum perfici potuit, abnuentibus conſulibus ea de re relatum. Mox auctore principe ſanxere, ne quis ad concilium ſociorum referret, agendas apud ſenatum proprætoribus proueconſulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur. Iiſdem conſulibus gymnaſium ictu fulminis conflagrauit, effigiesq. in eo Neronis ad informe æs liquefacta. Et motu terræ, celebre Campaniæ opidum Pompeij, magna ex parte proruit. Defunctaq. virgo Veſtalis Lælia, in cuius locum Cornelia ex familia Coſſorum capta eſt. Memmio Regulo & Virginio Rufo Coss. natam ſibi ex Poppæa filiam Nero vltra mortale gaudium accepit,

DEDECET Principem accipere ſucceſſum aliquem proſperum, vltra mortale gaudium. Leuitatem enim animi oſtendit: quæ ab eo maxime abeſſe debet.

appellauitq. Auguſtam, dato & Poppææ eodem cognomento. Locus puerperio colonia Antium, vbi ipſe generatus erat. Iam ſenatus vterum Poppææ commendauerat dijs, votaq. publice ſuſceperat: quæ multiplicata, exſolutaq. Et additæ ſupplicationes templumq. Fecunditati, & certamen ad exemplar Atticæ religionis decretum. Vtq. fortunarum effigies aureæ in ſolio Capitolini Iouis collocarentur: ludicrū Circenſe, vt Iuliæ genti apud Bouillas, ita Claudiæ domitiæq. apud Antium ederetur. quæ fluxa fuere, quartum intra menſem defuncta infante.

FLVXA ſunt omnia, quæ in terris habemus: nihil firmum hic, nihil ſtabile. fecit ad ſe nos Deus, & inquietum eſt cor noſtrum, donec ad illum redeat. Auguſtino teſte.

Rurſusq. exortæ adulationes, cenſentium honorem diuæ, & puluinar, ædemq. & ſacerdotem. Atque ipſe vt lætitiæ, ita mæroris immodicus egit.

QVI eſt lætitia immodicus, ita etiam erit mæroris. Contrariorum enim eadem eſt diſciplina.

Adnotatum eſt, omni ſenatu Antium ſub recentem partum effuſo, Thraſeam prohibitum, immoto animo prænunciam imminentis cædis contumeliam excepiſſe.

VERE fortis eſt ille, qui immoto animo, ſub ſæuo Tyranno prænunciam imminentis cædis contumeliam excipit.

Secuta dehinc vocem Cæſaris ferunt, qua reconciliatum ſe Thraſeæ apud Senecam iactauerit, ac Senecam Cæſari gratulatum. Vnde gloriæ egregijs viris, & pericula gliſcebant.

SVB Tyranno, egregijs viris, & gloria & pericula gliſcunt. Nec ſeparata ſingula reperiuntur.

Interim veris principio, legati Parthorum mandata regis Vologeſis, litterasq. in eandem formam attulere. Se priora & toties iactata ſuper obtinenda Armenia nunc omittere, quoniam dij quamuis potentium populorum arbitri poſſeſſionem Parthis non ſine ignominia Romana tradidiſſent.

DEVS eſt arbiter populorum, quamuis potentium. Nam, vt eſt apud S. Paulum: Omnis poteſtas eſt a Deo.

Nuper

Nuper clauſum Tigranem, poſt Pætum legioneſq. cum opprimere poſſet, incolumes dimiſiſſe. Satis approbatam vim, datum & lenitatis experimentum.

PRINCEPS, eum ſatis eius vis fuerit ab hoſte approbata, poteſt dare lenitatis experimentum.

Nec recuſaturum Tiridarem accipiendo diademati in vrbem venire, niſi ſacerdotij religione attineretur. Iturum ad ſigna & effigies principis, vbi legionibus coram, regnum auſpicaretur. Talibus Vologeſis litteris, quia Pætus diuerſa tamquam rebus integris ſcribebat, interrogatus centurio qui cum legatis aduenerat, quo in ſtatu Armenia eſſet, omnes inde Romanos exceſſiſſe reſpondit. Tum intellecto Barbarorum irriſu, qui peterent quod eripuerant,

CERTE alterum quodam modo irridet ille, qui petit ab eo, quod iam illi eripuit.

conſuluit inter primores ciuitatis Nero, bellum anceps, an pax inhoſte placeret. Nec dubitarum de bello. Et Corbulo tot per annos militum atque hoſtium gnarus, gerendæ rei præficitur:

REI gerendæ præfici a Principe debent duces, qui ſint per multos annos, ſi poteſt fieri, hoſtium, ac militum gnari.

ne cuius alterius inſcitia rurſum peccaretur, quia Pæti pigebat.

A duce, quem Princeps exercitui præficit, abeſſe debet inſcitia. Ob hanc enim maxime in eius damnum peccari ſolet.

Igitur inriti remittuntur, cum donis tamen, vnde ſpes fieret, non fruſtra eadem oraturum Tiridatem, ſi preces ipſe attuliſſet.

NVMQVAM ſunt ad deſperationem adigendi hoſtium animi.

Syriæq. exſecutio Cintio, copiæ militares Corbuloni permiſſæ, & quintadecima legio, ducente Mario Celſo, e Pannonia adiecta eſt. Scribitur tetrarchis ac regibus præfectiſq. & procuratoribus, & qui prætorum finitimas prouincias regebant, iuſſis Corbulonis obſequi, in tantum ferme modum aucta poteſtate, quem populus Romanus Gn. Pompeio bellum Piraticum geſturo dederat. Regreſſum Pætum, cum grauiora metueret, facetijs inſectari ſatis habuit Cæſar, his ferme verbis: Ignoſcere ſe ſtatim, ne tam promptus in pauorem longiore ſolicitudine ægreſceret:

IN aliquibus perſonis quædam crimina ſufficit caſtigare facetijs, & irriſu: quæ in alijs pæna magna & ſupplicio digna eſſent. Adeo refert perſonarum conditio.

At Corbulo quarta & duodecima legionibus, quæ fortiſſimo quoque amiſſo, & ceteris exterritis, parum habiles prælio videbantur, in Syriam tranſlatis,

EXERCITVS ille eſt parum habilis prælio, cuius fortiſſimus quiſque eſt amiſſus, & ceteri exterriti. Et ideo dux prouidus nullam in eo ſpem reponere debet.

ſextam inde ac tertiam legiones, integrum militem & crebris ac proſperis laboribus exercitum in Armeniam ducit. Addiditq; legionem quintam quę per Pontum agens, expers cladis fuerat.

FIDERE poteſt dux de milite integro, & crebris ac proſperis laboribus exercito, & qui expers cladis ſit ab hoſte.

Simul quintadecimanos recens adductos, & vexilla delectorum ex Illyrico & Ægypto, quodq. alarum cohortiumq; & auxilia regum in vnum conducta apud Melitenen, qua traſmittere Euphratem parabat. Tum luſtratum rite exercitum ad concionem vocar, orditurq. magnifica de auſpicijs imperatorijs, rebuſq. a ſe geſtis, aduerſam inſcitiam Pæti declinans.

IN orando ad milites, debet dux prouidus iſta tangere, quæ militem fortiorem & audentiorem facere poſſint: a reliquis abſtinere. Sic ſupra de Germanico Auctor inquit: Reticuit de aduerſis,

multa

multa auctoritate, quæ viro militari pro facundia erat.

AVCTORITAS eſt pro facundia viro militari. Supra de Druſo idem.

Mox iter L. Lucullo quondam penetratum, apertis quæ vetuſtas obſepſerat, pergit. Et venientes Tiridatis Vologeſiſq. de pace legatos haud aſpernatus, adiungit ijs centuriones cum mandatis non immitibus. Non enim adhuc eo ventum, vt certamine extremo opus eſſet. Multa Romanis ſecunda, quædam Parthis eueniſſe documento aduerſus ſuperbiam.

QVAE nobis aduerſa eueniunt, debent eſſe documentum aduerſus ſuperbiam.

proinde & Tiridati conducere, intactum vaſtationibus regnum dono accipere; & Vologeſen melius ſocietate Romana, quàm damnis mutuis, genti Parthorum conſulturum. Scire quantum intus diſcordiarum, quamq. indomitas & præferoces nationes regeret.

BELLVM cum externis gerere non conducit Principi, qui intus magnas habet diſcordias, & indomitas ac præferoces nationes regit. Dum enim de alieno certat, proprium illi eripietur.

Contra imperatori ſuo immotam vbique pacem, & vnum id bellum eſſe.

AVDENTIVS poteſt gerere bellum Princeps ille, qui immotam vbique habet pacem, & vnum tantum bellum, quàm qui intus magnas habet diſcordias, & indomitas & præferoces regit nationes.

Simul conſilio terrorem adijcere, & Megiſtanas Armenios qui primi a nobis defecerant, pellit ſedibus, caſtella eorum excindit, plana edita, validos, inualidosq. pari metu complet.

EFFICACISSIMVS erit in perſuadendo ille ſemper, qui conſilio adijciet terrorem.

Non infenſum, nedum hoſtili odio Corbulonis nomen etiam Barbaris habebatur, eoq. conſilium eius fidum credebant.

TRIA ſunt, Teſte Ariſt. 2. Rhetor. quæ nobis acquirunt fidem: probitas, beneuolentia, & prudentia. Ergo nil mirum, ſi Barbari, quem amabant, huic credebant.

Ergo Vologeſes neque atrox in ſummam, & quibuſdam præfecturis inducias petit. Tiridates locum diemq. colloquio poſcit. Tempus propinquum, locus, in quo nuper obſeſſæ cum Pæto legiones erant, cum a Barbaris delectus eſſet, ob memoriam lætioris ſibi rei, non eſt a Corbulone vitatus, vt diſſimilitudo fortunæ gloriam augeret.

PLERVMQVE diſſimilitudo fortunæ gloriam auget. Et hanc pro tempore dux ſolers arripere debet.

Neque infamia Pæti augebatur, quod eo maxime patuit, quia filio eius tribuno ducere manipulos atque operire reliquias malæ pugnæ imperauit.

HAEC eſt gloria, quam omnis vir bonus etiam ſecundum Chriſtianæ legis dogmata accipere & ſequi poteſt: nempe cum ob eam infamia proximi non augetur.

Die pacta Tiberius Alexander inluſtris eques Romanus miniſter bello datus. & Viuianus Annius gener Corbulonis, nondum ſenatoria ætate, ſed pro legato quintæ legioni impoſitus, in caſtra Tiridatis venere honori eius, ac ne metueret inſidias tali pignori. Viceni dehinc equites aſſumpti. Et viſo Corbulone, rex prior equo deſiluit: nec cunctatus Corbulo. Sed pedes vterque dextras miſcuere. Exin Romanus laudat iuuenem, omiſſis præcipitibus, tuta & ſalutaria capeſſentem.

PRVDENS debet ſemper omittere præcipitia, & tuta ac ſalutaria capeſſere. Et qui ſic aget, ſemper laudem merebitur.

Ille

Ille de nobilitate generis multum præfectus, cetera temperanter adiungit. Iturum quippe Romam, laturumq. nouum Cæſari decus, non aduerſus Parthorum rebus ſupplicem Arſacidem.

NOVVM decus, & magnum affert Principi clarus hoſtis eius ſupplex, non aduerſis ſuis rebus.

. Tum placuit Tiridaten ponere apud effigiem Cæſaris inſigne regium, nec niſi manu Neronis reſumere. & colloquium oſculo finitum. Dein paucis diebus interiectis, magna vtrimque ſpecie, inde eques compoſitus per turmas, & inſignibus patrijs, hinc agmina legionum ſtetere fulgentibus aquilis, ſignisq. & ſimulacris deum in modũ templi. Medio tribunal ſedem curulem, & ſedes effigiem Neronis, ſuſtinebat. Ad quam progreſſus Tiridates, cæſis ex more victimis, ſublatum capite diadmea imagini ſubiecit magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat inſita adhuc oculis exercituum Romanorum cædes, aut obſidio. At nunc verſos caſus: iturum Tiridaten oſtentui gentibus, quanto minus quàm captiuum.

NVMQVAM in eodẽ ſtatu res humanæ permanent. Vertuntur caſus, & humilia ſublimantur ſublimia humiliantur. Ideo prudentis eſt, nihil huic mundo fidere: ſed ſemper ad DEVM mentem dirigere.

Addidit gloriæ Corbulo comitatem, epulasq.

GEMINATVR gloria in duce victore, cum illi addit comitatem.

& rogitante rege cauſſas, quoties nouum aliquid aduerterat: vt, initia vigiliarum per centurionem nunciari, conuiuium buccina dimitti, & ſtructa ante Auguralem aram ſubdita face accendi: cuncta in maius extollens, admiratione priſci moris affecit.

QVI ſcit cuncta in maius extollere loco & tempore, admiratione ſui omnes afficit.

poſtremo die ſpatium orauit, quo tantum itineris aditurus, fratres ante, matremq. viſeret: obſidem interea filiam tradit, litterasq. ſupplices ad Neronem. Et digreſſus Pacorum apud Medos, Vologeſen Ecbatanis repperit, non incurioſum fratris:

PRINCIPEM decet, eſſe haud incurioſum proximorum. Nam ſunt eius munimenta & præſidia, ſi illis recte vti ſciet. Auguſtus ſupra lib. 1. Annal. & Titus in lib. iij. Hiſt. ad Veſpaſianum patrem.

quippe & proprijs nuncijs a Corbulone petierat, ne quam imaginem ſeruitij Tiridates perferret, neu ferrum traderet, aut complexu prouincias obtinentium arceretur, foribusve eorum aſſiſteret: tantusq. Romæ, quantus conſulibus, honor eſſet. Scilicet externæ ſuperbiæ ſueto non erat notitia noſtri: apud quos ius imperij valet, inania tranſmittuntur.

APVD prudentes Principes, ius imperij valet, inania traſmittuntur. Quod obſeruauit ſemper Auguſtus, Tiberius, & omnes Pricipes ſapientes obſeruabunt. Contra, externæ ſuperbiæ ſueti, aliter ſentiunt, & male. Nam Cæſar Dictator hac de cauſſa perniciem ſibi maturauit.

Eodem anno Cæſar nationes alpium maritimarum in ius Latij tranſtulit. Equitum Romanorum locos ſedilibus plebis antepoſuit apud Circum. Namque ad eam diem indiſcreti inibant; quia lex Roſcia nihil niſi de quatuordecim ordinibus ſanxit. Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora. Sed feminarum illuſtrium ſenatorumq. plures per arenam fœdati ſunt. C. Lecanio, M. Licinio Coſs. acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiſcuas ſcenas frequentandi. Nam adhuc per domum aut hortos cecinerat Iuuenalibus ludis, quos vt parum celebres & tantę voci anguſtos ſpernebat. Non tamen Romæ incipere ſcenas auſus, Neapolim quaſi Græcam vrbem dilegit. Inde initium fore, vt trangreſſus in Achaiam, inſignesq. & antiquitus ſacras coronas adeptus, maiore fama, ſtudia ciuium eliceret. Ergo contractum

opida-

opidanorum vulgus, & quos e proximis colonijs & municipijs eius rei fama ciuerat, quiq. Cæſarem per honorem, aut varios vſus ſectantur,

SECTANTVR Principem, & Aulam alij per honorem, alij per varios vſus. Nec omnes vna eademq. de cauſſa.

etiam militum manipuli theatrum Neapolitanorum complent. Illic plerique, vt arbitrabantur, triſte; vt ipſe, prouidum potius & ſecundis numinibus euenit. Nam egreſſo qui affuerat populo, vacuum & ſine vllius noxa theatrum collapſum eſt. Ergo per compoſitos cantus grates dijs, atque ipſam recentis caſus fortunam celebrans, petiturusq. maris Hadriæ traiectus, apud Beneuentum interim conſedit; vbi gladiatorum munus a Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter fœdiſſima eius aulæ oſtenta fuit, ſutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetijs ſcurrilibus: primo in contumelias aſſumptus, deinde optimi cuiuſque criminatione eo vſque valuit, vt gratia, pecunia, vi nocendi etiam malis præmineret.

INTER fœdiſſima Aularum oſtenta conſpiciuntur ſæpe aliqui ignobiles, corpore detorto, & facetijs ſcurrilibus: qui primo in contumelias aſſumuntur, deinde optimi cuiuſque criminatione eo vſque valent, vt gratia, pecunia, vi nocendi, etiam malis præmineant.

Eius munus frequentanti Neroni, ne inter voluptates quidem a ſceleribus ceſſabatur.

SVB Tyranno adeo infelix ſtatus eſt, vt ne inter voluptates quidem a ſceleribus ceſſetur.

Iiſdem quippe illis diebus Torquatus Sillanus mori adigitur, quia ſuper Iuniæ familiæ claritudinem diuum Auguſtum atauum ferebat.

NOBILITAS longè decora præferens, ſemper ſub Tyranno intuta erit, & periculoſa.

Iuſſi id accuſatores obijcere,

NON ſponte apud Tyrannum accuſatores ſæpe exercent officium: ſed iubentur id implere, & modus accuſationis illis demonſtratur, ad explendam Tyranni ſæuitiam.

prodigum largirionibus, neque aliam ſpem quam in nouis rebus eſſe.

PRODIGI largitionibus nullam aliam ſpem, quam in rebus nouis habet. Et in omnibus coniurationibus ſimile hominum genus reperitur, qui nomen det.

quin eum nobiles habere, quos ab epiſtolis & libellis & rationibus appellet, nomina ſummæ curæ & meditamenti.

SVSPECTET ſemper Princeps de ſubdito, qui in familia ſua nobiles habeat, & nomina ſumma curæ, & meditamenti. Infallenter enim indicare & arguere poteſt, illum pluſquam ciuilia agitare.

Tum intimis quiſque liberorum vincti abreptiq. Et cum damnatio inſtaret, brachiorum venas Torquatus interſcidit, ſecutaq. Neronis oratio ex more: quamuis ſontem & defenſioni merito diffiſum, victurum tamen fuiſſe, ſi clementiam iudicis expectaſſet.

SEMPER Tyrannus, cum factis ſæuitia promit, illam dictis temperat, & leuit. Et hoc modo miſeris ſubditis illudit In Tiberio plura huius rei exempla obſeruauimus. Ideo nihil amplius hic.

Nec multo poſt omiſſa in præſens Achaia, cauſſæ in incerto fuere, vrbem reuiſit:

DELIBERATIONVM Principis ferme ſemper ſunt in incerto cauſſæ. Alia enim methodo priuati eas metiuntur, quàm par ſit, vt multoties obſeruauimus.

prouincias Orientis, maxime Ægyptum, ſecretis imaginationibus agitans.

PRINCIPES ſemper ſecretis imaginationibus multa agitant, quæ priuatis ignota ſunt. Ideo eorum arcana inquirere eſt periculoſum & anceps, nec ideo adſequare: vt Auctor ſupra de Tiberio tradidit.

Dein

Dein edicto teſtificatus non longam ſui abſentiam, & cuncta in Rep. exinde immota ac proſpera fore, ſuper ea profectione adijt Capitolium, illic veneratus deos. Cum Veſtę quoque templum iniſſet, repente cunctos per artus tremens, ſeu numine exterrente, ſeu facinorum recordatione numquam timore vacuus, deſeruit inceptum.

RECORDATIO facinorum, numquam ſinit animum timore vacuum. Conſcientia enim, vt ille ait, pro mille teſtibus eſt. Nec ſic Cerberus, nec Scylla, nec omnes feræ latrant, ac mugiunt, quàm fœdus ac maculoſus animus ſibi male conſcius: qui ſemetipſum ſemper omnibus horis videt, audit, ac ſe latere non poteſt.

cunctas ſibi curas amore patriæ leuiores dictitans.

VERE omni & Principi, & priuato, deberent cuncta cura eſſe leniores amore patriæ. Multum enim illi debemus.

Vidiſſe ciuium mæſtos vultus, audire ſecretas querimonias, quòd tantum aditurus eſſet iter cuius ne modicos quidem egreſſus tolerarent, ſueti aduerſum fortuita aſpectu principis refoueri.

MVLTA affert ſubditis beneficia Principis præſentia. Quorum non eſt vltimum, quòd eius aſpectu aduerſus fortuita refouentur.

Ergo vt in priuatis neceſſitudinibus proxima pignora præualerent: ita populum Romanum vim plurimam habere: parendumq. retinenti.

IN neceſſitudinibus priuatis, proxima pignora præualere ſolent. Et eadem proportio cum illis eſt, quæ cum populo.

Hæc atque talia plebi volenti fuere, voluptatum cupidine, & quæ præcipua cura eſt, rei frumentariæ anguſtias, ſi abeſſet, metuenti.

PLEBI præcipua cura eſt, præter voluptatum cupidinem, rei frumentariæ abundantia. Hinc Populi Romani mirificus amor in SIXTVM V. qui vtrique rei egregie ſatisfacit, ſpectacula illi concedendo, & annonam impenſa propria ſuppeditando. Vnde illi ſtatuam aream ſtatim initio Pontificatus erigi curauit.

Senatus & primores in incerto erant, procul, an coram atrocior haberetur,

ADEO praua eſt ſubditorum ſub Tyranno condicio, vt in incerto ſit, procul, an coram ipſe atrocior habeatur.

dehinc quæ natura magnis timoribus, deterius credebant, quod euenerat.

MAGNIS timoribus eſt hæc natura, vt deterius e duobus credat id, quod euenit, quàm quod irritum fuit. Ratio elicitur ex Philoſopho in 2. Rhet. de timore loquente: qui vt ipſe ait, præſentia magis reſpicit, & ad remotiora minus fertur.

Ipſe quo fidem acquireret, nihil vſquam perinde lætum ſibi, publicis locis ſtruere conuiuia, totaq. vrbe quaſi domo vti.

IN hoc ſemper intendit Tyrannus, vt ſibi fidem anquirat cum ſubditis, quo liberius & tutius eos voluere & reuoluere poſſit. Hinc multa ſimulat, & multa diſſimulat. Intus tamen ſemper ſæuitia, & libidinibus æſtuat.

Et celeberrimæ luxu famaq. epulæ fuere, quas Tigellino paratas, vt exemplum referam, ne ſæpius eadem prodigentia narranda ſit.

VITIORVM ſpecies aliquæ ſæpe adeo ordinem ſuum tranſcendunt: vt ad ea recte declinanda, non ſit niſi vtile & expediens hiſtorico, referre exemplum: quo cautius ab eis abſtinere poſſimus.

Igitur in ſtagno Agrippæ fabricatus eſt ratem, cui ſuperpoſitum conuiuium aliarum tractu moueretur. Naues auro & ebore diſtinctæ. Remigesq. exoleti, per ætates & ſcientiam libidinum componebantur. Volucres & feras diuerſis e terris, & animalia maris Oceano

Oceano ab vſque petiuerat. Crepidinibus ſtagni lupanaria aſtabant, illuſtribus feminis completa. Et contra ſcorta viſebantur, nudis corporibus. Iam geſtus motusq. obſceni, & poſtquam tenebræ incedebant, quantum iuxta nemoris,& circumiecta tecta conſonare cantu & luminibus clareſcere. Ipſe per licita atque illicita fœdatus, nihil flagitij reliquerat, quo corruptior ageret; niſi paucos poſt dies vni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagoræ fuit in modum ſollemnium coniugiorum denupſiſſet. Inditum imperatori flammeum. Viſi auſpices duo, & genialis torus, & faces nuptiales; cuncta denique ſpectata, quæ etiam in femina nox operit.

LEGE Lector totum hunc Auctoris tractum: & in legendo indica, DEVM OPT. MAX. tunc voluiſſe, ob ſcelera ſua orbem vniuerſum plectere: illius habenas tribuendo neſario, & ſceleſto huic monſtro. Neronẽ ſcilicet, qui vere fax humani generis fuit.

Sequitur clades, forte, an dolo principis incertum: nam vtrumque auctores prodidere: ſed omnibus, quæ huic vrbi per violentiam ignium acciderunt, grauior atque atrocior. Initium in ea parte Circi ortum, quæ Palatino Cęlioq. montibus contigua eſt. Vbi per tabernas, quibus id mercimonium inerat quo flamma alitur, ſimul cœptus ignis, & ſtatim validus, ac vento citus longitudinem Circi corripuit. Neque enim domus munimentis ſeptæ, vel templa muris cincta, aut quid aliud moræ interiacebat. Impetu peruagatum incendium, plana primum, deinde in edita aſſurgens, rurſus inferiora populando anteijt remedia velocitate mali,

MALI velocitas anteit remedia: niſi fuerint prouiſa. Hinc ergo prudens debet animo præparato aduerſus fortunæ iniurias ſtare: ne aliquid illi inopinum contingat. Vt alibi obſeruauimus.

& obnoxia vrbe artis itineribus, hucq. & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit.

HOC malum venit vrbi, quæ habeat arta itinera, hucq. & illuc flexa, atque vicos enormes: vt caſibus incendiorum magis obnoxia ſit & maiora damna timere debeat.

Ad hoc lamenta pauentium feminarum feſſa ætate, aut rudis pueritiæ ætas, quiq. ſibi, quique alijs conſulebant, dum trahunt inualidos aut opperiuntur, pars morans, pars feſtinans, cuncta impediebant: & ſæpe dum in tergum reſpectant, lateribus aut fronte circumueniebantur: vel ſi in proxima euaſerant, illis quoque igni correptis, etiam quæ longinqua crediderant, in eodem caſu reperiebantur. Poſtremo quid euitarent, quid peterent ambigui, complere vias, ſterni per agros: quidam, amiſis omnibus fortunis, diurni quoque victus, alij charitate ſuorũ, quos eripere nequiuerant, quamuis patente effugio, interiere. Nec quiſquam defendere audebat, crebris multorum minis reſtinguere prohibentium; & quia alij palam faces iaciebant, atque eſſe ſibi auctorem vociferabantur: ſiue vt raptus licentius exercerent, ſeu iuſſu.

MINISTRI ſæpe, etſi a Principe iuſſa non habeant ſuper aliqua re, ea tamen fingunt habere, vt raptus licentius exerceant. Huic malo optime medebitur Princeps, ſi talem de ſe opinionem in Principatus initio iecerit; vt nemo miniſter id impune ſibi licere exiſtimet.

Eo in tempore Nero Antij agens, non ante in vrbem regreſſus eſt, quàm domui eius qua palatium & Mæcenatis hortos continuauerat, ignis propinquaret. Neque tamen ſiſti potuit, quin & palatium & domus & cuncta circum haurirentur. Sed ſolatium populo exturbato & profugo, campum Martis ac monumenta Agrippæ, hortos quin etiam ſuos patefecit. Et ſubitaria edificia exſtruxit, quæ multitudinem inopem acciperent. Subuectaq. vtenſilia ab Hoſtia & propinquis municipijs. pretiumq. frumenti minutum, vſque ad ternos nummos.

OPTIMA ratio conciliandi fauoris apud vulgum, eſt annonæ vilitas. Quod etſi ſupra ſæpe obſeruauimus, libuit tamen hic aſcribere pulcherrimos Lucani verſus in 9. Pharſaliæ in Iulij perſona: Sic ergo ille.

Quoque modo vanos populi conciret amores:
Gnarus, & irarum cauſſas, & ſumma fauoris
Annonæ momenta trahi. namque adſerit vrbes
Sola fames, emiturq. metus, cum ſegne potentes
Vulgus alunt. neſcit plebes ieiuna timere.

Quæ quamquam popularia in inritum cadebant, quia peruaſerat rumor ipſo tempore flagrantis vrbis, iniſſe eum domeſticam ſcenam, & ceciniſſe Troianum excidium, præſentia mala vetuſtis cladibus aſſimulantem.

POPVLARIA facta Principis in inritum cadunt, cum rumor peruadit illum aliud in animo habere.

Sexto demum die apud imas Exquilias finis incendio factus, proruptis per immenſum ædificijs, vt continuæ violentiæ campis & velut vacuum cælum occurreret. Nedum poſito metu redibat. Leuius rurſum graſſatus ignis, patulis magis vrbis locis, eoq. ſtrages hominum minor, delubra deum, & porticus amœnitati dicatæ latius procidere: Plusq. infamiæ id incendium habuit, quia prædijs Tigellini Æmilianis proruperat.

MALVM, quod in ciuitatem prorumpit, plus infamia erga Principem habet, quando ex ſuis gratioſis, & apud eum potentibus Aulicis oritur.

Videbaturq. Nero condendæ vrbis nouæ, & cognomento ſuo appellandæ gloriam quærere. Quippe in regiones quattuordecim Roma diuiditur: quarum quattuor integrę manebant, tres ſolo tenus diectæ: ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſupererant lacera & ſemiuſta. Domuum, & inſularum, & templorum, quæ amiſſa ſunt, numerum inire haud promptum fuit: ſed vetuſtiſſima religione, quod Seruius Tullius Lunæ, & Magna ara fanumq. quæ præſenti Herculi Arcas Euander ſacrauerat, ædesq. Statoris Iouis vota Romulo, Numæq. regia, & delubrum Veſtæ cum penatibus populi Romani, exuſta. iam opes tot victorijs quæſitæ, & Græcarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua & incorrupta, quamuis in tanta reſurgentis vrbis pulchritudine, multa ſeniores meminerant, quæ reparari nequibant. Fuere qui annotarent, XIV. Kalen. Sextiles principium incendij huius ortum, quo & Senones captam vrbem imflammauerant. Alij eo vſque cura progreſſi ſunt, vt totidem annos menſesq. & dies inter vtraque incendia numerent. Ceterum Nero vſus eſt patrię ruinis, extruxitq. domum,

ROMAE hoc quotidie contingit, vt Aulici, vtantur aliorum ruinis & ſibi domos extruant. Nam morte aliorum, res ſuas augent & promouent.

in qua haud perinde gemmæ & aurum miraculo eſſent, ſolita pridem, & luxu vulgata, quàm arua & ſtagna, & in modum ſolitudinum hinc ſiluæ, inde aperta ſpatia, & proſpectus: magiſtris & machinatoribus ſeuero & Celere quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegauiſſet, per artem tentare, & viribus principis illudere.

VERE Principis viribus illudit, qui ingenio & audacia per artem tentat, etiam quæ natura denegat. Imitatrix enim natura eſt ars. Porro abſurdum eſt, plus poſſe imitata, imitantem rem.

Namque ab lacu Auerno nauigabilem foſſam vſque ad Oſtia Tiberina depreſſuros promiſerant, ſqualenti littore, aut per montes aduerſos. Neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quàm Pomptinæ paludes: cetera abrupta, aut arentia, ac ſi perrumpi poſſent, intolerandus labor; nec ſatis cauſſæ.

SVSCIPERE abſque valida & ſufficienti cauſſa, intolerandum laborem, ſemper improbabitur a ſapientibus.

Nero tamen, vt erat incredibilium cupitor, effodere proxima Auerno iuga connixus eſt: manentq. veſtigia inritæ ſpei.

PRINCIPVM hoc eſt, vt ſint incredibilium cupitores. Sine magnitudine animi hoc contingat, ſiue potentia ſua omnia peruia eſſe exiſtiment, affirmare non auſim.

Ceterum

Ceterum vrbis, quæ domus perierant, non vt poſt Gallica incendia, nulla diſtinctione, nec paſſim erectæ: ſed dimenſis vicorum ordinibus, & latis viarum ſpatijs, cohibita ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additisq. porticibus, quæ frontem inſularum protegerent. Easq. porticus Nero ſua pecuniæ extructurum, purgatasq. areas dominis traditurum, pollicitus eſt. Addidit præmia pro cuiuſque ordine, & rei familiaris copijs: finiuitq. tempus, intra quod effectis domibus aut inſulis, adipiſcerentur. Ruderi accipiendo Hoſtienſes paludes deſtinabat, vtq. naues quæ frumentum Tiberi ſubuectaſſent, onuſtæ rudere decurrerent. Ædificiaq. ipſa certa ſui parte, ſine trabibus, ſaxo Gabino Albanoq. ſolidarentur: quod is lapis igni imperuius eſt. Iam aqua priuatorum licentia intercepta, quo largior & pluribus locis in publicum flueret, cuſtodes, & ſubſidia reprimendis ignibus, in propatulo quiſque haberet: nec communione parietum, ſed proprijs quæque muris ambirentur. Ea ex vtilitate accepta decorem quoque nouæ vrbi attulere.

OMNIA aſſequetur rei cuiuſque egregia artifex, & omnibus numeris vere opus ſuum abſoluet, cũ vtilitati decorem quoque adiunget in opiſicio ſuo. Huc perbelle facit Horatianũ illud.

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Erant tamen qui crederent veterem illam formam ſalubritati magis conduxiſſe, quoniam anguſtiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde ſolis vapore perumperentur. At nunc patulam latitudinem, & nulla vmbra defenſam grauiore æſtu ardeſcere.

IN ciuitatibus magis ſalubritati conducit, eas anguſta itinera, & altitudinem tectorum habere; quàm patulam latitudinem, & nulla vmbra defenſam. Illo enim modo non perinde ſolis vapore perrumpuntur: hoc vero, grauiore æſtu ardeſcunt.

Et hæc quidem humani conſilijs prouidebantur. Mox petita a dijs piacula, aditiq. Sibyllæ libri, ex quibus ſupplicatum Vulcano & Cereri Proſerpinæq. ac propitiata Iuno per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare. Vnde hauſta aqua, templum & ſimulacrum deæ proſperſum eſt; & lectiſternia ac per vigilia celebrauere feminæ, quibus mariti erant.

IN malis, quæ nobis accidunt, non ſolum humanis conſilijs, eis prouidere nos oportet: ſed etiam immo præcipue, a Deo petere piacula, & auxilia.

Sed non ope humana non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin iuſſum incendium crederetur.

PARVM ſufficit Tyranno, omnia aggredi, moliri, fingere, & machinari, ad abolendum ſiniſtrum de ſe in populo rumorem: quòd numquam ex animis ſubditorum decedet illius infamia.

Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos, vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis eius CHRISTVS, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſaq. in præſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat, non modo per Iudæam originem eius mali, ſed per vrbem etiam: quo cuncta vndique atrocia, aut pudenda confluunt, celebranturq. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij, quam odio humani generis conuicti ſunt. Et pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi; atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis vrerentur. Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat, & Circenſe ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo inſiſtens. Vnde quamquam aduerſus ſontes & nouiſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur; tamquam non vtilitate publica, ſed in ſæuitiam vnius abſumerentur.

HAEC eſt perſecutio, quam paſſi ſunt Chriſtiani ſub impio hoc, & ſceleſtiſſimo Tyranno: in qua Sancti Petrus, & Paulus, præter ceteros, martyrium ſubiere. De qua re vt notiſſima, verbum nullum addo: cum ſacra Littera hiſtoriæ huius pleniſſima ſint. Et aduertat Lector, quòd ille, qui ſcribit hanc hiſtoriam, Ethnicus fuit, & gentilis. Ideo vt Ethnicus, & gentilis loquitur de Religione noſtra.

& ſi qui duces obtinendæ donandæve Armeniæ egerant: Vaſaces imaginem retinendi donandive penes nos, vim penes Parthos memorat.

R*ELIN QVI poteſt alteri imago retinendi & donandi; dummodo vis ſit apud te. Et locus in textu corruptiſsimus eſt.*

Et multum inuicem diſceptato, Monobazus Adiabenus in diem poſterum teſtis ijs, quę pepigiſſent, adhibetur. Placuitq. liberari obſidio legiones, & decedere omnem militem finibus Armeniorum, caſtellaq. & commeatus Parthis tradi. Quibus perpetratis copia Vologeſi fieret mittendi ad Neronem legatos. Interim fluuio Arſameti, is caſtra præfluebat, pontem impoſuit, ſpecie ſibi illud iter expedientis. Sed Parthi quaſi documentum victoriæ iuſſerant. namque ijs vſui fuit. Noſtri per diuerſum iere. Addidit rumor, ſub iugum miſſas legiones, & alia ex rebus infauſtis: quorum ſimulacrum ab Armenijs vſurpatum eſt. Nam & munimenta ingreſſi ſunt, antequam agmen Romanum decederet; & circumſterere vias, captiua olim mancipia, aut iumenta agnoſcentes, abſtrahentesq. Raptæ etiam veſtes, retenta arma, pauido milite & concedente ne qua prælij cauſſa exſiſteret.

R*ARO fit, vt victor temperate vti victoria ſciat: quin immo potius ſe in ſuperbiam & arrogantiam efferat. Præſertim ſi Barbarus eſt origine.*

Vologeſes armis & corporibus cæſorum aggregatis, quo cladem noſtram teſtaretur, viſu fugientium legionum abſtinuit. Fama moderationis quærebatur, poſtquam ſuperbiam expleuerat.

N*IMIVS eſt animi inſolentis & tyrannici faſtus, ſuperbiam explere, & poſtea famam moderationis quærere. Et hoc modo illudunt inferioribus ſuperbi, & prapotentes homines.*

Flumen Arſametem elephanto inſidens, & proximus quiſque regi vi equorum perrupere, quia rumor inceſſerat, pontem ceſſurum oneri, dolo fabricantium.

H*OC modo, quo Vologeſes flumen Arſemetem, & proximos quiſque vi equorum perruperunt, & tranauerunt; pertranſiit etiam Tarum amnem CAROLVS VIII. Gallorum Rex. Guic. lib. ij. Hiſt.*

Sed qui ingredi auſi ſunt, validum fidum intellexere.

N*VLLA res magis mendaciorum, & famæ vana nebulas diſcutit, quàm experientia.*

Ceterum obſeſſis adeo ſuppeditauiſſe rem frumentariam conſtitit, vt horreis ignem inijcerent: contraq. prodiderit Corbulo Parthos inopes copiarum, & pabulo attrito, relicturos oppugnationem, neque ſe plus tridui itinere abfuiſſe. Adiecit, iureiurando Pæti cautum apud ſigna, adſtantibus ijs, quos teſtificando rex miſiſſet, neminem Romanum Armeniam ingreſſurum, donec referantur litteræ Neronis, an paci annueret. Quæ vt augendæ infamiæ compoſita,

H*IS, quæ ab æmulo aduerſus æmulum dicuntur, pauca fides adhiberi debet. Sæpe enim ad augendam æmuli infamiam ab æmulo componuntur.*

ſic reliqua non in obſcuro habentur: vna die quadraginta millium ſpatium emenſum eſſe Pætum, deſertis paſſim ſaucijs, neque minus deformem illam fugientium trepidationem, quàm ſi terga in acie vertiſſent. Corbulo cum ſuis copijs apud ripam Euphratis obuius, non eam ſpeciem inſignium & armorum prætulit, vt diuerſitatem exprobraret. Mæſti manipuli, ac vicem commilitonum miſerantes, ne lacrymis quidem temperauere. Vix præ fletu vſurpata conſalutatio. Deceſſerat certamen virtutis, & ambitio gloriæ, felicium hominum affectus.

C*ERTAMEN virtutis, & ambitio gloriæ ſunt felicium hominum affectus. Et eſt laudabilis modeſtia, non inſultare æmulo victo & afflicto; ſed potius illum erigere & ſubleuare.*

ſola miſericordia valebat, & apud minores magis.

A*PVD minores ſemper magis valet miſericordia.*

Ducum

Dictum inter ſe breuis ſermo ſecutus eſt, hic conqueri tantum irritum laborem, potuiſſe bellum fuga Parthorum finiri. Ille integra vtrique cuncta reſpondit, conuerterent aquilas, & iuncti inuaderent Armeniam abſceſſu Vologeſis infirmatam.

SEMPER quiſque propriæ fauet cauſſæ. Et vide Lipſium hic in Commentario. tenebræ enim ſunt in textu.

Non ea imperatoris habere mandata Corbulo:

FINES mandati non ſunt excedendi. Niſi vrgens aliqua cauſſa & neceſſitas cogat.

periculo legionum commotum, e prouincia egreſſum. Quando in incerto habeantur Parthorum conatus, Syriam repetiturum. Sic quoque optimam fortunam orandam, vt pedes confectus ſpatijs itinerum, alacrem & facilitate camporū præuenientem equitem aſſequeretur. Exin Pætus per Cappadociam hibernauit. At Vologeſis ad Corbulonem miſſi nuncij, detraheret caſtella trans Euphratem, amnemq. vt omnium medium faceret. Ille Armeniam quoque diuerſis præſidijs vacuam fieri expoſtulabat. Et poſtremo conceſſit rex. Diruptaq. quæ vltra Euphratem communierat Corbulo, & Armenij ſuo arbitrio relicti ſunt. At Romæ trophæa de Parthis, arcusq. medio Capitolini montis ſiſtebantur: decreta ab ſenatu, integro adhuc bello, neque tum omiſſa, dum aſpectui conſulitur, ſpreta conſcientia.

PRVDENS Princeps, ad retinendum in fide populum, etſi clade aliqua premitur; tamen ſæpe conſulere debet aſpectui: hoc eſt diſſimulare mala interna, & illa occultare: ne populus pauore tumultuetur.

Quin & diſſimulandis rerum externarum curis Nero frumentum plebis vetuſtate corruptum, in Tiberim iecit, quo ſecuritatem annonæ oſtentaret. cuius pretio nihil additum eſt, quamuis ducentas ferme naues portu in ipſo, violentia tempeſtatis, & centum alias Tiberi ſubuectas, fortuitus ignis abſumpſiſſet.

PROPRIA eſt Principis cura, ſuſtentare ſecuritatem annonæ in populo. Quod etſi alias ſæpe diximus, tamen numquam nos pigebit id repetere, non ſine iteratione laudum debitarum SIXTO V. Sanctiſſimo Paſtori: qui in hanc curam egregie & feliciter incumbit, & illius pretio non ſolum aliquid addidit; immo multum detraxit, & detrahit.

Tris dein conſulares, L. Piſonem, Ducennium Geminum, Pompeium Paulinum vectigalibus publicis præpoſuit, cum inſectatione priorum principum, qui grauitate ſumptuum iuſtos reditus anteiſſent ſe, annuum ſexcenties ſeſtertium Reipubl. largiri.

ANTEIRE iuſtos reditus grauitate ſumptuum, Principi ſemper oberit. Ad inopiam enim hoc modo facile deueniet. Vnde poſtea illi neceſſe erit extorſiones & rapinas facere: ex quibus oriuntur coniurationes. Ideo prudens Princeps ſemper ſumptuum parcitate, ex iuſtis reditibus, quotannis aliquam pecuniæ ſummam ſeponet: quæ illi ad ingruentes caſus belli & pacis, firmiſſimum erit ſubſidium, & decus.

Percrebuerat ea tempeſtate prauiſſimus mos, cum propinquis comitijs, aut ſorte prouinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adſciſcerent filios præturasq. & prouincias inter patres ſortiti, ſtatim emitterent manu quos adoptauerant: Qui magna cum inuidia ſenatum adeunt, ius naturæ, labores educandi, aduerſus fraudem & artes & breuitatem adoptionis enumerant. Satis pretij eſſe orbis, quod multa ſecuritate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta & obuia haberent. Sibi promiſſa legum diu exſpectata, in ludibrium verti, quando quis ſine ſolicitudine parens, ſine luctu orbus, longa patrum vota repente adæquaret.

ELEGANTER & acute poteſt dici de adoptantibus filios: vt ſint ſine ſolicitudine parentes, ſine luctu orbi, & longa patrum vota repente adæquent.

Factum ex eo ſenatuſconſultum, ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret, ac ne vſurpandis quidem hereditatibus prodeſſet.

SIMVLATA adoptio in nulla parte muneris publici iuuare debet, nec vſurpandis hereditatibus prodeſſe. Cum qua in fraudem aliorum fiunt, nullum habere robur debeant: ſicut plena ſunt omnium Iuriſconſultorum pagina.

Exin Claudius Timarchus Cretenſis reus agitur, ceteris criminibus, vt ſolent præualidi prouincialium, & opibus nimijs ad iniurias minorum elati:

PRAEVALIDI nimijs opibus ad iniurias minorum facile efferuntur. Nam, teſte Ariſt. in 2. Rhet. ob fortuna bona, quibus abundant, ſunt omnes diuites procliues ad inferendam iniuriam.

vna vox eius vſque ad contumeliam ſenatus penetrauerat, quòd dictitaſſet, in ſua poteſtate ſitum, an proconſulibus, qui Cretam obtinuiſſent, grates agerentur. Quam occaſionem Pætus Thraſea ad bonum publicum vertens,

PRVDENTIS Senatoris & Principis eſt, vertere omnes occaſiones ad bonum publicum.

poſtquam de reo cenſuerat, prouincia Creta depellendum, hæc addidit: Vſu probatum eſt P. C. leges egregias, exempla honeſta, apud bonos ex delictis aliorum gigni:

EGREGIAE leges, & exempla honeſta apud bonos, ex delictis aliorum gignuntur.

Sic oratorum licentia, Ciciam rogationem: candidatorum ambitus, Iulias leges: magiſtratuum auaritia, Calpurnia ſcita, pepererunt. Nam culpa quàm pœna tempore prior, emendari quàm peccare poſterius eſt.

PRIOR tempore eſt culpa, quàm pœna, & emendari, quàm peccare, poſterius eſt. Et eſt ratio hæc ſuperioris ſententiæ à Thraſea prolata.

Ergo aduerſus nouam prouinciarum ſuperbiam dignum fide conſtantiaq. Romana capiamus conſilium:

IN capiendis conſilijs, & Princeps, & Reſpublica, ſemper debet præ oculis habere fidem & conſtantiam, quam alias exhibuerit.

quo tutelæ ſociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat, qualis quiſque habeatur alibi quàm in ciuium iudicio eſſe. Olim quidem non modo prætor aut conſul, ſed priuati etiam mittebantur, qui prouincias viſerent, & quid de cuiuſque obſequio videretur, referrent. trepidabantq. gentes de æſtimatione ſingulorum.

BENEFICIVM hoc infertur prouincijs, ad quas Princeps mittit aliquos viros iuſtos & inſignes, qui eas videant, & referant, quid de cuiuſque obſequio illis videtur: vt trepident gentes de æſtimatione ſingulorum: & ſic ab iniurijs erga prouincias magis ſe abſtineant.

At nunc colimus externos, & adulamur, & quo modo ad nutum alicuius grates, ita promptius accuſatio decernitur. Decernaturq. ne maneat prouincialibus potentiam ſuam tali modo oſtentandi. Sed laus falſa & precibus expreſſa, perinde cohibeantur, quàm malitia, quàm crudelitas.

LAVS falſa, & precibus expreſſa, perinde cohiberi deberet, quàm malitia quàm crudelitas. Hic videndus eſt aureus ille Plutarchi tractatus, De adulatoris atque amici diſcrimine.

Plura ſæpe peccantur, dum demeremur, quàm dum offendimus.

PECCANTVR a nobis ſæpe plura, dum demeremur, quàm dum offendimus. In hoc enim ſæpe ira nos excuſat: ſed in illo conſilium & rationem adhibemus: adulando, aſſentando, & alia ſcelera committendo.

Quædam immo virtutes odio ſunt, ſeueritas obſtinata, inuictus aduerſum gratiam animus.

SAPIENTER fuit ab illo pronunciatum: Nequid nimis. Nam hac de cauſſa, quando nimia, quadam virtutes odio ſunt: vt ſeueritas obſtinata, inuictus aduerſum gratiam animus, & ſimilia.

Inde

Inde initia magiſtratuum noſtrorum meliora ferme, & finis inclinat,

TVRPE eſt, cum initia magiſtratuum meliora ſunt, & finis inclinat: nam bonis initijs optimi deberent reſpondere fines. Et quo modo ſe gerere in prouincijs gubernandis magiſtratus debeant; legenda eſt aurea illa Ciceronis ad Q. Fratrem Epiſtola lib. 1. Quæ quidem, vt recte inquit Budæus in annotationibus ad Pandectas, ſufficiet ad probe inſtruendum quemlibet præſidem prouinciæ.

dum in modum candidatorum ſuffragia conquirimus. quæ ſi arceantur, æqualius atque conſtantius prouinciæ regentur: nam vt metu repetundarum infracta auaritia eſt, ita vetita gratiarum actione ambitio cohibebitur.

IN magiſtratibus duo vitia ſunt formidanda: auaritia, atque ambitio. Porro vt auaritia metu repetundarum infrangitur, ſic ambitio, vetita gratiarum actione, cohibetur.

Magno aſſenſu celebrata ſententia. Non tamen ſenatuſconſultum perfici potuit, abnuentibus conſulibus ea de re relatum. Mox auctore principe ſanxere, ne quis ad concilium ſociorum referret, agendas apud ſenatum proprætoribus proueconſulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur. Iiſdem conſulibus gymnaſium ictu fulminis conflagrauit, effigiesq. in eo Neronis ad informe æs liquefacta. Et motu terræ, celebre Campaniæ opidum Pompeij, magna ex parte proruit. Defunctaq. virgo Veſtalis Lælia, in cuius locum Cornelia ex familia Coſſorum capta eſt. Memmio Regulo & Virginio Rufo Coss. natam ſibi ex Poppæa filiam Nero vltra mortale gaudium accepit,

DEDECET Principem accipere ſucceſſum aliquem proſperum, vltra mortale gaudium. Leuitatem enim animi oſtendit: quæ ab eo maxime abeſſe debet.

appellauitq. Auguſtam, dato & Poppææ eodem cognomento. Locus puerperio colonia Antium, vbi ipſe generatus erat. Iam ſenatus vterum Poppææ commendauerat dijs, votaq. publice ſuſceperat: quæ multiplicata, exſolutaq. Et additæ ſupplicationes templumq. Fecunditati, & certamen ad exemplar Atticæ religionis decretum. Vtq. fortunarum effigies aureæ in ſolio Capitolini Iouis collocarentur: ludicrũ Circenſe, vt Iuliæ genti apud Bouillas, ita Claudiæ domitiæq. apud Antium ederetur. quæ fluxa fuero, quartum intra menſem defuncta infante.

FLVXA ſunt omnia, quæ in terris habemus: nihil firmum hic, nihil ſtabile. fecit ad ſe nos Deus, & inquietum eſt cor noſtrum, donec ad illum redeat. Auguſtino teſte.

Rurſusq. exortæ adulationes, cenſentium honorem diuæ, & puluinar, ædemq. & ſacerdotem. Atque ipſe vt lætitiæ, ita mæroris immodicus egit.

QVI eſt lætitiæ immodicus, ita etiam erit mæroris. Contrariorum enim eadem eſt diſciplina.

Adnotatum eſt, omni ſenatu Antium ſub recentem partum effuſo, Thraſeam prohibitum, immoto animo prænunciam imminentis cædis contumeliam excepiſſe.

VERE fortis eſt ille, qui immoto animo, ſub ſæuo Tyranno prænunciam imminentis cædis contumeliam excipit.

Secuta dehinc vocem Cæſaris ferunt, qua reconciliatum ſe Thraſeæ apud Senecam iactauerit, ac Senecam Cæſari gratulatum. Vnde gloriæ egregijs viris, & pericula gliſcebant.

SVB Tyranno, egregijs viris, & gloria & pericula gliſcunt. Nec ſeparata ſingula repeririuntur.

Interim veris principio, legati Parthorum mandata regis Vologeſis, litterasq. in eandem formam attulere. Se priora & toties iactata ſuper obtinenda Armenia nunc omittere, quoniam dij quamuis potentium populorum arbitri poſſeſſionem Parthis non ſine ignominia Romana tradidiſſent.

DEVS eſt arbiter populorum, quamuis potentium. Nam, vt eſt apud S. Paulum: Omnis poteſtas eſt a Deo.

Nuper clauſum Tigranem, poſt Pætum legionesq. cum opprimere poſſet, incolumes dimiſiſſe. Satis approbatam vim, datum & lenitatis experimentum.

PRINCEPS, *cum ſatis eius vis fuerit ab hoſte approbata, poteſt dare lenitatis experimentum.*

Nec recuſaturum Tiridatem accipiendo diademati in vrbem venire, niſi ſacerdotij religione attineretur. Iturum ad ſigna & effigies principis, vbi legionibus coram, regnum auſpicaretur. Talibus Vologeſis litteris, quia Pætus diuerſa tamquam rebus integris ſcribebat, interrogatus centurio qui cum legatis aduenerat, quo in ſtatu Armenia eſſet, omnes inde Romanos exceſſiſſe reſpondit. Tum intellecto Barbarorum irriſu, qui peterent quod eripuerant,

CERTE *alterum quodam modo irridet ille, qui petit ab eo, quod iam illi eripuit.*

conſuluit inter primores ciuitatis Nero, bellum anceps, an pax in hoſte placeret. Nec dubitatum de bello. Et Corbulo tot per annos militum atque hoſtium gnarus, gerendæ rei præficitur:

REI *gerendæ præfici a Principe debent duces, qui ſint per multos annos, ſi poteſt fieri, hoſtium, ac militum gnari.*

ne cuius alterius inſcitia rurſum peccaretur, quia Pæti piguerat.

A *duce, quem Princeps exercitui præficit, abeſſe debet inſcitia. Ob hanc enim maxime in eius damnum peccari ſolet.*

Igitur inriti remittuntur; cum donis tamen, vnde ſpes fieret, non fruſtra eadem oraturum Tiridatem, ſi preces ipſe attuliſſet.

NVMQVAM *ſunt ad deſperationem adigendi hoſtium animi.*

Syriæq. exſecutio Cintio, copiæ militares Corbuloni permiſſæ, & quintadecima legio, ducente Mario Celſo, e Pannonia adiecta eſt. Scribitur tetrarchis ac regibus præfectisq. & procuratoribus, & qui prætorum finitimas prouincias regebant, iuſſis Corbulonis obſequi, in tantum ferme modum aucta poteſtate, quem populus Romanus Gn. Pompeio bellum Piraticum geſturo dederat. Regreſſum Pætum, cum grauiora metueret, facetijs inſectari ſatis habuit Cæſar, his ferme verbis: Ignoſcere ſe ſtatim, ne tam promptus in pauorem longiore ſolicitudine ægreſceret:

IN *aliquibus perſonis quædam crimina ſufficit caſtigare facetijs, & irriſu: quæ in alijs pœna magna & ſupplicio digna eſſent. Adeo refert perſonarum condicio.*

At Corbulo quarta & duodecima legionibus, quæ fortiſſimo quoque amiſſo, & ceteris exterritis, parum habiles prælio videbantur, in Syriam tranſlatis,

EXERCITVS *ille eſt parum habilis prælio, cuius fortiſsimus quiſque eſt amiſſus, & ceteri exterriti. Et ideo dux prouidus nullam in eo ſpem reponere debet.*

ſextam inde ac tertiam legiones, integrum militem & crebris ac proſperis laboribus exercitum in Armeniam ducit. Addiditq. legionem quintam quę per Pontum agens, expers cladis fuerat.

FIDERE *poteſt dux de milite integro, & crebris ac proſperis laboribus exercito, & qui expers cladis ſit ab hoſte.*

Simul quintadecimanos recens adductos, & vexilla delectorum ex Illyrico & Ægypto, quodq. alarum cohortiumq. & auxilia regum in vnum conducta apud Melitenen, qua traſmittere Euphratem parabat. Tum luſtratum rite exercitum ad concionem vocat, orditurq. magnifica de auſpicijs imperatorijs, rebusq. a ſe geſtis, aduerſam inſcitiam Pæti declinans.

IN *orando ad milites, debet dux prouidus illa tangere, quæ militem fortiorem & audentiorem facere poſsint: a reliquis abſtinere. Sic ſupra de Germanico Auctor inquit: Reticuit de aduerſis.*

multa auctoritate, quæ viro militari pro facundia erat.

AVCTORITAS eſt pro facundia viro militari. Supra de Druſo idem.

Mox iter L. Lucullo quondam penetratum, apertis quæ vetuſtas obſepſerat, pergit. Et venientes Tiridatis Vologeſiſq. de pace legatos haud aſpernatus, adiungit ijs centuriones cum mandatis non immitibus. Non enim adhuc eo ventum, vt certamine extremo opus eſſet. Multa Romanis ſecunda, quædam Parthis eueniſſe documento aduerſus ſuperbiam.

QVAE nobis aduerſa eueniunt, debent eſſe documentum aduerſus ſuperbiam.

proinde & Tiridati conducere. intactum vaſtationibus regnum dono accipere; & Vologeſen melius ſocietate Romana, quàm damnis mutuis, genti Parthorum conſulturum. Scire quantum intus diſcordiarum, quamq. indomitas & præferoces nationes regeret.

BELLVM cum externis gerere non conducit Principi, qui intus magnas habet diſcordias, & indomitas ac praferoces nationes regit. Dum enim de alieno certat, proprium illi eripietur.

Contra imperatori ſuo immotam vbique pacem, & vnum id bellum eſſe.

AVDENTIVS poteſt gerere bellum Princeps ille, qui immotam vbique habet pacem, & vnum tantum bellum, quàm qui intus magnas habet diſcordias, & indomitas & praſeroces regit nationes.

Simul conſilio terrorem adijcere, & Megiſtanas Armenios qui primi a nobis defecerant, pellit ſedibus, caſtella eorum excindit, plana edita, validos, inualidosq. pari metu complet.

EFFICACISSIMVS erit in perſuadendo ille ſemper, qui conſilio adijciet terrorem.

Non infenſum, nedum hoſtili odio Corbulonis nomen etiam Barbaris habebatur, eoq. conſilium eius fidum credebant.

TRIA ſunt, Teſte Ariſt. 2. Rhetor. quæ nobis acquirunt fidem: probitas, beneuolentia, & prudentia. Ergo nil mirum, ſi Barbari, quem amabant, huic credebant.

Ergo Vologeſes neque atrox in ſummam, & quibuſdam præfecturis inducias petit. Tiridates locum diemq. colloquio poſcit. Tempus propinquum, locus, in quo nuper obſeſſæ cum Pæto legiones erant, cum a Barbaris dilectus eſſet, ob memoriam lætioris ſibi rei, non eſt a Corbulone vitatus, vt diſſimilitudo fortunæ gloriam augeret.

PLERVMQVE diſsimilitudo fortunæ gloriam auget. Et hanc pro tempore dux ſolers arripere debet.

Neque infamia Pæti augebatur, quod eo maxime patuit, quia filio eius tribuno ducere manipulos atque operire reliquias malæ pugnæ imperauit.

HAEC eſt gloria, quam omnis vir bonus etiam ſecundum Chriſtianæ legis dogmata accipere & ſequi poteſt: nempe cum ob eam infamia proximi non augetur.

Die pacta Tiberius Alexander inluſtris eques Romanus miniſter bello datus. & Viuianus Annius gener Corbulonis, nondum ſenatoria ætate, ſed pro legato quintæ legioni impoſitus, in caſtra Tiridatis venere honori eius, ac ne metueret inſidias tali pignori. Viceni dehinc equites aſſumpti. Et viſo Corbulone, rex prior equo deſiluit: nec contatus Corbulo. Sed pedes vterque dextras miſcuere. Exin Romanus laudat iuuenem, omiſſis præcipitibus, tuta & ſalutaria capeſſentem.

PRVDENS debet ſemper omittere præcipitia, & tuta ac ſalutaria capeſſere. Et qui ſic aget, ſemper laudem merebitur.

Ille

Ille de nobilitate generis multum præfectus, cetera temperanter adiungit. Iturum quippe Romam, laturumq. nouum Cæſari decus, non aduerſus Parthorum rebus ſupplicem Arſacidem.

NOVVM decus, & magnum affert Principi clarus hoſtis eius ſupplex, non aduerſis ſuis rebus.

Tum placuit Tiridaten ponere apud effigiem Cæſaris inſigne regium, nec niſi manu Neronis reſumere. & colloquium oſculo finitum. Dein paucis diebus interiectis, magna vtrimque ſpecie, inde eques compoſitus per turmas, & inſignibus patrijs, hinc agmina legionum ſtetere fulgentibus aquilis, ſignisq. & ſimulacris deum in modū templi. Medio tribunal ſedem curulem, & ſedes effigiem Neronis, ſuſtinebat. Ad quam progreſſus Tiridates, cæſis ex more victimis, ſublatum capite diadmea imagini ſubiecit magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat inſita adhuc oculis exercituum Romanorum cædes, aut obſidio. At nunc verſos caſus: iturum Tiridaten oſtentui gentibus, quanto minus quàm captiuum.

NVMQVAM in eodē ſtatu res humana permanent. Vertuntur caſus, & humilia ſublimantur ſublimia humiliantur. Ideo prudentis eſt, nihil huic mundo fidere: ſed ſemper ad DEVM mentem dirigere.

Addidit gloriæ Corbulo comitatem, epulasq.

GEMINATVR gloria in duce victore, cum illi addit comitatem.

& rogitante rege cauſſas, quoties nouum aliquid aduerterat: vt, initia vigiliarum per centurionem nunciari, conuiuium buccina dimitti, & ſtructa ante Auguralem aram ſubdita face accendi: cuncta in maius extollens, admiratione priſci moris affecit.

QVI ſcit cuncta in maius extollere loco & tempore, admiratione ſui omnes afficit.

poſtremo die ſpatium orauit, quo tantum itineris aditurus, fratres ante, matremq. viſeret: obſidem interea filiam tradit, litterasq. ſupplices ad Neronem. Et digreſſus Pacorum apud Medos, Vologeſen Ecbatanis repperit, non incurioſum fratris:

PRINCIPEM decet, eſſe haudincurioſum proximorum. Nam ſunt eius munimenta & præſidia, ſi illis recte vti ſciet. Auguſtus ſupra lib. i. Annal. & Titus in lib. iiij. Hiſt. ad Veſpaſianum patrem.

quippe & proprijs nuncijs a Corbulone petierat, ne quam imaginem ſeruitij Tiridates pet ferret, neu ferrum traderet, aut complexu prouincias obtinentium arceretur, foribusve eorum aſſiſteret: tantusq. Romæ, quantus conſulibus, honor eſſet. Scilicet externæ ſuperbiæ ſueto non erat notitia noſtri: apud quos ius imperij valet, inania tranſmittuntur,

APVD prudentes Principes, ius imperij valet, inania traſmittuntur. Quod obſeruauit ſemper Auguſtus, Tiberius, & omnes Pricipes ſapientes obſeruabunt. Contra, externa ſuperbia ſueti, aliter ſentiunt, & male. Nam Cæſar Dictator hac de cauſſa perniciem ſibi maturauit.

Eodem anno Cæſar nationes alpium maritimarum in ius Latij tranſtulit. Equitum Romanorum locos ſedilibus plebis antepoſuit apud Circum. Namque ad eam diem indiſcreti inibant; quia lex Roſcia nihil niſi de quatuordecim ordinibus ſanxit. Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora. Sed feminarum illuſtrium ſenatorumq. plures per arenam fœdati ſunt. C. Lecanio, M. Licinio Coss. acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiſcuas ſcenas frequentandi. Nam adhuc per domum aut hortos cecinerat Iuuenalibus ludis, quos vt parum celebres & tantę voci anguſtos ſpernebat. Non tamen Romæ incipere ſcenas auſus, Neapolim quaſi Græcam vrbem dilegit. Inde initium fore, vt trangreſſus in Achaiam, inſignesq. & antiquitus ſacras coronas adeptus, maiore fama, ſtudia ciuium eliceret. Ergo contractum

opida-

oppidanorum vulgus, & quos e proximis colonijs & municipijs eius rei fama ciuerat, quiq. Cæſarem per honorem, aut varios vſus ſectantur,

SECTANTVR Principem, & Aulam alij per honorem, alij per varios vſus. Nec omnes vna eademq. de cauſſa.

etiam militum manipuli theatrum Neapolitanorum complent. Illic plerique, vt arbitrabantur, triſte: vt ipſe, prouidum potius & ſecundis numinibus euenit. Nam egreſſo qui affuerat popolo, vacuum & ſine vllius noxa theatrum collapſum eſt. Ergo per compoſitos cantus grates dijs, atque ipſam recentis caſus fortunam celebrans, petiturusq. maris Hadriæ traiectus, apud Beneuentum interim conſedit: vbi gladiatorum munus a Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter fœdiſſima eius aulæ oſtenta fuit, ſutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetijs ſcurrilibus: primo in contumelias aſſumptus, deinde optimi cuiuſque criminatione eo vſque valuit, vt gratia, pecunia, vi nocendi etiam malis præmineret.

INTER fœdiſſima Aularum oſtenta conſpiciuntur ſæpe aliqui ignobiles, corpore detorto, & facetijs ſcurrilibus: qui primo in contumelias aſſumuntur, deinde optimi cuiuſque criminatione eo vſque valent, vt gratia, pecunia, vi nocendi, etiam malis præmineant.

Eius munus frequentanti Neroni, ne inter voluptates quidem a ſceleribus ceſſabatur.

SVB Tyranno adeo infelix ſtatus eſt, vt ne inter voluptates quidem a ſceleribus ceſſetur.

Iiſdem quippe illis diebus Torquatus Sillanus mori adigitur, quia ſuper Iuniæ familiæ claritudinem diuum Auguſtum atauum ferebat.

NOBILITAS longa decora præferens, ſemper ſub Tyranno intuta erit, & periculoſa.

Iuſſi id accuſatores obijcere,

NON ſponte apud Tyrannum accuſatores ſæpe exercent officium: ſed iubentur id implere, & modus accuſationis illis demonſtratur, ad explendam Tyranni ſæuitiam.

prodigum largitionibus, neque aliam ſpem quam in nouis rebus eſſe.

PRODIGI largitionibus nullam aliam ſpem, quam in rebus nouis habet. Et in omnibus coniurationibus ſimile hominum genus reperitur, qui nomen det.

quin eum nobiles habere, quos ab epiſtolis & libellis & rationibus appellet, nomina ſummæ curæ & meditamenti.

SVSPECTET ſemper Princeps de ſubdito, qui in familia ſua nobiles habeat, & nomina ſumma curæ, & meditamenti. Infallenter enim indicare & arguere poteſt, illum pluſquam ciuilia agitare.

Tum intimis quiſque libertorum vincti abreptiq. Et cum damnatio inſtaret, brachiorum venas Torquatus interſcidit, ſecutaq. Neronis oratio ex more: quamuis ſontem & defenſioni merito diffiſum, victurum tamen fuiſſe, ſi clementiam iudicis expectaſſet.

SEMPER Tyrannus, cum factis ſæuitia promit, illam dictis temperat, & lenit. Et hoc modo miſeris ſubditis illudit In Tiberio plura huius rei exempla obſeruauimus. Ideo nihil amplius hic.

Nec multo poſt omiſſa in præſens Achaia, cauſſæ in incerto fuere, vrbem reuiſit:

DELIBERATIONVM Principis ferme ſemper ſunt in incerto cauſſæ. Alia enim methodo priuati eas metiuntur, quàm par ſit, vt multoties obſeruauimus.

prouincias Orientis, maxime Ægyptum, ſecretis imaginationibus agitans;

PRINCIPES ſemper ſecretis imaginationibus multa agitant, quæ priuatis ignota ſunt. Ideo eorum arcana inquirere eſt periculoſum & anceps, nec ideo adſequare: vt Auctor ſupra de Tiberio tradidit.

Dein

Dein edicto teſtificatus non longam ſui abſentiam, & cuncta in Rep. exinde immota ac proſpera fore, ſuper ea profectione adijt Capitolium, illic veneratus deos. Cum Veſtę quoque templum iniſſet, repente cunctos per artus tremens, ſeu numine exterrente, ſeu facinorum recordatione numquam timore vacuus, deſeruit inceptum.

RECORDATIO facinorum, numquam ſinit animum timore vacuum. Conſcientia enim, vt ille ait, pro mille teſtibus eſt. Nec ſic Cerberus, nec Scylla, nec omnes feræ latrant, ac mugiunt, quàm fœdus ac maculoſus animus ſibi male conſcius: qui ſemetipſum ſemper omnibus horis videt, audit, ac ſe latere non poteſt.

cunctas ſibi curas amore patriæ leuiores dictitans:

VERE omni & Principi, & priuato, deberent cuncta cura eſſe leuiores amore patriæ. Multum enim illi debemus.

Vidiſſe ciuium mæſtos vultus, audire ſecretas querimonias, quòd tantum aditurus eſſet iter cuius ne modicos quidem egreſſus tolerarent, ſueti aduerſum fortuita aſpectu principis refoueri.

MVLTA affert ſubditis beneficia Principis præſentia. Quorum non eſt vltimum, quòd eius aſpectu aduerſus fortuita refouentur.

Ergo vt in priuatis neceſſitudinibus proxima pignora præualerent: ita populum Romanum vim plurimam habere: parendumq. retinenti.

IN neceſſitudinibus priuatis, proxima pignora præualere ſolent. Et eadem proportio eum illis eſt, quæ cum populo.

Hæc atque talia plebi volenti fuere, voluptatum cupidine, & quæ præcipua cura eſt, rei frumentariæ anguſtias, ſi abeſſet, metuenti.

PLEBI præcipua cura eſt, præter voluptatum cupidinem, rei frumentariæ abundantia. Hinc Populi Romani mirificus amor in SIXTVM V. qui vtrique rei egregie ſatisfacit, ſpectacula illi concedendo, & annonam impenſa propria ſuppeditando. Vnde illi ſtatuam æream ſtatim initio Pontificatus erigi curauit.

Senatus & primores in incerto erant, procul, an coram atrocior haberetur,

ADEO praua eſt ſubditorum ſub Tyranno conditio, vt in incerto ſit, procul, an coram ipſe atrocior habeatur.

dehinc quæ natura magnis timoribus, deterius credebant, quod euenerat.

MAGNIS timoribus eſt hæc natura, vt deterius e duobus credat id, quod euenit, quàm quod irritum fuit. Ratio elicitur ex Philoſopho in 2. Rhet. de timore loquente: qui vt ipſe ait, præſentia magis reſpicit, & ad remotiora minus fertur.

Ipſe quo fidem acquireret, nihil vſquam perinde lætum ſibi; publicis locis ſtruere conuiuia, totaq. vrbe quaſi domo vti.

IN hoc ſemper intendit Tyrannus, vt ſibi fidem anquirat cum ſubditis, quo liberius & tutius eos voluere & reuoluere poſſit. Hinc multa ſimulat, & multa diſſimulat. Intus tamen ſemper ſæuitia, & libidinibus æſtuat.

Et celeberrimæ luxu famaq. epulæ fuere, quas Tigellino paratas, vt exemplum referam, ne ſæpius eadem prodigentia narranda ſit.

VITIORVM ſpecies aliquæ ſæpe adeo ordinem ſuum tranſcendunt: vt ad ea recte declinanda, non ſit niſi vtile & expediens hiſtorico, referre exemplum: quo cautius ab eis abſtinere poſſimus.

Igitur in ſtagno Agrippæ fabricatus eſt ratem, cui ſuperpoſitum conuiuium aliarum tractu moueretur. Naues auro & ebore diſtinctæ. Remigesq. exoleti, per ætates & ſcientiam libidinum componebantur. Volucres & feras diuerſis e terris, & animalia maris

Oceano ab vſque petiuerat. Crepidinibus ſtagni lupanaria aſtabant, inluſtribus feminis completa. Et contra ſcorta viſebantur, nudis corporibus. Iam geſtus motuſq. obſceni, & poſtquam tenebræ incedebant, quantum iuxta nemoris,& circumiecta tecta conſonare cantu & luminibus clareſcere. Ipſe per licita atque illicita fœdatus, nihil flagitij reliquerat, quo corruptior ageret; niſi paucos poſt dies vni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagoræ fuit in modum ſollemnium coniugiorum denupſiſſet. Inditum imperatori flammeum. Viſi auſpices duo, & genialis torus, & faces nuptiales; cuncta denique ſpectata, quæ etiam in femina nox operit.

LEGE Lector totum hunc Auctoris tractum: & in legendo indica, DEVM OPT. MAX. tunc voluiſſe, ob ſcelera ſua orbem vniuerſum plectere: illius habenas tribuendo nefario, & ſceleſto huic monſtro. Neroni ſcilicet, qui vere fax humani generis fuit.

Sequitur clades, forte, an dolo principis incertum: nam vtrumque auctores prodidere: ſed omnibus, quæ huic vrbi per violentiam ignium acciderunt, grauior atque atrocior. Initium in ea parte Circi ortum, quæ Palatino Cęlioq. montibus contigua eſt. Vbi per tabernas,quibus id mercimonium inerat quo flamma alitur,ſimul cœptus ignis, & ſtatim validus, ac vento citus longitudinem Circi corripuit. Neque enim domus munimentis ſeptæ, vel templa muris cincta, aut quid aliud moræ interiacebat. Impetu peruagatum incendium, plana primum, deinde in edita aſſurgens, rurſus inferiora populando anteijt remedia velocitate mali,

MALI velocitas anteit remedia: niſi fuerint prouiſa. Hinc ergo prudens debet animo præparato aduerſus fortunæ iniurias ſtare: ne aliquid illi inopinum contingat. Vt alibi obſeruauimus.

& obnoxia vrbe artis itineribus, hucq. & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit.

HOC malum venit vrbi, quæ habeat arta itinera, hucq. & illuc flexa,atque vicos enormes: vt caſibus incendiorum magis obnoxia ſit & maiora damna timere debeat.

Ad hoc lamenta pauentium feminarum feſſa ætate, aut rudis pueritiæ ætas, quiq. ſibi, quique alijs conſulebant, dum trahunt inualidos aut opperiuntur, pars morans, pars feſtinans, cuncta impediebant: & ſæpe dum in tergum reſpectant, lateribus aut fronte circumueniebantur: vel ſi in proxima euaſerant, illis quoque igni correptis, etiam quæ longinqua crediderant, in eodem caſu reperiebantur. Poſtremo quid euitarent, quid peterent ambigui, complere vias, ſterni per agros: quidam, amiſis omnibus fortunis, diurni quoque victus, alij charitate ſuorũ, quos eripere nequiuerant, quamuis patente effugio, interiere. Nec quiſquam defendere audebat, crebris multorum minis reſtinguere prohibentium; & quia alij palam faces iaciebant, atque eſſe ſibi auctorem vociferabantur: ſiue vt raptus licentius exercerent, ſeu iuſſu.

MINISTRI ſæpe,etſi a Principe iuſſa non habeant ſuper aliqua re, ea tamen fingunt habere, vt raptus licentius exerceant. Huic malo optime medebitur Princeps, ſi talem de ſe opinionem in Principatus initio iecerit; vt nemo miniſter id impune ſibi licere exiſtimet.

Eo in tempore Nero Antij agens, non ante in vrbem regreſſus eſt, quàm domui eius qua palatium & Mæcenatis hortos continuauerat, ignis propinquaret. Neque tamen ſiſti potuit, quin & palatium & domus & cuncta circum haurirentur. Sed ſolatium populo exturbato & profugo, campum Martis ac monumenta Agrippæ,hortos quin etiam ſuos patefecit. Et ſubitaria edificia exſtruxit, quæ multitudinem inopem acciperent. Subuectaq. vtenſilia ab Hoſtia & propinquis municipijs. pretiumq. frumenti minutum, vſque ad ternos nummos.

OPTIMA ratio conciliandi fauoris apud vulgum, eſt annonæ vilitas. Quod etſi ſupra ſæpe obſeruauimus, libuit tamen hic aſcribere pulcherrimos Lucani verſus in ij. Pharſaliæ in Iulij perſona: Sic ergo ille.

Ceterum vrbis, quæ domus petierant, non vt poſt Gallica incendia, nulla diſtinctione, nec paſſim erectæ: ſed dimenſis vicorum ordinibus, & latis viarum ſpatijs, cohibita ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additiſq. porticibus, quæ frontem inſularum protegerent. Eaſq. porticus Nero ſua pecunia extructurum, purgataſq. areas dominis traditurum, pollicitus eſt. Addidit præmia pro cuiuſque ordine, & rei familiaris copijs: finiuitq. tempus, intra quod effectis domibus aut inſulis, adipiſcerentur. Ruderi accipiendo Hoſtienſes paludes deſtinabat, vtq. naues quæ frumentum Tiberi ſubuectaſſent, onuſtæ rudere decurrerent. Ædificiaq. ipſa certa ſui parte, ſine trabibus, ſaxo Gabino Albanoq. ſolidarentur: quod is lapis igni imperuius eſt. Iam aqua priuatorum licentia intercepta, quo largior & pluribus locis in publicum flueret, cuſtodes, & ſubſidia reprimendis ignibus, in propatulo quiſque haberet: nec communione parietum, ſed proprijs quæque muris ambirentur. Ea ex vtilitate accepta decorem quoque nouæ vrbi attulere.

OMNIA aſſequetur rei cuiuſque egregia artifex, & omnibus numeris vere opus ſuum abſoluet, cũ vtilitati decorem quoque adiunget in opificio ſuo. Huc perbelle facit Horatianũ illud.

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Erant tamen qui crederent veterem illam formam ſalubritati magis conduxiſſe, quoniam anguſtiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde ſolis vapore perumperentur. At nunc patulam latitudinem, & nulla vmbra defenſam grauiore æſtu ardeſcere.

IN ciuitatibus magis ſalubritati conducit, eas anguſta itinera, & altitudinem tectorum habere, quàm patulam latitudinem, & nulla vmbra defenſam. Illo enim modo non perinde ſolis vapore perrumpuntur: hoc vero, grauiore æſtu ardeſcunt.

Et hæc quidem humanis conſilijs prouidebantur. Mox petita a dijs piacula, aditiq. Sibyllæ libri, ex quibus ſupplicatum Vulcano & Cereri Proſerpinæq. ac propitiata Iuno per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare. Vnde hauſta aqua, templum & ſimulacrum deæ proſperſum eſt; & lectiſternia ac per vigilia celebrauere feminæ, quibus mariti erant.

IN malis, quæ nobis accidunt, non ſolum humanis conſilijs, eis prouidere nos oportet: ſed etiam immo præcipue, a Deo petere piacula, & auxilia.

Sed non ope humana non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin iuſſum incendium crederetur.

PARVM ſufficit Tyranno, omnia aggredi, moliri, fingere, & machinari, ad abolendum ſiniſtrum de ſe in populo rumorem: quòd numquam ex animis ſubditorum decedet illius infamia.

Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos, vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis eius CHRISTVS, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſaq. in præſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat, non modo per Iudæam originem eius mali, ſed per vrbem etiam: quo cuncta vndique atrocia, aut pudenda confluunt, celebranturq. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij, quam odio humani generis conuicti ſunt. Et pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi; atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis vrerentur. Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat, & Circenſe ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo inſiſtens. Vnde quamquam aduerſus ſontes & nouiſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur; tamquam non vtilitate publica, ſed in ſæuitiam vnius abſumerentur.

HAEC eſt perſecutio, quam paſſi ſunt Chriſtiani ſub impio hoc, & ſceleſtiſſimo Tyranno: in qua Sancti Petrus, & Paulus, præter ceteros, martyrium ſubiere. De qua re vt notiſſima, verbum nullum addo: cum ſacra Littera hiſtoria huius pleniſſima ſint. Et aduertat Lector, quòd ille, qui ſcribit hanc hiſtoriam, Ethnicus fuit, & gentilis. Ideo vt Ethnicus, & gentilis loquitur de Religione noſtra.

Interea conferendis pecunijs peruaſtata Italia, prouinciæ euerſæ, ſocijq. populi, & quæ ciuitatum liberæ vocantur, Inq. eam prædam etiam dij ceſſere, ſpoliatis in vrbe templis, egeſtoq. auro, quod triumphis, quod votis, omnis populi Romani ætas proſpere aut in metu ſacrauerat.

Eo vſque Tyrannus ſua prodigalitate prouehitur, vt poſtea in extorſionibus ad conferendam pecuniam, peruaſtet prouincias, & euertat populos, & etiam templa ſpoliet in vrbibus: & omnia denique in prædam ſuarum rapinarum cedant.

Enimuero per Aſiam atque Achaiam non dona tantum, ſed ſimulacra numinum abripiebantur, miſſis in eas prouincias Acrato, ac Secundo Catinate. Ille libertus cuicumque flagitio promptus:

Non deſunt vmquam Tyranno miniſtri qui cuicumque flagitio ſint prompti.

Hic Græca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus non imbuerat,

Quid prodeſt homini doctrina exercitum eſſe, niſi animum bonis artibus induat? Seneca hac de materia, omnibus fere in epiſtolis ad Lucilium elegantiſſime & doctiſſime.

Ferebatur Seneca, quo inuidiam ſacrilegij a ſemet auerteret, longinqui ruris ſeceſſum orauiſſe: & poſtquam non concedebatur, ficta valetudine quaſi æger neruis, cubiculum non egreſſus.

Impoſſibile eſt, quin apud Tyrannum aliqui ſint probi, & cordati, etſi pauci, viri. Nam nec diem vnum durare Tyrannus poſſet, ſi ſolum prauos miniſtros circa ſe haberet. Porro horum grauium & prudentum, qui Tyranno adſtant, munus eſt, ſi poſſunt, illum a malefactis amouere. Sin minus, ſaltem a ſemetipſis malefactorum Tyranni inuidiam quoquo modo auertere.

Tradidere quidam, venenum ei per libertum ipſius, cui nomen Cleonicus, paratum iuſſu Neronis: vitatumq. a Seneca proditione liberti, ſeu propria formidine, dum ſimplici victu, & agreſtibus pomis, ac, ſi ſitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat,

Semper cauſſam timendi habent, qui Tyranno inſeruiunt. Cum enim illum erga omnes ſæuum & ferum conſpiciunt, quo modo poſſunt aliqui ſub ipſo ſecure viuere? Seneca certe non poterat; exemplum enim matris, fratris, & vxoris a Tyranno interfectorum ante oculos habebat.

Per idem tempus gladiatores apud opidum Præneſte, tentata eruptione, præſidio militis, qui cuſtos adeſſet, coerciti ſunt: iam Spartacum & vetera mala rumoribus ferente populo, vt eſt nouarum rerum cupies pauidusq.

Popvlvs eſt nouarum rerum cupiens, pauidusq. Cupiens, ob animi leuitatem illi propriam, pauidus, ob vilitatem maxime ipſi peculiarem.

Nec multo poſt clades rei naualis accipitur, non bello, quippe haud alias tam immota pax,

Svb Tyranno etſi immota pax manet; ſemper tamen variæ clades accipiuntur, quæ magnorum bellorum damna non ſolum adæquare, ſed ſuperare poſſunt.

ſed certum ad diem in Campaniam redire claſſem Nero iuſſerat, non exceptis maris caſibus. Ergo gubernatores quamuis ſæuiente pelago a Formijs mouere & graui Africo, dum promontorium Miſeni ſuperare contendunt, Cumanis litoribus impacti, triremium pleraſque, & minora nauigia paſſim amiſerunt.

Dvbitatvr maxime a Politicis, an miniſtro conueniat ſeruare ad amuſſim mãdata Principis abſentis, & iuſſiones, etſi aliter in tractando negotio conuenire & expedire cognoſcat: an vero ipſe efficiat ex ſe quæ ad finem negotio celeriter & recte imponendum conducunt; quamuis a Principe id ſibi non fuerit iniunctum. Certa aſſignari deciſio non poteſt. Nam hinc inde multæ adducuntur rationes. Pivs V. equidem, qua fuit humanitate, æqui boniq. duxit conſilium in arena vt dicitur, captum a Io. Franciſco Cardinali Commendono in Germania Legato a latere ſuo, ſuper articulo Confeſſionis Auguſtanæ. Licet contra eius voluntatem & mandata ſuſceptum ac expeditum fuerit.

fuerit. Id tamen Cardinali feliciter ſucceſsit vnde etiam Pontifex per litteras gratias illi egit. Sedneſcio an omnes Principes id agerent. Ego dicerem, in hac re miniſtro conuenire, mentem Principis diligenter cognitam habere. Quam ſi duram & rigidam conſpiciat; ne latum quidem vnguem, vt dicitur, ab illius mandatis mouere debet. Sin vero mitem, & facilem; tunc, ſi negotij eiuſdem vtilitas ſic poſtulabit, ex ſe agere tuto poterit.

Fine anni vulgantur prodigia imminentium malorum nuncia. Vis fulgurum non alias crebrior, & ſidus cometes, ſanguine inluſtri ſemper Neroni expiatum.

ET hoc non leue damnum ſub Tyranno perpetiuntur ſubditi, vt ſanguine illuſtri expientur ab eo cæli prodigia.

Bicipites hominum aliorumue animalium partus abiecti in publicum, aut in ſacrificijs, quibus grauidas hoſtias immolare mos eſt, reperti. Et in agro Placentino viam propter natus vitulus, cui caput in crure eſſet. Secutaq. haruſpicum interpretatio: parari rerum humanarum aliud caput, ſed non fore validũ, neque occultũ: quia in vtero repreſſum, aut iter iuxta editum ſit. Ineunt deinde conſulatum Silius Nerua, & Atticus Veſtinus, cœpta ſimul & aucta coniuratione, in quam certatim nomina dederant, ſenatores, eques, miles, feminæ etiam, cum odio Neronis, tum fauore in C. Piſonem.

MAGNA, & iure merito, Principi extimeſcenda eſt illa in eum coniuratio, in qua, contra ipſum nomina certatim dent, ſenatores, eques, miles, femina etiam. Ingens enim odium id illud arguit, & in aliquem alterum ipſi æmulum fauorem.

Is Calpurnio genere ortus, ac multas inſignesq. familias paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat per virtutem aut ſpecies virtutibus ſimiles.

MVLTI ſunt claro apud vulgum rumore, non tam per virtutes, quam per ſpecies virtutibus ſimiles. Neſcit enim vulgus inter hæc differentias diſcernere. Secus apud prudentes, qui ſpecies a re ſeparare & cognoſcere valent.

Namque facundiam tuendis ciuibus exercebat, largitionem aduerſus amicos; & ignotis quoque comi ſermone & congreſſu.

SIC debent diſtincte exerceri virtutes a claris viris & potentibus. Facundia nempe tuendis ciuibus: largitio aduerſus amicos: & ignotis comis ſermo, & congreſſus.

Aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies.

IN iuuene claro, & illuſtri, qui multis præclaris animi dotibus præfulgeat, magnum etiam augent fauorem fortuita, ſi illa adſunt. Qualia ſunt, corpus procerum, & decora facies. Sic ſupra de Germanico lib. ij. Auctor inquit: Augebat intuentium viſus decora eius facies, & quæ ibi ſequuntur.

Sed procul grauitas morum, aut voluptatum parcimonia.

IN iuuene, quo eſt rarior e grauitas morum, & voluptatum parſimonia; eo eſt laudabilior. Hac de re plura in Scipionis oratione ad Maſſaniſſam, apud Liuium.

Lenitati ac magnificentiæ, & aliquando luxui indulgebat.

OB vicinitatem, quam habent inter ſe, ſæpe lenitas, & magnificentia in luxum prolabitur.

Idq. pluribus probabatur, qui in tanta vitiorum dulcedine ſummum imperium non reſtrictum, nec perſeuerum volunt.

IN Tanta vitiorum dulcedine, multi ſummum imperium nec reſtrictum, nec perſeuerum volunt. Immo multos a conſequendis ſummis imperijs, & dignitatibus impediuit nimij rigoris, & eminentioris virtutis opinio de eis apud ceteros concepta. Aulicus Romæ verſatus me intelligit. Sic ſupra de Druſo Auctor: Nec adeo in iuuene luxus diſplicebat: &c.

Initium coniurationi non a cupiditate ipſius fuit. nec tamen facile memorauerim, quis primus auctor, cuius inſtinctu concitum ſit, quod tam multi ſumpſerunt.

COLLIGI poſſunt ex hac Piſonis coniuratione, quòd ferme ſemper ad hac capita reducuntur cauſſa, quæ coniurationes in Principem accendunt:

1 Nimia cupiditas & ambitio coniurantis: quæ elicitur ex Piſone.
2 Odium erga Principem: in perſona Lucani.
3 Amor Reipublicæ: in perſona Plautij.
4 Diſſoluta luxu mens coniurantis: in perſona Sceuini.
5 Deſiderium vindictæ in Principem: in perſona Quintiani.
6 Spes ex rebus nouis: in equitibus Romanis.
7 Familiaritas nimia cum Principe: in perſona Senecionis.
8 Æmulus potentior apud Principem: in perſona Fenij Rufi.
9 Metus ex Principe: in perſona eiuſdem Fenij Rufi.
10 Indignatio erga Principem: in perſona Voluſij Proculi.

Et extra hac capita, paucas alias inuenias, accendendi coniurationes, cauſſas.

Prompriſſimos Subrium Flauium tribunum prætoriæ cohortis, & Sulpicium Aſprum centurionem exſtitiſſe conſtanria exitus docuit.

NON abſque ratione concinit Naſo:

Exitus acta probat.

Cum ſæpe ab illo docemur, quales fuerint origines rerum nobis ignota.

Et Lucanus Annæus, Plautiusq. Lateranus conſul deſignatus viuida odia intulere. Lucanum propriæ cauſſæ accendebant, quòd famam carminum eius premebat Nero, prohibueratq. oſtentare, vana aſſimulatione. Lareranum conſulem deſignarum, nulla iniuria, ſed amor Reipub. ſociauit. At Flauius Sceuinus & Afranius Quinctianus, vterque ſenatorij ordinis, contra famam ſui, principium tanti facinoris capeſſiuere.

MVLTI ſæpe contra famam ſui agunt, & machinantur. Ideo non ſemper primo aſpectu de homine iudicandum. Tanti enim receſſus, tanta inſunt in humano corde latebræ, & diuerticula; vt modium ſalis, & multo plus etiam edere conueniat, antequam aliquem cognoſcamus.

Nam Sceuino diſſoluta luxu mens, & proinde vita ſomno languida.

DISSOLVIT mentem luxus, & e ſede ſua eam demouet. Vnde ſequitur, quòd vita torum, qui luxui ſe mancipauerunt, ſit ſomno languida. Cicero in Philoſophicis, & Seneca in epiſtolis ad Lucilium, per totum.

Quinctianus molli corpore infamis, & a Nerone probroſo carmine diffamatus, contumelias vltum ibat. Ergo dum ſcelera principis & finem adeſſe imperij, diligendumq. qui feſſis rebus ſuccurreret, inter ſe aut, inrer amicos iaciunt,

FESSAE ſunt ſemper res in Republica, cum Tyrannus eam oprimit. Iacent enim omnia: & ipſe cuncta ad ſe trahit. Et vt ſplen in corpore auctus, reliquis membris tabem affert: ſic ipſe omnia rapiendo, & in ſuam propriam vtilitatem conuertendo; publicam producit egeſtatem & miſeriam.

aggregauere Tullium Senecionem, Ceruarium Proculum, Vulcatium Araricum, Iulium Tugurinum, Munatium Gratum, Antonium Natalem, Martium Feſtum, equites Romanos: ex quibus Senecio e præcipua familiaritate Neronis ſpeciem amicitiæ etiam tum retinens, eo pluribus periculis conflictabatur.

SVPRA obſeruauimus, quid ſit retinere ſpeciem amicitiæ cum Principe, & quid vim. Hic addimus, quòd Princeps antequam aliquem in ſuam intimam familiaritatem aſcribat, diligenter inſpiciat eius naturam & mores. Nam adſcitus poſtea magnam habet nocendi illi commoditatem.

Natalis

Natalis particeps ad omne ſecretum Piſoni erat. Ceteris ſpes ex nouis rebus petebatur. Aſcitæ ſunt ſuper Subrium & Sulpicium, de quibus retuli, militares manus, Granius Siluanus & Statius Proximus, tribuni cohortium prætoriarum, Maximus Scaurus & Venetus Paulus centuriones. Sed ſummum robur in Fenio Rufo præfecto videbatur. quem vita famaq. laudatum, per ſæuitiam impudicitiamq. Tigellinus in animo principis anteibat, fatigabatq. criminationibus, ac ſæpe in metum adduxerat, quaſi adulterum Agrippinæ & deſiderio eius vltioni intentum.

VIROS fama vitaq. laudatos in animo Tyranni ſemper anteeunt ſceleſti, & libidinum miniſtri. Et fere ſemper contingit, vt varijs criminationibus illos hi fatigent, & à Tyranno tandem abalienent, vt in metum illius adductos.

Igitur vbi coniuratis præfectum quoque prætorij in partes deſcendiſſe, crebro ipſius ſermone facta fides,

VERBA & voces noſtræ ſunt nota eorum, quæ in corde gerimus. Vnde ſequitur, quòd ſermo noſter in rebus magni momenti fidem faciat animi noſtri. Huc pertinet illud ſcitum.

Verba ligant homines, taurorum cornua funes.

promptius iam de tempore ac loco cædis agitabant.

HI ſunt gradus coniurationum. Primum aggregantur ſocij à capitibus coniurationis: poſtea conſultatur de tempore ac loco.

Et cepiſſe impetum Subrius Flauius ferebatur, in ſcena canentem Neronem aggrediendi, aut cum ardente domo per noctem huc illuc curſaret incuſtoditus. Hic occaſio ſolitudinis, ibi ipſa frequentia tanti decoris teſtis pulcherrimum animum exſtimulauerant:

DVAE hæ res poſſunt præcipue extimulare coniuratum ad tollendum Tyrannum: occaſio ſolitudinis, & frequentia tanti decoris teſtis.

niſi impunitatis cupido retinuiſſet, magnis ſemper conatibus aduerſa.

SEMPER eſt aduerſa magnis conatibus impunitatis cupido. Et hinc fit, quòd ferme ſemper coniurationes ante factum panduntur. Nam plus temporis, in aggregandis ſocijs, & expectanda commoda occaſione, conteritur & elabitur. Interim erumpunt indicia, quibus, patefacta coniuratione, pernicies affertur coniurantibus.

Interim contantibus prolatantibusq. ſpem ac metum, Epicharis quædam, incertum quo nam modo ſciſcitata, neque illi ante vlla rerum honeſtarum cura fuerat, accendere, & arguere coniuratos:

MIRVM hercle eſt, quòd aliquis, qui totum vitæ ſuæ tempus abſque vlla honeſti cura tranſegerit, ſtatim ex abrupto ſe in maximis & laudabilibus facinoribus immiſceat.

ac poſtremo lentitudinis eorum pertæſa, & in Campania agens primores claſſiariorum Miſenenſium labefacere, & conſcientia illigare connixa eſt tali initio. Erat Chiliarchus in ea claſſe Voluſius Proculus, occidendæ matris Neronis inter miniſtros non ex magnitudine ſceleris prouectus, vt rebatur.

INDIGNANTVR miniſtri facinorum Principis, cum non prouehuntur ex magnitudine miniſterij, prout credunt. Princeps ergo aliquo modo eos conſoletur, ne in illis nouarum rerum ſpes & cupido intret.

Is mulieri olim cognitus, ſeu recens orta amicitia, dum merita erga Neronem ſua, & quàm in inritum cecidiſſent, aperit, adijcitq. queſtus & deſtinationem vindictæ, ſi facultas oriretur, ſpem dedit poſſe impelli & plures conciliare.

ILLI, qui iam in Principis necem coniurare deſtinauit, ſi aliquis ſe offert, qui ſe erga Principem male affectum oſtendat, & de illo conqueratur; dubium non eſt, quòd ſpem dat poſſe impelli, & plures etiam conciliare: præſertim ſi vir eſt clarus, & magnæ auctoritatis.

nec

nec leue auxilium in claſſe, crebras occaſiones, quia Nero multo apud Puteolos & Miſenum maris vſu lætabatur. Ergo Epicharis plura, & omnia ſcelera principis orditur. Neque ſenatui, * quid manere, ſed prouiſum quo nam modo pœnas verſæ Reip. daret: accingeretur modo, nauaret operam, & militum acerrimos duceret in partes, ac digna pretia expectaret. Nomina tamen coniuratorum reticuit. Vnde Proculi indicium irritum fuit, quamuis ea, quæ audierat ad Neronem detuliſſet.

HOC ſemper contingit, quòd male affectus erga Principem, ſi alios inueniat pariter de Principe conquerentes; conquieſcit, & nouas ſpes & noua conſilia deſerit: & ſæpe etiam illos Principi indicat. Et textus eſt corruptus.

Accita quippe Epicharis, & cum indice compoſita, nullis teſtibus innixum facile confutauit.

ACCVSATVS ab aliquo, qui nullis teſtibus innitatur, ſi eſt audax & conſtans facile eum confutat. Tantum enim valet vnius negatio in indicio, quantum alterius affirmatio. Immo affirmanti probare conuenit.

Sed ipſa in cuſtodia retenta eſt, ſuſpectante Nerone, haud falſa eſſe etiam, quæ vera non probabantur.

ETSI non probantur vera, quæ contra Tyrannum ab aliquo indicantur; tamen ille ob conſcientiam malam ſuſpectat ea haud eſſe falſa.

Coniuratis tamen metu proditionis placitum maturare cædem apud Baias, in villa Piſonis: cuius amœnitate captus Cæſar crebro eo ventitabat, balneasq. & epulas inibat omiſſis excubijs, & fortunæ ſuæ mole.

NVMQVAM Princeps ſic capiatur voluptatibus, vt ob eas percipiendas, omittat excubias, & condicionis ſuæ molem. Ne occaſio & commoditas aliquibus erga ſe male inclinatis, eum tollendi detur. Et obſeruent etiam coniurati, quòd ad præuenſendam facinoris proditionem, nihil ſatius eſt, quàm cædem Tyranni maturare.

Sed abnuit Piſo, inuidiam prętendens, ſi ſacra menſæ dijq. hoſpitales cæde qualiſcumque principis cruentarentur.

HOSPITALITAS adeo etiam priſcis illis, qui veram fidem non agnoſcebant, erat in honore & pretio; vt vel inimici ipſi abnuerent cruentare ſacra menſa, & deos hoſpitales, vt ipſi æſtimabant, cæde ſuorum inimicorum: quos alioquin perdere maxime cupiebant.

Melius apud vrbem in illa inuiſa & ſpolijs ciuium exſtructa domo, vel in publico patraturos, quod pro Rep. ſuſcepiſſent.

PATRANDVM eſt in publico, quod pro Republica ſuſcipitur.

Hæc in commune: ceterum timore occulto, ne L. Sillanus eximia nobilitate, diſciplinaq. C. Caſſij, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem ſublatus, imperium inuaderet.

EXCELLENS diſciplina educatio, & eximia nobilitas, ad omnem claritudinem homines extollunt.

prompte daturis operam qui a coniuratione integri eſſet, quiq. miſerarentur Neronem tamquam per ſcelus interfectum.

ADEO inuiſus nemo Tyrannus, etſi ſæuus & immanis, eſſe poteſt; vt illius mors aliquibus non diſpliceat, & in illis miſerationem non inducat. Dum enim vixit, opus eſt, vt aliquibus benefecerit. Qui cum à coniuratione integri ſint, dabunt operam, aut necem illius vlciſcendi, aut aliquem alium in locum interfecti ſufficiendi, qui de coniuratis ſupplicium poſtea ſumant. Huic ergo cauſi [illegible] cetera, coniurati ſtudere ſolent, antequam facinus exequantur.

Plerique

Plerique Veſtini quoque conſulis acre ingenium vitauiſſe Piſonem crediderunt, ne aut libertatem moliretur, vel dilecto imperatore alio, ſui muneris Remp. faceret. Etenim expers coniurationis erat, quamuis ſuper eo crimine Nero vetus aduerſus inſontem odium expleuerit.

TYRANNVS ſæpe ſuper ficto crimine, vetus odium aduerſus inſontem ſubditum explet. Proinde ſtudeat omnis ſubditus, bonam apud ipſum opinionem acquirere & modis omnibus conſeruare.

Tandem ſtatuere Circenſium ludorum die, qui Cereri celebratur, exequi deſtinata: quia Cæſar rarus egreſſu domo aut hortis clauſus, ad ludicra Circi ventitabat promptioresq. aditus erant lætitia ſpectaculi.

ADITVS apud Principem ſemper ſunt promptiores lætitia ſpectaculorum, quando illis interest. Et Tyrannus omnis rarus eſt egreſſu, ob metum, quem ſemper propter ſua ſcelera de ciuibus habet.

Ordinem inſidijs compoſuerant, vt Lateranus quaſi ſubſidium rei familiari oraret deprecabundus & genibus principis accidens, proſterneret incautum premeretq. animi validus, & corpore ingens.

IN ordine coniurationum ſic ſolent inter ſe partiri munia inuicem coniurati, vt ad proſternendum & premendum Tyrannū, eligantur qui inter ipſos ſunt animo validiores, & corpore ingentiores.

Tum iacentem & impeditum, tribuni & centuriones, & ceterorum vt quiſque audentiæ habuiſſet, accurrerent, trucidarentq.

MAXIMA audentia certe requiritur in illo, qui Principem trucidare ſibi in animo proponit. Vnde legitur de multis, alioquin ſanguinarijs & feris ſicarijs, qui ſola aſpectu Principis, & vires & arma amiſerint & ſe prodiderint.

primas ſibi partes expoſtulante Sceuino, qui pugionem templo Salutis in Hetruria, ſiue, vt alij tradidere, Fortunæ Ferentano in opido detraxerat, geſtabatq. velut magni operis ſacrum. Interim Piſo apud ædem Cereris opperiretur, vnde eum præfectus Fenius & ceteri accitum ferrent in caſtra, comitante Antonia Claudij Cæſaris filia, ad eliciendum vulgi fauorem.

POST cædem Tyranni peractam, hoc ſolet eſſe coniuratorum conſilium: elicere nempe vulgi fauorem aliqua arte; aut eum ad libertatem vocando, aut aliquem Principem illis gratum exhibendo, aut alio modo.

quod C. Plinius memorat: Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamuis abſurdum videretur & inane, aut ipſi Antoniam nomen & periculum commodauiſſe,

ABSVRDVM videtur equidem & inane quod aliquis experſ culpæ in cæde Principis, velit tibi poſtea nomen & periculum commodare: &, vt vulgo dicitur, abſque cauſſa anguem ſibi in ſinum trahere.

aut Piſonem notum amore vxoris, alij matrimonio ſe obſtinxiſſe, niſi ſi cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior eſt.

CVNCTIS affectibus eſt flagrantior dominandi cupido. Vnde illud Tragicum emanauit.

Si violandum ius eſt, regnandi gratia
Violandum.

Euripides in Phæniſſis.

Sed mirum quam inter diuerſi generis, ordinis, ætatis, ſexus, dites pauperes, taciturnitate omnia cohibita ſint:

MIRVM herclè eſt, quod in coniuratione aduerſus Principem, in qua conueniant diuerſi generis, ætatis, ordinis, ſexus, dites, & pauperes, omnia taciturnitate cohibeantur. Cum vnius ſolius

ſolius confeſsio apud Principem ipſi diuitias & multa bona parare ceteris omnibus exitium poſſit. Talis taciturnitas viſa fuit in coniuratione Bruti, & Caſsij aduerſus Cæſarem Dictatorem. Plutarchus in eorum vita.

donec proditio cœpit e domo Sceuini. Qui pridie inſidiarum, multo ſermone cum Antonio Natale, dein regreſſus domum, teſtamentum obſignauit: promptum vagina pugionem, de quo ſupra retuli, vetuſtate obtuſum increpans, aſperari ſaxo, & mucronem ardeſcere iuſſit. Eamq. curam liberto Milicho mandauit. Simul affluentius ſolito conuiuium initum. Seruorum chariſſimi libertate, & alij pecunia donati. Atque ipſe mæſtus, & magnæ cogitationis manifeſtus erat, quamuis lætitiam vagis ſermonibus ſimularet.

MVLTI ſæpe, etſi lætitiam vagis ſermonibus ſimulant, manifeſti ſunt mæſtitia & magna cogitationis apud prudentes.

Poſtremo vulneribus ligamenta, quibusq. ſiſtitur ſanguis parare eundum Milichum monet, ſiue gnarum coniurationis, & hucuſque fidum, ſeu neſcium, & tunc primum arreptis ſuſpicionibus, vt plerique tradidere, de conſequentibus.

ACTVS inſoliti augere ſolent ſuſpicionem. Vnde nil mirum ſi Milichus tunc primum neſcius coniurationis Sceuini in Neronem, ex tot inſolitis circumſtantijs ſui heri, arripuerit ſuſpicionem de conſequentibus.

Nam cum ſecum ſeruilis animus præmia perfidiæ reputauit, ſimulq. immenſa pecunia & potentia obuerſabantur, ceſſit fas, & ſalus patroni, & acceptæ libertatis memoria.

IN ſeruili animo ferme ſemper, cum ex vna parte erunt præmia perfidiæ, ſimulq. immenſa pecunia & potentia: ex altera vero fas, ſalus patroni, & acceptæ libertatis memoria: hæc cedent illis, nec locum habebunt. Inuenti tamen ſunt aliqui ſerui memorabiles, & rara fidei erga patronos, quorum exempla habes apud Valerium Max. & Appianum Alexandrinum lib. iiij. De bellis ciuilibus. Sed hoc raro contingit.

Etenim vxoris quoque conſilium aſſumpſerat, muliebre ac deterius.

VXORIS conſilium vir prudens numquam ſuſcipiet. Muliebre enim eſt, & per conſequens ferme ſemper deterius. Fefellit tamen hoc in conſilio pulcherrimo, quod Liuia dedit Auguſto, in Coniuratione Cinnana. Cui conſilio obſecutus Auguſtus, & ſibi gloriam, & Cinnæ ſalutem quæſiuit. Vide hiſtoriam apud Dionem lib. liij. & Senecam De Clementia lib. . cap.

quippe vltro metum intentabat, multosq. aſtitiſſe libertos ac ſeruos, qui eadem viderint: nihil profuturum vnius ſilentium: ac præmia penes vnum fore, qui indicio præueniſſet.

IN coniuratione plurium non prodeſt vnius ſilentium: ſed præmia ſunt penes vnum, qui indicio præueniat. Vt idem Auctor infra in perſona Veſpaſiani de Corbulone inquit. lib. 3. Hiſt.

Igitur cœpta luce Milichus in hortos Seruilianos pergit: & cum foribus arceretur, magna & atrocia afferre dictitans, deductusq. ab ianitoribus ad libertum Neronis Epaphroditum, mox ab eo ad Neronem, vrgens periculum, graues coniurationes, & cetera quæ audierat, coniectaueratq. docet.

NVMQVAM Princeps arceat aliquem, qui ſecum de rebus magnis & atrocibus colloqui dictitet: quamuis hic deſpectus & vulgaris homo ſit. Plurumque enim a talibus homuncionibus ſecreta magna in Principis ſalutem panduntur. Si ergo illi Princeps vacare noluerit, aut non poterit; illum ad aliquem ſuum fidum conſiliarium releget, qui omnia audiat, & poſtea Principi referat.

Telum quoque in necem eius paratum oſtendit, acciriq. reum iuſſit. Is raptus per milites, & defenſionem orſus: Ferrum, cuius argueretur, olim religione patria cultum, & in cubiculo habitum, ac fraude liberti ſubreptum reſpondit: Tabulas teſtamenti

ſæpius

ſæpius a ſe, & incuſtodita dierum obſeruatione, ſignatas: Pecunias & libertates ſeruis & ante dono datas: ſed ideo tunc largius, quia tenui iam re familiari, & inſtantibus creditoribus, teſtamento diffideret. Enim vero liberales ſemper epulas ſtruxiſſe, & vitam amœnam, & duris iudicibus parum probatam.

VITA amæna duris iudicibus eſt parum probata. Ideo prudens Aulicus, qui Principis gratiam poſſidere ſtudet, caueat, ſi ille auſteris moribus, & duro conuictus genere vtitur, ne luxui indulgeat & delicijs: Numquam enim hoc modo ipſe probabitur.

Fomenta vulneribus nulla iuſſu ſuo, ſed quia cetera palam vana obiecisſet, adiungere crimen viſum, ſe pariter indicem & teſtem facere. Adijcit dictis conſtantiam. incuſat vltro inteſtabilem, & conſceleratum, tanta vocis ac vultus ſecuritate, vt labaret indicium,

MVLTVM refert conſtantia dictorum in reo, etſi conuicto: & adeo vocis & vultus ſecuritas valet in eo, vt ſæpe labare faciat manifeſta contra ſe indicia. Quod luculenter admodum hic in Sceuino exprimitur, confutante omnia contra ſe Milichi indicia.

niſi Milichum vxor admonuiſſet, Antonium Natalem multa cum Sceuino, ac ſecreto collocutum, & eſſe vtroſque C. Piſonis intimos.

ET hæc admonitio, licet muliebris, Milicho ſalutem attulit. Vnde dicendum eſt, quòd omnis regula ſuas habet, vt ita dicam, fallentias: quas diſcernere & iudicare, prudentis eſt officium.

Ergo accitus Natalis: & diuerſi interrogantur; quis nam is ſermo, qua de re fuiſſet. Tum exorta ſuſpicio, quia non congruentia reſponderant. Inditaq. vincla.

APVD Iudicem oculatum & verſatum, iure debet cadere ſuſpicio aduerſus duos de eodem crimine accuſatos, cum interrogati diuerſi ſuper eadem re, congruentia non reſpondent. Et iure poſſunt illis indi vincula, & tormenta exhiberi.

Et tormentorum aſpectum ac minas non tulere.

FERME ſemper ſceleſti, vt prompte ſuſcipiunt onus ſcelera patrandi; ſic poſtea deprehenſi, non ferunt tormentorum minas, ac aſpectum: ſed viliter cedunt, & ſuccumbunt. Aliqui tamen reperiuntur, qui pernicaces manent.

Prior tamen Natalis totius coniurationis magis gnarus, ſimul arguendi peritior, de Piſone primum fatetur. Deinde adijcit Annæum Senecam, ſiue internuncius inter eum Piſonemq. fuit, ſiue vt Neronis gratiam pararet, qui infenſus Senecæ, omnes ad eum opprimendum artes conquirebat.

ARS eſt hæc Aulicorum, qui per malas artes ſe promouere apud Principem ſtudent, & eius gratiam parare. Rimantur nempe, quibus ſit infenſus Princeps, eosq. poſtea apud ipſum varijs criminationibus accuſant.

Tum cognito Natalis indicio Sceuinus quoque pari imbecillitate, an cuncta iam patefacta credens, nec vllum ſilentij emolumentum, edidit ceteros.

IN coniuratione, qua multas perſonas amplectatur, ſufficit pro ſalute Principis, quòd vnus eorum deprehenſus, indicare ſocios incipiat. Nam ceteri fere omnes, pari imbecillitate, an cuncta iam patefacta credentes, nec vllum ſilentij emolumentum, ſimiliter edent ceteros.

Ex quibus Lucanus, Quinctianusq. & Senecio diu abnuere. Poſt promiſſa impunitate corrupti, quo tarditatem excuſarent, Lucanus Atillam matrem ſuam, Quinctianus Glicium Gallum, Senecio Annium Pollionem amicorum præcipuos nominauere.

PVLCHRA hercle eſt hæc excuſatio tarditatis confeſſionis in coniuratione erga Principem: accuſare alios, & tibi propinquos, eisq. exitium moliri. Et obſeruandum eſt, quòd ad eliciendam ex coniuratis veritatem, optima ars eſt, illos promiſſione impunitatis corrumpere.

Atque

Atque interim Nero recordatus Voluſij Proculi indicio Epicharim attineri, ratusq. muliebre corpus impar dolori, tormentis dilacerari iubet. At illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium, ne a femina ſpernerentur, peruicere, quin obiecta denegaret.

OB fragilitatem ſexus certe contingere ſolet, vt muliebre corpus ſit impar dolori. Inueniuntur tamen aliqua mulieres, quæ in hoc fortiſſimos viros non ſolum adæquant, ſed etiam exuperant. Qualis fuit Epicharis iſta ab Auctore celebrata.

Sic primus quæſtionis dies contemptus. Poſtero cum ad eoſdem cruciatus retraheretur geſtamine ſellæ, nam diſſolutis membris inſiſtere nequibat, vinclo faſciæ, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum ſellæ reſtricto, indidit ceruicem, & corporis pondere conniſa, tenuem iam ſpiritum expreſſit: clariore exemplo libertina mulier in tanta neceſſitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui & viri & equites Romani, ſenatoresq. intacti tormentis, chariſſima quæque ſuorũ pignorũ proderent.

MEMORABILE equidem & clarum exemplum pro mulierum fortitudine hoc eſt. Quòd mulier libertina in vltima neceſſitate tormentorum protexerit alienos, ac prope ignotos: cum ingenui & viri, & equites & ſenatores intacti tormentis, chariſſima quæque ſuorum pignorum proderent.

Non enim omittebant Lucanus quoque & Senecio & Quinctianus paſſim conſcios edere, magis magisq. pauido Nerone, quamquam multiplicatis excubijs ſemet ſepſiſſet.

ETSI multiplicatis excubijs ſepiat ſemetipſum Tyrannus: tamen non ideo poteſt ſecurus viuere, Immo magis ac magis pauidus degere ſolet. Adeo eſt infelix eius conditio. Vide Xenophontem in aureo illo tractatu, qui inſcribitur Tyrannus, ſiue Hiero.

Quin & vrbem, per manipulos occupatis mœnibus, infeſſo etiam mari & amne, velut in cuſtodiam dedit. Volitabantq. per fora, per domos, cura quoque & proxima municipiorum, pedites equitesq. permixti Germanis, quibus fidebat princeps quaſi externis.

PRINCEPS in ſepiendo ſe excubijs, fidit magis externis hominibus. Nam cum in exercenda iuſtitia exacte, ſubditorum multos lædere cogatur, tutò illis ſalutem ſuam committere non poteſt. Ariſt. in 7. Politica.

Continua hinc & iuncta agmina trahi, ac foribus hortorum adiacere. Atque vbi dicendam ad cauſſam introiſſent, lætatum erga coniuratos, ſi fortuitus ſermo, & ſubiti occurſus, ſi conuiuium, ſi ſpectaculum ſimul iniſſent pro crimine accipi:

ADVERSVS coniuratos, omnia pro crimine accipi ſolent, etiam fortuita.

cum ſuper Neronis ac Tigellini ſæuas percontationes, Fenius quoque Rufus violenter vrgeret, nondum ab indicibus nominatus, ſed quo fidem inſcitiæ pararet, atrox aduerſus ſocios.

CONSCII coniurationis aduerſus Principem, ſæpe, quo fidem inſcitiæ parent ſunt atroces aduerſus ſocios iam detectos.

Idem Subrio Flauio aſſiſtenti, annuentiq. an inter ipſam cognitionem diſtringeret gladium, cædemq. patraret, retinuit, infregitq. impetum iam manum ad capulum referentis.

FATALIS eſt, vt ita dicam, vecordia hæc Fenij. Cum enim ſciret ſe eſſe detectum, & poſſet ſeipſum & ſocios fortiter liberare, maluit torpeſcere, & ſic ſeipſum cum conſcijs perdidit.

Fuere qui, prodita coniuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Sceuinus, hortarentur Piſonem pergere in caſtra, aut in roſtra eſcendere, ſtudiaq. militum & populi tentare: ſi conatibus eius conſcij aggregarentur, ſecuturos etiam integros, magnamq. motæ rei famam, quæ plurimum in nouis conſilijs valeret.

PLVRIMVM in nouis conſilijs valet fama rei motæ. Auget enim exiſtimationem, qua ſola cuncta fere imperia conſeruantur.

Nihil

Nihil aduerſum hoc Neroni prouiſum. etiam fortes viros ſubitis terreri;

NON eſt mirandum, etiam viros fortes ſubitis terreri. Nam nullum remedium prouidere potuerunt. Terrentur tamen, non conſternantur: Hoc eſt, Conſilij rationem non amittunt: quo præſidio ſe explicare e periculo inſtanti poſſunt.

ne dum ille ſcenicus, Tigellino ſcilicet cum pellicibus ſuis comitante, arma contra cieret. Multa experiendo fieri, quæ ſegnibus ardua videantur.

VERISSIMVM eſt, multa fieri experiendo, quæ ſegnibus ardua videantur. Nam impetus actionis multis in rebus obſtantia ſoluit impedimenta, & ad finem optatum res, quæ alioquin videbantur impoſſibiles, perducit. Sed hoc oportet vt a temporum conditionibus adiuuetur. Sicut patuit in IVLIO II. PONT. MAX. cuius geſta legendo in Guicciardini hiſtorijs, quilibet per ſe, id verum eſſe, videre poteſt.

Fruſtra ſilentium & fidem in tot conſciorum animis & corporibus ſperari.

IN multorum conſciorum animis & corporibus, fruſtra ſperatur ſilentium coniurationis. Cum hic vna de cauſſa, ille alia, quiſque proprio metu fidem fallat, & Principi periculum indicet. Et hoc eſt primum periculum, quod incurrunt coniurati, ſcilicet ne ante factum accuſentur. Nam alia duo ſuperſunt: quorum primum eſt, in perfectione rei, cum cæde Tyranni: ſæpe enim in ipſa executione ruunt, & excidunt. Vltimum periculum eſt, ſeipſos poſt impletam cædem in tutum redigere, & ſaluas perſonas reddere. Primum verò periculum, ſcilicet, ne prodatur ante rei executionem; euitat ille, qui ſolus coniurat: vt fecit Pauſanias aduerſus Philippum. Temporibus recentioribus, Turca quidem erga Mahometem primum Viſirem, & nonnulli alij. Sed hæc proprie non appellatur coniuratio, cum ab vno tantum fiat; immo deſperati potius machinatio nominari debet.

Cruciatu aut præmio, cuncta peruia eſſe.

CVNCTA ſunt peruia cruciatu, aut præmio. Ab illo enim molles & ignaui animi ob doloris impatientiam ſubiguntur: Ab hoc vero praui & auari, qui alias dolori reſiſterent, corrumpuntur. Et rari inueniuntur tam perfectæ virtutis, vt erga vtroſque affectus, ſe ipſos infractos re ipſa oſtendere poſſint. Hinc diſcant Iudices, quando vnum ex his remedijs non proficit, alterum adhibere.

Venturos qui ipſum quoque vincirent, poſtremo indigna nece afficerent. Quanto laudabilius periturum, dum amplectitur Remp. dum auxilia libertati inuocat, dum miles potius deeſſet, & plebes deſereret, dum ipſe maioribus, dum poſteris, ſi vita præriperetur, mortem approbaret?

EQVIDEM ſatius eſt audenter oppetere, amplectendo Rempublicam, etiam ſi miles, etiam ſi plebs, pro cuius libertate coniuratus defectus moritur; quàm ſegniter expectare, qui te vinciant, & indigna morte afficiant.

Immotus ijs, & paululum in publico verſatus poſt domi ſecretus, animum aduerſum ſuprema firmat.

ET Piſo etiam a communi coniuratorum torpore correptus erat. Adeo vt neſciuit nec ſtrenue ſceleſtus eſſe, nec exacte bonus. Vnde miſere oppreſſus fuit.

donec manus militum adueniret, quos Nero tyrones, aut ſtipendijs recentes dilegerat. Nam vetus miles timebatur, tamquam fauore imbutus.

PRINCEPS cum timet, ne vetus ſuus miles ſit fauore erga coniuratos imbutus; illo numquam vtatur ad opprimendos coniuratos: ſed tyrones, aut ſtipendijs recentes delegati adhibeantur, quibus hoc munus mandet.

Obijt abruptis brachiorum venis. Teſtamentum fœdis aduerſus Neronem adulationibus, amori vxoris dedit, quam degenerem, & ſola corporis forma commendatam, amici matrimonio abſtulerat.

SIMILE hoc illi de Plauto ſupra, qui citius perijt, vt Neronem placabiliorem vxori, & liberis relinqueret. Sed illud in Plauto non turpe, quia non coniurauerat. In Piſone viliſſimum, & fœdiſſimum, quia illi adulabatur, cui vitam eripere ſtuduerat.

Nomen mulieris Arria Galla, priori marito, Domitius Silius: hic patientia, illa impudicitia, Piſonis infamiam propagauere.

M*VLIERVM impudicitia ſæpe virorum infamiam prorogat.*

Proximam necem Plautij Laterani conſulis deſignati Nero adiungit, adeo propere, vt non complecti liberos, non aliud breue mortis arbitrium permitteret. Raptus in locum ſeruilibus pœnis ſepoſitum, manu Statij tribuni trucidatur, plenus conſtantijs ſilentij, nec tribuno obijciens eandem conſcientiam.

D*IGNVM equidem maxima admiratione eſt ſilentium coniurati illius, qui ſe manibus ſocij eiuſdem culpa trucidari iuſſu Principis ſinit: nec illi obijcit eandem conſcientiam.*

Sequitur cædes Annæi Senecæ lætiſſima principi, non quia coniurationis manifeſtum compererat, ſed vt ferro graſſaretur, quando venenum non proceſſerat.

T*YRANNVS ferro graſſatur, quando venenum non procedit.*

Solus quippe Natalis, & hactenus prompſit: miſſum ſe ad ægrotum Senecam, vt viſeret, conquerereturq. cur Piſonem aditu arceret? melius fore ſi amicitiam familiari congreſſu exercuiſſent.

I*VRE conqueritur amicus, cum ab amico aditu arcetur. Nam melius amicitia congreſſu familiari exercetur. Scitum eſt illud Naſica cum Ennio, & Ennij cum Naſica: ideo illud non replicabo.*

Et reſpondiſſe Senecam, ſermones mutuos & crebra colloquia neutri conducere:

S*VB Tyranno, ſermones mutui, & crebra colloquia duorum clarorum virorum, neutri conducunt. Suſpicionem enim maximam conſlant, & ſibimet ipſis exitium adcelerant.*

ceterum ſalutem ſuam incolumitate Piſonis inniti. Hæc ferre Granius Siluanus tribunus prætoriæ cohortis, & an dicta Natalis, ſuaq. reſponſa noſceret, percontari Senecam iubetur. Is, forte an prudens, ad eum diem ex Campania remeauerat, quartumq. apud lapidem ſuburbano rure ſubſtiterat.

B*ENE inquit Auctor, forte an prudens: quia multorum eſt opinio, vt ipſe infra dicet, Senecam haud ignarum fuiſſe coniurationis, vt ſucceſſurum in imperio poſt Neronis cædem.*

Illò propinqua veſpera tribunus venit, & villàm globus militum ſepſit. Tum ipſi cum Pompeia Paulina vxore, & amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit. Seneca miſſum ad ſe Natalem, conqueſtumq. nomine Piſonis, quòd viſendo eo prohiberetur, ſe ratione valetudinis & amore quietis, excuſauiſſe reſpondit.

D*VAE ſunt hæ rationes, quibus magni viri, & ſtudijs præclaris dediti, prohibeant amicos a ſui conſpectu: ratio nempe valetudinis, & amor quietis: Illa enim ferme ſemper improſpera vtuntur: hæc vero illis ad ſpeculandum neceſſaria eſt.*

Cur ſalutem priuati hominis incolumitati ſuæ anteferret, cauſſam non habuiſſe:

N*VMQVAM prudens Aulicus habebit cauſſam, cur ſalutem priuati hominis incolumitati ſuæ anteferat. Prima enim charitas incipit a ſeipſo.*

nec ſibi promptum in adulationes ingenium.

C*VM adulatio ſit ſeruilis, & dignationis inimica; nil mirum, ſi prudens & grauis Aulicus numquam habebit ingenium in eam promptum.*

Idq. nulli magis gnarum quàm Neroni, qui ſæpius libertatem Senecæ, quàm ſeruitium expertus eſſet.

P*AVCI ſub Tyranno reperiuntur ſapientes. Amat enim ille potius ſeruitium, quàm libertatem. Hi contra, libertatem ſeruitio potiorem habent. Vnde nulla inter ipſos conformitas, nec amicitia iungi poteſt.*

Vbi hæc

Vbi hæc a tribuno relata ſunt, Poppæa & Tigellino coram, quod erat ſæuienti principi intimum conſiliorum.

INTIMVM conſiliorum ſæuientis Tyranni, ſolent eſſe improbæ, ſceleſtæ, impudica, & infames perſonæ. Sic ſupra lib. xi. de Claudio Auctor: Auditur Meſſalina coram. Et ratio eſt hæc, quia nemo vir probus & cordatus, illi ſententiam & votum dare nollet in rebus iniquis & iniuſtis. Hinc mors Papiniani ſub Caracalla. Qui cum vellet, vt ipſe fratricidium apud Senatum defenderet, cum quo maximam habebat auctoritatem, ob eximiam Iuris prudentiam: reſpondit Papinianus: Multo facilius eſt parricidium perpetrari, quàm defendi. Ob quam liberam vocem Tyrannus occidit virum immortalitate digniſſimum.

interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet. Tum tribunus nulla pauoris ſigna, nihil triſte in verbis eius aut vultu deprehenſum confirmauit.

IN ſapiente, nulla vnquam pauoris ſigna conſpicientur, nihil triſte in verbis eius, aut vultu deprehendetur. Nam ſapientia eſt vna, quæ mæſtitiam pellat ex animis, quæ nos exhorreſcere metu non ſinat: qua præceptrice, in tranquillitate viui poteſt, omnium cupiditatum ardore reſtincto. Cic. de finib. & in pluribus locis, in eandem ſententiam. in Tuſc. Parad. & Philoſophicis omnibus.

Ergo regredi, & indicere mortem iubetur. Tradit Fabius Ruſticus, non eo, quo venerat itinere reditum, ſed flexiſſe ad Fenium præfectum, & expoſitis Cæſaris iuſſis, an obtemperaret interrogauiſſe: monitumq. ab eo, vt exequeretur, fatali omnium ignauia. Nam & Siluanus inter coniuratos erat, augebatq. ſcelera, in quorum vltionem conſenſerat.

VERE ignauus & vecors appellandus eſt ille, qui deſidia ſua auget ſcelera, in quorum vltionem prius conſenſit.

Voci tamen & aſpectui pepercit. Intromiſitq. ad Senecam vnum ex centurionibus, qui neceſſitatem vltimam denunciaret. Ille interritus poſcit teſtamenti tabulas: ac denegante centurione, conuerſus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod vnum iam tamen & pulcherrimum habebat, imaginem vitæ ſuæ relinquere teſtatur. cuius ſi memores eſſent bonarum artium, famam tam conſtantis amicitiæ laturos.

PVLCHERRIMVM eſt teſtamentum clari & fortis amici, cum vita ſua imaginem amico relinquit: cuius ſi memor ſit bonarum artium famam tam conſtantis amicitiæ ferre poterit. In hanc ſententiam loquitur filijs Cyrus moriens apud Xenophontem lib. viij. Pædia.

Simul lacrymas eorum, modo ſermone, modo intentior in modum coercentis, ad firmitudinem reuocat, rogitans: Vbi præcepta ſapientiæ? vbi tot per annos meditata ratio aduerſum imminentia?

SAPIENTIAE præcepta, & per multos annos meditata ratio aduerſum imminentia, hunc fructum afferre debet, vt mortem non formidemus, & ad humana deſpicienda paratiores efficiamur.

Cui enim ignaram fuiſſe ſæuitiam Neronis? Neque aliud ſupereſſe poſt matrem fratremq. interfectos, quàm vt educatoris præceptoriſq. necem adijceret.

SI, vt dicebat Plato, Dijs, parentibus, & præceptoribus par gratia non poteſt reddi: vnde apparet eodem fere in gradu eſſe, ac parentem, præceptorem tuum: poteſt concludi de Tyranno ſano, quòd poſt matrem ac fratrem, interfectos, nihil ei ſuperſit, niſi necem præceptoris, & educatoris adijcere.

Vbi hæc atque talia velut in commune diſſeruit, complectitur vxorem. & paululum aduerſus præſentem formidinem mollitus, rogat, oratq. temperaret dolori, ne æternum ſuſciperet, ſed in contemplatione vitæ per virtutem actæ, deſiderium mariti ſolatijs honeſtis toleraret.

FRVCTVS hic eſt ſapientis: Vt in contemplatione vitæ per virtutem actæ, deſiderium rerum humanarum honeſtis ſolatijs toleret, & dolori temperet, nec æternum illum ſuſcipiat. De hac re elegantiſſime Seneca in multis epiſt. ad Lucilium.

Illa contrà, ſibi quoque deſtinatam mortem adſeuerat, manumq. percuſſoris expoſcit. Tum Seneca gloriæ eius non aduerſus,

SAPIENS nunquam gloriæ alienæ aduerſatur. Inuidia enim non cadit in ipſum.

ſimul amore, ne ſibi vnice delictam ad iniurias relinqueret:

SIC ſupra de Pharaſmane, qui vxorem propriam tranſuerberauit, timens ne alius ipſa potiretur. Iuſtius Seneca, permiſit illi mortem, ne ſibi vnice dilecta ad iniurias relinqueretur.

Vitæ, inquit, delinimenta monſtraueram tibi, tu mortis decus mauis.

EST fortis & magnanimi, malle decus mortis, quàm vitæ delinimenta.

non inuidebo exemplo. Sit huius tam fortis exitus conſtantia penes vtroſque par, claritudinis plus in tuo fine.

POTEST in vno eodemq. exitu penes duos, conſtantia & fortitudo par: ſed plus claritudinis in vno, quàm in altero, ob qualitatem videlicet perſonæ. Vt hic Paulina mulier, quo mollior, eo in hoc actu illuſtrior.

Poſt quæ, eodem ictu brachia ferro exſoluunt. Seneca, quoniam ſenile corpus & paruo victu tenuatum, lenta effugia ſanguini præbebat, crurum quoque & poplitum venas abrumpit.

DOCTORVM, & ſtudij deditorum virorum corpus, ſemper ſolet eſſe paruo victu tenuatum: vnde nil mirum ſi ſanguis habet lenta effugia.

Sæuisq. cruciatibus defeſſus, ne dolore ſuo animum vxoris infringeret, atque ipſe viſendo eius tormenta, ad impatientiam delaberetur, ſuadet in aliud cubiculũ abſcederet.

SAPIENTI conuenit & forti remouere a ſe occaſiones, quibus animos mortalium exemplo infringat: atque ipſe ad impatientiam dilabatur. Hinc Cæſar moriens, ſe chlamyde obuoluit, ne ad indecorum aliquem actum apud gentes delaberetur Plut. in eius vita.

Et nouiſſimo quoque momento, ſuppeditante eloquentia, aduocatis ſcriptoribus, pleraque tradidit, quæ in vulgus edita eius verbis, inuertere ſuperſedeo.

SAPIENTES & docti viri, etiam in nouiſſimo horæ momento non deſtituuntur ab ingenij viribus, quin, ſuppeditante illis eloquentia, ſcribant, dictent, & omnia agant, quæ vigentes & ſani ætate facerent. Sic de Platone traditur, cum librum in manibus tenentem perijſſe. Sic etiam de Hieronymo Olgiato fertur, in ipſorum tormentorum vi, aliqua carmina effudiſſe, quæ apud Bernard. Corium leguntur. lib. Hiſt. Mediol.

At Nero, nullo in Paulinam proprio odio, ac ne gliſceret inuidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, ſerui libertiq. obligant brachia, premunt ſanguinem, incertum an ignaræ. Nam vt eſt vulgus ad deteriora promptum,

PROMPTVM ad deteriora eſt vulgus. Nec id mirum; cum nullis artibus bonis ac liberalibus diſciplinis excultum ſit.

non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam ſociatæ cum marito mortis petiuiſſe; deinde oblata mitiore ſpe blandimentis vitæ euictam.

QVOD mulier blandimentis vitæ euincatur, non eſt nouum. Nam etiam fortiſſimi viri eius cupiditate, ad multa indecora deuenere. Vide Val. Max. lib. & cap. De cupiditate vitæ. Et ſimile exemplum inconſtantiæ coniugalis, & perfidiæ, habes ſuprà lib. 3. in Plancina vxore Piſonis.

cui addidit paucos poſtea annos, laudabili in maritum memoria,

VIDVAE mulieris hoc eſt proprium munus; addere annos vitæ ſuæ, laudabili in maritum memoria. Hic omittere non poſſum videndum eſſe pulcherrimum & grauiſſimum Diui Ambroſij, De Viduarum officio, tractatum. Quod opus, vt cetera omnia Melliflui illius Doctoris & Sanctæ Eccleſiæ luminis, a S. D. N. SIXTO V. cum adhuc Cardinalis eſſet; emendatum fuit, & in lucem editum.

& ore ac membris in eum pallorem albentibus; vt oſtentui eſſet, multum vitalis ſpiritus egeſtum. Seneca interim, durante tractu, & lentitudine mortis, Statium Annæum diu ſibi amicitiæ fide & arte medicinæ probatum, orat prouiſum pridem venenum, quo damnati publico Athenienſium iudicio exſtinguerentur, promeret: allatumq. hauſit fruſtra; frigidis iam artibus & clauſo corpore aduerſum vim veneni. Poſtremo ſtagnum calidæ aquæ introijt, reſpergens proximos ſeruorum, addita voce: Libare ſe liquorem illum Ioui liberatori. Exin balneo illatus, & vapore eius exanimatus, ſine vllo funeris ſollemni crematur. Ita codicillis præſcripſerat, cum etiam tum prædiues & præpotens, ſupremis ſuis conſuleret.

VERE ſapientis eſt, cum etiam tum prædiues & præpotens ſis, imprimis tuis conſulere. Signum eſt enim, te fortunæ muneribus e ſtatu naturæ non dimoueri.

Fama fuit, Subrium Flauium cum centurionibus occulto conſilio, neque tamen ignorante Seneca, deſtinauiſſe, vt poſt occiſum ope Piſonis Neronem, Piſo quoque interficeretur; tradereturq. imperium Senecæ, quaſi inſonti, claritudine virtutum ad ſummum faſtigium dilecto.

DVO hæc ad ſummum faſtigium mortales diligunt: Innocentia vitæ, & claritudo virtutum. Quibus præcipue medijs ad ſummum Apoſtolatus apicem aſcendit SIXTVS V. nunc PONT. MAX.

Quin & verba Flauij vulgabantur: Non referre dedecori, ſi citharœdus dimoueretur, & Tragœdus ſuccederet. quia vt Nero cithara, ita Piſo Tragico ornatu canebat. Ceterum militaris quoque conſpiratio non vltra fefellit, accenſis indicibus ad prodendum Fenium Rufum; quem eundem conſcium & inquiſitorem non tolerabant.

INTOLERANDA res eſt equidem, eundem eſſe & criminis conſcium, & inquiſitorem.

Ergo inſtanti minitantiq. renidens Sceuinus, neminem ait plura ſcire quàm ipſum. Hortaturq. vltro redderet tam bono principi vicem. Non vox aduerſum ea Fenio, non ſilentium, ſed verba ſua præpediens, & pauoris manifeſtus.

FERME ſemper in crimine deprehenſi, nec voce, nec ſilentio competunt: ſed verba ſua præpedientes, & pauoris manifeſti, ab aſtantibus deprehenduntur.

ceteriſq. ac maxime Ceruario Proculo equite, ad conuincendum eum connisis, iuſſu imperatoris a Caſſio milite, qui ob inſigne corporis robur adſtabat, corripitur, vinciturq. Mox eorum indicio Subrius Flauius tribunus peruertitur, primo diſſimilitudinem morum ad defenſionem trahens, neque ſe armatum cum inermibus ⋆ effeminatis tantum facinus conſociaturum.

VERISIMILE eſt, virum fortem & armatum, cum inermibus effeminatis magnum facinus conſociare non debere.

Dein poſtquam vrgebatur, confeſſionis gloriam amplexus,

SAEPE in magni & laudabilis facinoris confeſſione, gloria acquiritur.

interrogatuſq. a Nerone, quibus cauſſis ad obliuionem ſacramenti proceſſiſſet:

MAXIME oportet ſint cauſſæ, quæ poſſint licite ad obliuionem ſacramenti impellere militem erga ſuum Principem.

Oderam te, inquit, nec quiſquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruiſti. odiſſe cœpi poſtquā parricida matris & vxoris, auriga, hiſtrio, & incendiarius extitiſti.

VT nihil eſt amabilius virtute ac venerabilius, quæ etiam in hoſte amorem gignere poteſt: ſic nihil deteſtabilius & inuiſius eſt ſcelere & vitio. Quæ duo etiam propinquos & amiciſſimos nobis odioſos & inuiſos reddunt. Hinc diſcant Principes illam ſemper retinere, ab his vero abhorrere: ſic enim odium & contemptum effugient, omnis quantumuis firmi principatus exitialia venena.

Ipſa retuli verba, quia non vt Senecæ, vulgata erant. Nec minus noſci decebat militaris viri ſenſus & incomptos & validos.

VERBA virorum clarorum & illuſtrium, ſtatim ac prolata ſunt, vulgantur per ora omnium. Non ſic illa, quæ proferuntur a priuato aliquo, vel milite: cuius fere ſemper ſunt ſenſus incerti, validi.

Nihil in illa coniuratione grauius auribus Neronis accidiſſe conſtitit, qui vt faciendis ſceleribus promptus, ita audiendi, quæ faceret, inſolens erat.

TYRANNVS, vt faciendis ſceleribus eſt promptus; ita audiendi, quæ facit, inſolens eſt. Nemo enim apud illum libere loqui conſueuit, ſed omnia adulatorum ſub eo ſunt plena.

Pœna Flauij Veiano Nigro tribuno mãdatur. Is proximo in agro ſcrobem effodi iuſſit, quem Flauius vt humilem & anguſtum increpans, circumſtantibus militibus: ne hoc quidem, inquit, ex diſciplina. admonitus fortiter protendere ceruicem: Vtinam, ait, tu tam fortiter ferias.

FORTES & bellicoſi viri, etiam in vltima ſpiritus emiſſione retinere ſolent ſpiritus ferociam & vigorem.

Et ille multum tremens, cum vix duobus ictibus caput amputauiſſet, ſæuitiam apud Neronem iactauit, ſeſquiplaga interfectum a ſe dicendo.

THRASONIS, & vani militis proprium eſt ſua ignauia culpam in decus & laudem impudenter vertere: nomina rebus commutando.

Proximum conſtantiæ exemplum, Sulpicius Aſper centurio præbuit. percontanti Neroni, cur in cædem ſuam conſpirauiſſet, breuiter reſpondens: Non aliter tot flagitijs eius ſubueniri poſſe.

FLAGITIIS inſignibus & multis ſceleſti alicuius ſubuenitur, eum e medio tollendo. Occaſio enim illi aufertur, plura & maiora perpetrandi, & ſic ſe peiorem in dies efficiendi.

Tum iuſſam pœnam ſubijt. Nec ceteri centuriones in perpetiendis ſupplicijs degenerauere. At non Fenio Rufo par animus, ſed lamentationes ſuas etiam in teſtamentum contulit. Opperiebatur Nero, vt Veſtinus quoque conſul in crimen traheretur, violentum & infenſum ratus: ſed coniurati conſilia cum Veſtino non miſcuerant, quidam vetuſtis in eum ſimultatibus, plures quia præcipitem & inſociabilem credebant.

PRAECIPITES, inſociabiles ingenio uiri, non ſunt apti quibuſcum conſilia magna miſceantur. Carent enim iudicio, & magis damnum quàm utilitatem afferre poſſunt: & certe non ſunt ad res agendas idonei.

Ceterum Neronis odium aduerſus Veſtinum ex intima ſodalitate cœperat, dum hic ignauiam principis penitus cognitam deſpicit, ille ferociam amici metuit, ſæpe aſperis facetijs illuſus;

EX morum ſimilitudine amicitiam gigni veriſſimum eſt. Proinde ſi inter duos ſodales, unus ignauiam alterius, alter illius ferociam cognoſcet: ſequetur vt ille primus alterum deſpiciat, & hic ſecundus illum metuat: vnde odium indubitanter oriri, certum eſt. Hinc prudens Aulicus naturam illorum, quibuſcumque ſibi conuerſandum eſt, diligenter callere ſtudeat, & cum moribus ſuis eam conferre. Sciet enim a quibus diligi & a quibus oderi poterit.

quæ vbi multum ex vero traxere, acrem ſui memoriam relinquunt.

OPORTET vt facetiæ ouis more, non apri mordeant. Nam vbi aſperæ multum ex vero traxerunt, acrem ſui memoriam relinquunt. Celebre hinc eſt apud Italos adagium, quod latine ſic ſonat:

Ne ludas in eo, quod dolet, nec dicteria de vero iacias.

Acceſſerat recens cauſſa, quòd Veſtinus Statiliam Meſſalinam matrimonio ſibi iunxerat, haud neſcius inter adulteros eius & Cæſarem eſſe. Igitur nõ crimine, non accuſatore exſiſten-

exiſtente, quia ſpeciem indicij induere non poterat, ad vim dominationis conuerſus, Gerelanum tribunum cum cohorte militum immittit.

NIHIL prodeſt cum Tyranno ſane & iuſtio innocentia vitæ. Nam etſi nullum crimen, nulla accuſatio de te exiſtat; cum ſpeciē indicij induere non poteſt, ad vim dominationis conuertitur.

iubetq. præuenire conatus conſulis, occupare velut arcem eius, opprimere delectam iuuentutem, quia Veſtinus imminentes foro ædes, decoraq. ſeruitia, & pari ætate habebat.

IN opprimendo viro aliquo claro & inſigni, magna celeritate opus eſt, ad præueniendum eius conatus.

Cuncta eo die munia conſulis impleuerat. Conuiuium celebrat, nihil metuens, an diſſimulando metu, cum ingreſſi milites vocati eum a tribuno dixere.

SAEPE etſi vir magnus de Tyranno periculum ſibi timet, tamen metum diſſimulat, & lætitiam fingit, ne illum ſibi infenſiorem reddat.

Ille nihil demoratus exſurgit. & omnia ſimul properantur clauditur cubiculo, præſto eſt medicus, abſcindūtur venæ, vigens adhuc balneo infertur, calida aqua, merſatur nulla edita voce, qua ſemet miſeraretur. Circūdati interim cuſtodia qui ſimul diſcubuerant, nec niſi prouecta nocte emiſſi ſunt, poſtquam pauorem eorum imminens exitium operientium & imaginatus & irridens Nero, ſatis ſupplicij luiſſe ait pro epulis conſularibus.

PRINCIPES ſæpe ſolent permiſcere ludibria ſerijs: vt ſupra de Tiberio in lib. vi. obſeruauimus.

Exin M. Annæi Lucani cædem imperat. Is, pro fluente ſanguine, vbi fringeſcere pedes manusq. & paulatim ab extremis cedere ſpiritum, feruido adhuc & compote mentis pectore, intelligit, recordatus carmen a ſe compoſitum, quo vulneratum militem per eiuſmodi mortis imaginem obijſſe tradiderat, verſus ipſos retulit. eaq. illi ſuprema vox fuit.

IVDICII humani hæc eſt imbecillitas & caligo, vt ſæpe pro alijs aliquis vaticinetur, aut præſagiat, quæ illi poſtea ſuccedent mala & calamitates inopinatæ. Verſus ſunt in lib. ix. Pharſaliæ.

Senecio poſthac & Quinctianus, & Sceuinus, non ex priore vitæ mollitia, mox reliqui coniuratorum periere, nullo facto dictove memorando. Sed compleri interim vrbs funeribus, Capitolium victimis: alius filio, fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates deis ornare lauru domum, genua ipſius aduolui, & dextram oſculis fatigare. Atque ille gaudium id credens, Antonij Natalis & Ceruarij Proculi feſtinata indicia impunitate remuneratur.

CONIVRATORVM feſtinata indicia, impunitate remunerari a Principe expedit. Sic enim omnes ab vnanimis conſenſus ſpe deterrebit & ſeiunget.

Milichus præmijs ditatus, Conſeruatoris ſibi nomen græco eius rei vocabulo aſſumpſit. E tribunis Granius Siluanus quamuis abſolutus, ſua manu cecidit.

MAGNANIMITATIS ſignum eſt, dona infamiam afferentia, & turpitudinem, a Tyranno oblata, reſpuere: etiam ſi de vita agatur.

Statius proximus veniam quam ab imperatore acceperat, vanitate exitus corrupit. Exuti dehinc tribunatu Pompeius, Cornelius Martialis, Flauius Nepos, Statius Domitius; quaſi principem non quidem odiſſent, ſed tamen exiſtimarentur.

NON ſufficit, non odiſſe Principem, adhoc vt ſecurus ſis; ſed etiam oportet te eum non odiſſe. Vnde regula pro Aulico, vt omnia euitet, quæ ſuſpicionem contra eū apud ceteros conflare poſſint.

Nouio Priſco per amicitiam Senecæ, & Glitio Gallo atque Annio Pollioni infamatis magis quam conuictis, data exſilia.

AMICITIA illius, qui Principis infenſus eſt, ſemper obeſt: vt ſupra obſeruauimus. Et qui arguitur coniuraſſe contra Principem, etſi non conuincitur de crimine, tamen infamatur.

Priſcum Antonia Flacilla coniux comitata eſt: Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum & integris opibus, poſt ademptis. quæ vtraque gloriam eis auxere.

AVGETVR magnopere gloria nobis, cum tam in rebus aduerſis, quàm in ſecundis non deſerimus amicos, & propinquos.

Pellitur & Rufus Criſpinus occaſione coniurationis, ſed Neroni inuiſus, quòd Poppæam quondam matrimonio tenuerat.

PRINCIPI ſunt inuiſi, qui aliquando ſecum aliqua in re, vel delectabili vel ad dominationem ſpectante, æmulationem egerunt. Qui ergo talis rei ſibi conſcius eſt, voluntarium ab eo exilium ſumere debet. Sic Thomas Viattus egit cum Henrico viij. ob Anna Boloma conſuetudinem. Guic. in hiſt. Anglic.

Verginium Rufum claritudo nominis expulit.

NOCET apud Tyrannum claritudo nominis. Timet enim Tyrannus, ne populus de ſeipſo malè animatus, clarum virum ſibi aduerſus eum caput conſtituat, & illi imperium auferat. Vnde ſemper viri tales à Tyranno aut expellentur aut e medio tollentur.

Nam Verginius ſtudia iuuenum eloquentia, Muſonius præceptis ſapientiæ fouebat.

HIS duobus fouentur ſtudia iuuenum; eloquentia, & ſapientia præceptis.

Cluuidieno Quieto, Iulio Agrippæ, Blirio Catulino, Petronio Priſco, Iulio Altino, velut in agmen & numerum, Ægæi maris inſulæ permittuntur. At Cadicia vxor Scæuini, & Cæſonius Maximus Italia prohibentur reos fuiſſe ſe, tantum pœna experti.

SVB Tyranno multi experiuntur ſe eſſe reos pœna, etſi non culpa.

At illa mater Annæi Lucani, ſine abſolutione in ſupplicio diſſimulata.

MISER & incertus eſt illius ſtatus & condicio, qui accuſatus in coniuratione aduerſus Principem, nec abſoluitur, nec plectitur: ſed in ſupplicio ſine abſolutione diſſimulatur.

Quibus perpetratis Nero, & concione militum habita, bina nummum millia viritim manipularibus diuiſit; addiditq. ſine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ vtebantur.

PRVDENTER facit Princeps, in quem coniuratum eſt a ſubditis, poſt ſumptum de illis ſupplicium; donis & muneribus, populum ſibi magis obſtringere & demereri. Idem etiam de omni vniuerſitate, quæ in illius dominio poteſt.

Tum quaſi geſta bello expoſiturus, vocat ſenatum, & triumphale decus Petronio Turpiliano conſulari, Cocceio Neruæ prætori deſignato, Tigellino præfecto prætorij tribuit; Tigellinum & Neruam ita extollens, vt ſuper triumphales in foro imagines, apud palatium effigies eorum quoque ſiſteret. Dedit etiam conſularia inſignia Nymphidio;

CONFORME eſt hoc præceptum illi ſuperiori: Extollere nempe potiſſimos amicorum: vt ſint Principi quaſi propugnacula aduerſus illos, qui in nece coniuratorum ab ipſo læſi fuerunt.

de quo quia nunc primum oblatus eſt, pauca repetam. Nam & ipſe pars Romanarum cladium erit. Igitur matre libertina ortus; quæ corpus decorum inter ſeruos libertosq. principum vulgauerat, ex C. Cæſare ſe genitum ferebat, quoniam forte quadam, habitu procerus, & toruo vultu erat: ſiue C. Cæſar ſcortorum quoque cupiens, etiam matri eius illuſit. Sed Nero vocato ſenatu, oratione inter patres habita, edictum apud populum, & collata in libros indicia, confeſſionemq. damnatorum adiunxit.

PRINCEPS, qui coniurationem contra ſe conflatam, legitime & præuia ratione iuſtitiæ oppreſſit, debet conferre in libros indicia, confeſſionesq. damnatorum; eaq. omnia oſtentui præbere: vt ſic appareat, illum non extinxiſſe claros viros ob inuidiam, vel ob metum. Sic OCTAVIVS FARNESIVS recolendæ memoriæ DVX Placen. & Par. totius coniurationis Landorum & complicium ſeriem per vniuerſam Europam miſit ad omnes Principes viſendam, cum proceſſuum extractione, & confeſſione vniuſcuiuſque Coniuratorum, ac nominum propria ſubſcriptione.

Etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, tamquam viros inſontes ob inuidiam aut metum exſtinxiſſet.

HOC eſt damnũ, quod ex omni cõiuratione Principi reſultat. Aut enim illũ interficit, aut infamat. Interficit quidẽ, ſi coniuratores voti cõpotes efficiuntur. Si ſecus vero ſuccedit, & ipſi coniurati

ante

ante conatus perfectionem opprimuntur, apud pleroſque rumor crebreſcit, non eos quidem punitos ob crimen vere concepti tanti ſceleris fuiſſe, ſed Principem voluiſſe viros inſontes ob inuidiam, aut metum, ſeu vt eorum opibus ditaretur, extinguere. Princeps prudens tamen, dummodo conſcientia & ſynderesis ſua, vt ita loquar, ab hoc ſcelere munda ſit, nihil debet tales rumores æſtimare, ſed iuſtitiam exequi, mandare.

Ceterum cœptam, adultamq. & reuictam coniurationem, neque tunc dubitauere, quibus verum noſcendi cura erat; & fatentur, qui poſt interitum Neronis in vrbem regreſſi ſunt.

N*VMQVAM poteſt ferme ambigi de coniurationibus Principum. Quia ſemper illis regnantibus, aliqui viuunt, quibus verum noſcendi eſt cura: & poſt eorum mortem, demum libere omnes fatentur quid ſentiant.*

At in ſenatu cunctis vt cuiq. plurimum mæroris, in adulationem demiſſis.

S*VB Principe, vt cuique plurimum eſt mæroris; ita in adulationem eſt magis demiſſus.*

Iunium Gallionem Senecæ fratris morte pauidum, & pro ſua incolumitate ſupplicem increpuit Salienus Clemens, hoſtem & parricidam vocans: donec conſenſu patrum deterritus eſt, ne publicis malis abuti ad occaſionem priuati odij videretur, neu compoſitam & obliteratam manſuetudinem principis nouam ad ſæuitiam traheret.

P*VBLICIS malis non debet ciuis probus abuti ab occaſionem priuati odij: Nec trahere compoſitam & obliteratam manſuetudinem Principis ad nouam ſæuitiam.*

Tum decreta dona & grates deis propriusq. honos Soli; cui eſt vetus ædes apud Circum, in quo facinus parabatur, qui occulta coniurationis numine retexiſſet.

E*T hinc omnes Pincipes Chriſtiani obſeruent, ſi quando a graui aliquo periculo incolumes euadunt, DEO OPT. MAX. & dona & grates decernere. Cum Gentiles illi, & veritatis lumine carentes ſæui & immanes Tyranni, ſuis idolis, in quorum ſeruitute obtenebrati viuebant; tanta gratitudinis & venerationis ſigna in ſuis caſibus offerrent, & prompte exhiberent.*

Vtq. Circenſium cerealium ludicrum pluribus equorum curſibus celebraretur: menſiſq. Aprilis Neronis cognomentum acciperet: templum Saluti extrueretur eo loci, ex quo Sceuinus ferrũ prompſerat. Ipſe eum pugionem apud Capitoliũ ſacrauit, inſcripſitq. IOVI VINDICI. In præſens haud animaduerſum, poſt arma Iulij Vindicis ad auſpicium & præſagium futuræ vltionis trahebatur.

M*VLTA, quæ in præſens non animaduertuntur, poſtea ad auſpicium & præſagium magni alicuius facti trahuntur.*

Reperio in commentarijs ſenatus, Cetialem Anicium conſulem deſignatum, pro ſententia dixiſſe, vt templum diuo Neroni quammaturrime publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat, tamquam mortale faſtigium egreſſo, & venerationem hominum merito: quod ad omnia olim ſui exitus verteretur. Nam deum honor principi non ante habetur, quàm agere inter homines deſierit.

D*EVM honor Principi non ante habebatur ab antiquis, quam inter mortales agere deſiiſſet. Sed hodie eſt hæc deteſtanda conſuetudo.*

Commentariorum in Librum XV. Annalium P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI
IN P. CORNELII TACITI
Annales Commentarij.

Ex Lib. XVI. Annal. P. Cornelij Taciti.

ILLVSIT dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipſins,

SAEPE varijs caſibus Principes illuduntur per vanitatem ipſorum. Immo ſemetipſis ipſi per vanitatem illudunt, & falſo cauſſa ad fortunam, qua nihil poteſt, & nuſquam reperitur, poſtea refertur.

ex promiſſo Ceſelij Baſſi, qui origine Pœnus, mente turbida, nocturnæ quietis imaginem ad ſpem haud dubiam retraxit.

CERTE eſt mente turbida ille, qui nocturnæ quietis imaginem ad ſpem haud dubiam retrahit.

Vectusq. Romam, principis aditum emercatus,

HOC eſt peculiare Principibus Turcarum, vt eorum aditus qui vult, emercetur neceſſe eſt: nec ſine muneribus eorum ianua patet alienigenis. Verum neſcio quo modo contingerit, quòd in multis Aulis Europa etiam hac conſuetudo irrepſerit & obſeruetur, vt qui aditum Principis vult, emercari illum debet. Non tamen hoc culpa Principum euenire ſolet, ſed Aulicorum potentium, quorum in manu hi aditus ſtant. Intelligunt hoc Aulici omnes, qui experientiam aliquam Aularum habent.

expromit repertum in agro ſuo ſpecum altitudine immenſa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniæ, ſed rudi & antiquo pondere. Lateres quippe prægraues iacere, aſtantibus parte alia columnis. quæ per tantum æui occulta, augendis præſentibus bonis. Ceterum vt coniectura demonſtrat, Didonem Feniſſam Tyro profugam, condita Carthagine, illas opes addidiſſe, ne nouus populus nimia pecunia laſciuiret:

NIMIA pecunia laſciuire ſolet nouus populus. Hac de re pulchre & grauiter Horatius differit Ode 16. iij. libri, quem videas.

aut reges Numidarum & alias infenſi, cupidine auri ad bellum accenderentur.

AVRI cupido ſæpe in cauſſa eſt, cur Principes ad bellum accendantur, inter quos Cyrus Perſarum Rex, cum hac de cauſſa Thomyri Scytarum Regina bellum intuliſſet: ab ea per inſidias demum victus & trucidatus eſt. Et caput eius a corpere truncatum, auro impletum eſt, & lancea præfixum; clamantibus qui illud geſtabant: Aurum ſitiſti aurum bibe. Vide Herodotum & Iuſtinum & Diodorum.

Igitur Nero non auctoris, non ipſius negotij fide ſatis ſpectata, nec miſſis viſoribus per quos noſceret, an vera aſſererentur, auget vltro rumorem; mittitq. qui velut partam prædam adueherent.

QVI leuis eſt corde, cito credit: inquit Sapiens. Ideo Princeps non ſtatim omnia noua, quæ illi ab aliquo afferuntur, credere debet: ſed prius, auctoris ipſius, ipſius negotij diligenter fidem ſpectare, etſi opus eſt, mittere viſores, per quos noſcatur, an vera ſint quæ afferuntur.

Dantur

Dantur triremes & delectum nauigium, iuuandæ feſtinationi. nec aliud per illos dies populus credulitate prodentis diuerſa fama tulerat. Ac forte quinquennale ludicrum ſecundo luſtro celebrabatur: oratoribusq. præcipua materia in laudem principis aſſumpta eſt.

RES noua & magna, quæ ſub Principe eueniunt, ſunt Oratoribus & Poetis præcipua materia, quæ in laudem eius aſſumitur. Vt cernere poſſumus in multis SIXTI V. P. M. actionibus: & præcipue in illa admiranda Obeliſci e Vaticano tranſlatione, & in Sacti Petri aream erectione, ad glorioſiſsimæ Crucis ſubſtentationem. Quæ actio ſola amplam præbuit materiã omnibus præſtantibus, quæ in Vrbe uiuunt, ingenijs, & Italorum, & Gallorum, & Hiſpanorum, carmina, & hiſtorias pangendi, & Pontificis laudes complectendi: vt in dedicationis ipſius ordine, quem luculenter & pie admodum explicat Petrus Galeſinius Protonotarius Apoſtolicus, conſpicere licet: & in Commentario, quem Petrus Angelius Bargæus de illo compoſuit: adijciendo in calce omnium Auctorum, qui ſuper hac reſcripſerunt, poemata.

Non enim tantum ſolitas fruges, nec metallis confuſum aurum gigni, ſed noua vbertate prouenire terras, & obuias opes deferre deos. Quæq. alia ſumma facundia, nec minore adulatione ſeruilia fingebat, ſecuri de facilitate credentis.

CVM ſcriptor temporum Principis, eſt ſecurus de eius facili credulitate, ſumma facundia, nec minori adulatione, multa ſeruilia in eius laudem fingere conſueuit.

Gliſcebat interim luxuria ſpe inani,

SEMPER ſpe inani gliſcit luxuria. Aulicus Romanus hoc bene ſcit.

conſumebanturq. veteres opes, qnaſi oblatis quas multos per annos prodigeret. Quin & inde iam largiebatur. Et diuitiarum expectatio, inter cauſſas paupertatis publicæ erat.

PLERVMQVE aſtultis conſumuntur veteres opes, quaſi oblatis, quas multos per annos prodigant: vnde ſequitur, quòd plerumque expectatio diuitiarum, inter cauſſas publicæ paupertatis eſt. Cum hac ſpe impulſi, æs alienum multi conflent, ſua prodigant, ea luxurioſe conſumant, interea diuitiæ nondum veniunt, & illi in paupertatis ſcopulum incurrerunt. Et hoc ſæpe hodie multis Aulicis Romæ contingit.

Nam Baſſus effoſſo agro ſuo, latisq. circum aruis, dum hunc vel illum locum promiſſi ſpecus adſeuerat, ſequunturq. non modo milites, ſed populus agreſtiũ, efficiendo operi aſſumptus, tandem poſita vecordia, non falſa ante ſomnia ſua, ſeq. tunc primum eluſum admirans, pudorem & metum morte voluntaria effugit. Quidam vinctum ac mox dimiſſum tradidere, ademptis bonis in locum regię gazæ.

SIC ſolet temerarijs, & impoſtoribus euenire. Poſteaquam illa, per quas alios eludere credebant, artes non ſuccedunt; tandem pudorem & metum, aut morte voluntaria, aut ſupplicio debito effugiunt, & male pereunt.

Interea ſenatus propinquo iam luſtrali certamine vt dedecus auerteret offert imperatori victoriam cantus, adijcit facundiæ coronam, qua ludicra deformitas velaretur.

DISCRETE agit Senatus, cum omnia tentat, vt dedecus Principis auertat. At membrorum enim vnitatem pertinet capitis ſanitas.

Sed Nero nihil ambitu nec poteſtate ſenatus opus eſſe dictitans, ſe æquum aduerſus æmulos, & religione iudicum meritam laudem aſſecuturum, primo carmen in ſcena recitat.

QVOD hic Nero vt Princeps, male conueniens dicebat; id deberet cuicumque priuato ante oculos eſſe in virtutis certamine: Nempe nihil ambitu, & poteſtate alicuius opus habere: ſed æquum eſſe aduerſus æmulos, & eniti propria induſtria & merito ad aſſequendum meritam laudem, & religione iudicum.

mox

mox flagitante vulgo, vt omnia ſtudia ſua publicaret, hæc enim verba dixere, ingreditur thearrum, cunctis citharæ legibus obtemperans: ne feſſus reſideret, ne ſudorem, niſi ea, quam indutui gerebat veſte detergeret: vt nulla oris, aut narium excrementa viſerentur. Poſtremo flexus genu, & cœtum illum manu veneratus, ſententias iudicum opperiebatur ficto pauore.

OBSERVENT Principes in hoc monſtro, quantum dedecus & periculum illis afferat, non ſuſtinere Principis perſonam. Inde enim contemptus & mors.

Et plebs quidem vrbis hiſtrionum quoque geſtus iuuare ſolita, perſonabat certis modis, plauſuq. compoſito. Crederes lætari, ac fortaſſe lætabantur, per iniuriam publici flagitij.

SAEPE lætatur populus ſub Tyranno, per iniuriam publici flagitij.

Sed qui remotis e municipijs ſeueramq. adhuc, & antiqui motis retinentes Italiam, quiq. per longas prouincias laſciuiæ inexperti officio legationum, aut priuata vtilitate aduenerant, neque aſpectum illum tolerare,

GRAVES viri & ſeueram retinentes & antiqui moris viuendi diſciplinam, tolerare fœditatis aſpectum non poſſunt, præſertim in Principe.

neque labori inhoneſto ſufficere: cum manibus neſcijs fatiſcerent, turbarent gnaros, ac ſæpe a militibus verberarentur, qui per cuneos ſtabant, ne quod temporis momentum impari clamori, aut ſilentio ſegni præteritet.

MISERANDVM hercle eſt, ad ſuſcipiendum inhoneſtum laborem ſub Tyranno adigi, ac puniri, niſi illum toleres.

Conſtitit pleroſque equitum, dum per anguſtias aditus & ingruentem multitudinem enituntur, obtritos: & alios dum diem noctemq. ſedilibus continuant, morbo exitiabili correptos. quippe grauior inerat metus, ſi ſpectaculo defuiſſent, multis palam & pluribus occultis, vt nomina ac vultus, alacritatem, triſtitiamq. coeuntium ſcrutarentur. Vnde tenuioribus ſtatim irrogata ſupplicia, aduerſus inluſtres diſſimulatum ad præſens, & mox redditum odium.

IRROGATVR ſtatim ſupplicium tenuioribus, aduerſus illuſtres diſſimulatur ad præſens, & mox redditur odium. Idq. valde prudenter obſeruatur, vt tumultus ſcilicet euitentur, quos facile viri ampli & præpotentes concirent; ſi aduerſus ipſos aperte graſſaretur Princeps: cui poſtea, dummodo aliquantiſper diſſimulet, pulchræ ſe offerunt occaſiones eos in manibus habendi, & plectendi. Patent huius rei quàm plurima exempla; & in veteribus & in recentioribus hiſtorijs, quæ conſulto ad præſens omitto.

Ferebantq. Veſpaſianum tamquam ſomno conniueret, a Phœbo liberto increpitum, ægreq. meliorum precibus obtectum:

SVB Tyranno ægre meliorum precibus obteguntur clari homines. Ratio, quia parum auctoritatis melioribus eſt cum Tyranno.

mox imminentem perniciem maiore fato effugiſſe.

QVI futuri ſunt magni viri, ſæpe effugiunt imminentem perniciem maiori ſuo beneficio. Sic Matthias Coruinus, cum morti condemnandus eſſet, effugit ſupplicium ſuum, & eſt reſeruatus ad regnum Vngarorum.

Poſt finem ludicri Poppæa mortem obijt, fortuita mariti iracundia, a quo grauida ictu calcis afflicta eſt. Neque enim venenum crediderim, quamuis quidam ſcriptores tradant, odio magis quàm ex fide.

RES Tyrannorum ab Hiſtoricis plerumque ſcribuntur odio magis, quàm ex fide.

Quippe liberorum cupiens, & amori vxoris obnoxius erat.

VERISIMILE non eſt, quòd maritus liberorum cupiens, & vxoris amori obnoxius illam propria animi deliberatione de medio tollat.

Corpus

Corpus non igni abolitum, vt Romanus mos: ſed regum externorum conſuetudine, differtum odoribus conditur, tumuloq. Iuliorum infertur. Ductæ tamen publicæ exequiæ, laudauitq. ipſe apud roſtra formam eius, & quòd diuinæ infantis parens fuiſſet, aliaq. fortunæ munera pro virtutibus.

FATVI eſt, æſtimare & laudare fortunæ munera pro virtutibus. Sed huius ſæculi corruptio ſæpe virtutes, fortunæ muneribus poſthabere ſolet. Et amoris cæcitas iudicij aciem obtundit.

Mortem Poppææ vt palam triſtem, ita recordantibus lætam ob impudicitiam eius ſæuitiamq.

NVMQVAM credat Tyrannus ſubditorum aſpectibus & verbis. Semper enim ferme ob metum ſunt ſimulata. Vnde multa interno animi affectu læta ſentiunt, quæ palam vt triſtia lugent.

noua inſuper inuidia Nero compleuit, prohibendo C. Caſſium officio exequiarum.

SEMPER Tyrannus ſolet complere noua inuidia, cum malum aliquod publice euenit. Sic enim feritati ſuæ naturali ſatisfacere melius gaudet.

quod primum indicium mali, neque in longum dilatum eſt.

TYRANNVS claris & inſignibus viris, quos perdere cogitat, antequam extremum malum irroget; ſolet aliqua indicia eius præmittere. Sic ſupra lib. xv. de eodem Nerone cum Thraſea, Auctor tradit prohibitionem eius itineris ad Antium, fuiſſe prænunciam calamitatis ſuæ oſtenſionem.

Sed Sillanus additur, nullo crimine, niſi quod Caſſius opibus vetuſtis, & grauitate morum;

GNAVITAS morum vſque adeo eſt laudabilis, vt ob eam ſolam multi in ciuitate præcellere poſſint ceteros. Præſertim ſi in iuuene conſpiciatur. Quid poſtea cũ opes vetuſta illũ comitantur?

Sillanus claritudine generis, & modeſta iuuenta præcellebant.

OB generis claritudinem, & modeſtam iuuentam præcellere poteſt aliquis ceteros.

Igitur miſſa ad ſenatum oratione, remouendos a Rep. vtroſque diſſeruit. Obiectauitq. Caſſio, quòd inter imagines maiorum, etiam C. Caſſij effigiem coluiſſet, ita inſcriptam: DVCI PARTIVM. Quippe ſemina belli ciuilis, & defectionem a domo Cæſarum quæſitam.

METICVLOSVS eſt ſemper Tyrannus. Hinc fit, vt vel leuiſſima crimina pro grauiſſimis obiectet illis, quos infenſos habet, & nullam illis defenſionem linquat.

Ac vt memoria tantum infenſi nominis ad diſcordias vteretur, aſſumpſiſſe L. Sillanum iuuenem genere nobilem, animo præruptum, quem nouis rebus oſtentaret.

SOLENT, qui res ſub Tyranno turbare volunt, aſſumere ad id opus iuuenes genere nobiles, animo præruptos, atque hos rebus nouis oſtentare: præſertim ſi memoriam infenſi nominis ad diſcordias illis adeſt.

Ipſum dehinc Sillanum increpuit iiſdem quibus patruum eius Torquatum, tamquam diſponeret iam imperij curas, præficeretq. rationibus & libellis & epiſtolis libertos:

AVLICVS Romanus, etſi magnæ ſpei & expectationis ſit; caueat a diſponendo in priuata fortuna, dignitatum, quas ſperat, curas: nam omnium inuidiam in ſe conflabit, & criminationibus locum aperiet. Idem multo magis caueat qui ſub Principe, & recenti vitam degit.

& inania ſimul & falſa. Nam Sillanus intentior metu, & exitio patrui ad præcauendum exterritus erat.

PARVM vt dixi, prodeſt, quòd ſub Tyranno & inania, & falſa ſint crimina, quæ tibi obijcit, & quòd intentus ſis metu, & exitio aliorum, & tuorum ſis exterritus, ad præcauendum: quòd mori oportet, tamquam nocens & conuictus.

Inducit poſthac vocabulo indicum, qui in Lepidam Caſſij vxorem, Sillani amitam, inceſtum cum fratris filio & diros ſacrorum ritus confingerent.

VT ſecundum iuris diſpoſitionem & legum videatur Tyrannus plectere quos habet inuiſos, & non potentia ſua vi; ſolet inducere aliquos, qui opponant & confingat grauiſſima crimina in illos, quos poſtea poſſit melius perdere, tamquam legibus nocentes, & mortem meritos.

Trahebantur vt conſcij Vulcatius Tullinus, ac Marcellus Cornelius ſenatores, & Calpurnius Fabatus eques Romanus: qui appellato principe, inſtantem damnationem fruſtrati, mox Neronem circa ſumma ſcelera diſtentum, quaſi minores euaſere.

MVLTI inuiſi a Tyranno, ſæpe eum euadunt, non eius clementia; ſed quaſi minores fugiunt circa ſumma ſcelera diſtentum.

Tunc ſenatuſconſulto Caſſio, & Sillano exilia decernuntur; de Lepida Cæſar ſtatueret. Deportatusq. in inſulam Sardiniam Caſſius, & ſenatus ius expectabatur. Sillanus tamquam Naxum deueheretur, Hoſtiam amotus; poſt municipio Apuliæ, cui nomen eſt Barium, clauditur. Illic indigniſſimum caſum ſapienter tolerans, a centurione ad cædem miſſo corripitur.

SAPIENTES & graues viri, indigniſſimos caſus, qui illis in vita accidunt, ſapienter etiam tolerare ſolent. Sciunt enim in ipſos ob hoc cadere non poſſe iniuriam aliquam, quæ ipſi ob ſuam virtutem ſunt excelſiores. Et vide hic Seneca tractatum: In ſapientem non poſſe cadere iniuriam.

Suadentiq. venas abrumpere, animum quidem morti deſtinatum ait, ſed non permittere percuſſori gloriam miniſterij. At centurio quamuis inermem, præualidum tamen & iræ, quàm timori propiorem cernens, premi a militibus iubet.

VIR fortis in extremo vitæ periculo ab hoſtibus ſibi imminente, eſt ſemper iræ quàm timori propior.

Nec omiſit Sillanus obniti, & intendere ictus quantum manibus nudis valebat, donec a centurione vulneribus aduerſis, tamquam in pugna caderet.

SIC ſupra lib. i. initio de Agrippina Auctor inquit; Quem ignarum inermemq. quamuis firmatus animo Centurio, ægre confecit.

Haud minus prompte L. Vetus, ſocruſq. eius Sextia & Pollutia filia necem ſubiere: inuiſi principi, tamquam viuendo exprobrarent interfectum eſſe Rubellium Plautum generum Lucij Veteris.

PROPINQVI interfectorum a Tyranno ei inuiſi ſunt, tamquam exprobrantes, ab illo eſſe propinquos ſuos occiſos. Ideo ſemper tales viri ſolum vertere debent, & a Tyranno abſcendere.

Sed initium detegēdæ ſæuitiæ præbuit interuerſis patroni rebus ad accuſandum tranſgrediens Fortunatus libertus, aſcito Claudio Demiano, quem ob flagitia vinctum a Vetere Aſiæ proconſule, exoluit Nero in præmium accuſationis.

SCELESTOS & improbos, qui nocentes ſunt, & ob culpam aliquam mortem merentur; ſolet Tyrannus exoluere & liberare, in præmium alicuius fœdi & turpis miniſterij, quod pro eius libidine ac ſæuitia præſtant.

Quod vbi cognitum reo, ſeq. & libertum pari ſorte componi, Formianus in agros digreditur. Illic eum milites occulta cuſtodia circumdant. Aderat filia ingruens periculum longo dolore atrox, ex quo percuſſores Plauti mariti ſui viderat.

MISERI & calamitoſi, qui longo dolori ſunt aſſueti, ſuper ingruentia pericula fiunt atroces. Obduxerunt enim callum in miſerijs.

Cruentamq. ceruicem eius amplexa, ſeruabat ſanguinem, & veſtes reſperſas, vidua implexa luctu continuo; nec vllis alimentis, niſi quæ mortem arcerent.

HOC eſt verum munus viduæ, quæ maritum morte violenta amiſerit: ſeruare ſanguinem eius, & veſtes reſperſas, implexa luctu continuo, nec vllis alimentis, niſi quæ mortem arcerent.

Tum hortante patre, Neapolim pergit. Et quia aditu Neronis prohibebatur, egreſſus obſidens,

QVI aliquid magni momenti cum Principe tractare debet, etſi aditu prohibetur, non ideo animum deſpondeat, ſed egreſſum obſideat.

audiret inſontem.

PRINCEPS debet audire omnes, præcipue inſontes. Ob hoc enim eſt Princeps, vt ſubditos audiat, & rebus eorum prouideat.

neue conſulatus ſui quondam collegam dederet liberto, modo muliebri eiulatu, aliquando ſexum egreſſa, voce infenſa clamitabat.

HOC eſt proprium magni doloris in aliquo, vt eundem tenorem in fletu & gemitu non ſeruet: ſed vario modo queſtus, eiulatus, & clamores confundat.

donec princeps immobilem ſe precibus & inuidiæ iuxta oſtendit.

DEBET ſemper Princeps præbere ſe immobilem precibus & inuidiæ iuxta, cum agitur de rebus ad iuſtitiam pertinentibus.

Ergo nunciat patri abijcere ſpem, & vti neceſſitate. Simul affertur parari cognitionem ſenatus, & trucem ſententiam. Nec defuere qui monerent magna ex parte heredem Cæſarem nuncupare, atque ita nepotibus de reliquo conſulere.

CONSVLIT poſteris, qui a Tyranno damnatus eum heredem relinquit. Idem in vita Agricolæ infra in eandem ſententiam inquit.

quod aſpernatus, ne vitam proxime libertatem actam nouiſſimo ſeruitio fœdaret, largitur in ſeruos quantum aderat pecuniæ: & ſi qua aſportari poſſent, ſibi quemque deducere, tris modo lectulos ad ſuprema retineri iubet.

INDECORVM eſt, vitam proxime libertatem actam, nouiſſimo ſeruitio fœdare. Huc reſpiciens Cato ſe interfecit Vticæ: Pandulphus Petrucius in vinculis Florentiæ. Sed eſt quæſtio hæc valde diſputabilis: An deceat virum fortem, ſeipſum interficere, potius quàm in manus hoſtium deuenire. Quæ quoniam a multis doctiſſimis viris exagitata eſt, ego omnia omittendo, in illorum ſententiam venio. Quòd cum in hanc vitam a cæleſti numine immiſſi fuerimus; non eſt iuſtum iniuſſu eius antequam tempus veniat, ex ea decedere. Cicero, & alij.

Tunc eodem in cubiculo, eodem ferro abſcindunt venas, properiq. & ſingulis veſtibus ad verecundiam velari balneis inferuntur. pater filiam, auia neptem, illa vtroſque intuens, & certatim precantes labenti animæ celerem exitum, vt relinquerent ſuos ſuperſtites & morituros. Seruauitq. ordinem fortuna: ac ſenior prius, tum cui prima ætas, exſtinguuntur. Accuſati poſt ſepulturam, decretumq. vt more maiorum punirentur.

REI maieſtatis ſub Tyranno, qui ſua manu ſe occiderunt, accuſari ſolent poſt ſepulturam, decerniq. vt more maiorum puniantur.

Et Nero interceſſit, mortem ſine arbitrio permittens. ea cædibus peractis ludibria adijciebantur.

SVB Tyranno, cædibus peractis, ludibria adijciuntur. Adeo eſt inexplebilis Tyranni ſæuitia.

P. Gallus eques Romanus, quòd Fenio Rufo intimus, & Veteri non alienus fuerat, aqua atque igni prohibitus eſt.

QVOD ſupra diximus non ſemel, nunc repetimus: Amicitiam inuiſorum Principi, exitialem ſemper ſolere eſſe. Vnde Aulicus omnis prudens eam effugiat.

Liberto & accuſatori præmium operæ, locus in theatro inter viatores tribunicios datur. Et menſis qui Aprilem eundemq. Neroneum ſequebatur, Maius Claudij, Iulius Germanici, vocabulis mutantur: teſtificante Cornelio Orſito, qui id cenſuerat, ideo Iunium menſem tranſmiſſum, quia duo iam Torquati ob ſcelera interfecti, infauſtum nomen Iunium feciſſent. Tot facinoribus fœdum annum etiam dij tempeſtatibus & morbis inſigniuere. Vaſtata Campania turbine ventorũ, qui villas, arbuſta, fruges paſſim diſiecit pertulitq. violentiam ad vicina vrbi. In qua omne mortalium genus vis peſtilentiæ

 depo.

depopulabatur, nulla cæli intemperie, quæ occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. Non ſexus, non ætas periculo vacua. Seruitia perinde ac ingenua plebes raptim extingui, inter coniugum & liberorum lamenta; qui cum aſſident, dum deflent, ſæpe eodem rogo cremabantur. Equitum ſenatorumq. interitus, quamuis promiſcui, minus flebiles erant, tamquam communi mortalitate ſæuitiam principis præuenirent.

INFELIX certe eſt vrbs, quam præter ſæuitiam inſignem Tyranni, vis peſtilentiæ etiam depopulatur. Quæ in re omittere mihi non videtur, quòd etſi inſignis ſit huius Auctoris in deſcribenda hac peſtilentia, elegantia; pulcherrimā tamen habebit Lector, qui videat Tucydidem lib.2. hiſtor. Lucretium lib.vij. poematis, Virgilium lib. iij. Georgicon: & Senecam in Tragædia Aedipodis. Et poſt omnes hos Auctores, videndus eſt etiam Antonij Porti Sanctiſſimi Domini Noſtri SIXTI V. Medici, liber, De Peſte inſcriptus: vbi omnia luculenter admodum & docte in hanc materiam tractantur.

Eodem anno dilectus per Galliam Narbonenſem Africamq. & Aſiam habiti ſunt, ſupplendis Illyrici legionibus, ex quibus ætate aut valetudine feſſi ſacramento ſoluebantur.

MILITES feſſi ætate, aut valetudine, ſacramento ſolui debent a Principe.

Cladem Lugdunenſem quadragies ſeſtertio ſolatus eſt princeps, vt miſſa vrbi reponerent. quam pecuniam Lugdunenſes ante obtulerant, turbidis caſibus. C. Suetonio, L. Teleſino Coss. Antiſtius Soſianus factitatis in Neronem carminibus probroſis, exilio, vt dixi, multatus, poſtquam id honoris indicibus tamq. promptum ad cædes principem accepit, inquies animo. & occaſionum haud ſegnis,

PECVLIARES Aulicorum ſunt hæ duæ qualitates: nempe vt inquieti animo ſint, & occaſionum haud ſegnes.

Pammenem eiuſdem loci exulem, & Chaldæorum arte famoſum, eoq. multorum amicitijs innixum,

SEMPER euenit, vt Caldeorum, & diuinationis, etſi fallaciſſimæ, arte famoſi; multorum amicitijs inuitantur. Plerique enim res nouas cupientes, & a propria cupidine excæcati, libenter credunt huic generi hominum. Quod tamen eſt Principibus infidum, & ſperantibus fallax: vt Auctor infra lib. i. Hiſt. inquit.

ſimilitudine fortunæ ſibi conciliat.

FORTVNAE ſimilitudo conciliat homines ad inuicem. Cum enim quod vni eorum conducit, idem alteri proſit; fit vt tamquam daturi, & recepturi hinc inde ſubſidium, alter amet alterum. Intelligendum tamen eſt cum res ſunt aduerſæ. Contrarium enim eueniet in ſecundis: ob quas inuidia vice amoris gignitur.

Ventitare ad eū nuncios & conſultationes non fruſtra, ratus ſimul annuam pecuniam a P. Anteio miniſtrari cognoſcit. Neque neſcium habebat, Anteium charitate Agrippinæ inuiſum Neroni, opesq. eius præcipuas ad eliciendam cupidinem, eamq. cauſſam multis exitio eſſe.

PRAECIPVAE ſunt opes ſubditorum ad eliciendam cupidinem Tyranni: & hæc eſt cauſſa exitij multis. Nam cum in multa profundat Tyrannus, ob quæ egens ſit, ad rapinas & extorſiones animum conſequenter voluit. Vnde qui ſub eo ditiores habentur, ſunt periculo propiores. Hinc originem trahunt ſub Tyranno, cædes, proſcriptiones, & carceres virorum illuſtrium. Quarum rerum plenæ ſunt hiſtoriæ, & præter cetera luculenta illa Sanderi, De Schiſmate Anglicano, cum de Henrico viij. Rege Angliæ loquitur: quem videas.

Igitur interceptis Antei litteris, furatus etiam libellos, quibus dies genitalis eius, & euentura, ſecretis Pammenis occultabantur, ſimul repertis quę de ortu vitaq. Oſtorij Scapulæ compoſita erant, ſcribit ad principem, magna ſe, & quæ incolumitati eius condu-

conducerent allaturum, ſi breuem exilij veniam impetrauiſſet. quippe Anteium & Oſtorium imminere rebus, & ſua Cæſarisq. fata ſcrutari.

CAVEAT ab omnibus, qui ſub ſpecie amicitiæ in illius amicitiam ſe inſinuare ſtudent, Aulicus ille clarus, qui a Principis gratia excidit. Proditiones enim hoc modo euitabit, & inſidias.

Exin miſſæ liburnicæ, aduehiturq. propere Soſianus. Ac vulgato eius indicio, inter damnatos magis quam inter reos Anteius, Oſtoriusq. habebantur: adeo vt teſtamentum Anteij nemo obſignaret, niſi Tigellinus auctor extitiſſet,

INSIGNES & clari viri, qui maieſtatis ſub Tyranno accuſantur, etſi innocentes, tamen magis inter damnatos, quam inter reos habendi ſunt. Nemo enim eorum ferme Tyranni ſæuitiam incolumis euadit.

Monitus prius Anteius, ne ſupremas tabulas moraretur. At ille hauſto veneno, tarditatem, eius peroſus, interciſis venis, mortem approperauit. Oſtorius longinquis in agris apud finem Ligurum id temporis erat. eo miſſus centurio, qui cædem eius maturaret. Cauſſa feſtinandi ex eo oriebatur, quòd Oſtorius multa militari fama, & ciuicam coronam apud Britanniam meritus, ingenti corporis robore armorumq. ſcientia, metum Neroni fecerat,

VIRI multa militari fama, & armorum ſcientia præditi, ſi Tyranno ſubditi ſunt, metum ſemper illi faciunt, ne ipſum inuadant; pauidum ſemper, & ob crebras coniurationes ſæpe exterritum. Tales igitur, vt ſæpe iam diximus, procul ab illo abeant.

ne inuaderet, pauidum ſemper, & reperta nuper coniuratione magis exterritum.

SEMPER eſt pauidus Tyrannus: ſed tunc magis, cum nuper coniuratiõ contra eum eſt exorta.

Igitur centurio vbi effugia villæ clauſit, iuſſa imperatoris Oſtorio aperit. Is fortitudinem aduerſum hoſtes ſæpe ſpectatam in ſe vertit. Et quia venæ, quamquam interruptæ, parum ſanguinis effundebant, hactenus manu ſerui vſus vt immotum pugionem extolleret, adpreſſit dextram eius, iuguloq. occurrit.

VERA eſt illius fortitudo, quam aliquis aduerſum hoſtes exercet: & cum occaſio poſtulat, in ſeipſum vertit. Nec imitatur malos medicos, qui alijs ſalutem afferre, ſeipſos curare non poſſunt. Tamen exercere hanc fortitudinem, manus ſibi inferendo, non licet nec religioni noſtræ conuenit.

Etiam ſi bella externa, & obitas pro Remp. mortes tanta caſuum ſimilitudine memorarem; meq. ipſum ſatias cepiſſet, aliorumq. tædium expectarem, quamuis honeſtos ciuium exitus, triſtes tamen & continuos aſpernantium.

DEFLENDI ſunt certe caſus, qui crebri & varij ſub Tyranno a ſubditis tolerantur, & dignitam pia & eleganti digreſſione, quam nunc hic Auctor in medium ponit.

At nunc patientia ſeruilis, tantumq. ſanguinis domi perditum, fatigant animum & mæſtitia reſtringunt.

SOLET reſtringere animos mortalium triſtitia: contra lætitia dilatare.

Neque aliam defenſionem ab iis, quibus iſta noſcentur, exegerim, quàm ne oderim tam ſegniter pereuntes.

SEGNITER pereuntes, odium in ſe concitare conſueuerunt. Sicut fortiter obeuntes, amorem, & pietatem.

Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non vt in cladibus exercituũ, aut captiuitate vrbium, ſemel editam tranſire licet. Detur hoc inluſtrium virorum poſteritati, vt

 quo

quo modo exequijs a promiſcua ſepultura ſeparantur; ita in traditione ſupremorum accipiant habeantq. propriam memoriam.

IVRE dandum eſt virorum illuſtrium poſteritati, vt quo modo exequijs a promiſcua ſepultura ſeparantur; ita in traditione ſupremorum, accipiant habeantq. propriam memoriam.

Paucos quippe intra dies, eodem agmine Annæus Mella, Cerialis Anicius, Rufus Criſpinus, ac C. Petronius cecidere. Mella & Criſpinus equites Romani, dignitate ſenatoria. Nam hic quondam præfectus prætorij, & conſularibus inſignibus donatus, ac nuper crimine coniurationis in Sardiniam exactus, accepto iuſſæ mortis nuncio, ſemet interfecit. Mella quibus Gallio & Seneca parentibus natus, petitione honorum abſtinuerat, per ambitionem præpoſteram, vt eques Romanus conſularibus potentia æquaretur.

PRAEPOSTERA eſt ambitio illius, qui honorum petitione abſtinet, vt in inferiori dignitate, maioribus potentia æquetur.

Simul acquirendæ pecuniæ breuius iter credebat, per procuratores adminiſtrandis principis negotijs.

AVLICVS prudens ſibi quem finem proponit, media ad illum facile ducentia eligere debet & amplecti. Porro ſi acquirendæ pecuniæ ſtudioſus & cupidus fuerit; dubium non eſt, quod ad hoc breuius iter habebit, per procurationes adminiſtrando negotia Principis.

Idem Annæum Lucanum genuerat, grande adiumentum claritudinis.

GRANDE eſt claritudinis patri adiumentum filius, virtute & doctrina inſignis.

quo interfecto, dum rem familiarem eius acriter requirit, accuſatorem conciuit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis.

REM familiarem propinqui, ob crimen leſæ maieſtatis a Principe interfecti, acriter requirere periculoſum eſt, & fugiendum.

Mixta inter patrem filiumq. coniurationis ſcientia fingitur, aſſimulatis Lucani litteris.

VVLGARIS & vſitata eſt hac inimicis inſidiandi via, aſſimulare eorum litteras & characteres falſare. Sed tam facilis euaſu eſt hæc malignitas, vt innocenti & probro viro nullum ob hoc timorem incutere debeat.

quas inſpectas Nero, ferri ad eum iuſſit, opibus eius inhians.

SIC ſupra lib. xj. Annal. Hortos eius inchians, inquit Auctor de Meſſalina loquendo. Et hanc ob cauſſam Fuluia vxor Antonij Triumuiri, vicinum ſuum proſcribi curauit. Appian. Alex. lib. iij. Bellor. Ciuil.

At Mella, quæ tum promptiſſima mortis via, exſoluit venas: ſcriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum, generumq. eius Coſſutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent.

ILLIBERALITAS eſt hæc, & non munificentia, qua multi vtuntur: Erogando grandia munera & grandem pecuniam in præpotentes apud Principem, quo cetera maiora acquirant; aut male acquiſita conſeruent.

Additur codicillis, tamquam de iniquitate exſilij querens ita ſcripſiſſet: Se quidem mori nullis ſupplicij cauſſis, Rufum autem Criſpinum & Anicium Cerialem vita frui, infeſos principi. quæ compoſita credebantur de Criſpino, quia interfectus erat, de Ceriale, vt interficeretur.

HEV quot & quanta ſub Tyranno trica, & inſidia miſeris & inſontibus viris. Et qua ars humana, quod Ariadnæ filum ab illis explicare poſſet? niſi diuinum auxilium in eorum ſalutem intendas.

Neque

Neque enim multo poſt vim ſibi attulit, minore quàm ceteri miſeratione, quia proditam C. Cæſari coniurationem ab eo meminerant.

LEVIS miſeratio eſt erga illum, qui quod alys fecit, ipſe poſtea patitur. Digne enim ſupplicia improbitatis luit ſua.

De C. Petronio ſupra pauca repetenda ſunt. Nam illi dies per ſomnum, nox officijs, & oblectamentis vitæ tranſigebatur. Vtq. alios induſtria, ita hunc ignauia ad famam protulerat.

INFAMIS equidem eſt ille & ſecors, cui dies per ſomnum, & nox officijs & oblectamentis vitæ tranſigitur. Et tamen viros tales ſæpe ignauia ad famam in Aulis profert, vt alios induſtria. Et quis tali in re nemeſin continere poterit?

habebaturq. non ganeo & profligator, vt plerique ſua haurientium, ſed erudito luxu.

VERE eſt corrupta ciuitas, vbi in luxu eruditio, & eruditi in luxu inueniuntur, ac in pretio habentur.

Ac dicta factaq. eius quanto ſolutiora, & quandam ſui negligentiam præferentia, tanto gratius in ſpeciem ſimplicitatis accipiebantur.

DICTA, & facta alicuius, quanto ſolutiora, & quandam ſui negligentiam præferentia, tanto gratius in ſpeciem ſimplicitatis accipiuntur. Nam mirum eſt dictu, quantum apud omnes ſimplicitas ſit amabilis. Innocentia enim & ſincera conſcientia eſt indicium: quo nihil apud homines gratius. Vnde eleganter Plutarchus in Antonio, cum multas cauſſas enumeret, quæ illum omnibus amabilem faciebant, ſimplicitatem morum inter præcipuas aſsignat. Paſsim etiam apud Iuriſconſultos, & in ſacrorum Canonum libris, inſignia loca reperiuntur, in quibus ſimplicitati ſubueniendum eſſe affirmatur. Hanc tamen oportet cum modo eſſe: Si enim eſſet fatuitas, damnoſa & vituperabilis eſſet. Quod innuens SALVATOR noſter, dixit: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

Proconſul tamen Bithyniæ, & mox conſul, vigentem ſe ac parem negotijs oſtendit:

QVI in magiſtratu a Principe collocatur, debet ſe oſtendere vigentem, ac parem negotijs, ſi in potentia permanere velit. Alioquin æmulis callem ad ſe opprimendum patefaciet.

dein reuolutus ad vitia, ſeu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt, eleganriæ arbirer, dum nihil amœnum, & molle affluentia putat, niſi quod ei Petronius approbauiſſet.

MVLTIS itineribus ad gratiam Principis contendunt Aulici. Hic morum ſeueritate ob tractanda officia, ille inſigni doctrina, alter morum grauitate, nonnulli inſigni rerum experientia: & alij alijs de cauſsis. Verum aliqui reperiuntur, quos ob amœnitatem vitæ, & mollem affluentiam aſſumit Princeps inter paucos familiarium, & quaſi elegantiarum arbitros facit. Hos tales, prudens & grauis Aulicus demereri ſtudeat: facile enim hoc illius dexteritati erit, & hi poſtea ad illius beneficium in animo Principis validiſsimi erunt.

Vnde inuidia Tigellini, quaſi aduerſus æmulum & ſcientia voluptatum potiorem.

APVD Principem, inter Aulicos non tantum eſt æmulatio virtutis, ſed etiam vitiorum. Vnde ſæpe inter duos, quos Princeps ob voluptates ſuas diligat, æmulatio orietur: ſi quando alter in voluptatum ſcientia apud Principem erit potior.

Ergo crudelitatem principis, cui ceteræ libidines cedebant, aggreditur;

VT in claro & inſigni Principe cœtu multarum virtutum ſepto & inſtructo, ſolet aliqua ſpecifica virtus ceteras præcellere; ſic in flagitioſo & improbo Tyranno, plurimis vitijs & libidinibus pleno, ſolet aliquod vitium ſemper inſignius conſpici, cui cetera cedunt. & vt ſæpe eſt ſæuitia.

amicitiam Sceuini Petronio obiectans; corrupto ad indicium ſeruo, ademptaq. defenſione, & maiore parte familiæ in vincla rapta.

AEMVLVS, qui æmulum perdere cupit apud Tyrannum, his artibus vtitur: Obiectat illi amicitiã alicuius Tyranno inuiſi; deinde corrumpit ad indiciũ familiã, & illi adimit defenſionem.

Forte illis diebus Campaniam petiuerat Cæſar, & Cumas vſque progreſſus Petronius illic attinebatur. Nec tulit vltra timoris aut ſpei moras:

DELICATI, & timidi eſt, non ferre vltra timoris aut ſpei moras. Contra, fortis & ſapiens tempus tempori addendo, ſe occaſionibus patienter ſemper reſeruabit. Inde illud:

Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

neque tamen præceps vitam expulit, ſed inciſas venas, vt libitum obligatas, aperire rurſum, & alloqui amicos, non per ſeria, aut quibus conſtantiæ gloriam peteret. Audiebatq. referentes, nihil de immortalitate animæ, & ſapientium placitis, ſed leuia carmina & faciles verſus. Seruorum alios largitione, quoſdam verberibus affecit. Iniјt & vias, ſomno indulſit, vt quamquam coacta mors, fortuitæ ſimilis eſſet.

NOVVM genus mortis, nouo vitæ generi congruit. Et qualis fuit vita curſus, idem ſolet eſſe metæ ſpatium.

Ne codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem aut Tigellinum, aut quē alium potentium adulatus eſt: ſed flagitia principis ſub nominibus exoletorum feminarumq. & nouitate cuiuſque ſtupri perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni. fregitq. anulum, ne mox vſui eſſet ad facienda pericula.

ETSI in ceteris molliter, & ignaue ſe geſſit Petronius iſte, in hoc tamen fortiter, & digne egit frangendo anulum, ne vſui Neroni eſſet, ad facienda alijs claris viris pericula. nam potuiſſet illo Tyrannus vti, & apponere nomina illuſtrium ſenatorum, tamquam à Petronio accuſatorum: & ſic eos necare.

Ambigenti Neroni quonam modo noctium ſuarum ingenia noteſcerent,

NVMQVAM ambigere debet Princeps, quo modo noctium ſuarum ingenia noteſcant: nam nihil occultum ex eius dictis, factisve eſſe poteſt: & ſi cetera ſilerent, parietes ipſi & lectuli voces haberent, & loquerentur. Nam omnium oculi, & mentes in eum directæ ſunt: qui eſt vt ciuitas ſupra montem poſita. Proinde ſtudeat ſemper & DEO placere, & hominibus.

offertur Silia matrimonio ſenatoris haud ignota, & ipſi ad omnem libidinem adſcita,

NON ad vnam, ſed ad omnem libidinem adſciſcit Tyrannus perſonas, quas in ſuam voluptatem ſibi ſeponit.

ac Petronio perquam familiaris. agitur in exſilium, tamquam non ſiluiſſet quæ viderat, pertuleratq. proprio odio.

SVB Tyranno oportet non ſolum ſilere, quæ vides, ac perfers, ſed etiam non meminiſſe, quæ audiueris, vel videris.

At Numicium Thermum prætura functum Tigellini ſimultatibus dedidit, quia libertus Thermi quædam de Tigellino criminoſe detulerat, quæ cruciatibus tormentorum ipſe, patronus eius nece immerita lueret.

ADDE hanc infelicitatem ceteris, quas ſubditi Tyranno patiuntur: quòd non ſolum ipſius odijs deduntur innocentes & clari viri; ſed etiam ſimultatibus Aulicorum apud ipſum Tyrannum præpotentium & gratioſorum.

Trucidatis tot inſignibus viris, ad poſtremum Nero virtutem ipſam exſcindere concupiuit, interfecto Barea Sorano & Thraſea Pæto,

TYRANNI vſque adeo creſcit ſæuitia, vt poſtquam omnes claros & inſignes viros in ciuitate interfecerit; virtutem etiam ipſam, ſi poſſibile eſſet, trucidare & exſcindere conaretur. Et eſt ſublimis modus hic loquendi, quo vtitur Auctor noſter, in honorem Sorani & Thraſeæ: & refertur à Petro Victorio viro eruditiſſimo in Commentarys ſuis in Ariſtot. Polit.

olim vtriſque infenſus, & accedentibus cauſſis in Thraſeam: quòd ſenatu egreſſus eſt, cum de Agrippina referretur, vt memoraui: quòdq. Iuuenalium ludicro parum expetibilem operam præbuerat: eaq. offenſio altius penetrabat, quia idem Thraſea Patauij, vnde

vnde ortus erat, ludis Ceſticis a Troiano Antenore inſtitutis habitu tragico cecinerat. Die quoque, quo prętor Antiſtius ob probra in Neronem compoſita ad mortem damnabatur, mitiora cenſuit, obtinuitq. & cum deum honores Poppææ decernuntur, ſponte abſens, funeri non interfuit.

CONTRA voluntatem Principis ſententiam proferre: & cum ille alicuius damnum velit, mitiora pro inuiſo a Principe cenſere: ſuſcipere denique abſenſiam, ne illius honoribus, aut illius propinquorum interſis: omnia hæc, inquam, etſi Philoſophum deceant; Aulico tamen numquam conducunt, nec illi proderunt. Qui claritudinem ſuam apud Principem ſemper obſequijs protegere debet: & inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium, pergere iter, ambitione & periculis vacuum. Vt ſupra de M. Lepido annotauimus.

Quæ obliterari non ſinebat Capito Coſſutianus, præter animum ad flagitia præcipitem, inimicus Thraſeæ, quòd auctoritate eius concidiſſet iuuantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant.

SIC ſcatent vitioſis & ſceleſtis omnium Principum Aulæ, vt etiamſi ipſi indignationem aliquam erga ſubditorum aliquem obliterare velint, hi tamen inſtillationibus criminum ſuorum eam deleri in Principis memoria non ſinant. Adeo habent animum ad flagitia præcipitem. Fatendum tamen eſt, aliquos eſſe tam graues & prudentes Principes, qui tantum abeſt, vt hoc vitio laborent, quòd potius, ſi ab vno ſuorum intimorum & gratioſorum aduerſus aliquem alium accuſationes & calumniæ apud ipſius aures iaciantur; illum e ſinu gratia & dilectionis ſuæ proijciant, & vt par eſt, ſeuere coerceant. Inter quos præcipuam meretur laudem SIXT. V. PONT. MAX. & de experientia loquor.

Quin & illa obiectabat:

MVLTVM & multum aduertere debet Princeps, an facundus orator, qui aliquem apud ipſum criminatur, peculiari odio erga accuſatum affectus ſit. Sic enim diſtinguet, quantum fide dignus eſſe poſſit.

principio anni vitare Thraſeam ſollenne iuſiurandum: nuncupationibus votorum non adeſſe, quamuis Quindecim virali ſacerdotio præditum numquam pro ſalute principis, aut cæleſti voce immolauiſſe: aſſiduum olim & indefeſſum, qui vulgaribus quoque patrum conſultis ſemet fautorem aut aduerſarium oſtenderet, triennio non introiiſſe curiam: nuperrimeq. cum ad coercendos Sillanum & Veterem certatim concurreretur, priuatis potius clientium negotijs vacauiſſe.

CAVTVS & prudens Aulicus, etſi a Principe parum æſtimetur & diligatur; numquam tamen indignationem contra eum palam oſtendat: nec vllas occaſiones publicas linquat, in quibus obſequium ſuum erga eum teſtari poſſe videat. Stulti enim eſt cum eo indignari, qui, quando ei libuerit, tecum inire gratiam poteſt, & te beneficio afficere. Hinc iure dicitur, quòd omnes patientes, ſunt etiam ſapientes.

ſeceſſionem iam id & partes; & ſi multi idem audeant, bellum eſſe. Vt quondam C. Cæſarem, inquit, & M. Catonem; ita nunc te Nero & Thraſeam auida diſcordiarum ciuitas loquitur.

VT multarum factionum eſt plena ciuitas, ſic etiam diſcordiarum eſt ſemper auida. Illas primas enim hæ ſecundæ ſequuntur.

Et habet ſectatores vel potius ſatellites, qui nondum contumaciam ſententiarum, ſed habitum vultumq. eius ſectantur, rigidi & triſtes, qui tibi laſciuiam exprobrent.

ABSQVE alijs verbis, ſolo habitu & vultu, rigidi & triſtes viri, laſciuiam mollibus & effeminatis exprobrant.

Huic vni incolumitas tua ſine arte, * ſine honore. Proſperas principis res ſpernit, etiam ne luctibus & doloribus non ſatiatur?

VERISIMILE eſt eum, qui Principis proſperas res ſpernit, eius luctibus & doloribus non ſatiari. Argumentum enim a contrario ſenſu valere, receptum eſt. Iuriſconſulti omnes in l. Conuenticulam. C. de Epiſcopis, & Clericis.

Eiuſdem

Forte
illic att

D
neque
rurſum
batq.
na &
vias,

N
Ne
alium
rumq
anulu

E
ſllo Ty
ſic eos
Ar

N
voce:
tas ſi
offe

N
ac
pc

...animæ eſt, Poppæam diuam non credere, cuius in acta diui Auguſti & diui ...iurare. Spernit religiones, abrogat leges. Diurna populi Romani per prouin... per exercitus, curatius leguntur, vt noſcatur quid Thraſea non fecerit. Aut ...conuerſus ad illa inſtituta, ſi potiora ſunt: aut noua cupientibus auferatur dux & auctor.

H... firma & ſolida baſis, ſub qua Principes omnes in pace & concordia ſubditos regent: ...noua cupientibus auferent ſemper duces & auctores. Hac in re ſolicitum decet eſſe Princi... ...exploratores vbicumque in ſuis prouincijs habere, vt principijs obſtare poſſit.

...ta Tuberones & Fauonios veteri quoque Reip. ingrata nomina genuit.

P...OPHORVM, & maxime Stoicorum ſecta non eſt admodum grata Principi nouo, ...per Rempublicam occupauit. Illius enim finis eſt libertas, huius vero libertatis abla... ...huic rei conſilium a Mæcenate Auguſto datum apud Dionem lib. 52. in pulcherrima ...a me ſæpius memorata.

...imperium euertant, libertatem præferunt: ſi peruerterint, ipſam aggredientur.

M...TI ſunt, qui vt imperium euertant, libertatem præferunt: ſed ſi peruerterint, ipſam ...tatem aggredientur. Nam, vt factionem comparent & augeant ambitioſi & turbidi in... ...homines, hoc ſpecioſum & fauorabile nomen libertatis cupidinibus ſuis obtendunt. Si vero ...compotes, Principem, & principatum ſuſtulerint, ipſi poſtea Rempublicam inuadent. Ariſt. Polit.

...ſtra Caſſium amouiſti, ſi gliſcere & vigere Brutorum æmulos paſſurus es.

...TRA Princeps in ciuitate ſeditioſum aliquem plectit, ſi alios ſeditioſores impunitos relin... Satius ergo eſt pro vna vice tantum, omne imperium ſeditioſis purgare, vt ceteris pax & ...ddatur.

...que nihil ipſe de Thraſea ſcripſeris, diſceptatorem ſenatum nobis relinque.

...A eſt hæc pro omnibus Principibus optima, vt beneficia & munera ſubditis manu ſua ...ant: In ſupplicijs vero irrogandis & ſubditis damnandis, nihil ipſi loquantur, aut de... ...natum, & Iudices diſceptatores relinquant. Ex priori enim actione, amorem ſubdi... ...pſis augebunt, qui eſt principatuum omnium baſis & fundamentum. Ex ſecunda vero ...abunt, quod eſt lethale & exitioſum omnium dominationum venenum.

...t ira promptum Coſſutiani animum Nero: adijcitq. Marcellum Eprium acri ...a.

...Tyrannus ſuapte natura ſemper ad iram efferatur in cædem & ſanguinem ſubditorum in... ...ntium: quid mirum poſtea ſi acri eloquentia improbi oratoris elatus, magis & magis accen... ...um etiam in probo, & iuſto Principe, talis eloquentia male exercita, non niſi prauos fru... poſſet.

...aream Soranum iam ſibi Oſtorius Sabinus eques Romanus popoſcerat reum ex ...ulatu Aſiæ, in qua offenſiones principis auxit iuſtitia atque induſtria:

...ISERA boni miniſtri ſub Tyranno condicio: cum qua ſub bono Principe illi gratiam com... pararent; ſub hoc inuidiam conflent, & eius offenſiones augeant: iuſtitia nempe, ac in... ...a.

...a portui Epheſiorum aperiendo curam inſumpſerat: vimq. ciuitatis Pergamenæ ...ibentis Acratum Cæſaris libertum ſtatuas & picturas auehere, inultam omiſe... Sed crimini dabatur amicitia Plauti, & ambitio conciliandæ prouinciæ ad ſpes ...as.

...LLI, quem Tyrannus perdere cupit ob internas & iniuſtas odij ſui cauſſas, non dantur in crimen hæ cauſſa. Nam exitiabiles reo non eſſent: ſed aliqua confinguntur, quæ ad caput maieſtatis ...hi poſſint: vt amicitia coniuratorum in Principem, conciliatio prouinciarum ad res nouas: & ſimi... ..., quorum prætextu Tyrannus odium ſuum in innocentem explere poteſt.

Tempus

Tempus damnationi dilectum, quo Tiridates accipiendo Armeniæ regno aduentabat: vt ad externa rumoribus inteſtinum ſcelus obſcuraretur,

INTESTINA Tyranni ſcelera obſcurantur rumoribus ad externa. Et vt prudentes in actionibus ſuis opportunitatem temporis captant; ſic & ſceleſti in ſceleribus & flagitijs obeundis.

an vt magnitudinem imperatoriam cæde inſignium virorum, quaſi regio facinore oſtentaret.

TYRANNICVM eſt, oſtentare magnitudinem imperatoriam cæde inſignium virorum, quaſi regio facinore.

Igitur omni ciuitate ad excipiendum principem ſpectandumq. regem effuſa, Thraſea occurſu prohibitus, non demiſit animum: ſed codicillos ad Neronem compoſuit, requirens obiecta, & expurgaturum aſſeuerans, ſi notitiam criminum & copiam diluendi habuiſſet.

OMNI bono & probo Aulico dogma hoc in exemplo Thraſea traditur: vt ſi quando ob aduerſariorum criminationes Principis odium incurrat, non demittat animum. Sed ſtatim per codicillos ad Principem, requirat obiecta, & ea expurgaturum ſe aſſeueret, ſi notitiam criminum, & copiam diluendi habuerit.

Eos codicillos Nero properanter accepit, ſpe exterritum Thraſeam ſenſiſſe, per quæ claritudinem principis extolleret, ſuamq. famam dehoneſtaret. Quod vbi non euenit, vultumq. & ſpiritus & libertatem inſontis vltro extimuit, vocari patres iuſſit.

MIRANDVM non eſt, Tyrannum extimeſcere vltro vultum, ſpiritus, & libertatem inſontium virorum. Nam eos ſemper ſibi aduerſos, & repugnantes experitur.

Tum Thraſea inter proximos conſultauit, tentaretve defenſionem an ſperneret. Diuerſa conſilia afferebantur. Quibus intrari curiam placebat, ſecuros eſſe de conſtantia eius dixerunt, nihil dicturum, niſi quo gloriam augeret.

DE conſtantia fortis & magnanimi viri ſecuri eſſe poſſumus, quòd numquam aliquid dicet, niſi quo gloriam augeat. Eorum enim, quæ in animo geret, enunciabit notas, & nihil in animo, niſi robuſtum & excelſum vmquam concipiet. Cicero plura in Tuſc.

Segnes & pauidos ſupremis ſuis ſecretum circumdare.

HAVD immerito ſegnes & pauidi homines, ſupremis ſuis ſecretum circumdant; ne actus ipſorum viles & degeneres in morte conſpiciantur, & eos vituperent.

Aſpiceret populus virum morti obuium, audiret ſenatus voces quaſi ex aliquo numine ſupra humanas: poſſe ipſo miraculo etiam Neronem permoueri.

MAGNORVM virorum inſolita, & extraordinaria actiones cum virtute heroica geſtæ, maximam habent vim, etiam ad permouendos feros & immanes Tyrannos.

ſin crudelitas perſiſteret, diſtingui certe apud poſteros memoriam honeſti exitus ab ignauia per ſilentium pereuntium.

APVD poſteros diſtinguitur memoria honeſti exitus ab ignauia pereuntium per ſilentium. Tunc enim non eſt locus gratiæ nec odio, ſed res omnes veris pretijs æſtimantur: vt pluribus in locis Auctor noſter tradit.

Contra qui opperiendum domi cenſebant, de ipſo Thraſea eadem. ſed ludibria & contumelias imminere. ſubtraheret aures conuicijs & probris.

CVM ludibria & contumeliæ imminent, debet vir prudens illas declinare. Et conuicijs & probris aures ſubtrahere.

Non

mox flagitante vulgo, vt omnia ſtudia ſua publicaret, hæc enim verba dixere, ingreditur theatrum, cunctis citharæ legibus obtemperans: ne feſſus reſideret, ne ſudorem, niſi ea, quam indutui gerebat veſte detergeret: vt nulla oris, aut narium excrementa viſerentur. Poſtremo flexus genu, & cœtum illum manu veneratus, ſententias iudicum opperiebatur ficto pauore.

O*BSERVENT Principes in hoc monſtro, quantum dedecus & periculum illis afferat, non ſuſtinere Principis perſonam. Inde enim contemptus & mors.*

Et plebs quidem vrbis hiſtrionum quoque geſtus iuuare ſolita, perſonabat certis modis, plauſuq. compoſito. Crederes lætari, ac fortaſſe lætabantur, per iniuriam publici flagitij.

S*AEPE lætatur populus ſub Tyranno, per iniuriam publici flagitij.*

Sed qui remotis e municipijs ſeueramq. adhuc, & antiqui moris retinentes Italiam, quiq. per longas prouincias laſciuiæ inexperti officio legationum, aut priuata vtilitate aduenerant, neque aſpectum illum tolerare,

G*RAVES viri & ſeueram retinentes & antiqui moris viuendi diſciplinam, tolerare fœditatis aſpectum non poſſunt, præſertim in Principe.*

neque labori inhoneſto ſufficere: cum manibus neſcijs fatiſcerent, turbarent gnaros, ac ſæpe a militibus verberarentur, qui per cuneos ſtabant, ne quod temporis momentum impari clamori, aut ſilentio ſegni præteriret.

M*ISERANDVM hercle eſt, ad ſuſcipiendum inhoneſtum laborem ſub Tyranno adigi, ac puniri, niſi illum toleres.*

Conſtitit pleroſque equitum, dum per anguſtias aditus & ingruentem multitudinem enituntur, obtritos: & alios dum diem noctemq. ſedilibus continuant, morbo exitiabili correptos. quippe grauior inerat metus, ſi ſpectaculo defuiſſent, multis palam & pluribus occultis, vt nomina ac vultus, alacritatem, triſtitiamq. coeuntium ſcrutarentur. Vnde tenuioribus ſtatim irrogata ſupplicia, aduerſus inluſtres diſſimulatum ad præſens, & mox redditum odium.

I*RROGATVR ſtatim ſupplicium tenuioribus, aduerſus illuſtres diſſimulatur ad præſens, & mox redditur odium. Idq. valde prudenter obſeruatur, vt tumultus ſcilicet euitentur, quos facile viri ampli & prapotentes concirent; ſi aduerſus ipſos aperte graſſaretur Princeps: cui poſtea, dummodo aliquantiſper diſſimulet, pulchræ ſe offerunt occaſiones eos in manibus habendi, & plectendi. Patent huius rei quàm plurima exempla, & in veteribus & in recentioribus hiſtorÿs, quæ conſulto ad præſens omitto.*

Ferebantq. Veſpaſianum tamquam ſomno conniueret, a Phœbo liberto increpitum, ægreq. meliorum precibus obtectum:

S*VB Tyranno ægre meliorum precibus obteguntur clari homines. Ratio, quia parum auctoritatis melioribus eſt cum Tyranno.*

mox imminentem perniciem maiore fato effugiſſe.

Q*VI futuri ſunt magni viri, ſæpe effugiunt imminentem perniciem maiori ſuo beneficio. Sic Matthias Coruinus, cum morti condemnandus eſſet, effugit ſupplicium ſuum, & eſt reſeruatus ad regnum Vngarorum.*

Poſt finem ludicri Poppæa mortem obijt, fortuita mariti iracundia, a quo grauida ictu calcis afflicta eſt. Neque enim venenum crediderim, quamuis quidam ſcriptores tradant; odio magis quàm ex fide.

R*ES Tyrannorum ab Hiſtoricis plerumque ſcribuntur odio magis, quàm ex fide.*

Quippe liberorum cupiens, & amori vxoris obnoxius erat.

V*ERISIMILE non eſt, quòd maritus liberorum cupiens, & vxoris amori obnoxius illam propria animi deliberatione de medio tollat.*

Corpus non igni abolitum, vt Romanus mos: ſed regum externorum conſuetudine, differtum odoribus conditur, tumuloq. Iuliorum infertur. Ductæ tamen publicæ exequiæ, laudauitq. ipſe apud roſtra formam eius, & quòd diuinæ infantis parens fuiſſet, aliaq. fortunæ munera pro virtutibus.

FATVI eſt, æſtimare & laudare fortunæ munera pro virtutibus. Sed huius ſæculi corruptio ſæpe virtutes, fortunæ muneribus poſthabere ſolet. Et amoris cæcitas iudicij aciem obtundit.

Mortem Poppææ vt palam triſtem, ita recordantibus lætam ob impudicitiam eius ſæuitiamq.

NVMQVAM credat Tyrannus ſubditorum aſpectibus & verbis. Semper enim ferme ob metum ſunt ſimulata. Vnde multa interno animi affectu læta ſentiunt, quæ palam vt triſtia lugent.

noua inſuper inuidia Nero compleuit, prohibendo C. Caſſium officio exequiarum.

SEMPER Tyrannus ſolet complere noua inuidia, cum malum aliquod publice euenit. Sic enim feritati ſuæ naturali ſatisfacere melius gaudet.

quod primum indicium mali, neque in longum dilatum eſt.

TYRANNVS claris & inſignibus viris, quos perdere cogitat, antequam extremum malum irroget; ſolet aliqua indicia eius præmittere. Sic ſupra lib. xv. de eodem Nerone cum Thraſea, Auctor tradit prohibitionem eius itineris ad Antium, fuiſſe prænunciam calamitatis ſuæ oſtenſionem.

Sed Sillanus additur, nullo crimine, niſi quod Caſſius opibus vetuſtis, & grauitate morum;

GNAVITAS morum vſque adeo eſt laudabilis, vt ob eam ſolam multi in ciuitate præcellere poſſint ceteros. Præſertim ſi in iuuene conſpiciatur. Quid poſtea cũ opes vetuſtæ illũ comitantur?

Sillanus claritudine generis, & modeſta iuuenta præcellebant.

OB generis claritudinem, & modeſtam iuuentam præcellere poteſt aliquis ceteros.

Igitur miſſa ad ſenatum oratione, remouendos a Rep. vtroſque diſſeruit. Obiectauitq. Caſſio, quòd inter imagines maiorum, etiam C. Caſſij effigiem coluiſſet, ita inſcriptam: DVCI PARTIVM. Quippe ſemina belli ciuilis, & defectionem a domo Cæſarum quæſitam.

METICVLOSVS eſt ſemper Tyrannus. Hinc fit, vt vel leuiſſima crimina pro grauiſſimis obiectet illis, quos infenſos habet, & nullam illis defenſionem linquat.

Ac vt memoria tantum infenſi nominis ad diſcordias vteretur, aſſumpſiſſe L. Sillanum iuuenem genere nobilem, animo præruptum, quem nouis rebus oſtentaret.

SOLENT, qui res ſub Tyranno turbare volunt, aſſumere ad id opus iuuenes genere nobiles, animo præruptos, atque hos rebus nouis oſtentare: præſertim ſi memoriam infenſi nominis ad diſcordias illis adeſt.

Ipſum dehinc Sillanum increpuit iiſdem quibus patruum eius Torquatum, tamquam diſponeret iam imperij curas, præficeretq. rationibus & libellis & epiſtolis libertos:

AVLICVS Romanus, etſi magnæ ſpei & expectationis ſit; caueat a diſponendo in priuata fortuna, dignitatum, quas ſperat, curas: nam omnium inuidiam in ſe conflabit, & criminationibus locum aperiet. Idem multo magis caueat qui ſub Principe, & recenti vitam degit.

& inania ſimul & falſa. Nam Sillanus intentior metu, & exitio patrui ad præcauendum exterritus erat.

PARVM vt dixi, prodeſt, quòd ſub Tyranno & inania, & falſa ſint crimina, quæ tibi obijcit, & quòd intentus ſis metu, & exitio aliorum, & tuorum ſis exterritus, ad præcauendum: quòd mori oportet, tamquam nocens & conuictus.

Inducit poſthac vocabulo indicum, qui in Lepidam Caſſij vxorem, Sillani amitam, inceſtum cum fratris filio & diros ſacrorum ritus confingerent.

VT ſecundum iuris diſpoſitionem & legum videatur Tyrannus plectere quos habet inuiſos, & non potentiæ ſuæ vi; ſolet inducere aliquos, qui opponant & confingat grauiſſima crimina in illos, quos poſtea poſſit melius perdere, tamquam legibus nocentes, & mortem meritos.

Trahebantur vt conſcij Vulcatius Tullinus, ac Marcellus Cornelius ſenatores, & Calpurnius Fabatus eques Romanus: qui appellato principe, inſtantem damnationem fruſtrati, mox Neronem circa ſumma ſcelera diſtentum, quaſi minores euaſere.

MVLTI inuiſi a Tyranno, ſæpe eum euadunt, non eius clementia; ſed quaſi minores fugiunt circa ſumma ſcelera diſtentum.

Tunc ſenatuſconſulto Caſſio, & Sillano exilia decernuntur: de Lepida Cæſar ſtatueret. Deportatusq. in inſulam Sardiniam Caſſius, & ſenatus ius expectabatur. Sillanus tamquam Naxum deueheretur, Hoſtiam amotus; poſt municipio Apuliæ, cui nomen eſt Barium, clauditur. Illic indigniſſimum caſum ſapienter tolerans, a centurione ad cædem miſſo corripitur.

SAPIENTES & graues viri, indigniſſimos caſus, qui illis in vita accidunt, ſapienter etiam tolerare ſolent. Sciunt enim in ipſos ob hoc cadere non poſſe iniuriam aliquam, quia ipſi ob ſuam virtutem ſunt excelſiores. Et vide hic Seneca tractatum: In ſapientem non poſſe cadere iniuriam.

Suadentiq. venas abrumpere, animum quidem morti deſtinatum ait, ſed non permittere percuſſori gloriam miniſterij. At centurio quamuis inermem, præualidum tamen & iræ, quàm timori propiorem cernens, premi a militibus iubet.

VIR fortis in extremo vitæ periculo ab hoſtibus ſibi imminente, eſt ſemper iræ quàm timori propior.

Nec omiſit Sillanus obniti, & intendere ictus quantum manibus nudis valebat, donec a centurione vulneribus aduerſis, tamquam in pugna caderet.

SIC ſupra lib. 3. initio de Agrippina Auctor inquit: Quem ignarum inermemq. quamuis firmatus animo Centurio, ægre confecit.

Haud minus prompte L. Vetus, ſocrusq. eius Sextia & Pollutia filia necem ſubiere: inuiſi principi, tamquam viuendo exprobrarent interfectum eſſe Rubellium Plautum generum Lucij Veteris.

PROPINQVI interfectorum a Tyranno ei inuiſi ſunt, tamquam exprobrantes, ab illo eſſe propinquos ſuos occiſos. Ideo ſemper tales viri ſolum vertere debent, & a Tyranno abſcendere.

Sed initium detegēdæ ſæuitiæ præbuit interuerſis patroni rebus ad accuſandum tranſgrediens Fortunatus libertus, aſcito Claudio Demiano, quem ob flagitia vinctum a Vetere Aſiæ proconſule, exoluit Nero in præmium accuſationis.

SCELESTOS & improbos, qui nocentes ſunt, & ob culpam aliquam mortem merentur; ſolet Tyrannus exoluere & liberare, in præmium alicuius fœdi & turpis miniſterij, quod pro eius libidine ac ſæuitia præſtant.

Quod vbi cognitum reo, ſeq. & libertum pari ſorte componi, Formianus in agros digreditur. Illic eum milites occulta cuſtodia circumdant. Aderat filia ingruens periculum longo dolore atrox, ex quo percuſſores Plauti mariti ſui viderat.

MISERI & calamitoſi, qui longo dolori ſunt aſſueti, ſuper ingruentia pericula ſiunt atroces. Obduxerunt enim callum in miſerijs.

Cruentamq. ceruicem eius amplexa, ſeruabat ſanguinem, & veſtes reſperſas, vidua implexa luctu continuo; nec vllis alimentis, niſi quæ mortem arcerent.

HOC eſt verum munus viduæ, quæ maritum morte violenta amiſerit: ſeruare ſanguinem eius, & veſtes reſperſas, implexa luctu continuo, nec vllis alimentis, niſi quæ mortem arcerent.

Tum hortante patre, Neapolim pergit. Et quia aditu Neronis prohibebatur, egreſſus obſidens,

QVI aliquid magni momenti cum Principe tractare debet, etſi aditu prohibetur, non ideo animum deſpondeat, ſed egreſſum obſideat.

audiret

audiret inſontem.

PRINCEPS debet audire omnes, præcipue inſontes. Ob hoc enim eſt Princeps, vt ſubditos audiat, & rebus eorum prouideat.

neue conſulatus ſui quondam collegam dederet liberto, modo muliebri eiulatu, aliquando ſexum egreſſa, voce infenſa clamitabat.

HOC eſt proprium magni doloris in aliquo, vt eundem tenorem in fletu & gemitu non ſeruet: ſed vario modo queſtus, eiulatus, & clamores confundat.

donec princeps immobilem ſe precibus & inuidiæ iuxta oſtendit.

DEBET ſemper Princeps præbere ſe immobilem precibus & inuidia iuxta, cum agitur de rebus ad iuſtitiam pertinentibus.

Ergo nunciat patri abijcere ſpem, & vti neceſſitate. Simul affertur parari cognitionem ſenatus, & trucem ſententiam. Nec defuere qui monerent magna ex parte heredem Cæſarem nuncupare, atque ita nepotibus de reliquo conſulere.

CONSVLIT poſteris, qui a Tyranno damnatus eum heredem relinquit. Idem in vita Agricolæ infra in eandem ſententiam inquit.

quod aſpernatus, ne vitam proxime libertatem actam nouiſſimo ſeruitio fœdaret, largitur in ſeruos quantum aderat pecuniæ: & ſi qua aſportari poſſent, ſibi quemque deducere, tris modo lectulos ad ſuprema retineri iubet.

INDECORVM eſt, vitam proxime libertatem actam, nouiſſimo ſeruitio fœdare. Hue reſpiciens Cato ſe interfecit Vtica: Pandulphus Petrucius in vinculis Florentia. Sed eſt quæſtio hæc valde diſputabilis: An deceat virum fortem, ſeipſum interficere, potius quàm in manus hoſtium deuenire. Quæ quoniam a multis doctiſſimis viris exagitata eſt, ego omnia omittendo, in illorum ſententiam venio. Quòd cum in hanc vitam a cæleſti numine immiſſi fuerimus; non eſt iuſtum iniuſſu eius antequam tempus veniat, ex ea decedere. Cicero, & alij.

Tunc eodem in cubiculo, eodem ferro abſcindunt venas, properiq. & ſingulis veſtibus ad verecundiam velati balneis inferuntur. pater filiam, auia neptem, illa vtroſque intuens, & certatim precantes labenti animæ celerem exitum, vt relinquerent ſuos ſuperſtites & morituros. Seruauitq. ordinem fortuna: ac ſenior prius, tum cui prima ætas, exſtinguuntur. Accuſati poſt ſepulturam, decretumq. vt more maiorum punirentur.

REI maieſtatis ſub Tyranno, qui ſua manu ſe occiderunt, accuſari ſolent poſt ſepulturam, decerniq. vt more maiorum puniantur.

Et Nero interceſſit, mortem ſine arbitrio permittens. ea cædibus peractis ludibria adijciebantur.

SVB Tyranno, cædibus peractis, ludibria adijciuntur. Adeo eſt inexplebilis Tyranni ſæuitia.

P. Gallus eques Romanus, quòd Fenio Rufo intimus, & Veteri non alienus fuerat, aqua atque igni prohibitus eſt.

QVOD ſupra diximus non ſemel, nunc repetimus: Amicitiam inuiſorum Principi, exitialem ſemper ſolere eſſe. Vnde Aulicus omnis prudens eam effugiat.

Liberto & accuſatori præmium operæ, locus in theatro inter viatores tribunicios datur. Et menſis qui Aprilem eundemq. Neroneum ſequebatur, Maius Claudij, Iulius Germanici, vocabulis mutantur: teſtificante Cornelio Orſito, qui id cenſuerat, ideo Iunium menſem tranſmiſſum, quia duo iam Torquati ob ſcelera interfecti, infauſtum nomen Iunium feciſſent. Tot facinoribus fœdum annum etiam dij tempeſtatibus & morbis inſigniuere. Vaſtata Campania turbine ventorũ, qui villas, arbuſta, fruges paſſim diſiecit pertulitq. violentiam ad vicina vrbi. In qua omne mortalium genus vis peſtilentiæ

depopulabatur, nulla cæli intemperie, quæ occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. Non ſexus, non ætas periculo vacua. Seruitia perinde ac ingenua plebes raptim extingui, inter coniugum & liberorum lamenta; qui cum aſſident, dum deflent, ſæpe eodem rogo cremabantur. Equitum ſenatorumq. interitus, quamuis promiſcui, minus flebiles erant, tamquam communi mortalitate ſæuitiam principis præuenirent.

INFELIX certe eſt vrbs, quam præter ſæuitiam inſignem Tyranni, vis peſtilentia etiam depopulatur. Qua in re omittere mihi non videtur, quòd etſi inſignis ſit huius Auctoris in deſcribenda hac peſtilentia, elegantia; pulcherrimã tamen habebit Lector, qui videat Tucydidem lib. 1. hiſtor. Lucretium lib. vij. poematis, Virgilium lib. iij. Georgicon: & Senecam in Tragœdia Aedipodis. Et poſt omnes hos Auctores, videndus eſt etiam Antonij Porti Sanctiſſimi Domini Noſtri SIXTI V. Medici, liber, De Peſte inſcriptus: vbi omnia luculenter admodum & doctè in hanc materiam tractantur.

Eodem anno dilectas per Galliam Narbonenſem Africamq. & Aſiam habiti ſunt, ſupplendis Illyrici legionibus, ex quibus ætate aut valetudine feſſi ſacramento ſoluebantur.

MILITES feſſi ætate, aut valetudine, ſacramento ſolui debent a Principe.

Cladem Lugdunenſem quadragies ſeſtertio ſolatus eſt princeps, vt miſſa vrbi reponerent. quam pecuniam Lugdunenſes ante obtulerant, turbidis caſibus. C. Suetonio, L. Teleſino Coss. Antiſtius Soſianus factitatis in Neronem carminibus probroſis, exilio, vt dixi, multatus, poſtquam id honoris indicibus tamq. promptum ad cædes principem accepit, inquies animo. & occaſionum haud ſegnis,

PECVLIARES Aulicorum ſunt hæ duæ qualitates: nempe vt inquieti animo ſint, & occaſionum haud ſegnes.

Pammenem eiuſdem loci exulem, & Chaldæorum arte famoſum, eoq. multorum amicitijs innixum,

SEMPER euenit, vt Caldeorum, & diuinationis, etſi fallaciſſima, arte famoſi, multorum amicitijs inuitantur. Plerique enim res nouas cupientes, & a propria cupidine excæcati, libenter credunt huic generi hominum. Quod tamen eſt Principibus infidum, & ſperantibus fallax: vt Auctor infra lib. 1. Hiſt. inquit.

ſimilitudine fortunæ ſibi conciliat.

FORTVNAE ſimilitudo conciliat homines ad inuicem. Cum enim quod vni eorum conducit, idem alteri proſit; fit vt tamquam daturi, & recepturi hinc inde ſubſidium, alter amet alterum: Intelligendum tamen eſt cum res ſunt aduerſæ. Contrarium enim eueniet in ſecundis: ob quas inuidia vice amoris gignitur.

Ventitate ad eũ nuncios & conſultationes non fruſtra, ratus ſimul annuam pecuniam, a P. Anteio miniſtrari cognoſcit. Neque neſcium habebat, Anteium charitate Agrippinæ inuiſum Neroni, opesq. eius præcipuas ad eliciendam cupidinem, eamq. cauſſam multis exitio eſſe.

PRAECIPVAE ſunt opes ſubditorum ad eliciendam cupidinem Tyranni: & hæc eſt cauſſa exitij multis. Nam cum in multa profundat Tyrannus, ob quæ egens fit, ad rapinas & extorſiones animum conſequenter voluit. Vnde qui ſub eo ditiores habentur, ſunt periculo propiores. Hinc originem trahunt ſub Tyranno, cædes, proſcriptiones, & carceres virorum illuſtrium. Quarum rerum plena ſunt hiſtoriæ, & præter cetera luculenta illa Sanderi, De Schiſmate Anglicano, cum de Henrico viij. Rege Angliæ loquitur: quem videas.

Igitur interceptis Antei litteris, furatus etiam libellos, quibus dies genitalis eius, & euentura, ſecretis Pammenis occultabantur, ſimul repertis quę de ortu vitaq. Oſtorij Scapulæ compoſita erant, ſcribit ad principem, magna ſe, & quæ incolumitati eius

condu-

conducerent allaturum, ſi breuem exilij veniam impetrauiſſet. quippe Anteium & Oſtorium imminere rebus, & ſua Cæſariſq. fata ſerutari.

CAVEAT ab omnibus, qui ſub ſpecie amicitiæ in illius amicitiam ſe inſinuare ſtudent, Aulicus ille clarus, qui à Principis gratia excidit. Proditiones enim hoc modo euitabit, & inſidias.

Exin miſſæ liburnicæ, aduehiturq. propere Soſianus. Ac vulgato eius indicio, inter damnatos magis quam inter reos Anteius, Oſtoriusq. habebantur: adeo vt teſtamentum Anteij nemo obſignaret, niſi Tigellinus auctor extitiſſet,

INSIGNES & clari viri, qui maieſtatis ſub Tyranno accuſantur, etſi innocentes, tamen magis inter damnatos, quam inter reos habendi ſunt. Nemo enim eorum ferme Tyranni ſæuitiam incolumis euadit.

Monitus prius Anteius, ne ſupremas tabulas moraretur. At ille hauſto veneno, tarditatem, eius peroſus, intereiſis venis, mortem approperauit. Oſtorius longinquis in agris apud finem Ligurum id temporis erat. eo miſſus centurio, qui cædem eius maturaret. Cauſſa feſtinandi ex eo oriebatur, quòd Oſtorius multa militari fama, & ciuicam coronam apud Britanniam meritus, ingenti corporis robore armorumq. ſcientia, metum Neroni fecerat,

VIRI multa militari fama, & armorum ſcientia præditi, ſi Tyranno ſubditi ſunt, metum ſemper illi faciunt, ne ipſum inuadant, pauidum ſemper, & ob crebras coniurationes ſæpe exterritum. Tales igitur, vt ſæpe iam diximus, procul ab illo abeant.

ne inuaderet, pauidum ſemper, & reperta nuper coniuratione magis exterritum.

SEMPER eſt pauidus Tyrannus: ſed tunc magis, cum nuper coniuratio contra eum eſt exorta.

Igitur centurio vbi effugia villæ clauſit, iuſſa imperatoris Oſtorio aperit. Is fortitudinem aduerſum hoſtes ſæpe ſpectatam in ſe vertit. Et quia venæ, quamquam interruptæ, parum ſanguinis effundebant, hactenus manu ſerui vſus vt immotum pugionem extolleret, adpreſſit dextram eius, iuguloq. occurrit.

VERA eſt illius fortitudo, quam aliquis aduerſum hoſtes exercet: & cum occaſio poſtulat, in ſeipſum vertit. Nec imitatur malos medicos, qui alijs ſalutem afferre, ſeipſos curare non poſſunt. Tamen exercere hanc fortitudinem, manus ſibi inferendo, non licet nec religioni noſtræ conuenit.

Etiam ſi bella externa, & obitas pro Remp. mortes tanta caſuum ſimilitudine memorarem, meq. ipſum ſatias cepiſſet, aliorumq. rædium expectarem, quamuis honeſtos ciuium exitus, triſtes tamen & continuos aſpernantium.

DEFLENDI ſunt certè caſus, qui crebri & varij ſub Tyranno à ſubditis tolerantur, & dignitam pia & eleganti digreſſione, quam nunc hic Auctor in medium ponit.

At nunc patientia ſeruilis, tantumq. ſanguinis domi perditum, fatigant animum & mæſtitia reſtringunt.

SOLET reſtringere animos mortalium triſtitia: contra lętitia dilatare.

Neque aliam defenſionem ab ijs, quibus iſta noſcentur, exegerim, quàm ne oderim tam ſegniter pereuntes.

SEGNITER pereuntes, odium in ſe concitare conſueuerunt. Sicut fortiter obeuntes, amorem, & pietatem.

Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non vt in cladibus exercituũ, aut captiuitate vrbium, ſemel editam tranſire licet. Detur hoc inluſtrium virorum poſteritati, vt

quo modo exequijs a promiſcua ſepultura ſeparantur, ita in traditione ſupremorum accipiant habeantq. propriam memoriam.

IVRE dandum eſt virorum illuſtrium poſteritati, vt quo modo exequijs a promiſcua ſepultura ſeparantur; ita in traditione ſupremorum, accipiant habeantq. propriam memoriam.

Paucos quippe intra dies, eodem agmine Annæus Mella, Cerialis Anicius, Rufus Criſpinus, ac C. Petronius cecidere. Mella & Criſpinus equites Romani, dignitate ſenatoria. Nam hic quondam præfectus prætorij, & conſularibus inſignibus donatus, ac nuper crimine coniurationis in Sardiniam exactus, accepto iuſſæ mortis nuncio, ſemet interfecit. Mella quibus Gallio & Seneca parentibus natus, petitione honorum abſtinuerat, per ambitionem præpoſteram, vt eques Romanus conſularibus potentia æquaretur.

PRAEPOSTERA eſt ambitio illius, qui honorum petitione abſtinet, vt in inferiori dignitate, maioribus potentia æquetur.

Simul acquirendæ pecuniæ breuius iter credebat, per procuratores adminiſtrandis principis negotijs.

AVLICVS prudens ſibi quem finem proponit, media ad illum facile ducentia eligere debet & amplecti. Porro ſi acquirendæ pecuniæ ſtudioſus & cupidus fuerit; dubium non eſt, quod ad hoc breuius iter habebit, per procurationes adminiſtrando negotia Principis.

Idem Annæum Lucanum genuerat, grande adiumentum claritudinis.

GRANDE eſt claritudinis patri adiumentum filius, virtute & doctrina inſignis.

quo interfecto, dum rem familiarem eius acriter requirit, accuſatorem conciuit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis.

REM familiarem propinqui, ob crimen leſæ maieſtatis a Principe interfecti, acriter requirere periculoſum eſt, & fugiendum.

Mixta inter patrem filiumq. coniurationis ſcientia fingitur, aſſimulatis Lucani litteris.

VVLGARIS & vſitata eſt hac inimicis inſidiandi via; aſſimulare eorum litteras & characteres falſare. Sed tam facilis euaſu eſt hæc malignitas, vt innocenti & probro viro nullum ob hoc timorem incutere debeat.

quas inſpectas Nero, ferri ad eum iuſſit, opibus eius inhians.

SIC ſupra lib. xj. Annal. Hortos eius inchians, inquit Auctor de Meſſalina loquendo. Et hanc ob cauſſam Fuluia vxor Antonij Triumuiri, vicinum ſuum proſcribi curauit. Appian. Alex. lib. iij. Bellor. Ciuil.

At Mella, quæ tum promptiſſima mortis via, exſoluit venas: ſcriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum, generumq. eius Coſſutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent.

ILLIBERALITAS eſt hæc, & non munificentia, qua multi vtuntur: Erogando grandia munera & grandem pecuniam in præpotentes apud Principem, quo cetera maiora acquirant; aut male acquiſita conſeruent.

Additur codicillis, tamquam de iniquitate exſilij querens ita ſcripſiſſet: Se quidem mori nullis ſupplicij cauſſis, Rufum autem Criſpinum & Anicium Cerialem vita frui, infenſos principi. quæ compoſita credebantur de Criſpino, quia interfectus erat, de Ceriale, vt interficeretur.

HEV quot & quanta ſub Tyranno trica, & inſidiæ miſeris & inſontibus viris. Et quæ ars humana, quod Ariadnæ filum ab illis explicare poſſet? niſi diuinum auxilium in eorum ſalutem intendat.

Neque

Neque enim multo poſt vim ſibi attulit, minore quàm ceteri miſeratione, quia proditam C. Cæſari coniurationem ab eo meminerant.

LEVIS miſeratio eſt erga illum, qui quod alÿs fecit, ipſe poſtea patitur. Digne enim ſupplicia improbitatis luit ſua.

De C. Petronio ſupra pauca repetenda ſunt. Nam illi dies per ſomnum, nox officijs, & oblectamentis vitæ tranſigebatur. Vtq. alios induſtria, ita hunc ignauia ad famam protulerat.

INFAMIS equidem eſt ille & ſecors, cui dies per ſomnum, & nox officÿs & oblectamentis vitæ tranſigitur. Et tamen viros tales ſæpe ignauia ad famam in Aulis profert, vt alios induſtria. Et quis tali in re nemeſin continere poterit?

habebaturq. non ganeo & profligator, vt plerique ſua haurientium, ſed erudito luxu.

VERE eſt corrupta ciuitas, vbi in luxu eruditio, & eruditi in luxu inueniuntur, ac in pretio habentur.

Ac dicta factaq. eius quanto ſolutiora, & quandam ſui negligentiam præferentia, tanto gratius in ſpeciem ſimplicitatis accipiebantur.

DICTA, & facta alicuius, quanto ſolutiora, & quandam ſui negligentiam præferentia, tanto gratius in ſpeciem ſimplicitatis accipiuntur. Nam mirum eſt dictu, quantum apud omnes ſimplicitas ſit amabilis. Innocentia enim & ſincera conſcientia eſt indicium: quo nihil apud homines gratius. Vnde eleganter Plutarchus in Antonio, cum multas cauſſas enumeret, quæ illum omnibus amabilem faciebant, ſimplicitatem morum inter præcipuas aſſignat. Paſſim etiam apud Iuriſconſultos, & in ſacrorum Canonum libris, inſignia loca reperiuntur, in quibus ſimplicitati ſubueniendum eſſe affirmatur. Hanc tamen oportet cum modo eſſe: Si enim eſſet fatuitas, damnoſa & vituperabilis eſſet. Quod innuens SALVATOR noſter, dixit: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

Proconſul tamen Bithyniæ, & mox conſul, vigentem ſe ac parem negotijs oſtendit:

QVI in magiſtratu a Principe collocatur, debet ſe oſtendere vigentem, ac parem negotÿs, ſi in potentia permanere velit. Alioquin æmulis callem ad ſe opprimendum pateſaciet.

dein reuolutus ad vitia, ſeu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt, elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum, & molle affluentia putat, niſi quod ei Petronius approbauiſſet.

MVLTIS itineribus ad gratiam Principis contendunt Aulici. Hic morum ſeueritate ob tractanda officia, ille inſigni doctrina, alter morum grauitate, nonnulli inſigni rerum experientia: & alÿ alÿs de cauſſis. Verum aliqui reperiuntur, quos ob amœnitatem vitæ, & mollem affluentiam aſſumit Princeps inter paucos familiarium, & quaſi elegantiarum arbitros facit. Hos tales, prudens & grauis Aulicus demereri ſtudeat: facile enim hoc illius dexteritati erit, & hi poſtea ad illius beneficium in animo Principis validiſſimi erunt.

Vnde inuidia Tigellini, quaſi aduerſus æmulum & ſcientia voluptatum potiorem.

APVD Principem, inter Aulicos non tantum eſt æmulatio virtutis, ſed etiam vitiorum. Vnde ſæpe inter duos, quos Princeps ob voluptates ſuas diligat, æmulatio orietur: ſi quando alter in voluptatum ſcientia apud Principem erit potior.

Ergo crudelitatem principis, cui ceteræ libidines cedebant, aggreditur,

VT in claro & inſigni Principe cætu multarum virtutum ſepto & inſtructo, ſolet aliqua ſpecifica virtus ceteras præcellere; ſic in flagitioſo & improbo Tyranno, plurimis vitÿs & libidinibus pleno, ſolet aliquod vitium ſemper inſignius conſpici, cui cetera cedunt. & vt ſæpe eſt ſæuitia.

amicitiam Sceuini Petronio obiectans; corrupto ad indicium ſeruo, ademptaq. defenſione, & maiore parte familiæ in vincla rapta.

AEMVLVS, qui æmulum perdere cupit apud Tyrannum, his artibus vtitur: Obiectat illi amicitiā alicuius Tyranno inuiſi; deinde corrumpit ad indiciū familiā, & illi adimit defenſionem.

Forte illis diebus Campaniam petiuerat Cæſar, & Cumas vſque progreſſus Petronius illic attinebatur. Nec tulit vltra timoris aut ſpei moras:

DELICATI, & timidi eſt, non ferre vltra timoris aut ſpei moras. Contra, fortis & ſapiens tempus tempori a ldendo, ſe occaſionibus patienter ſemper reſeruabit. Inde illud:

Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

neque tamen præceps vitam expulit, ſed inciſas venas, vt libitum obligatas, aperire rurſum, & alloqui amicos, non per ſeria, aut quibus conſtantiæ gloriam peteret. Audiebatq. referentes, nihil de immortalitate animæ, & ſapientium placitis, ſed leuia carmina & faciles verſus. Seruorum alios largitione, quoſdam verberibus affecit. Inijt & vias, ſomno indulſit, vt quamquam coacta mors, fortuitæ ſimilis eſſet.

NOVVM genus mortis, nouo vitæ generi congruit. Et qualis fuit vita curſus, idem ſolet eſſe metæ ſpatium.

Ne codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem aut Tigellinum, aut quẽ alium potentium adulatus eſt: ſed flagitia principis ſub nominibus exoletorum feminarumq. & nouitate cuiuſque ſtupri perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni. fregitq. anulum, ne mox vſui eſſet ad facienda pericula.

ETSI in ceteris molliter, & ignaue ſe geſſit Petronius iſte, in hoc tamen fortiter, & digne egit: frangendo anulum, ne vſui Neroni eſſet, ad facienda alijs claris viris pericula. nam potuiſſet illo Tyrannus vti, & apponere nomina illuſtrium ſenatorum, tamquam à Petronio accuſatorum: & ſic eos necare.

Ambigenti Neroni quonam modo noctium ſuarum ingenia noteſcerent,

NVMQVAM ambigere debet Princeps, quo modo noctium ſuarum ingenia noteſcant: nam nihil occultum ex eius dictis, factisve eſſe poteſt: & ſi cetera ſilerent, parietes ipſi & lectuli voces haberent, & loquerentur. Nam omnium oculi, & mentes in eum directæ ſunt: qui eſt vt ciuitas ſupra montem poſita. Proinde ſtudeat ſemper & DEO placere, & hominibus.

offertur Silia matrimonio ſenatoris haud ignota, & ipſi ad omnem libidinem adſcita,

NON ad vnam, ſed ad omnem libidinem adſciſcit Tyrannus perſonas, quas in ſuam voluptatem ſibi ſeponit.

ac Petronio perquam familiaris. agitur in exſilium, tamquam non ſiluiſſet quæ viderat, pertuleratq. proprio odio.

SVB Tyranno oportet non ſolum ſilere, quæ vides, ac perfers, ſed etiam non meminiſſe, quæ audiueris, vel videris.

At Numicium Thermum prætura functum Tigellini ſimultatibus dedidit, quia libertus Thermi quædam de Tigellino crimine ſe detulerat, quæ cruciatibus tormentorum ipſe, patronus eius nece immerita lueret.

ADDE hanc infelicitatem ceteris, quæ ſubditi Tyranno patiuntur: quòd non ſolum ipſius odijs deduntur innocentes & clari viri; ſed etiam ſimultatibus Aulicorum apud ipſum Tyrannum præpotentium & gratioſorum.

Trucidatis tot inſignibus viris, ad poſtremum Nero virtutem ipſam exſcindere concupiuit, interfecto Barea Sorano & Thraſea Pæto,

TYRANNI vſque adeo creſcit ſæuitia, vt poſtquam omnes claros & inſignes viros in ciuitate interfecerit; virtutem etiam ipſam, ſi poſſibile eſſet, trucidare & exſcindere conaretur. Et eſt ſublimis modus hic loquendi, quo vtitur Auctor noſter, in honorem Sorani & Thraſeæ: & refertur a Petro Victorio viro eruditiſſimo in Commentarys ſuis in Ariſtot. Polit.

olim vtriſque infenſus, & accedentibus cauſſis in Thraſeam: quòd ſenatu egreſſus eſt, cum de Agrippina referretur, vt memoraui: quòdq. Iuuenalium ludicro parum expetibilem operam præbuerat: eaq. offenſio altius penetrabat, quia idem Thraſea Patauij, vnde

vnde ortus erat, ludis Ceſticis a Troiano Antenore inſtitutis habitu tragico cecinerat. Die quoque, quo prętor Antiſtius ob probra in Neronem compoſita ad mortem damnabatur, mitiora cenſuit, obtinuitq. & cum deum honores Poppææ decernuntur, ſponte abſens, funeri non interfuit.

CONTRA voluntatem Principis ſententiam proferre: & cum ille alicuius damnum velit, mitiora pro iuuſſo a Principe cenſere: ſuſcipere denique abſentiam, ne illius honoribus, aut illius propinquorum interſis: omnia hæc, inquam, etſi Philoſophum deceant; Aulico tamen numquam conducunt, nec illi proderunt. Qui claritudinem ſuam apud Principem ſemper obſequijs protegere debet: & inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium, pergere iter, ambitione & periculis vacuum. Vt ſupra de M. Lepido annotauimus.

Quæ obliterari non ſinebat Capito Coſſutianus, præter animum ad flagitia præcipitem, inimicus Thraſeæ, quòd auctoritate eius concidiſſet iuuantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant.

SIC ſcatent vitioſis & ſceleſtis omnium Principum Aulæ, vt etiamſi ipſi indignationem aliquam erga ſubditorum aliquem obliterare velint, hi tamen inſtillationibus criminum ſuorum eam deleri in Principis memoria non ſinant. Adeo habent animum ad flagitia præcipitem. Fatendum tamen eſt, aliquos eſſe tam graues & prudentes Principes, qui tantum abeſt, vt hoc vitio laborent, quòd potius, ſi ab vno ſuorum intimorum & gratioſorum aduerſus aliquem alium accuſationes & calumniæ apud ipſius aures iaciantur; illum e ſinu gratiæ & dilectionis ſuæ proijciant, & vt par eſt, ſeuere coerceant. Inter quos præcipuam meretur laudem SIXT. V. PONT. MAX. & de experientia loquor.

Quin & illa obiectabat:

MVLTVM & multum aduertere debet Princeps, an facundus orator, qui aliquem apud ipſum criminatur, peculiari odio erga accuſatum affectus ſit. Sic enim diſtinguet, quantum fide dignus eſſe poſſit.

principio anni vitare Thraſeam ſollenne iuſiurandum: nuncupationibus votorum non adeſſe, quamuis Quindecim virali ſacerdotio præditum numquam pro ſalute principis, aut cæleſti voce immolauiſſe: aſſiduum olim & indefeſſum, qui vulgaribus quoque patrum conſultis ſemet fautorem aut aduerſarium oſtenderet, triennio non introijſſe curiam: nuperrimeq. cum ad coercendos Sillanum & Veterem certatim concurreretur, priuatis potius clientium negotijs vacauiſſe.

CAVTVS & prudens Aulicus, etſi a Principe parum æſtimetur & diligatur; numquam tamen indignationem contra eum palam oſtendat: nec vllas occaſiones publicas linquat, in quibus obſequium ſuum erga eum teſtari poſſe videat. Stulti enim eſt cum eo indignari, qui, quando ei libuerit, tecum inire gratiam poteſt, & te beneficio afficere. Hinc iure dicitur, quòd omnes patientes, ſunt etiam ſapientes.

ſeceſſionem iam id & partes; & ſi multi idem audeant, bellum eſſe. Vt quondam C. Cæſarem, inquit, & M. Catonem; ita nunc te Nero & Thraſeam auida diſcordiarum ciuitas loquitur.

VT multarum factionum eſt plena ciuitas, ſic etiam diſcordiarum eſt ſemper auida. Illas primas enim hæ ſecundæ ſequuntur.

Et habet ſectatores vel potius ſatellites, qui nondum contumaciam ſententiarum, ſed habitum vultumq. eius ſectantur, rigidi & triſtes, qui tibi laſciuiam exprobrent.

ABSQVE alijs verbis, ſolo habitu & vultu, rigidi & triſtes viri, laſciuiam mollibus & effeminatis exprobrant.

Huic vni incolumitas tua ſine arte, ☆ ſine honore. Proſperas principis res ſpernit, etiam ne luctibus & doloribus non ſatiatur?

VERISIMILE eſt eum, qui Principis proſperas res ſpernit, eius luctibus & doloribus non ſatiari. Argumentum enim a contrario ſenſu valere, receptum eſt. Iuriſconſulti omnes in l. Conuenticulam. C. de Epiſcopis, & Clericis.

Eiuſdem

Eiuſdem animæ eſt, Poppæam diuam non credere, cuius in acta diui Auguſti & diui Iulij non iurare. Spernit religiones, abrogat leges. Diurna populi Romani per prouincias, per exercitus, curatius leguntur, vt noſcatur quid Thraſea non fecerit. Aut transeamus ad illa inſtituta, ſi potiora ſunt: aut noua cupientibus auferatur dux & auctor.

HAEC eſt firma & ſolida baſis, ſub qua Principes omnes in pace & concordia ſubditos regent: ſi noua cupientibus auferent ſemper duces & auctores. Hac in re ſolicitum decet eſſe Principem, & bonos exploratores vbicumque in ſnis prouincijs habere, vt principijs obſtare poſſit.

Iſta ſecta Tuberones & Fauonios veteri quoque Reip. ingrata nomina genuit.

PHILOSOPHORVM, & maxime Stoicorum ſecta non eſt admodum grata Principi nouo, & qui nuper Rempublicam occupauit. Illius enim finis eſt libertas, huius vero libertatis ablatio. Congruit huic res conſilium a Mæcenate Auguſto datum apud Dionem lib. 52. in pulcherrima illa oratione a me ſæpius memorata.

Vt imperium euertant, libertatem præferunt: ſi peruerterint, ipſam aggredientur.

MVLTI ſunt, qui vt imperium euertant, libertatem præferunt: ſed ſi peruerterint, ipſam libertatem aggredientur. Nam, vt factionem comparent & augeant ambitioſi & turbidi ingenio homines, hoc ſpecioſum & fauorabile nomen libertatis cupidinibus ſuis obtendunt. Si vero voti compotes, Principem, & principatum ſuſtulerint, ipſi poſtea Rempublicam inuadent. Ariſt. in vij. Polit.

Fruſtra Caſſium amouiſti, ſi gliſcere & vigere Brutorum æmulos paſſurus es.

FRVSTRA Princeps in ciuitate ſeditioſum aliquem plectit, ſi alios ſeditioſiores impunitos relinquit. Satius ergo eſt pro vna vice tantum, omne imperium ſeditioſis purgare, vt ceteris pax & quies reddatur.

Denique nihil ipſe de Thraſea ſcripſeris, diſceptatorem ſenatum nobis relinque.

REGVLA eſt hæc pro omnibus Principibus optima, vt beneficia & munera ſubditis manu ſua conferant: In ſupplicijs vero irrogandis & ſubditis damnandis, nihil ipſi loquantur, aut decernent; ſed ſenatum, & Iudices diſceptatores relinquant. Ex priori enim actione, amorem ſubditorum ſibimet ipſis augebunt, qui eſt principatuum omnium baſis & fundamentum. Ex ſecunda vero odium enitabunt, quod eſt lethale & exitioſum omnium dominationum venenum.

Extollit ira promptum Coſſutiani animum Nero: adijcitq. Marcellum Eprium acri eloquentia.

CVM Tyrannus ſuapte natura ſemper ad iram efferatur in cædem & ſanguinem ſubditorum innocentium: quid mirum poſtea ſi acri eloquentia improbi oratoris elatus; magis & magis accendetur? cum etiam in probo, & iuſto Principe, talis eloquentia male exercita, non niſi prauos fructus edere poſſet.

At Baream Soranum iam ſibi Oſtorius Sabinus eques Romanus popoſcerat reum ex proconſulatu Aſiæ, in qua offenſiones principis auxit iuſtitia atque induſtria:

MISERA boni miniſtri ſub Tyranno condicio: cum qua ſub bono Principe illi gratiam compararent; ſub hoc inuidiam conſlent, & eius offenſiones augeant: iuſtitia nempe, ac induſtria.

& quia portui Epheſiorum aperiendo curam inſumpſerat: vimq. ciuitatis Pergamenæ prohibentis Acratum Cæſaris libertum ſtatuas & picturas auehere, inultam omiſerat. Sed crimini dabatur amicitia Plauti, & ambitio conciliandæ prouinciæ ad ſpes nouas.

ILLI, quem Tyrannus perdere cupit ob internas & iniuſtas odij ſui cauſſas, non dantur in crimen hæ cauſſa. Nam exitiabiles reo non eſſent: ſed aliqua confinguntur, quæ ad caput maieſtatis trahi poſſint: vt amicitia coniuratorum in Principem, conciliatio prouinciarum ad res nouas: & ſimilia, quorum prætextu Tyrannus odium ſuum in innocentem explere poteſt.

Tempus

Tempus damnationi delectum, quo Tiridates accipiendo Armeniæ regno aduentabat: vt ad externa rumoribus inteſtinum ſcelus obſcuraretur,

INTESTINA Tyranni ſcelera obſcurantur rumoribus ad externa. Et vt prudentes in actionibus ſuis opportunitatem temporis captant; ſic & ſceleſti in ſceleribus & flagitijs obeundis.

an vt magnitudinem imperatoriam cæde inſignium virorum, quaſi regio facinore oſtentaret.

TYRANNICVM eſt, oſtentare magnitudinem imperatoriam cæde inſignium virorum, quaſi regio facinore.

Igitur omni ciuitate ad excipiendum principem ſpectandumq. regem effuſa, Thraſea occurſu prohibitus, non demiſit animum: ſed codicillos ad Neronem compoſuit, requirens obiecta, & expurgaturum aſſeuerans, ſi notitiam criminum & copiam diluendi habuiſſet.

OMNI bono & probo Aulico dogma hoc in exemplo Thraſea traditur: vt ſi quando ob aduerſariorum criminationes Principis odium incurrat, non demittat animum. Sed ſtatim per codicillos ad Principem, requirat obiecta, & ea expurgaturum ſe aſſeueret, ſi notitiam criminum, & copiam diluendi habuerit.

Eos codicillos Nero properanter accepit, ſpe exterritum Thraſeam ſenſiſſe, per quæ claritudinem principis extolleret, ſuamq. famam dehoneſtaret. Quod vbi non euenit, vultumq. & ſpiritus & libertatem inſontis vltro extimuit, vocari patres iuſſit.

MIRANDVM non eſt, Tyrannum extimeſcere vltro vultum, ſpiritus, & libertatem inſontium virorum. Nam eos ſemper ſibi aduerſos, & repugnantes experitur.

Tum Thraſea inter proximos conſultauit, tentaretne defenſionem an ſperneret. Diuerſa conſilia afferebantur. Quibus intrari curiam placebat, ſecuros eſſe de conſtantia eius dixerunt, nihil dicturum, niſi quo gloriam augeret.

DE conſtantia fortis & magnanimi viri ſecuri eſſe poſſumus, quòd numquam aliquid dicet, niſi quo gloriam augeat. Eorum enim, quæ in animo geret, enunciabit notas, & nihil in animo, niſi robuſtum & excelſum vmquam concipiet. Cicero plura in Tuſc.

Segnes & pauidos ſupremis ſuis ſecretum circumdare.

HAVD immerito ſegnes & pauidi homines, ſupremis ſuis ſecretum circumdant; ne actus ipſorum viles & degeneres in morte conſpiciantur, & eos vituperent.

Aſpiceret populus virum morti obuium, audiret ſenatus voces quaſi ex aliquo numine ſupra humanas: poſſe ipſo miraculo etiam Neronem permoueri.

MAGNORVM virorum inſolitæ, & extraordinariæ actiones cum virtute heroica geſtæ, maximam habent vim, etiam ad permouendos feros & immanes Tyrannos.

ſin crudelitas perſiſteret, diſtingui certe apud poſteros memoriam honeſti exitus ab ignauia per ſilentium pereuntium.

APVD poſteros diſtinguitur memoria honeſti exitus ab ignauia pereuntium per ſilentium. Tunc enim non eſt locus gratiæ nec odio, ſed res omnes veris pretijs æſtimantur: vt pluribus in locis Auctor noſter tradit.

Contra qui opperiendum domi cenſebant, de ipſo Thraſea eadem. ſed ludibria & contumelias imminere. ſubtraheret aures conuicijs & probris.

CVM ludibria & contumeliæ imminent, debet vir prudens illas declinare. Et conuicijs & probris aures ſubtrahere.

Non ſolum Coſſutianum, aut Eprium ad ſcelus promptos, ſupereſſe, qui forſitam manus ictusq. per * immanitatem Auguſti. etiam bonos metu ſequi.

O Intolerandam & miſerandam ſubditorum Tyranni condicionem: cum non ſolum ipſi mali immanitatem exerceant: ſed etiam boni eam metu ſequantur & approbent. Et hic textus eſt mutilus. Vide Lipſium in Comment.

Detraheret potius ſenatui, quem ſemper ornauiſſet, infamiam tanti flagitij:

SIC conuenit viro ſapienti, ordini illi, vniuerſati vel cœtui, quem ſemper viuens ornauit, detrahere etiam in ſupremo mortis actu infamiam flagitij.

& relinqueret incertum quid viſo Thraſea reo decreturi patres fuerint. vt Neronem flagiriorum pudor caperet; inrita ſpe agitari: multoq. magis timendum, ne in coniugem, in familiam, in cetera pignora eius ſæuiret.

QVI ſperat Tyrannum flagitijs & ſceleribus per multos annos deditum & aſtrictum, ſtatim ac vno in tempore flagitiorum pudore capi poſſe; irrita ſpe agitatur. Nam, immo in dies omnem occaſionem licentius ac crudelius in miſeros ſubditos, libens arripiet.

Proinde intemeratus, impollutus, quorum veſtigijs & ſtudijs vitam duxerit, eorum gloria peteret finem.

SAPIENTEM conuenit, intemeratum, & impollutum, quorum veſtigijs & ſtudijs vitam duxerit, eorum gloria petere finem.

Aderat conſilio Ruſticus Arulenus flagrans iuuenis, & cupidine laudis offerebat ſe interceſſurum ſenatuſconſulto. Nam plebis trib. erat.

MAXIMVM in iuuenibus ſtimulum excitare ſolet ad res agendas, laudis cupido. Hoc enim affectu illa atas maxime impellitur. Ariſt. 2. Rhetor.

Cohibuit ſpiritus eius Thraſea, ne vana & reo non profutura, interceſſori exitioſa inciperet.

SVB Tyranno cohibendi ſunt ſpiritus: nam ſæpe vana & amicis reis non profutura, interceſſori exitioſa incipiuntur.

Sibi actam ætatem, & tot per annos continuum vitæ ordinem, non deſerendum:

CONTINVVS vita ordo per multos annos laudabiliter acta, non eſt deſerendus. Inconſtantiam enim & lenitatem ingenij oſtenderet.

illi initium magiſtratuum, & integra, quæ ſuperſint. Multum ante ſecum expenderet, quod tali tempore capeſſendæ Reip. iter ingrederetur.

AVLICVS nouus, cui initium eſt Aulam ſequendi, & ſunt integra, qua ſuperſunt, multum ante ſecum expendere debet, quali tempore, & quod iter capeſſenda vita aulica ingrediatur. Turpe enim eſt dicere poſtea: Non putaram: &

Turpius eijcitur quam non admittitur hoſpes.

Ceterum ipſe an venire in ſenatum deceret, meditationi ſuæ reliquit. At poſtera luce duæ prætoriæ cohortes armatæ, templum genitricis Veneris inſedere. Aditum ſenatus globus togatorũ obſederat, non occultis gladijs, diſperſiq. per fora ac baſilicas cunei militares. inter quorum aſpectus & minas ingreſſi curiam ſenatores. Et oratio principis per quæſtorem eius audita eſt. Nemine nominatim compellato, patres arguebat, quod publica munia desererent, eorumq. exemplo equites Rom. ad ſegnitiam verterentur.

VIDEANT Principes, Magiſtratus, & omnes in celſiore dignitatis loco poſiti, ne publica munia deſerant: nã eorum exemplo ceteri inferioris condicionis homines ad ſegnitiã vertentur.

Etenim quid mirum e longinquis prouincijs adueniri, cum plerumque adepti conſulatum & ſacerdotia, horrorum potius amœnitati inſeruirent.

TVRPE eſt, Senatores, & viros publicis muneribus addictos, ea relinquere, & hortorum potius amœnitati inſeruire.

quod

quod velut telum arripuere accuſatores.

VICE teli eſt amulo contra amulum vox principis infenſa. Illam enim valide arripit in amuli perniciem.

Et initium faciente Coſſutiano, maiore vi Marcellus ſummam Reip. agi clamitabat: contumacia inferiorum, lenitatem imperitantis deminui.

CONTVMACIA inferiorum deminuitur lenitas imperitantis. Et hac eſt acerrima Marcelli in Thraſeam oratio, & quaſi veneno infectum telum: digna qua ob eius crebros, & validos ſpiritus ſapius legatur.

Nimium mites ad eam diem patres, qui Thraſeam deſciſcentem, qui generum eius Heluidium Priſcum in iiſdem furoribus, ſimul Paconium Agrippinum paterni in principes odij heredem,

MVLTI inueniũtur, qui paterni in Principes odij heredes ſunt. Temporibus noſtris Claudius Landus erga OCTAVIVM FARNESIVM Placentia & Parma Ducem, luculentum eſt huius ſententia exemplum.

& Curtium Montanum deteſtanda carmina factitantem, eludere impune ſinerent.

NON ſunt ſinendi eludere impune a Senatu, qui a Principe deſciſcunt, & qui deteſtanda carmina in eum factitant, & qui in ſimilibus furoribus degunt. Immo acriter & ſeuere puniendi.

Requirere ſe in ſenatu conſularem, in votis ſacerdotem, in iureiurando ciuem: niſi contra inſtituta & cærimonias maiorum, proditorem palam & hoſtem Thraſea induiſſet.

VIDEAT, & conſideret quiſque vir probus, qua ſibi munia, qua officia in hac vita immineant. Et illa, quantum in ſe eſt, omni ſtudio, & conatu adimpleat: ne amulis occaſionem requirendi illa in ipſa largiatur.

Denique agere ſenatorem, & principis obtrectatores protegere ſolitus, veniret cenſeret quid corrigi aut mutari vellet:

AGERE ſenatorem, & principis obtrectatores protegere, incompatibilia ſunt, & contraria. Nam cum Senator ſit manus, Princeps caput corporis Reipublica: debet potius illos coercere, & punire, quàm protegere.

Facilius perlaturos ſingula increpantem, quàm nunc ſilentium perferrent omnia damnantis.

TANTVM afferre ſolet tadium ſilentium alicuius in aliquo catu, vel vniuerſitate, omnia damnantis: vt facilius a multis perferretur magis ſingula increpans, quàm ſic tacens.

Pacem illi per orbem terræ, an victorias ſine damno exercituum diſplicere?

MVNIA egregij Principis recte implet, qui pacem per prouincias ſuas conſeruat, & victorias ſine damno exercituum reportat. Et improbandus eſt ſubditus ille, ſi aliquis talis reperitur, cui ſtatus talis diſplicet.

Ne hominem bonis publicis mæſtum, & qui fora, theatra, templa pro ſolitudine haberet, qui minitaretur exilium ſuum, ambitionis prauæ compotem facerent.

PRAVA eſt certe illius, ſi aliquis talis inuenitur, ambitio, qui bonis publicis mœſtus, fora, theatra, & templa pro ſolitudine habet, & exilium ſuum quotidie minitatur.

Non illi conſulta hæc, non magiſtratus, aut Romanam vrbem videri. Abrumperet vitam ab ea ciuitate, cuius charitatem olim, nunc & aſpectum exuiſſet.

FERINA natura eſt, potius quàm humana, exuere & charitatem & aſpectum patria: cui tantum debemus, teſte Platone, vt vita noſtra partem magnam illa ſibi vindicet. Non ſic prudentiſſimus ille Vlyſſes, qui ab Homero effingitur Ithacam, quamuis ſterilem & ſcopuloſam patriam, tamen Circais delicijs, & Alcinoi hortis amœniſſimis antepoſuiſſe.

Cum

Cum per hæc atque talia Marcellus inueheretur toruus & minax, voce, vultu, oculis ardeſceret; non illa nota & crebritate periculorum ſueta iam ſenatus mæſtitia, ſed nouus & altior pauor, manus & tela militum cernentibus. ſimul ipſius Thraſeæ venerabilis ſpecies obuerſabatur: & erant qui Heluidium quoque miſerarentur, innoxiæ affinitatis pœnas daturum.

MISERANDVS certe ille eſt, qui innoxia affinitatis pœnas dare cogitur.

Quid Agrippino obiectum, niſi triſtem patris fortunam? quando & ille perinde innocens Tiberij ſæuitia concidiſſet. Enim vero Montanum probæ iuuentæ, neque famoſi carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi. Atque interim Oſtorius Sabinus Sorani accuſator ingreditur, orditurq. de amicitia Rubellij Plauti, quodq. proconſul Aſiæ Soranus pro claritate ſibi potius accommodatum, quàm ex vtilitate communi egiſſet, alendo ſeditiones ciuitatum.

MALE agit Magiſtratus in regimine ſuo, qui potius id agit, quod ſibi eſt pro claritate accommodatum, quàm ex vtilitate communi: alendo ſeditiones ciuitatum, quas compeſcere deberet & tollere.

Vetera hæc. ſed recens, diſcrimini patris filiam connectabat, quòd pecuniam Magis dilargita eſſet. Acciderat ſane pietate Seruiliæ, id enim nomen puellæ fuit, quæ charitate erga parentem, ſimul imprudentia ætatis, non tamen aliud conſultauerat, quàm de incolumitate domus, & an placabilis Nero, an cognitio ſenatus nihil atrox afferret.

IGNOSCENDVM certe eſt mulieri illi à Principe, quæ charitate erga parentem, & imprudentia ætatis aliquid admiſerit, quod ipſi Principi diſplicere poſſit.

Igitur accita eſt in ſenatum, ſteteruntq. diuerſi ante tribunal conſulum, grandis æuo parens, cōtra filia intra viceſimū ætatis annum, nuper marito Annio Pollione in exilium pulſo, viduata deſolataq. ac ne patrem quidē intuens, cuius oneraſſe pericula videbatur. Tum interrogante accuſatore, an cultus dotales, an detractum ceruici monile venumdediſſet, quo pecuniam faciendis magicis ſacris contraheret? primum ſtrata humi, longoq. fletu & ſilentio, poſt, altaria & aram complexa:

MISERATIONE digna eſt ſors filiæ, quæ charitate erga parentem, & imprudentia ætatis, abſque ſcelere tamen, ſibi & parenti exitium comparat & certe lacrymas vel ex ferarum cordibus elicere poſſet narratio tota hæc Sorani, & filiæ: in qua, & Thraſeæ exitio deſcribendo, Auctor noſter videtur ſeipſum ſuperaſſe.

Nullos, inquit, impios deos, nullas deuotiones, nec aliud infelicibus precibus inuocaui, quàm vt hunc optimum patrem tu Cæſar & vos patres ſeruaretis incolumem. Sic gemmas & veſtes & dignitatis inſignia dedi; quo modo ſi ſanguinem & vitam popoſciſſent. Viderint iſti antehac mihi ignoti quo nomine ſint, quas artes exerceant: nulla mihi principis mentio, niſi inter numina fuit. Neſcit tamen miſerrimus pater. & ſi crimen eſt, ſola deliqui.

VERA eſt ea eloquentia, quæ ex intimo corde, ſolo naturæ impulſu procedit: nec mirum eſt ab illa ſuperari artem. Cum hæc illam imitetur, teſte Iuſtiniano Inſtit. de Adopt. §. Minorem. Nam ſi hanc Seruiliæ orationem totam doloris & affectus plenam conſideremus; nullum inueniemus artificij genus, quod mirum in modum illa, & vt mulier, & vt filia, & vt innocens, & ſimplex non expreſſerit.

Loquentis adhuc verba excipit Soranus, proclamatq. non illam in prouinciam ſecum profectam, non Plauto per ætatem noſci potuiſſe, non criminibus mariti connexam, nimiæ tantum pietatis ream, ſeparatent a ſe quamcumque ſortem ſubiret.

QVI criminibus alterius non eſt connexus, debet ſeparari ab illo in quacumque ſorte, quam ille in iudicio ſubeat.

Simul in amplexus occurrentis filiæ ruebat, niſi interiecti lictores vtriſque obſtitiſſent.

O Quàm magna eſt paterni amoris vis. Etiam contra minas Tyranni, contra imminentis cædis faciem nititur, & conatur, vt ſibi ipſi indulgere, & affectum ſuum explere poſſit.

Mox

Mox datus teſtibus locus: & quantum miſericordiæ ſæuitia accuſationis permouerat, tantum iræ P. Egnatius teſtis conciuit.

IN iudicijs, quæ ſub Tyranno peraguntur ad innocentiam pertinentibus, ſolent hi duo affectus maxime in adſtantibus permoueri: miſericordia, & ira. Illa in inſontes indigne patientes: hæc in ſceleſtos Tyranni miniſtros, qui illis exitium comparant.

Cliens hic Sorani & tunc emptus ad opprimendum amicum,

EO modo, quo in Aulis aditum Principis praui homines emercantur; eodem etiam teſtes ad opprimendos amicos; ſibi amulos emere conſueuerunt. Proinde prudens Aulicus diligenter penſitet apud ſe, quem & qualem apud ſe pro intimo amico recipiat. Nam ſæpe non amicum, ſed venalem contra ſe teſtem, & exploratorem habere cognoſcet. Et eſt notabilis pro Aulicis locutio iſta, qua vtitur Auctor noſter.

auctoritatem Stoicæ ſectæ præferebat, habitu & ore ad exprimendam imaginem honeſti exercitus, ceterum animo perfidioſus, & ſubdolus, auaritiam ac libidinem occultans.

PANNOS, & barbam video, philoſophum non video, recte inquit ille: Et monachum non reddit habitus, iure dicitur. Nam ſæpe multi auctoritatem ſectæ alicuius venerabilis præferunt habitu & ore, & ad exprimendam imaginem honeſti exerciti: qui alioquin ſunt animo perfidioſi & ſubdoli, auaritiam ac libidinem occultantes.

Quæ poſtquam pecunia recluſa ſunt,

RECLVDIT pecunia intima ſceleſtorum vitia, libidinem, ac auaritiam.

dedit exemplum præcauendi, quomodo fraudibus inuolutos, aut flagitijs commaculatos; ſic ſpecie bonarum artium falſos, & amicitiæ fallaces.

SI nullum aliud bonum afferret vſus Aularum hominibus; hoc certe non eſt leue: quod multa dat exempla præcauendi, cum fraudibus inuolutos, aut flagitijs commaculatos; tum ſpecie bonarum artium falſos & amicitia fallaces. Vt enim doctiſſime Plato in ij. de Repub. differit, magna & pernicioſa eſt ea iniuſtitia, quæ iuſtitiæ ſpeciem induit. Maximam ergo, vt ſupra diximus, habeat Aulicus curam eorum, qui ſe ipſos illi amicos profitentur, & ſtudent eſſe.

Idem tamen dies & honeſtum exemplum tulit Caſſij Aſclepiodoti, qui magnitudine opum præcipuus inter Bithynos, quo obſequio florentem Soranum celebrauerat, labentem non deſeruit. Exuruſq. omnibus fortunis, & in exilium actus, æquitate deum erga bona malaq. documenta.

PROPRIVM eſt hoc veri amici officium, quo obſequio florentem amicum celebrat, eodem illum labentem non deſerere: & illius gratia libenter ſinere ſe exui, & fortunis omnibus, & patria etiam. Et ſic decet omnes, qui veri amici nomen ſuſtinere volunt, ſe gerere. Pauci tales tamen hodie Aulæ habent, vbi ferme omnia fortunæ inſeruiunt: & prout illa voluitur, ſic ſecum amicitiarum ſimulachra trahit, retrahitq. Vnde veriſſime cani poteſt illud ſcitum Lucani in 8. Pharſalia:

Exeat Aula
Qui volet eſſe pius:

& quæ ſequuntur.

Thraſeæ Soranoq. & Seruiliæ datur mortis arbitrium.

SVB Tyranno pars clementiæ eſt, dare mortis arbitrium illis, quos iniuſte interimit.

Heluidius & Paconius Italia depelluntur. Montanus patri conceſſus eſt, prædicto ne in Repub. haberetur. Accuſatoribus Eprio & Coſſutiano quinquagies ſeſtertium ſingulis, Oſtorio duodecies & quæſtoria inſignia tribuuntur.

SICVT alias obſeruauimus, ad eliciendos & inuitandos delatores, Tyranni illis magna præmia, & honores eximios decernunt, & largiuntur.

Tum

Tum ad Thraſeam in hortis agentem quæſtor conſulis miſſus, veſperaſcente iam die. inluſtrium virorum feminarumq. cætus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio Cynicæ inſtitutionis doctori:

PRVDENTES viri ſemper maxime intenti eſſe ſolent doctoribus, & ſapientibus inſtitutoribus diſciplinarum. Nihil enim magis illis placet, quàm diſcere aliquid, quod in ipſis augere prudentiam, & firmare animum poſſit.

cum quo, vt coniectare erat intentione vultus,& auditu,ſi qua clarius proloquebantur,

EX intentione vultus, & auditu,ſi qua clarius proloquantur duo inuicem; poteſt recte coniectari quis, & qualis ab ipſis habeatur ſermo.

de natura animæ, & diſſociatione ſpiritus corporiſq. inquirebat:

NVLLA ſalubrior poteſt eſſe & cogitatio, & inquiſitio, nedum Ethnico viro, ſed & Chriſtiano; quam loqui & inquirere de natura animæ, & diſſociatione ſpiritus, corporiſq. Sic enim melius nos præparabimus ad illud iter cæleſtis patriæ, cum hora noſtra cælitus data exeundi ex hoc carcere aduenerit.

donec aduenit Domitius Cæcilianus ex intimis amicis, & ei quid ſenatus cenſuiſſet, expoſuit. Igitur flentes quiritanteſq. qui aderant, faceſſere propere Thraſea, neu pericula ſua miſcere cum ſorte damnati hortatur. Arriamq. tentantem mariti ſuprema, & exemplum Arriæ matris ſequi, monet retinere vitam, filiæq. communi ſubſidium vnicum non adimere.

RETINENDA eſt ſemper, vel in ipſo vltimo mortis articulo, a forti & ſapienti viro ſolita conſtantia. Et ſic vltimum decus in illo tranſitu decore adijciendum reliquo vitæ ſpatio cum virtute peracto.

Tum progreſſus in porticum, illic a quæſtore reperitur, lætitiæ propior, quia Heluidium generum ſuum Italia tantum arceri cognouerat.

ETIAM in ſuſtinenda morte, quæ ceteris mortalibus metum, & conſternationem cum ingenti luctu, & dolore incutere ſolet; poteſt vir fortis lætari, & gaudium capere. Tantum poteſt virtutis longa habitus.

Accepto dehinc ſenatuſconſulto, Heluidium & Demetrium in cubiculum inducit: porrectis vtriuſque brachij venis, poſtquam cruorem effudit, humum ſuper ſpargens, propius vocato quæſtore: Libemus, inquit, Ioui liberatori. Specta iuuenis, & omen quidem dij prohibeant; ceterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expedit conſtantibus exemplis.

FRVCTVS verus, & genuinus eſt hic hiſtoriæ: nempe vt fortium & ſapientium virorum exemplis animum firmemus: & ex eorum geſtis doctrinam hauriamus certam ac ſolidam. Qua ſubnixi, ad omnes vitæ humanæ caſus intrepidi ac inconcuſſi ſubſiſtere valeamus: ſic vt numquam a rationis imperio, & naturæ ſtatu diſcedamus. Plura in hanc ſententiam habebit Lector apud Senecam in omnibus operibus: præſertim in Epiſtolis ad Lucilium: Plutarchum, Xenophontem, & M. Tullium in Philoſophicis.

Poſt lentitudine exitus graues cruciatus afferente, obuerſis in Demetrium. *

QVANTVM huic libro, & hiſtoriæ deſit, vide Lipſium hic in Commentarijs. Ea magis deflere, quàm reſtituere poſſumus.

Commentariorum in Librum XVI. Annalium P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI PLACENTINI IN P. CORNELII TACITI Hiſtor. Commentarij.

AD BEATISSIMVM D. N. SIXTVM V. PONT. OPT. MAX.

Ex Lib. I. Hiſtor. P. Cornelij Taciti.

INITIVM mihi operis Ser. Galba iterum, T. Vinius conſules erunt. Nam poſt conditam vrbem DCC. & XX. prioris æui annos multi auctores retulerunt: dum res populi Rom. memorabãtur, pari eloquentia ac libertate. Poſtquam bellatum apud Actium, atque omnem poteſtatem ad vnũ conferri pacis interfuit; magna illa ingenia ceſſere.

CVM omnis poteſtas Reipublicæ ad vnum confertur: magna ingenia cẽdunt. Nam neque tam ampla ſub vnius dominatu ſunt præmia, vt ea ad labores, & induſtrias excitare poſsint; nec ſecuritas adeſt. Vt in ſimili habes infra elegantiſsimam diſputationem in Dialogo. De Oratoribus: qui etſi Tacito adſcribatur; tamen Quintiliani eſt.

Simul veritas pluribus modis infracta. primum inſcitia Reip. vt alienæ, mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio aduerſus dominantes. Ita neutris cura poſteritatis, inter infenſos vel obnoxios.

HIS modis ſolet infringi veritas ſcriptorum: Primum inſcitiam republicæ, vt alienæ, mox libidine aſſentandi: aut odio aduerſus dominantes. Vnde ſequitur quòd cura poſteritatis neutris ineſt, inter infenſos, & obnoxios.

Sed ambitionem ſcriptoris facile aduerſeris: obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur. quippe adulationi fœdum crimen ſeruitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt.

AMBITIONEM ſcriptoris facile aduerſamur. Obtrectatio, & liuor pronis auribus accipiuntur: quippe adulationi fœdum crimen ſeruitutis; malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt. Nam vitiorum & virtutum tam anguſta ſunt confinia, vt ſæpiſsime apud homines, præſertim imperitos, hæc pro illis, & econuerſo accipiantur. Hinc eſt, quòd pro libito ingenij quiſque de humanis rebus fert iudicium: prout aut odio, aut amore impellitur. Qui duo affectus dijudicandæ veritati maxime officiunt: vt grauiſsime in perſona Cæſaris refert Salluſtius. Sed præ ceteris, in hiſtoricis penſitandis, maxime hæc vocabula interuertuntur: adeo lubricum eſt veritatis iter pergere: & nemo libenter ſua aut nationis aut prouinciæ, etſi vera, malefacta pandi deſiderat. His tamen neglectis, debet prudẽs hiſtoricus ſolam veritatẽ ſibi ante oculos proponere, verã hiſtoriæ, quàm tradit, animam.

Mihi Galba, Otho, Vitellius, nec beneficio nec iniuria cogniti. Dignitatem noſtram a Veſpaſiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius prouectam non abnuerim. ſed incorruptam fidem profeſſis, nec amore quiſquam, & ſine odio dicendus eſt.

INCORRVPTAM fidem profeſsis, nec amore quiſquam, & ſine odio dicendus eſt. Si enim eſt graue, vt inquit Iuriſconſultus, fidem fallere: hoc grauiſsimum in ea re eſt, quæ tota ad

inſtruendum orbem terrarum; & quoddam modo ad inſerendum in hominibus prudentiam, adinuenta eſt, ac exercetur. Qualis eſt hiſtoria, vitæ ſpeculum, ac ſapientiæ mater & nutrix, Cuius vtinam artem haberemus, vt veriſimile eſt ipſam ab Ariſtotile traditam fuiſſe: Profecto haud in tantis verſaremur tenebris.

Quòd ſi vita ſuppeditet, principatum diui Neruæ, & Imperium Traiani, vberiorem ſecurioremq. materiam ſenectuti ſepoſui: rara temporum felicitate, vbi ſentire quæ velis, & quæ ſentias dicere licet.

R*ARA eſt temporum felicitas, vbi ſentire quæ velis, & quæ ſentias dicere licet. Sed inter plurima mala, quæ affert Tyrannis, non eſt vltimum hoc, quod homines a libertate loquendi coerceat. Cum vbique Tyrannus auſcultatores teneat, qui ad eum vulgi etiam incuſtoditos ſermones deferant: vnde ſæpiſſime vincula, exilia, & cædes libere loquentium, & ſentientium. Contra ergo, ſi quis non vetatur libere ſentire & loqui, indicium eſt temperatæ dominationis & rectæ: a qua tempora vera gignantur felicia & ſæcula aurea.*

Opus aggredior plenum varijs caſibus, atrox prælijs, diſcors ſeditionibus, ipſa etiam pace ſæuum. Quatuor principes ferro interempti. Tria bella ciuilia, plura externa, ac plerumque permixta. Proſperæ, in Oriente; aduerſæ, in Occidente res. Turbatum Illyricum, Galliæ nutantes, perdomita Britannia, & ſtatim amiſſa: coortæ Sarmatarum ac Sueuorum gentes, nobilitatus cladibus mutuis Dacus. Mota etiã prope Parthorum arma falſi Neronis ludibrio:

M*AXIMAE maieſtatis plenum eſt hoc hiſtoriarum initium: ex quo attentiſſimus redditur lector: & vtinam omnia, quæ hic Auctor promittit, haberemus. Profecto nihil eſſet ad perfecte prudentiam aſſequendam, quod deſiderari poſſet.*

Iam vero Italia nouis cladibus, vel poſt longam ſæculorum ſeriem repetitis, afflicta. Hauſtæ aut obrutæ vrbes. Fecundiſſima Campaniæ ora, & vrbs, incendijs vaſtata; conſumptis antiquiſſimis delubris, ipſo Capitolio ciuium manibus incenſo. Pollutæ cærimoniæ. magna adulteria. plenum exilijs mare. infecti cædibus ſcopuli. atrocius in vrbe ſæuitum. Nobilitas, opes, omiſſi geſtiq. honores pro crimine; & ob virtutes, certiſſimum exitium.

O*B virtutes ſub Tyranno eſt certiſſimum exitium: ratio huius rei ſupra eſt reddita. Nunc adijcimus remedium vnicum viris talibus eſſe, ſi voluntarium exilium ſuſceperit, & ſe ab oculis Tyranni ſubtraxerit. Hoc enim modo timorem ſui ab illo amouendo, ſibi incolumitatem parabit.*

Nec minus præmia delatorum inuiſa quàm ſcelera:

P*RAEMIA delatorum in Tyrannico ſtatu haud ſolent eſſe minus inuiſa, quàm ſcelera. Nam ob hæc illa tribuuntur: & pari gradu ambulant.*

cum alij ſacerdotia & conſulatus & ſpolia adepti, procurationes alij & interiorem potentiam, agerent, ferrent cuncta, odio & terrore. Corrupti in dominos ſerui, in patronos liberti: & quibus deerat inimicus, per amicos oppreſſi.

S*VB Tyranno illi quibus deeſt inimicus, per amicos opprimuntur. Exemplum ſupra vidimus in Sorano Sabino, & Libone, & multis alijs.*

Non tamen adeo virtutum ſterile ſæculum, vt non & bona exempla prodiderit.

N*VMQVAM eſt adeo virtutum ſterile ſæculum, vt non & bona exempla prodat. Telluris inſtar: quæ & cum tritico lolium, & auenam: & cum pecudibus, ac mitioribus animantibus, feras & ſerpentes fert, ac educat.*

Comitatæ profugos liberos matres, ſecutæ maritos in exilia coniuges, propinqui audentes, conſtantes generi, contumax etiam aduerſus tormenta ſeruorum fides. Supremæ clarorum virorum neceſſitates; ipſa neceſſitas fortiter tolerata, & laudatis antiquorum mortibus pares exitus.

H*AEC omnia virtutum exempla præbent tempora Tyrannorum. Adeo vt poſſit dici, illum eſſe earum cotem: ad cuius ſauitiam, & ſuſpiciones, acuuntur, & micant.*

Præter

Præter multiplices rerum humanarum caſus; cælo terraq. prodigia, & fulminum monitus, & futurorum præſagia, læta, triſtia, ambigua, manifeſta. Nec enim vmquam atrocioribus populi Rom. cladibus, magisve iuſtis iudicijs approbatum eſt, non eſſe curæ deis ſecuritatem noſtram, eſſe vltionem.

SENTENTIA eſt hæc ab Auctore Ethnico prolata: & ideo non recipienda a nobis Chriſtianis. Cum immo credere debeamus firmiter, nec leuem paleam moueri, quin id nutu, & indicio DEI MAXIMI fiat, & voluatur.

Ceterum antequam deſtinata componam, repetendum videtur, qualis ſtatus vrbis, quæ mens exercituum, quis habitus prouinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid ægrum fuerit:

SIMILE ſupra lib. iiij. Annal. Congruum crediderim: & quæ ſequuntur.

vt non modo caſus euentusq. rerum, qui plerumque fortuiti ſunt, ſed ratio etiam cauſſæq. noſcantur.

AD aſſequendam in rebus agendis prudentiam, non ſufficit noſcere caſus, euentusq. rerum; nam plerumque fortuiti ſunt: ſed rationes etiam, & cauſſas.

Finis Neronis vt lætus primo gaudentium impetu fuerat; ita varios motus animorum, non modo in vrbe apud patres, apud populum, apud vrbanum militem, ſed omnes legiones ducesq. conciuerat,

PRINCIPIS finis ſemper varios motus animorum non modo in vrbe apud patres, apud populum: ſed etiam ad omnes prouincias concire ſolet.

euulgato imperij arcano, poſſe principem alibi quàm Romæ fieri.

DISSOLVITVR imperium, cum eius arcana euulgantur. Nec vllus principatus conſiſtit abſque aliquibus arcanis: de quibus ſupra in lib. ij. Annal. abunde diximus.

Sed patres læti, vſurpata ſtatim libertate, licentius vt erga principem nouum & abſentem.

ERGA Principem nouum, & abſentem licentius agitur. Ex nouitate enim fit, vt nondum Principis auctoritas egerit radices, ac coaluerit: ex abſentia, ſpes accedit, poſſe aliqua occultari, quæ ſi Princeps adeſſet, cerneret, & corrigeret.

primores equitum proximi gaudio patrum. pars populi integra, & magnis domibus annexa, clientes, libertiq. damnatorum & exulum, in ſpem erecti.

QVALIS ſit totius orbis terrarum in Monarchæ obitu, concuſſio, elegantiſſime ſub aſpectum ponit hic Auctor noſter: ab vrbe Romana incipiendo.

Plebs ſordida & circo ac theatris ſueta, ſimul deterrimi ſeruorum, aut qui adeſis bonis, per dedecus Neronis alebantur, mæſti & rumorum auidi.

HAEC ſunt hominum genera, quæ mors Tyranni luctu afficit. Plebs ſordida, & circo ac theatris ſueta, deterrimi ſeruorum, aut qui adeſis bonis, per dedecus illius aluntur. Et tales ſemper erunt rumorum auidi.

Miles vrbanus longo Cæſarum ſacramento imbutus, & ad deſtituendum Neronem arte magis & impulſu, quàm ſuo ingenio traductus,

HOMINVM turba, ſæpe ad res nouas & ad deſtituendos Principes, impulſu magis & arte factioſorum paucorum traducitur; quàm ſuo ingenio. Sic Arminium ſupra feciſſe vidimus: Sic Ciuilis infra, vt videbimus, aget. Et temporibus noſtris ſic feciſſe Aurantium Principem in Belgis vidimus.

poſtquam neque dari donatiuum ſub nomine Galbæ promiſſum,

SVPRA annotauimus, quòd vnicuique hominum generi Princeps congrue ſatisfacere debet, ſi vult tutus imperare. Qui aliter agit, ſtatim corruit: Vt Galba, qui ob donatiuum militibus non præſtitum trucidatus eſt & ab illis deſertus.

neque magnis meritis, ac præmijs eundem in pace, qui in bello locum.

MAGNIS meritis ac præmijs militum numquam eſt idem in pace, qui in bello locus. Deeſt enim neceſſitas: qua nullus eſt pro mortalium genere apud ceteros validior interceſſor.

præuentamq. gratiam, intelligit, apud principem a legionibus factum,

STIMVLVS acerrimus defectionis ſolet eſſe in populis erga Principem nouum, cum videt præuentam ab alijs gratiam in illius creatione. Arcenti enim inuidia omnia turbant, & confundunt.

pronus ad nouas res, ſcelere inſuper Nymphidij Sabini præfecti imperium ſibi molientis agitatur.

QVI iam ex ſe pronus eſt ad nouas res, huic ſi re ſceleſtus aliquis vir addatur, qui eum agitet; nulla non ſcelera committet.

Et Nymphidius quidem in ipſo conatu oppreſſus.

VIDE hic Plutarchum in Galba: qui totam rem tute enarrat.

Sed quamuis capite defectionis ablato, manebat pleriſque militum conſcientia;

NON ſemper, capite ſeditionis ablato, quieſcunt ſeditiones: nam nonnumquam, ob conſcientiam, quæ pleriſque ſeditioſorum manet, alia inſurgunt capita, & magis exardeſcit.

nec deerant ſermones, ſenium atque auaritiam Galbæ increpantium.

SICVT militibus in ſuis ducibus placet maxime vigor ætatis, & liberalitas: ita ſenium, & auaritia, ſolent eſſe inuiſa & deſpecta.

Laudata olim & militari fama celebrata ſeueritas eius, angebat coaſpernantes veterem diſciplinam, atque ita XIII. annis a Nerone aſſuefactos, vt haud minus vitia principum amarent, quàm olim virtutes verebantur.

CORRVPTVS eſt quidem populus ille, qui haud minus Principis vitia amat, quàm olim virtutes vereri ſolitus ſit. Et qui miles, antequam eſſet corruptus, celebrabat & laudabat ſeueritatem Imperatoris: poſtquam corruptus eſt, coaſpernatur veterem illam diſciplinam.

Acceſſit Galbæ vox pro Rep. honeſta, ipſi anceps, legi à ſe militem, non emi.

DIGNA vox eſt duce exercitus: Legere ſe velle militem, & non emere. Nam vere eſt legendus, & non emendus miles.

Nec enim ad hanc formam cetera erant.

PARVM eſt Principi, & non ſufficit, quòd parte in aliqua dignitatem Principatus ſuſtineat: ſi ad illam formam cetera non ſunt. Debet ergo eſſe omnibus numeris abſolutus: adhoc vt venerabilis apud ſubditos exiſtat.

Inualidum ſenem T. Vinius & Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignauiſſimus, odio flagitiorum ⋆ onerabant, contemptu inertiæ deſtruebant.

FLAGITIA odio digna ſunt: inertiam vero comitatur contemptus. Hinc concludere poſſumus, quòd Princeps ille, qui duo hæc Principatus venena hauſerit, breui intereat, neceſſe eſt.

Tardum Galbæ iter & cruentum, interfectis Cingonio Varrone conſule deſignato, & Petronio Turpiliano conſulari. ille vt Nymphidij ſocius, hic vt dux Neronis, inauditi atque indefenſi, tamquam innocentes perierant.

ATROCITAS & ſæuitia nouo regno ſemper obſunt: vnde Galba primus exitij gradus; præſertim ſi exercetur erga innocentes, inauditos, ac indefenſos.

Introitus in vrbem, trucidatis tot milibus inermium militum, infauſtus omine, atque ipſis etiam, qui occiderant, formidoloſus.

VERISSIMA eſt illa Tragica ſententia: Multos timeat neceſſe eſt, qui a multis timetur. Ideo, qui alios occidunt, ipſi etiam formidoloſi viuunt.

Inducta

Inducta legione Hiſpana, remanente ea, quam e claſſe Nero conſcripſerat, plena vrbs exercitu inſolito. multi ad hoc * & innumeri e Germania ac Britannia & Illyrico, quos idem Nero electos præmiſſosq. ad clauſtra Caſpiarum, & bellum quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis cœptis reuocauerat: ingens nouis rebus materia, vt non in vnum aliquem prono fauore, ita audenti parata.

CVM principatus aliquis nutat, nec firmum Principem habet: ſeditioſi & turbidi homines, qui tunc in ſtatu illo reperiuntur, ſunt ingens nouis rebus materia. Nam etſi non ſunt in vnum aliquem prono fauore, tamen ſunt audenti parati.

Forte congruerat vt Clodij Macri & Fontei Capitonis cædes nunciarentur. Macrum in Africa haud dubie turbantẽ, * Trebonius Garucianus procurator, iuſſu Galbæ: Capitonem in Germania, cum ſimilia cœptaret, Cornelius Aquinus & Fabius Valens legati legionum interfecerant, antequam iuberentur. Fuere qui crederent, Capitonem vt auaritia & libidine fœdum ac maculoſum, ita cogitatione rerum nouarũ abſtinuiſſe: ſed a legatis bellum ſuadentibus, poſtquam impellere nequiuerint, crimen ac dolum compoſitum vltro:

SCELERATORVM hac eſt conſuetudo, vt poſtquam te ad ſcelus impellere nequeant, crimen ac dolum vltro componant, & tibi imputent. Sic Seianus ſupra aduerſus Agrippinam lib. iiij. Annal. Sic Phadra erga Hippolitum: ſic vxor Phutipharis Eunuchi contra Ioſeph. Seneca in Hyppolito. Et hiſt. ſacra Geneſ. cap. xxxix.

& Galbam mobilitate ingenij, an ne altius ſcrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobaſſe.

QVOQVO modo acta, quando mutari non poſſunt, ſunt cõprobanda. Hoc enim modo Princeps in officio cõtinet qui ea geſſerũt: alias ſine fructu, eos à ſe alienãdo, in maxima incidit pericula. Belgarũ, Gallia, et Anglia reuolutiones ſuperioribus annis exorta, huius rei nobis clarã dant doctrinã.

Ceterum vtraque cædes ſiniſtre accepta: & inuiſum ſemel principem, ſeu bene ſeu male facta premunt.

INVISVM ſemel Principem, ſeu bene, ſeu male facta premunt. Et econuerſo dici poteſt: Dilecto Principe ſeu bene ſeu male facta placent. Studeant hinc ergo Principes omnibus viribus populorum amorem acquirere: qui amor prima eſt baſis ſeruandi principatus.

Iam afferebant venalia cuncta, præpotentes liberti.

PLERVMQVE accidit, vt in Aulis, præſertim nouis cuncta afferantur venalia a præpotentibus Aulicis. Sic ſupra de Suilio Auctor: Quem vidit ſequens atas præpotentẽ, venalẽ, etc. lib. 4. Annal.

Seruorum manus ſubitis auidæ, & tamquam apud ſenem feſtinantes.

SEMPER feſtinat Aulicus apud ſenem Principem, in re ſua augenda: & eius manus ſunt ſubitis auida. Timet enim de breui Principis vita.

eademq. nouæ aulæ mala, æque grauia, non æque excuſata.

DIVERSITAS Principum facit, vt eadem mala noua Aulæ, quæ in antiqua erant, etſi æque ſint grauia, tamen non æque excuſentur. Ob rationem ſupra proxime traditam: quòd inuiſum Principem cuncta ſeu bene, ſeu male facta premunt.

Ipſa ætas Galbæ, & irriſui & faſtidio erat aſſuetis iuuentæ Neronis, & imperatores forma ac decore corporis, vt eſt mos vulgi, comparantibus.

MOS eſt vulgo comparare Imperatores forma ac decore corporis. Nam in interna animi bona cum ob inſcitiam penetrare non poßit, & de illis comparationem facere, ad illa quæ ipſi in promptu ſunt, fertur vulgus, nempe faciei & corporis decorem; & hac comparando, de Regibus iudicium profert.

Et hic quidem Romæ, tamquã in tanta multitudine, habitus animorum fuit. E prouincijs, Hiſpaniæ præerat Cluuius Rufus, vir facundus, &, pacis artibus, belli inexpertus.

RARI ſunt viri, qui & belli & pacis artibus ſint experti. Et tales ſi reperiuntur, quidquid velint, agunt. Cæſar Dictator, & Auguſtus præter ceteros tales fuerunt.

Galliæ, ſuper memoriam Vindicis, obligatæ recenti dono Romanæ ciuitatis, & in poſterum tributi leuamento. Proximæ tamen Germanis exercitibus Galliarum ciuitates, non eodem honore habitæ: quædam etiam finibus ademptis, pari dolore commoda aliena ac ſuas iniurias metiebantur.

HAEC eſt natura illorum, qui iniuria a Principe afficiuntur; vt cōmoda aliena, ac ſuas iniurias pari dolore metiantur. Hinc caueat Princeps, ex prouincijs ſibi ſubditis, niſi vrgens neceſſitas cogat, aliquas in honore habere, & aliquas iniuria afficere. Sed æquum ſe omnibus præbeat, vt omnes æque in officio & fide contineat.

Germanici exercitus, quod periculoſiſſimum in tantis viribus, ſoliciti & irati ſuperbia recentis victoriæ, & metu, tamquam alias partes fouiſſent.

MAGNAM cauſſam ſuſpectandi habet Princeps nouus de illo cætu vel vniuerſitate, qui potentior ceteris in ſuo imperio, atque inde ſuperbus, iratus timet, tamquam alias partes fouerit. Difficillime enim inter ipſum & Principem confidentia generabitur.

Tarde a Nerone deſciuerant: nec ſtatim pro Galba Verginius. an imperare voluiſſet dubium: delatum ei a milite imperium conueniebat. Fonteium Capitonem occiſum, etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur.

PRVDENS Aulicus etſi cauſſam indignandi erga Principem habeat; numquam tamen palam de eo queratur.

Dux deerat, abducto Verginio per ſimulationem amicitiæ: quem non remitti, atque etiam reum eſſe tamquam ſuum crimen accipiebant.

CRIMINA obiecta duci ab exercitu dilecto, & amato, accipit exercitus pro ſuis proprijs criminibus. Tantam habet vim hic amoris affectus in mortalium pectoribus.

Superior exercitus legatum Hordeonium Flaccum ſpernebat, ſenecta ac debilitate pedum inualidum,

EX ſenecta ac debilitate ducis, apud milites contemptus oritur: vt ſupra non ſemel obſeruauimus.

ſine conſtantia, ſine auctoritate: ne quieto quidem milite, regimen. adeo furentes infirmitate retinentis vltro etiam accendebantur.

CVM Princeps & dux eſt ſine conſtantia, & ſine auctoritate: ne quieto quidem militi ac ſubiecto eſt regimen. Sed furentes infirmitate regentis vltro etiam accenduntur.

Inferioris Germaniæ legiones diutius ſine conſulari fuere: donec, miſſu Galbæ, Vitellius aderat, cenſoris Vitellij ac ter conſulis filius. Id ſatis videbatur.

NONNVMQVAM ad retinendos in fide aliquos populos vel exercitus, ſufficit ſolum in duce, nobilitas & maiorum gloria; etſi cetera deſint.

In Britannico exercitu nihil irarum. Non ſane aliæ legiones, per omnes ciuilium bellorum motus innocentius egerunt: ſeu quia procul, & Oceano diuiſæ; ſeu, crebris expeditionibus, doctæ hoſtem potius odiſſe.

DVX ſi arcere ab exercitu ſuo ſeditiones, & coitiones vult, numquam illi otium concedat: ſed crebris expeditionibus doceat illum odio proſequi hoſtes.

Quies & Illyrico: quamquam excitæ a Nerone legiones, dum in Italia cunctantur, Verginium legationibus adiſſent. Sed longis ſpatijs diſcreti exercitus, quod ſaluberrimum eſt ad continendam militarem fidem, nec vitijs nec viribus miſcebantur.

SALVBERRIMVM eſt ad continendam militarem fidem, exercitus inter ſe diſcretos habere. Ratio eſt, quia non poſſunt ſimul miſcere vitia, nec vires & ſeparati nihil innouare audent.

Oriens adhuc immotus. Syriam & quatuor legiones obtinebat Licinius Mucianus, vir ſecundis aduerſiſq. iuxta famoſus. Inſignes amicitias iuuenis ambitioſe coluerat. mox attritis opibus, lubrico ſtatu, ſuſpecta etiam Claudij iracundia, in ſecretum Aſiæ repoſitus,

repoſitus, tam prope ab exule fuit quàm poſtea a principe. Luxuria, induſtria, comitate, arrogantia, malis bonisq. artibus mixtus. nimiæ voluptates, cum vacaret: quoties expedierat, magnæ virtutes. Palam laudares, ſecreta male audiebant.

DIGNA notatu eſt hæc Muciani deſcriptio, nã multis Aulicis quadrat: qui fere ſemper malis bonisq. artibus mixti ſunt: ſecundis, aduerſisq. iuxta famoſi: palam agunt laudabilia, ſecreta eorum vero male audiunt, & omnia, quæ hic luculenter Auctor recenſet.

Sed apud ſubiectos, apud proximos, apud collegas, varijs illecebris potens: & cui expeditius fuerit tradere imperium, quam obtinere.

PLERISQVE expeditius eſt tradere imperium, quàm obtinere. Sed hæc eſt pernicies, quòd poſtquam tradiderunt, volunt obtinere: & Sic gratiam beneficij corrumpunt. Id ſupra in Liuia cum Tiberio, in Agrippina cum Nerone vidimus. Recentia exempla apponere iuſtis de cauſſis ſuperſedeo: ſed omnibus nota eſſe poſſunt.

Bellum Iudaicum Flauius Veſpaſianus, ducem eum Nero delegerat, tribus legionibus adminiſtrabat. Nec Veſpaſiano aduerſus Galbam votum, aut animus quippe T. filium ad venerationem cultumq. eius miſerat, vt ſuo loco memorabimus. Occulta lege fati, & oſtenſis ac reſponſis deſtinatum Veſpaſiano liberisq. eius imperium, poſt fortunam credidimus.

LOQVITVR hic Auctor, vt Ethnicus & gentilis. Nam nulla eſt occulta lex fati, nec deſtinatio apud nos.

Ægyptum copiasq. quibus coerceretur, iam inde a diuo Auguſto, equites Romani obtinent loco regum. Ita viſum expedire, prouinciam aditu difficilem, annonæ fecundam, ſuperſtitione ac laſciuia diſcordem & mobilem, inſciam legum, ignaram magiſtratuum domi retinere. Regebat tum Tiberius Alexander eiuſdem nationis.

SIC ſupra lib. ij. Annal. inquit Auctor: Quippe inter cetera dominationis arcana Auguſtus ſepoſuerat Aegyptum: &c.

Africa, ac legiones, in ea, interfecto Clodio Macro, contentæ qualicumque principe, poſt experimentum domini minoris.

CONTENTVS fere ſemper eſt qualicumque principe, qui minorem dominum eſt expertus. ſpiritus enim habet puſillos, & infractos.

Duæ Mauretaniæ, Rhætiæ, Noricum, Thracia. & quę aliæ procuratoribus cohibentur, vt cuique exercitui vicinæ, ita in fauorem aut odium contactu valentiorum agebantur.

IN ſeditionibus ac magnis tumultibus, ſemper infirmiora membra aguntur in fauorem, aut odium contactu valentiorum. Iccirco prudens Princeps ſemper eminentiores & potentiores ciuitatum ſuarum viros in ſua mutua pace conſeruare debet, & ad quæcumque leuiſſima principia oculos aduertere. Hi enim trahunt ſecum populum omnem.

Inermes prouinciæ, atque ipſa in primis Italia, cuicumque ſeruitio expoſitæ, in pretium belli ceſſuræ erant.

CVM ceteri ſunt armati, ſemper inermes cuicumque ſeruitio erunt expoſiti, ac in pretium belli cedent. Retineat ergo ſemper arma Princeps: hæc eſt ſola & præcipua eius ars, quam profiteri omni tempore debet, ſi dignitatem & principatum conſeruare volet.

Hic fuit rerum Romanarum ſtatus, cum Ser. Galba iterum, Titus Vinius conſules, inchoauere annum ſibi vltimum, Reip. prope ſupremum. Paucis poſt Kalen. Ian. diebus Pompeij Propinqui procuratoris, e Belgica litteræ afferuntur, ſuperioris Germaniæ legiones, rupta ſacramenti reuerentia, imperatorem alium flagitare, & ſenatui ac Po. Ro. arbitrium eligendi permittere, quo ſeditio mollius acciperetur.

QVI a Principe deſciſcunt, non ſtatim aperte contra ipſum rebellionem profitentur: ſed aliquam cauſſam, quam ſciunt a Principe approbari non poſſe, fingunt; quo ſeditio mollius accipiatur. Sic Belgæ erga PHILIPPVM REGEM fecerunt.

Maturauit ea res conſilium Galbæ, iam pridem de adoptione ſecum & cum proximis agitantis. Non ſane crebrior tota ciuitate ſermo per illos menſes fuerat. primum licentia ac libidine talia loquendi, dein feſſa iam ætate Galbæ.

IN ciuitate crebri ſunt ſemper ſermones illius rei, de qua loquendi & licentia adeſt & libido & veriſimilitudo. Ex prima enim impune poſſunt: ex ſecunda cupide volunt: ex vltima credunt.

Paucis iudicium, aut Reip. amor: multi occulta ſpe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitioſis rumoribus deſtinabant.

VERISSIMUM eſt, quòd in Aulis magnis, iudicium eſt paucis & Reipublica amor: ſed multi occulta ſpe, prout quis amicus, vel cliens, hunc vel illum ambitioſis rumoribus deſtinare ſolent.

Etiam in T. Vinij odium diuerterant, qui in dies quanto potentior, eadem inuiſior erat.

SEMPER potentes Aulici & gratioſi, quanto potentiores, eadem erunt inuiſiores: niſi potentiam humanitate conduxerint. Quæ ſola omnem inuidiam ſi non extinguere, certe imminuere poteſt.

Quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates, ipſa Galbæ facilitas intendebat.

AMICORUM cupiditates in magna fortuna hiantes, ab ipſa Principis facilitate intenduntur, & augentur.

cum apud infirmum & credulum minore metu, & maiore præmio peccaretur.

APUD infirmum, & credulum Principem, minore metu, & maiore præmio peccatur. Ob infirmitatem enim corrigere non audet, nec punire delicta; ob credulitatem, potentia creſcit miniſtris quidquid velint, agendi, & quemcumque apud ipſum criminandi.

Potentia principatus diuiſo in T. Vinium conſulem, & Cornelium Laconem prætorij præfectum. Nec minor gratia Icelo Galbæ liberto, quem anulis donatum equeſtri nomine Martianum vocitabant. Hi diſcordes, & rebus minoribus ſibi quiſque tendentes, circa conſilium eligendi ſucceſſoris in duas factiones ſcindebantur.

SEMPER nouorum Principum & recentium gratioſi miniſtri in potentia ſunt diſcordes: nam quiſque omnibus in rebus ſibi ipſi tendit, & in diuerſas factiones ſcinduntur.

Vinius pro M. Othone; Laco atque Icelus conſenſu non tam vnum aliquem fouebant, quàm alium. Neque erat Galbæ ignota Othonis ac. T. Vinij amicitia, ex rumoribus nihil ſilentio tranſmittentium,

IN Aulis, rumores Aulicorum nihil vnquam ſilentio tranſmittunt: ſed de omnibus ſermocinantur, & ratiocinantur.

quia Vinio vidua filia, cælebs Otho, gener ac ſocer deſtinabantur. Credo & Reip. curam ſubiſſe, fruſtra a Nerone tranſlatæ, ſi apud Othonem relinqueretur.

TRANSFERTUR fruſtra aliquid ab vno ſceleſto, ſi apud alterum ſceleſtum relinquitur. Huc quadrat idem, quod ſupra Auctor dixit de Piſone: Nihil referre dedecori citharœdus ſubmoueretur, & Tragœdus ſuccederet. Lib. xv. Annal. Mutationes enim fieri debent in melius, non in deterius.

namque Otho pueritiam incurioſe, adoleſcentiam petulanter egerat,

RARO contingit, qui pueritiam egit incurioſe, idem & adoleſcentiam non agat petulanter. Adeo refert prima hominis educatio.

gratus Neroni æmulatione luxus. Eoq. iam Poppæam Sabinam principale ſcortum, vt apud conſcium libidinum depoſuerat, donec Octauiam vxorem amoliretur. Mox ſuſpectum in eadem Poppæa in prouinciam Luſitaniam ſpecie legationis ſepoſuit,

TOTAM huius rei ſeriem, ſupra vidimus, libro xiij. Annal. Ibi lectorem remittimus.

Otho, comiter adminiſtrata prouincia, primus in partes tranſgreſſus, nec ſegnis, & donec bellum fuit, inter præſentes ſplendidiſſimus, ſpem adoptionis ſtatim conceptam, acrius in dies rapiebat:

VEH illi Aulico, qui ſpem dignitatis alicuius conceptam, acrius in dies rapit. Si enim ad votum non ceſſerit, vt ſæpe accidit, in magnam ærumnarum molem ſeipſum conieciſſe videbit. Hinc bene erit ſemper mediocriter ſperare.

fauentibus pleriſque militum, prona in eum aula Neronis vt ſimilem.

SEMPER proni ſunt homines in ſui ſimiles. Vnde prudens Aulicus diligenter inueſtigare, & callere naturam Principis, cui inſeruit, ſtudeat: vt illi ſimilem ſe efficiendo, gratiam illius facilius acquirat.

Sed Galba, poſt nuncios Germanicę ſeditionis, quamquam nihil adhuc de Vitellio certum, anxios quonam exercituum vis erumperet, ne vrbano quidem militi confiſus, quod remedium vnicum rebatur, comitia imperij tranſigit.

SVPRA in Auguſto obſeruauimus, quòd Princeps prudens numquam relinquet in incerto ſucceſſorem imperij, vt coerceat prauas aliorum ſpes. Ideo Galba Piſonem hic adoptauit.

Adhibitoq. ſuper Vinium ac Laconem, Mario Celſo Conſule deſignato, ac Ducenio Gemino præfecto vrbis, pauca præfatus de ſua ſenectute, Piſonem Licinianum accerſiri iuber ſeu propria dilectione, ſiue, vt quidam tradiderunt, Lacone inſtante.

ETSI Princeps Aulicum diligit proprio affectu; tamen ſtudeat etiam habere Aulicus apud Principem validum aliquem & aſſiduum medium, quod pro illo inſtet, & Principis voluntatem magis in ſui fauorem accendat.

cui apud Rubellium Plautum exercita cum Piſone amicitia: ſed callide vt ignotum fouebat,

PRVDENS Aulicus, cum tempus poſtulat, debet homines, etſi alioquin ſibi coniunctiſſimos, & amiciſſimos, fouere vt ignotos: nec certior hac de re tradi regula poteſt: ſed iudicio Aulici remittenda.

& proſpera de Piſone fama conſilio eius fidem addiderat.

CVM aliquem fouemus apud Principem vel Rempublicam is ſi proſperam de ſe famam concitabit, conſilio noſtro fidem addit.

Piſo M. Craſſo & Scribonia genitus, nobilis vtrimque, vultu habituq. moris antiqui, & æſtimatione recta ſeuerus, deterius interpretantibus triſtior habebatur.

SAEPE vultus & habitus alicuius, qui recta æſtimatione ſeuerus habebitur, deterius interpretantibus, triſtior reputabitur.

Ea pars morum eius quo ſuſpectior ſolicitis, adoptanti placebat.

PARVM refert Aulico, quo modo à ceteris æſtimetur: dummodo Principi, qui illum ſublimare poteſt, probetur. Qui ſemper vnius cuiuſque prudentis Aulici finis eſſe debet.

Igitur Galba, apprehenſa Piſonis manu, in hunc modum locutus fertur: Si te priuatus, lege curiata apud Pontifices, vt moris eſt, adoptarem; & mihi egregium erat tunc, Pompeij & M. Craſſi ſubolem in penates meos aſciſcere, & tibi inſigne, Sulpiciæ ac Lutatiæ decora nobilitati tuæ adieciſſe.

GRAVISSIMA eſt hæc Galbæ oratio & ſententiarum plena, & digna quæ ab omnibus Principibus ſæpiſſime legatur.

Nunc

Nunc me deorum hominumq. conſenſu ad imperium vocatum, præclara indoles tua, & amor patriæ impulit, vt principatum, de quo maiores noſtri armis certabant, bello adeptus, quieſcenti offeram.

PRAECLARVM eſt in Principe, pro vtilitate Reipublicæ, principatum, quod bello adeptus ſit, quieſcenti viro offerre.

exemplo diui Auguſti, qui ſororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes ſuos, poſtremo Tiberium Neronem priuignum in proximo ſibi faſtigio collocauit.

IN maximis rebus, quas agendas ſuſcipit Princeps, ſemper ſibi debet proponere excelſum aliquem, & magnanimum Principem, cuius facta imitando, maiorem ſibi auctoritatem conciliabit. Eumq. ſi poteſt, eligere, qui ſui preceſſor in eodem regno & imperio fuerit. Sic ſe gerere PHILIP. Sereniſſ. Hiſp. Regem imitando FERDINANDVM Caſtellæ Regem glorioſiſſ. ſuum anteceſſorem, ab Illuſtriſſimo Henrico Guzmano Comite de Olinares ſuo apud Pontificem Oratore audiuimus.

Sed Auguſtus in domo ſucceſſorem quęſiuit, ego, in rep.

DIGNIVS, & glorioſius Principi eſt eligere ſucceſſorem in republica, quàm in domo. Illud enim vtilitatem publicam, hoc priuatam reſpicit.

Non quia propinquos aut ſocios belli non habeam: ſed neque ipſe imperium ambitione accepi;

PRINCEPS, qui dignitates & principatum virtute, & non ambitione acquiſiuit: virtuti etiam, & non ambitioni eaſdem dignitates conferre debet.

& iudicij mei documentum ſint, non meæ tantum neceſſitudines, quas tibi poſtpoſui, ſed & tuæ.

RECTI iudicij in Principe documentum eſt, cum, in conferendis dignitatibus & præmijs, non ſpectat neceſſitudines ſuas tantum, ſed aliorum virtutes, & illas poſtponit iſtis.

Eſt tibi frater pari nobilitate, natu maior, dignus ac fortuna, niſi tu potior eſſes.

SVNT in omnibus virtutibus gradus. Vnde ſequitur, quòd aliqui in merendo dignitates à Principe, eſſent illis digni, niſi aliqui illis reperirentur potiores. Proinde æquo animo quiſque ferre deberet, cum Priceps potiores eligit.

Ea ætas tua, quæ cupiditates adoleſcentiæ iam effugerit:

OPTIMA eſt illa ætas, quæ adoleſcentiæ cupiditates iam effugit. Et huic ætati omnia munia, quamuis grauia & ardua, iniungi tuto à Principe poſſunt.

ea vita, in qua nihil præteritum excuſandum habeas,

GLORIARI equidem iure merito poteſt, qui vitam ſuam ſic tranſegit, vt nihil præteritum excuſandum habeat. Sed quis eſt hic.

Fortunam adhuc tantum aduerſam tuliſti.

RECTVM iudicium & integrum non poteſt ferri de illius virtute, qui res aduerſas tantum tulerit. Sed oportet vt per læta, per aduerſa, ſemper immobili pede fortiter greſſus ſit, vt ſupra de Caractaro inquit Auctor noſter. lib. Annal. xi.

Secundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant: quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.

RES ſecundæ acrioribus ſtimulis animũ explorant: quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Huc adde rationem, quòd res lætæ dilatant ſpiritus, & quaſi reſoluunt: contra aduerſa eos contrahunt, & quodammodo roborant. Ideo prudentiſſime Seneca virtutum à DEO nobis alias ad ſurſum eundum, alias ad deorſum datas diſſerit. Ad aſcendendum, quod de aduerſa fortuna intel-

intelligendum, conſtantiam, patientiam, fortitudinem, & ſimilia. Ad deſcendendum, quod de lætiore fortuna accipi debet, manſuetudinem, benignitatem, liberalitatem, & familiaritatem: ne ſuperbia incitati præcipites ferantur.

Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eadem conſtantia retinebis: ſed alij per obſequium imminuent.

F*IDES, libertas, amicitia, præcipua animi bona, poſſunt conſtantia retineri: ſed per obſequium imminuuntur. Hinc ſemper tamquam arcum, debent mentem intentam tenere, qui alijs dominantur, aduerſus blanditias aſſentantium: a quibus cum numquam verum audiamus, dignum eſt, quòd numquam illis credatur.*

Irrumpet adulatio, blanditiæ peſſimum veri affectus venenum,

A*DVLATIO, & blanditiæ ſemper irrumpunt in nouis principatibus: quæ ſunt peſſimum veri affectus venenum. Plutarchus abunde in eo Opuſculo, quod de adulatoris, ac veri amici diſcrimine compoſuit, pulcherrimam tradit doctrinam; & docet, qui ſint veri, & falſi amici. Huc adde, quòd Princeps, qui volet, vt velle debebit, hanc peſtem adulatorum effugere, debet prudentiſſimorum hominum conſilium ſibi conſtituere, cum quibus de maximis rebus conſultet, ac deliberet: quibus prius teſtetur ſe velle liberas eorum ſententias ſuper rebus propoſitis intelligere, ac qui ita non ſe geſſerit, ſibi odio futurum profiteatur. Sed non det illis auctoritatem & libertatem loquendi de omnibus rebus; ſed ſolum de illis, quas Princeps ipſe propoſuerit. Super quibus poſteaquam ſententias eorum cognouerit; deliberet & ſtatuat ipſe, prout ipſi conducibilius viſum fuerit: Hoc modo ſe gerens Princeps, ſe tutum ab adulatoribus præſtabit.*

ſua cuique vtilitas.

Q*VI cum Principe loquuntur, non Principis vtilitatem ac decus reſpiciunt; ſed quiſque fere ſuam propriam præ oculis habet vtilitatem: ad quam ſermones ſuos, & opera dirigit.*

Etiam ego ac tu ſimpliciſſime inter nos hodie loquimur; ceteri libentius cum fortuna noſtra, quàm nobiſcum.

P*AVCI ſimpliciſſime cum Principe loquuntur. Nam plerique magis cum fortuna illius, quàm cum illo.*

Nam ſuadere principi quod oporteat, multi laboris: aſſentatio erga principem quemcumque, ſine affectu peragitur.

S*VADERE Principi quod oporteat, multi eſt laboris. Aſſentatio erga Principem quemcumque ſine affectu peragitur. Primum enim maximam rerum cognitionem, & præſertim Politicarum requirit: ſecundum cum ad vtilitatem ſolum loquentis ſpectet; nullo labore aut arte eget.*

Si immenſum imperij corpus ſtare ac librari ſine rectore poſſet; dignus eram, a quo Reſp. inciperet.

I*MMENSVM imperij corpus ſtare ac librari ſine rectore non poteſt. Mole enim ſua ruit.*

Nunc eo neceſſitatis iampridem ventum eſt, vt nec mea ſenectus conferre plus Populo Rom. poſſit, quàm bonum ſucceſſorem; nec tua plus iuuenta, quàm bonum principem.

S*ATIS ſuperq. munia ſua explet Princeps ſenex, conferendo Reipublicæ bonum ſucceſſorem: & ſatis etiam ſucceſſor iuuenis, conferendo bonum Principem.*

Sub Tiberio & Caio, & Claudio, vnius familiæ quaſi hereditas fuimus: loco libertatis erit, quod eligi cœpimus.

Q*VI Principibus hereditarijs ſeruire conſueuerunt: loco libertatis reponere debent, quod eos eligere incipiant.*

Et finita Iuliorum Claudiorumq. domo, optimum quemque adoptio inueniet. Nam generari & naſci a principibus, fortuitum nec vltra æſtimatur: adoptandi iudicium integrum; & ſi velis eligere, conſenſu monſtratur.

G*ENERARI & naſci a Principibus fortuitum eſt, vt dicit Galba, nec vltra æſtimatur: adoptandi vero iudicium eſt integrum; & ſic velis eligere, conſenſu monſtratur. Hinc ſtudere deberent,*

deberent, qui ſic naſcuntur, ſe ita gerere, vt digni etiam qui ad imperandum eligerentur, apparerent. Si enim luxui ac inertiæ ſe tradunt, quod a maioribus ipſorum virtute eſt partum, ab illis amittitur. Et principatus in optimatium ſtatum deſinit, ac conuertitur. Ariſt. 7. Politic.

Sit ante oculos Nero, quem longa Cæſarum ſerie tumentem, non Vindex cum inermi prouincia, aut ergo cum vna legione, ſed ſua immanitas, ſua luxuria ceruicibus publicis depulere.

T*YRANNVM longa prædeceſſorum, cui ſanguinis ſerie tumentem, non manus ſubditorum vel coniuratorum, ſed ſua immanitas, ſua luxuria ceruicibus publicis depellunt. Huc pertinent carmina illa pulcherrima ab Hieronymo Olgiato compoſita in Ioannem Galeatiũ Sfortiam interfectum,*

Quem non armatæ potuerunt mille phalanges
Sternere, priuata Galeaz Dux Sfortia dextra
Concidit: *& quæ ſequuntur.*

Bernardinus Corius in Hiſt. Mediolanenſi.

Neque erat adhuc damnati principis exemplum. Nos bello, & ab æſtimantibus aſciti cum inuidia quamuis, egregij erimus.

Q*VI ab æſtimantibus Principes ad dignitates ob virtutem aſciſcuntur, quamuis ſint egregij, cum inuidia tamen ſunt. Quæ honores ſemper alienos comitatur, vt vmbra ſolem.*

Ne tamen territus fueris, ſi duæ legiones in hoc concuſſi orbis motu nondum quieſcunt. Ne ipſe quidem ad ſecuras res acceſſi: & audita adoptione, deſinam videri ſenex, quod nunc mihi vnum obijcitur.

N*ON debet ferre vi Princeps nouus, ſi in principatus initio aliquid tumultus contra eum oritur. Nam pauci ad res ſecuras accedunt. Sed intrepide debet omnia illa agere, quæ ipſum in principatu conſolidare poſſint, & ſui contemptum amouere.*

Nero a peſſimo quoque ſemper deſiderabitur. mihi ac tibi prouidendum eſt, ne etiam bonis deſideretur.

T*YRANNVS interfectus ſemper a peſſimo quoque deſiderabitur. Princeps, qui ſuccedit, cauere debet ac prouidere, ne etiam a bonis deſideretur. Quod aſſequetur, ſi vt ille vitijs inuiſus ſubditis, ita ipſe virtutibus amabilis reddi ſtudebit.*

Monere diutius neque temporis huius.

C*VM tempus facta, & non verba requirit, hæc ſunt relinquenda illa vero amplectenda.*

& impletum eſt omne conſilium, ſi re bene elegi.

I*N electione viri alicuius ad dignitatem aliquam eximiam: impletur omne conſilium in eligenti, ſi perſonam bene elegit. Vt contra omnia peruertit, in indignum collocando dignitatem.*

Vtiliſſimus quidem ac breuiſſimus bonarum malarumq. rerum dilectus, cogitare, quid aut nolueris ſub alio principe, aut volueris.

E*ST equidem vtiliſſimus, ac breuiſſimus bonarum malorumq. rerum dilectus, cogitare Principem, quid ipſe ſub alio Principe aut voluerit, aut noluerit. O auream ſententiam, & naturæ legis præceptis valde conformem, quæ ex ore veritatis pronunciatur: Neminem alteri facere debere, quod ſibi ipſi fieri non velit. Et ſi hoc in priuato homine tantum ad publicam vtilitatem refert, quid dicemus in Principe? qui humanis legibus eſt ſolutus, cui libitum eſt licitum, & habet pro ratione voluntatem? Hunc in modum conſulit Auguſtum Mæcenas apud Dionem in pulcherrima illa & grauiſſima Oratione, qua eum ad retinendam Monarchiam hortatur. Huc referri debet oraculum illud:*

Noſce teipſum.

Neque enim hinc, vt in ceteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus, & ceteri ſerui: ſed imperaturus es hominibus, qui nec totam ſeruitutem pati poſſunt, nec totam libertatem.

I*N multis gentibus, quæ regnantur, ſolet eſſe certa dominorum domus, & ceteri ſerui: vt Turcarum gens, Moſcorum, & ſimilium. Sed aliquæ ſunt gentes, quæ nec totam ſeruitutem pati poſſunt,*

poſſunt, nec totam libertatem: quibus qui imperat, acri ſit ingenio, & magno animi vigore, magnaq. prudentia praditus, oportet.

Et Galba quidem, hæc ac talia, tamquam principem faceret; ceteri tamquam cum facto loquebantur. Piſonem ferunt ſtatim intuentibus, & mox coniectis in eum omnium oculis, nullum turbati, aut exultantis animi motum prodidiſſe.

F*IRMVS eſt ille vere animo, qui ad maxima proſperitatis nuncium, nullum exultantis, aut turbati animi motum prodit. Compoſitionem enim magnam & exactam affectuum oſtendit. Talem ferunt ſe geßiſſe GREGORIVM XIII. cum illi Cardinali in conclaui exiſtenti, nuncius de eius creatione, a nonnullis Cardinalibus perlatus eſſet.*

Sermo erga patrem imperatoremq. reuerens, de ſe moderatus, nihil in vultu habituq. mutatum: quaſi imperare poſſet magis quàm vellet.

E*XPRIMITVR qualis eſſe debeat actio magni alicuius viri, qui a Principe ad aliquam dignitatem ſublimiorem prouehitur: Nempe vt erga Imperatorem & Principem ſermone vtatur reuerenti; de ſe moderato, nihil in vultu habituq. mutetur: quaſi imperare poßit magis quàm velit.*

Conſultatum inde, pro roſtris, an in ſenatu, an in caſtris adoptio nuncuparetur. Iri in caſtra placuit. honorificum id militibus fore, quorum fauorem vt largitione & ambitu male acquiri, ita per bonas artes haud ſpernendum.

F*AVOR militum, vt largitione & ambitu male acquiritur, ita per bonas artes haud eſt ſpernendus. Idem de omnibus alijs vniuerſitatibus, & Principibus dici poteſt; in quorum manu eſt dare aliquid, aut eripere. Nam vt ait Philoſophus, vera laus eſt mereri, non acquirere honores: primum enim in nobis poſitus eſt, ſecundum in aliorum voluntate; quam per malas artes acquirere, vir fortis ac ſapiens neſcit; nec ſi ſaperet, vellet. Et Roma hac regula multum in praxi exercetur.*

Circumſteterat interim palatium publica exſpectatio magni ſecreti impatiens.

E*XPECTATIO publica ſemper eſt magni ſecreti impatiens: ob varietatem affectuum, quibus ſcinditur incertum ſtudia incontraria vulgus.*

Et male coercitam famam ſupprimentes augebant.

F*AMA male coercita, cum ſupprimitur, augetur. Acrius enim oritur deſiderium intelligendi: & natura fert, vt Nitâmur in vetitum ſemper, cupiamusq. negata: teſte Lyrico noſtro vate. Quicumque Romæ in tempore ſedis vacantis, cum clauſum eſt conclaue, fuit, huius ſententiæ experientiam probe nouit.*

Quartum idus Ianui fœdum imbribus diem, tonitrua & fulgura & cæleſtes minæ vltra ſolitum turbauerant. Obſeruatum id antiquitus comitijs dirimendis, non terruit Galbam, quo minus in caſtra pergeret: contemptorem talium vt fortuitorum.

N*ISI homo contemptor fortuitorum ſit, numquam vera animi tranquillitate fruitur.*

Seu quæ fato manent, quamuis ſignificata, non vitantur.

Q*VAE fato manent, quamuis ſignificata, non vitantur. Pietas equidem Chriſtiana, ac religio noſtra vetat hoc affirmare, quæ nec fatum, nec neceßitatem aliquam in voluntates noſtras admittit. Tamen mirum dictu eſt, quàm ſæpe vſu eueniat hoc, quod hic inquit Tacitus. Huc pertinet ſcitum illud: Ducunt volentes, trahunt nolentes fata. In Cæſare, in Galeatio Sfortia Duce Mediolani patuit hoc. In Hieronymo Morono erga Piſcaria Marchionē recentioribus temporibus: Hiſtoria patent.*

Apud frequentem militum concionem, imperatoria breuitate, adoptari a ſe Piſonem exemplo diui Auguſti, & exemplo militari, quo vir virum legeret, pronunciat.

I*MPERATOREM in loquendo decet breuitas. Pulchram huius rei rationem affert Demetrius Phalereus lib. i. de elocutione. Nam præcepta & iuſsiones, inquit, quæ decent Principes, breuibus verbis formantur: preces autem, quæ humilioribus conueniunt, longæ, & copioſæ eſſe debent, ad commouendum.*

Ac ne diſſimulata ſeditio in maius crederetur, vltro aſſeuerat,

R*ES dißimulata in maius creditur. Simile ſupra proxime: Et male coercitam famam ſupprimentes augebant.*

Quartam & duodeuiceſimam legiones, paucis ſeditionis auctoribus, non vltra verba ac voces erraſſe, & breui in officio fore.

LEVIS eſt ſeditio militum cum non vltra verba ac voces errant: & ſperandum eſt de his, quòd breui in officio redeant.

Nec vllum orationi aut lenocinium additum aut pretium.

INTEMPESTIVAE virtutes ſæpe nocent. Tempori enim aliquando prudentem aptare ſe conuenit: præſertim eum multitudinem imperitorum hominum plenam regit, ac gubernat.

Tribuni tamen Centurionesq. & proximi militum gratabundi reſpondent. per ceteros mæſtitia ac ſilentium, tamquam vſurparam etiam in pace donatiui neceſſitatem, bello perdidiſſent.

IVRE merito cauſſam habent illi milites mæſtitiæ, & ſilentij, qui bello perdunt præmia, quæ etiam in pacis tempore habere ſueuerunt: eum in hoc plus multo poſſint, & mereantur, quàm in illius tempore.

Conſtat potuiſſe conciliari animos, quantulacumque parci ſenis liberalitate. Nocuit antiquus error & nimia ſeueritas, cui iam pares non ſumus.

NOCET virtus ea eo tempore, cui iam pares non ſumus. Et ideo in corrupta ciuitate, ſi quis ſtatim velit res ad priſcum morem reducere, ſibi exitium, fruſtrato conatu ſuo, proculdubio parit.

Inde apud ſenatum non comptior Galbæ, non longior quam apud milites ſermo:

NON eadem & eodem modo loqui cum omnibus conuenit. Nam cum militibus decebit Principem forſan & breuem & incomptum eſſe, cum ſenatu vero non. Proinde oportet Principem eſſe verſatilem ingenio, vt cum dignitate, & ſui decoro omnibus ſatisfaciat.

Piſonis comis oratio.

SVCCESSORIS noui in principatu, ſemper debet eſſe comis oratio, vt bonam de ſua humanitate ſpem in animis ſubditorum iaciat.

Et patrum fauor aderat, multi voluntate effuſius, qui noluerant medie,

QVI noluerunt aliquem eſſe principem, hi poſtquam ille electus eſt voluntate effuſius ceteris gratulantur, & gaudere ſe ſimulant.

Ac plurimi obuio obſequio priuatas ſpes agitantes, ſine publica cura.

APVD Principem plurimi hominum ſemper obuio obſequio priuatas ſpes agitant, ſine publica cura. Et tunc ſe male res in ciuitate habent.

Nec aliud ſequenti quatriduo, quod medium inter adoptionem & cædem fuit, dictum a Piſone in publicum, factumve. Crebrioribus in dies Germanicæ defectionis nuncijs, & facili ciuitate ad accipienda credendaq. omnia noua, cum triſtia ſunt,

CIVITAS eſt facilis ſemper ad accipienda, credendaq. omnia noua eum triſtia ſunt.

Cenſuerant patres mittendos ad Germanicum exercitum legatos. agitatum ſecreto, num & Piſo proficiſceretur maiore prætextu: illi auctoritatem ſenatus, hic dignationem Cæſaris laturus.

IN legatione, quæ ad Principem aliquem, vel Rempublicam mittitur honoris cauſſa; delegendi ſunt viri, qui & auctoritatem, & dignationem magnam præ ſe ferunt.

Placebat & Laconem prætorij præfectum ſimul mitti. Is conſilio interceſſit. Legati quoque, nam ſenatus electionem Galbæ permiſerat, fœda inconſtantia nominati, excuſati ſubſtituti, ambitu remanendi aut eundi, vt quemque metus, vel ſpes impulerat.

FERE ſemper in omni legatione, quæ eligitur ad Principem a ſenatu conſpicitur hæc inconſtantia fœda; vt aliqui nominentur, alij excuſentur: nonnulli ſubſtituantur, ambitu remanendi vel eundi, vt quemque metus vel ſpes impellit.

Proxima

Proxima pecuniæ cura.

IN cunctis negotijs magni momenti, pecunia cura, ſi non prior, certe ſemper eſt proxima.

Et cuncta ſcrutantibus iuſtiſſimum viſum ſt, inde repeti, vnde inopiæ cauſſa erat.

CVM opus eſt Principi pecunia in aliquo negotio, quod ipſi vel reipublica maxime conducat: iuſtiſſimum eſt, eam repeti inde, vnde inopia cauſſa emerſit.

Bis & vicies mille ſeſtertium dominationibus Nero effuderat. Appellari ſingulos iuſſit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. At illis vix decumæ ſuper portiones erant: ijsdem erga aliena ſumptibus, quibus ſua prodegerant,

PRODIGORVM eſt hac natura, vt ijſdem erga aliena ſumptibus abutantur, quibus ſua prodegerunt.

cum rapaciſſimo cuique ac perditiſſimo, non agri aut fenus, ſed ſola inſtrumenta vitiorum manerent.

RAPACISSIMORVM ac perditiſſimorum hominum in ciuitatibus hac eſt natura, vt illis non agri, non fenus, ſed ſola inſtrumenta vitiorum maneant. Ab his ſemper caueant Principes: ob egeſtatem enim & luxum, nouarum rerum ſemper erunt cupidi.

Exactioni * xxx. equites Romani præpoſiti, nouum officij genus, & ambitu ac numero onerosum: vbiq. haſta, & ſector, & inquieta vrbs actionibus.

CAVEAT, Princeps, ne cum nouum aliquod officij genus introducere cogitur, quod per ſe ſemper ſolet eſſe graue; id reddat ambitu, & numero magis oneroſum. Nam Vrbem & populum efficiet inquietum & turbatum.

Attamen grande gaudium, quòd tam pauperes forent: quibus donaſſet Nero quàm quibus abſtuliſſet.

SOLATIVM non leue miſeris ſubditis tyrannis hoc ſolet eſſe: cum poſt eorum mortem, illi, quibus donarunt indigne ob fœda & ſceleſta miniſteria, ſpoliantur a ſucceſſoribus: & tam pauperes redduntur, quàm illi, quibus abſtulerunt.

Exauctorati per eos dies tribuni, e prætorio Antonius Taurus, & Antonius Naſo: ex vrbanis cohortibus, Æmilius Pacenſis: e vigilijs, Iulius Fronto. Nec remedium in ceteros fuit, ſed metus initium: tamquam per artem & formidinem pellerentur omnibus ſuſpectis.

ARS eſt hac Imperatoris & Principis laudanda: vt quando in legione, collegio, aut vniuerſitate aliqua, plures vel omnes ſuſpectos habet, ſingulos pellat, nec omnes ſimul.

Interea Othonem, cui compoſitis rebus, nulla ſpes omne in turbido conſilium, multa ſimul extimulabant: luxuria etiam principi oneroſa, inopia vix priuato toleranda, in Galbam ira, in Piſonem inuidia. Fingebat & metum, quo magis concupiſceret.

FATENDVM eſt hunc infeliciſſimũ eſſe, in quo hac concurrant. Nempe, vt rebus compoſitis, nulla ſit illi ſpes: ſed omne in turbido conſilium: extimuletur hinc a luxuria etiam Principi oneroſa, illinc ob inopia vix priuato toleranda. In Principum ira accendatur, in æmulum inuidia tabeſcant. Denique metum fingat, quo magis concupiſcat.

Prægrauem ſe Neroni fuiſſe. Nec Luſitaniam rurſum aut alterius exilij honorem expectandum: ſuſpectum ſemper inuiſumq. dominantibus, qui proximus deſtinaretur.

SEMPER eſt ſuſpectus & inuiſus dominantibus, qui proxime deſtinatur. In promptu eſt ratio: dubitat enim ſemper qui rerum potitur, ne ille, qui deſtinatur, optet ſibi mortem, vt quantocius ipſe dominetur. Hinc eum tamquam ſibi malum augurantem, opus eſt, vt odio proſequatur, aut ſaltem amore non diligat. Exempla non apponimus, quia luce clariora multa occurrent lectori in legendo.

Nocuiſſe id ſibi apud ſenem principem: magis nociturum apud iuuenem, ingenio trucem, & longo exilio efferatum.

VIRI ingenio truces, longo exilio efferantur.

Occidi Othonem poſſe. proin agendum audendumq. dum Galbæ auctoritas fluxa, Piſonis nondum coaluiſſet.

IN ætatibus hoc diſcrimen reperitur; vt ſenes auctoritatem habeant, ſed fluxam: Iuuenes infirmam, quæ nondum coaluerit. Proinde viri in media ætate exiſtentes, ſunt ad res gerendas optimi. Ariſt. in 2. Rhet.

Opportunos magnis conatibus tranſitus rerum: nec cunctatione opus, vbi pernicioſior ſit quies, quàm temeritas.

MAGNIS conatibus ſunt opportuni tranſitus rerum: nec cunctatione eſt opus, vbi pernicioſior eſt quies, quam temeritas. Eget tamen magno iudicio hæc res: nec vir ſapiens leui timore adductus debet ſe in caſum dare: ſi vero res eo deducta fuerit, vt aut alteri inferre, vel ab illo pati damnum debeat: tunc certe præueniendum eſt: tam iuſta enim eſt illa defenſio, quæ adhibetur erga perniciem illatam, quam erga inferendam. Et ſi hæc celeritas eſt vtilis in multis rebus, certe in coniurationibus eſt vtiliſſima, & quaſi neceſſaria: vtpote quæ tractu temporis panduntur, & exitium acquirunt iis, qui eas tractauerunt.

Mortem omnibus ex natura æqualem, obliuione apud poſteros, vel gloria diſtingui.

MORS omnibus eſt natura æqualis, obliuione apud poſteros vel gloria diſtinguitur: quæ præſertim de ratione, tot ſuſcipiuntur labores, tot ſtudia, tot pericula, quàm vt hac gloria & memoria fruamur. Quæ ſola animos, mentemq. perurit, vt diſerte canit Valerius Flaccus in. 1. Argonauticon. Et Cicero elegantiſſime in Oratione pro Archia Poeta: Nullam aliam &c. quæ ſequuntur. Nec dubium eſt, ingenia ea, quæ alte non ſuſpiciunt, tranquilliorem ac quietiorem vitam agere, cum procul a curis, ac ærumnis degant: contra ſublimia ingenia ſemper anguſtiis ac mæroribus, & curis conflictari, & in ingentibus laboribus verſari. Tamen inter ea eſt hæc differentia; quòd prima naturam pecudum ſapiunt: ſecunda Angelis & vt dicam Deo proximiora ſint. Vide Salluſtium in Proœmio Coniurat: Catil.

Ac ſi nocentem innocentemq. idem exitus maneat, acrioris viri eſſe, merito perire.

CVM idem exitus manet nocentem, & innocentem: acrioris certe viri eſt, merito perire. Tamen iuſtioris & ſapientioris non. In hanc ſententiam Socrates reſpondit Xantippæ vxori.

Non erat Othonis mollis & corpori ſimilis animus.

NON ſemper molli corpori eſt mollis animus. Sed raro hoc contingit. Vnde illud reſponſum Cæſaris: Non ab his nitidis, vel Antonio ac Dolabella, ſed ab his pallidis, & macilentis Brutum & Caſſium innuendo, verendum eſt. Plutarchus in Cæſare, Bruto, & Antonio.

Et intimi libertorum ſeruorumq. corruptius, quàm in priuata domo habiti,

NVMQVAM a priuato viro familia habenda eſt corruptius, quàm in priuata domo conueniat.

aulam Neronis, & luxus, adulteria, matrimonia * ceteraſq. regnorum libidines auido talium, ſi auderet, vt ſua oſtentantes: quieſcenti vt aliena exprobrabant.

ARS mira eſt hæc accendendorum affectuum in homine imperii & dominationis cupido oſtentare ſcilicet luxus, adulteria, & omnes regni libidines, auido ingenio talium: & ſi audet, vt ſua offerre: ſi quieſcit, vt aliena exprobare. Quæ ars a ſceleſtis ſolum exercebitur, non a viris probis.

vrgentibus etiam mathematicis, dum nouos motus & clarum Othoni annum obſeruatione ſiderum affirmant. genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra & vetabitur ſemper & retinebitur.

MATHEMATICI, hoc nomine comprehenduntur omnes genethliaci, aſtrologi: & ſimiles, ſunt genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax. In abruptas enim ſpes miſeros homines

mines & ambitioſos inducunt, vnde oriuntur coniurationes, coitiones & alia mala. Prudentiſſime Mecenas apud Dionem Auguſto ſuadet, vt eos expellat e ciuitate. Et prudentiſſime SIX. V. primo ſui Pontificatus anno, hanc peſſimam artem exerceri interdixit. Vnde ſecutum eſt, quod vetati ſunt, & non retenti. Qui tamen vellet eis penitus exiſtimationem adimere, imprimi curare deberet omnia eorum prognoſtica elapſa. Tam longe enim a vero aberraſſe perſpicerentur, vt qui illis crederet, nemo amplius inueniretur.

Multos ſecreta Poppææ mathemaricos peſſimum principalis matrimonij inſtrumentum, habuerant e quibus Ptolomæus Othoni in Hiſpania comes, cum ſuperfuturum eum Neroni promiſiſſet, poſtquam ex euentu fides coniectura iam & rumore, Senium Galbæ, & iuuentam Othonis computantium, perſuaſerat fore, vt in imperium aſciſceretur.

HOC ſequitur ex verbis alicuius, cui in aliqua re euentus reſponderit, vt in ceteris, quæ aſſerit, illi habeatur fides.

Sed Orho tamquam peritia, & monitu fatorum prædicta accipiebat, cupidine ingenij humani libentius obſcura credi.

HVMANI ingenij cupidine, libentius obſcura creduntur. Inexplebilis eſt in homine ſciendi cupido: a natura enim ſecundum Philoſophum fertur hoc deſiderium: ſed omnia non licet, nec fas eſt perſcrutari: nam multa caliginoſa nocte premit DEVS, vt inquit Horatius, quæ mortalibus nullo pacto recluſa eſſe poſſunt. Ergo prudentis eſt acquieſcere: & Chriſtiana fides hoc requirit. Dantes pulcherrime:

Stateui fermi humana gente al Quia.

Nec deerat Ptolomæus, iam & ſceleris inſtinctor, ad quod facillime ab eiuſmodi voto tranſitur. Sed ſceleris cogitatio incertum an repens, ſtudia militum iam pridem ſpe ſucceſſionis, aut paratu facinoris affectauerat.

NVLLIBI apud alium auctorem reperitur copioſius & elegantius deſcripta ars viri alicuius, qui eripere alteri imperium velit, quàm hic in perſona Othonis effingat Auctor noſter. Proinde tenenda eſt menti, multum enim Lucis afferet, ad dignoſcendum, ſi quis talia conabitur vmquam.

In itinere, in agmine, in ſtationibus, vetuſtiſſimũ quemque militum nomine vocans, ac memoria Neroniani comitatus, contubernales appellando, alios agnoſcere, quoſdam requirere, & pecunia aut gratia iuuare: inſerendo ſæpius querelas, & ambiguos de Galba ſermones, queque alia turbamenta vulgi.

QVIBVS modis turbetur vulgus, opportet vt calleat ille, qui res innouare vult & principatũ extorquere. Qui modi fere ad hæc tria capita reducuntur: bonitatem, liberalitatẽ, & audaciam.

Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperij, atrocius accipiebantur, cum Campaniæ lacus & Achaiæ claſſibus adire ſoliti Pirenæum & Alpes, & immenſa viarum ſpatia, ægre ſub ærmis eniterentur.

CVM ſemel otij & laſciuia dulcedo in exercitum intrauit, difficillimum poſtea eſt ad diſciplinæ ſeueritatem trahere, & in armis retinere.

Flagrantibus iam militum animis, velut faces addiderat Meuius Prudens e proximis Tigellini.

ALIQVIS ſemper præcipuus ſit in numero ſeditioſorum, qui flagrantibus ceterorum animis veluti faces ſubdat; ad hoc vt ſeditio longe lateq. ardeſcat. Porro talis incitator vt opportunus & neceſſarius maxime eſt illi, qui res nouas cupit: ita ſeditionis extinctori primus eſſe debet, qui e medio tollatur.

is mobiliſſimum quemq. ingenio, aut pecuniæ indigum, & in nouas cupiditates præcipitem alliciendo,

ALLICIVNTVR facile in coniuratione mobiliſſimi ingenij, pecuniæ indigi, & in nouas cupiditates præcipites.

eo paulatim progreſſus eſt, vt per ſpeciem conuiuij quoties Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenri, Viritim centenos nummos diuideret. quam velut publicam largitionem, Otho ſecretioribus apud ſingulos præmijs intendebat.

LARGITIONES publicæ intenduntur ſecretioribus apud ſingulos præmijs.

adeo animoſus corruptor, vt Cocceio Proculo ſpeculatori de parte finium cum vicino ambigenti vniuerſum vicini agrum ſua pecunia emptum dono dederit.

CVM maxima audacia requiratur in illo, qui Principi viuenti principatum eripere conatur: ſequitur, vt neceſſario ſit animoſus corruptor.

per ſecordiam præfecti, quem nota pariter & occulta fallebant.

VERE eſt ſecors ille dux & præfectus militum, quem nota pariter & occulta fallunt. Proinde Princeps prudens, talia munia numquam mandet niſi ſolertibus & ſtrenuis viris.

Sed cum libertis Onomaſtum futuro ſceleri præfecit, a quo barbium Proculum * Teſſerarium ſpeculatorum, & Veturium Optionem * eorundem perductos, poſtquam vario ſermone callidos, audacesq. cognouit, pretio & promiſſis onerat, data pecunia ad pertentandos plurium animos.

SIC ſolent ſe gerere ſeditionum auctores: Antequam ceteris arcanum communicent, varios ſermones inducunt, ad cognoſcendum, an ſint audaces & callidi: poſtea pretio & promiſſis onerant; pertentando pecunia ceterorum animos.

Suſcepere duo manipulares imperium Pop. Ro. transferendum, & traſtulerunt.

MIRANDA res & conſideratione digniſſima: quòd duo milites manipulares ſuſceperint imperium Pop. Rom. transferendum & traſtulerint. Tantum poteſt audacia & erga Principem odium & contemptus.

In conſcientiam facinoris pauci aſciti; ſuſpenſos ceterorum animos diuerſis artibus ſtimulant; primores militum per beneficia Nymphidij vt ſuſpectos: vulgus & ceteros, ira & deſperatione dilati toties donatiui erant quos memoria Neronis, ac deſiderium prioris licentiæ accenderet. in commune omnes metu mutandæ militiæ terrebantur.

SEMPER in magna & valida coniuratione hoc euenit: vt coniurati ipſi diuerſis artibus & cauſſis ſtimulentur in Principis necē: in cōmune autem omnes aliquo præcipuo ſtimulo impellātur.

Infecit ea tabes legionum quoque & auxiliorum motas iam mentes, poſtquam vulgatum erat labare Germanici exercitus fidem.

HAVD multum eſt difficile inficere plene tabe coniurationis in Principem, mentes aliquorum iam motas, & exemplo conſontium impulſas.

adeoq. parata apud malos ſeditio, etiam apud integros diſſimulatio fuit, aut poſtero Iduũ die redeuntem a cæna Othonem rapturi fuerint, niſi incerta noctis, & tota vrbe ſparſa militum caſtra, nec facilem inter temulentos conſenſu timuiſſent.

IN nocte & inter temulentos negotia ſeria agitari non debent. Nam illius incerta, & horum difficilis conſenſus, omnem rei proſperum ſucceſſum tollent.

non Reip. cura, quam fœdare principis ſui ſanguine ſobrij parabant.

CVRA Reipublicæ certe non adeſt illis, qui ſobrÿ fœdare illam ſanguinem ſui Principis parant.

ſed ne per tenebras, vt quiſque Pannonici vel Germanici exercitus militibus oblatus eſſet, ignorantibusq. pleriſque pro Othone deſtinaretur.

IGNORANTIA in multitudine, quæ res nouas audet, adeo potens eſt; vt ſæpe alius pro alio in imperio deſtinetur.

Multa erumpentis ſeditionis indicia per conſcios oppreſſa;

CONSILIVM hoc eſt validum pro omnibus coniuratis, vt erumpentis coniurationis indicia per ſocios opprimant.

quædam apud Galbæ aures præfectus Laco eluſit, ignarus militarium animorum, conſilijq. quamuis egregij, quod non ipſe afferret, inimicus, & aduerſus peritos peruicax.

MILITIBVS non debet præeſſe vir ignarus militarium animorum: qui inſuper ſit conſilÿ, quamuis egregÿ, quod ipſe non afferat, inimicus, & aduerſus peritos peruicax. Quod ſupra etiam de Ceſemiro Pato annotatum eſt.

xviij. Kalend. Febr. ſacrificanti pro æde Apollinis Galbæ, haruſpex Vmbricius triſtia exta, & inſtantes inſidias, ac domeſticum hoſtem prædicit: audiente Othone, nam proximus aſtiterat, idq. vt lætum e contrario, & ſuis cogitationibus proſperum interpretante.

QVI in animo aliquid magni momenti volutat: is omnia quæ audit, ad propoſitum mentis ſuæ referre ſolet, & illi interpretationem, vel lætam, vel aduerſam, prout cadit, tribuere.

Nec multo poſt libertus Onomaſtus nunciat, expectari eum ab architecto & redemptoribus. quæ ſignificatio coeuntium iam militum, & paratæ coniurationis conuenerat.

SOLET eſſe hic mos omnium coniurationum in Principem: aliquo nomine tranſlato ſignificare res ad coniurationem pertinentes, ne a ceteris intelligantur. Sic de nonnullis coniuratis ſcimus, qui antequam patrarent coniurationem in quendam Principem: ad ſignificandum ordinem & tempus paratæ coniurationis; illam nomine venationis nuncupabant; & coniuratos ſignificabant canum nomine.

Otho, cauſſam digreſſus requirentibus, cum emi ſibi prædia vetuſtate ſuſpecta, eoq. prius exploranda finxiſſet, innixus liberto, per Tiberianam domum in Velabrum inde ad Miliarium aureum, ſub ædem Saturni pergit. Ibi tres & viginti ſpeculatores conſalutatum Imperatorem, ac paucitate ſalutantium trepidum, & ſellæ feſtinanter impoſitum ſtrictis mucronibus rapiunt.

IN rebus aggrediendis, multum refert, qua temporis ſit conditio. Si enim impetus requiritur, pauci magna efficient: vt hic Othoni euenit. Si vero tempus terere, & patientiam adhibere conuenit, fruſtra agetur. Hinc Marcelli, & Fabij maxima diuerſitas, & tamen vterque Reipublicæ fuit opportunus & ſalutaris: ratione videlicet temporum, in quæ incurrerunt.

Totidem ferme milites in itinere aggregantur; alij conſcientia, plerique miraculo: pars clamore & gladijs, pars ſilentio, animos ex euentu ſumpturi. Stationem in caſtris agebat Iulius Martialis tribunus. Is magnitudine ſubiti ſceleris, an corrupta latius caſtra, ac ſi contra tenderet, exitium metuens, præbuit pleriſque ſuſpicionem conſcientiæ.

INVENIVNTVR multi in coniurationibus, qui quidem a principio intacti ſunt ex labe: verum poſtquam corruptos ceterorum animos vident, metuentes exitium, ſi contra tendant, præbent ſuo ſilentio ſuſpicionem conſcientiæ pleriſque.

Antepoſuere ceteri quoque tribuni centurionesq. præſentia dubijs & honeſtis.

ET quando non anteponunt homines præſertim vulgares, præſentia dubijs & honeſtis?

Isq. habitus animorum fuit, vt peſſimum facinus auderent pauci; plures vellent, omnes paterentur.

POTEST hoc in caſu omnis Principis per coniurationem interfecti, dici: quòd tale facinus audent pauci, plures volunt, omnes patiuntur.

Ignarus interim Galba & ſacris intentus fatigabat alieni iam imperij deos: cum affertur rumor rapi in caſtra, incertum quem ſenatorem, mox Othonem eſſe, qui raperetur. Simul ex tota vrbe vt quiſque obuius fuerat, alij formidinem augentes, quidam minora vero, ne tum quidem obliti adulationis.

FIDISSIMA comes eſt principatuum adulatio, eos non deſerit quouſque, vel in minima parte durant, ſed poſtquam ruunt abſque vlla ſpe: tunc & ipſa ad ſurgentes & nouos feſtinat.

Igitur conſultantibus placuit tentari animum cohortis, quæ in palatio ſtationem agebat nec per ipſum Galbam, cuius integra auctoritas maioribus remedijs ſeruabatur.

INTEGRA auctoritas Principis maioribus remedijs ſeruanda eſt; ſi enim hoc non valet, omne aliud fruſtra adhibetur remedium. Et idcirco extremo loco reponendum. Sic ſupra de Tiberio lib. i. inquit Auctor: At ſpreto Principe, quod aliud ſubſidium eſſe? & quæ ſequuntur.

Piſo

Piſo pro gradibus domus vocatos in hunc modum allocutus eſt:

ARTIFICIOSA eſt hæc Piſonis oratio, cuius ſcopus eſt, in ſui amorem, & in Othonis odium milites adducere: nec vllum locum intactum relinquit, vnde vtrumque affectum elicere poſſit.

Sextus dies agitur, commilitones ex quo ignarus futuri, & ſiue optandum hoc nomen ſiue timendum erat, Cæſar aſcitus ſum:

OMNES homines ſunt ignari futuri: & ideo Princeps numquã ſcire poteſt dum viuit, ſi optandum, ſiue timendum illi ſit Principatus nomen. Exempla in medium afferre ſuperſedeo plurium, qui per multos annos in principatibus floruerunt: & rerum condicione conuerſa in maximas miſerias inciderunt & vitam miſerrime finierunt. Hinc dictum illud Solonis Craſo, quod dici felix

Ante obitum nemo, ſupremaq. funera debet.

quo domus noſtræ aut Reip. fato, in veſtra manu poſitum eſt. non quia, meo nomine, triſtiorem caſum paueam, vt qui aduerſa expertus cum maxime ducam ne ſecunda quidem minus diſcriminis habere:

QVI eſt expertus eum maxime aduerſa, ducit ne ſecunda quidem minus diſcriminis habere. Inconſtantiam enim humanarum rerum nouit; & hinc compoſito animo illis vtitur, nec futili lætitia eas amplectitur. Vide Senecam, & Plutarchum, de tranquillitate animi.

patris & ſenatus & ipſius imperij vicem doleo, ſi nobis aut perire hodie neceſſe eſt, aut, quod æque apud bonos miſerum eſt, per occidere.

APVD bonos æque miſerum eſt alios occidere, & perire; Chriſtiana Religionis plena ſententia: Templum enim Dei eſt homo, quem quis lædit & violat, Deum lædit & violat.

Solatium proximi motus habebamus, incruentam vrbem & res ſine diſcordia tranſlatas.

POST magnos motus in ciuitate, ſolatium magnum eſt ſeruaſſe illam incruentam, & res ſine diſcordia tranſegiſſe.

Prouiſum adoptione videbatur, vt ne poſt Galbam quidem bello locus eſſet. Nihil arrogabo mihi nobilitatis aut modeſtiæ. neque enim relatu virtutum, in comparatione Othonis, opus eſt.

VIRO inſignibus virtutibus prædito in comparatione flagitioſi & improbi opus non eſt relatione virtutum.

Vitia, quibus ſolus gloriatur,

PRAVAE natura eſt ſignum, & perdita gloriari vitijs: ſic ſupra lib. xi. de Meſſalina Auctor: Cuius infamia apud prodigos nouiſſima voluptas eſt.

euertere imperium, etiam cum amicum imperatoris ageret.

SI vitia alicuius priuati, dum amicum Principis egit, euertere principatum: ecquid erit, cum ipſe exiſtet Princeps? cum ſcilicet omnia quæ volet, poterit; & licentiam parem cum libidine habebit.

Habitune & inceſſu, an illo muliebri ornatu, mereretur imperium?

AVLICVS prudens Romæ viuens, etiam in habitu, inceſſu, & in ornatu ſuo multum adhibere debet curam: nam ſæpe ex his, prout congrua, vel incongrua ſunt, magnam meremur laudem, vel infamiam.

Falluntur, quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit.

CERTE illi falluntur quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit. Vulgus & imperitiores, ſæpe prodigos & luxurioſos appellant liberales: cum ob ignorantiam veri, vocabula recta rebus neſciant imponere: & quod vitium eſt, virtutis nomine inſigniunt. Apud prudentes non æque: cum illa

illa indiſtincte largiatur, & profundat: hac non niſi quando, vbi, & quibus conuenit; cum alijs circumſtantijs, quas Philoſophus in Moralibus percenſet: quem videre licet.

Perdere iſte ſciet, donare neſciet.

SCIVNT plerique perdere, pauci donare. Multa enim requiruntur circumſtantiæ, ad hoc vt virtus recte exerceatur.

Stupra nunc, & commeſſationes, feminarum cætus, voluit animo.

NOMEN Principis, nec locum meretur ille, qui ſolum ſtupra, commeſſationes, & feminarum cœtus voluit animo, & in his flagitijs poſitam principatus ſubſtantiam æſtimat.

hæc principatus præmia putat, quorum libido ac voluptas, penes ipſum ſit; rubor ac dedecus, penes omnes.

ILLICITARVM voluptatum libido & delectatio penes ipſum eſt, rubor & dedecus penes omnes. Inde oriuntur coniurationes, & cædes Principum. Ideo Principes, qui tute regnare volunt, a mulieribus, & bonis ſubditorum ſe abſtineant: cetera ferme erunt in tuto.

Nemo enim vmquam imperium flagitio quæſitum bonis artibus exercuit.

NEMO vmquam imperium flagitio quæſitum bonis artibus exercuit. Dici non poteſt quàm recte æmuletur Salluſtium Tacitus noſter, id in multis alijs locis patet. & præſertim hac in ſententia, quæ mera eſt ratio alterius ſententiæ tradita a Salluſtio, qui ſic inquit: Imperium iiſdem artibus retinetur, quibus quæſitum fuit.

Galbam conſenſus generis humani; me Galba, conſentientibus vobis, Cæſarem dixit.

QVI ab illo, quem humani generis conſenſus dixit Principem, creatur Princeps: is poteſt, & debet haberi, tamquam creatus a conſenſu generis humani & ipſe.

Si Reſp. & ſenatus, & populus, vana nomina ſunt: veſtra, commilitones, intereſt, ne imperatorem peſſimi faciant.

ILLI, ad quos ſpectat electio Principis, debent eniti; & illorum maxime intereſt, ne aliqui ex ſuo cœtu peſſimi Principem eligant. Nam ad cunctos redundabit infamia, & damnum.

Legionum ſeditio aduerſum duces ſuos audita eſt aliquando: veſtra fides famaq. illæſa ad hunc diem manſit. & Nero quoque vos deſtituit, non vos Neronem.

CVM Princeps & dux deſtituit milites, & non illi ducem, vel Principem; tunc poſſunt dicere ipſi & gloriari iure, quòd eorum fides & fama illæſa manſerit.

Minus xxx. transfugæ & deſertores, quos centurionem aut tribunum ſibi eligentes nemo ferret, imperium aſſignabunt?

TVRPE admodum & flagitioſum eſt, quòd perpauci ſeditioſi, quos centurionem vel tribunum ſibi eligentes nemo ferret; imperium vni eripere, & alteri aſsignare audeant.

Admittitis exemplum? & quieſcendo commune crimen facitis?

QVICVMQVE poteſt corrigere aliorum crimina, & non corrigit, ſed quieſcit, commune crimen aliorum ſibi facit.

Tranſcendet hæc licentia in prouincias:

LICENTIA, quæ in primis flagitioſis non corrigitur, tranſcendit ad ceteros & paulatim eo progreditur, vt vniuerſos inficiat.

& ad nos ſcelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt.

CVM Princeps a militibus vel ſubditis interficitur: ſcelerum exitus ad ipſum pertinent: bellorum vero, quæ fere ſemper conſequuntur, ad ipſos milites vel ſubditos.

Nec eſt

Nec eſt plus quod pro cæde principis, quam quod innocentibus datur: ſed proinde a nobis donariuum ob fidem, quàm ab alijs pro facinore accipietis.

CVM præmium æque magnum poteſt quis innocenter conſequi, ac flagitium admittendo: & tam ob fidem ab vno, quàm ab alio pro facinore accipere: ſceleſtus equidem eſt, & perditus, ſi illud mauult conſequi per ſcelus, & facinus, quàm per innocentiam & fidem.

Dilapſis ſpeculatoribus, cetera cohors non aſpernata concionantem, vt turbidis rebus euenit, timore magis, & nonnullo adhuc conſilio,

REBVS turbidis hoc euenit, vt multum timoris adſit, & conſilij parum.

parat ſigna, quod poſtea creditum eſt, inſidijs & ſimulatione.

DE gente ſceleſta, & ſeditione valde infecta nihil vnquam eſt credendum, niſi ſimulatio, & inſidiæ. Et de eo, qui eam coercere vi non poteſt, ſed illius modeſtia ſtare debet; male ſperandum eſt.

Miſſus & Celſus Marius ad electos Illyrici exercitus, Vipſanij in porticu tendentes. Præceptum Amulio Sereno, & Domitio Sabino primipilaribus, vt Germanicos milites e Libertatis atrio accerſerent. Legioni claſſicæ diffidebat, infeſtæ ob cædem commilitonum, quos primo ſtatim introitu trucidauerat Galba.

PRVDENS Princeps raro debet fidere illis, quorum amicos vel propinquos, morte, aut aliquo inſigni damno læſerit.

Pergunt etiam in caſtra prætorianorum tribuni Cerius Seuerus, Subrius Dexter Pompeius Longinus, ſi incipiens adhuc & nondum adulta ſeditio melioribus conſilijs flecteretur.

INCIPIENS adhuc, & nondum adulta ſeditio melioribus conſilijs flecti poteſt. Verum euenit, quod de febre, vulgo Ethica nuncupata, tradunt medici: quæ quidem in ſui initio facillima curatu eſt, ſed difficillima cognitu: vbi vero adoleuit, facillima cognitu, & difficillima curatu euadit. Hinc inuigilent Principes & Imperatores, vt principia ſeditionum tollant.

Tribunorum Subrium & Cerium milites adorti minis, Longinum manibus coercent, exarmantq. quia non ordine militiæ, ſed e Galbæ amicis, fidus principi ſuo, & deſciſcentibus ſuſpectior erat.

PRINCIPI ſuo fidus, deſciſcentibus ſuſpectior eſt. Hinc alium ad eos ſedandos eligere oportet: caret enim hic auctoritate.

Legio claſſica nihil cunctata prætorianis adiungitur. Illyrici exercitus electi. Celſum infeſtis pilis proturbant. Germanica vexilla diu nutauere, inualidis adhuc corporibus, & placatis animis, quòd eos a Nerone Alexandriam præmiſſos, atque inde rurſus longa nauigatione ægros, impenſiore cura Galba refouebat.

CVI inualidum eſt corpus, & animus erga Principem ob beneficium aliquod placatus, hunc non eſt veriſimile, aduerſus eum coniurare: hac enim in re requiritur corporis robur & animi maleuolentia.

Vniuerſa iam plebs palatium implebat, mixtis ſeruitijs, & diſſono clamore, cædem Othonis, & coniuratorum exilium poſcentium, vt ſi in circo ac theatro ludicrum aliquod poſtularent. Neque illis iudicium aut veritas. quippe eodem die diuerſa pari certamine poſtulaturis.

PLEBI non eſt iudicium, nec veritas; quippe eodem die diuerſa pari certamine poſtulat: ſed traditum morem ſeruat quemcumque Principem adulandi, licentia acclamationum, & ſtudijs inanibus. Et veriſſimum huius documentum dedere temporibus Romanorum, Sp. Melius. Sp. Caſſius, Coriolanus & vterque Gracchus: ſicut in Liuio, Dionyſio & Plutarcho videre licet. Ideo nemo res nouas moliatur, fauore plebis innixus: quia dum res ſunt quietæ, tecum viuere, & mori vult: ſed aduententе periculo, deſerit te ac ſolum relinquit. Georgius Scala in Repub. Florentinorum hoc in

expe-

experientia vidit. Ratio eſt; quia rerum nouarum exitus ſunt incerti, & plebs, etſi promiſſorum dulcedine attrahatur, tamen præſentia adeo deſerere non vult, vt futurorum ſpe ſe in caſum det.

ſed tradito more, quemcumque principem adulandi, licentia acclamationum, & ſtudijs inanibus.

VETVS eſt mos, & per longa ſæcula traditus plebi, adulandi quemcumque Principem licentia acclamationum & ſtudijs inanibus. Quem abuſum noſtris temporibus ſuſtulit SIXTVS V. PONT. MAX. inhibendo ſeuero edicto, ne quis promiſcue in vijs, & in templis acclamaret, vt prius ſolebant omnibus Pontificibus exeuntibus in publicum: Viuat Pontifex, verbi gratia, SIXTVS V. viuat Pontifex SIXTVS V.

Interim Galbam duæ ſententiæ diſtinebant. Titus Vinius manendum intra domum, opponenda ſeruitia, firmandos aditus, non eundum ad iratos cenſebat: daret malorum pœnitentiæ, daret bonorum conſenſui ſpatium:

DANDVM equidem eſt ſpatium conſenſui bonorum, & pænitentiæ malorum, ſed id cum neceſſitas & temporis anguſtia non vetat.

Scelera impetu, bona conſilia mora valeſcere.

VERISSIMVM eſt, quòd ſcelera impetu, bona conſilia mora valeſcant. Nam quanto maior rebus cogitatio adhibetur, tanto rectius illa aguntur. Et ratio maiorem obtinet locum. Contra, vbi affectus prædominantur, ſtatim executioni male mandatur. Hinc pænitentia & rubor. Ideo prudens Græculus Auguſto, Alphabetum græcum propoſuit dicendum, quoties iraſceretur, vt ſcilicet rationi tempus daretur domandorum affectuum.

Denique eundi vltro ſi ratio ſit, eandem mox facultatem: regreſſus, ſi pœniteat, in aliena poteſtate.

CVNCTANDVM eſt equidem viro prudenti, cum in eum caſum adducitur, vt ſi contra inimicos pergit, non poſſit pænitentia adductus, regredi; ſi vero ratio ſit eundi, eandem mox habet facultatem.

Feſtinandum ceteris videbatur, antequam creſceret inualida adhuc coniuratio paucorum: trepidaturum etiam Othonem, qui furtim digreſſus, ad ignaros illatus, contatione nunc & ſegnitia terentium tempus, imitari principem diſcat:

QVI vult opprimere coniurationem paucorũ adhuc inualidam, feſtinare debet. Nam hoc modo dux coniurationis adhuc trepidans & quaſi ſemper furtim res moliens, & cum ignaris verſans, poteſt disijci. Vt econuerſo contatione & ſegnitia inimicorum, ſpiritus auget, & imitari Principẽ diſcit. Et hæc ſententia ex his duabus, quæ Galbæ proponebantur, meo iudicio peior erat, & fugienda.

Non expectandum, vt compoſitis caſtris, forum inuadat, & proſpectante Galba, Capitolium adeat: dum egregius imperator, cum fortibus amicis, ianua, ac liminetenus domum cludit, obſidionem nimirum toleraturus.

DVBIVM non eſt, quin ex timiditate, & vilitate aduerſariorũ; vires et animi nobis creſcant. Hanc enim quiſque fugere in caſu ancipiti debet.

Et præclarum in ſeruis auxilium, ſi conſenſus tantæ multitudinis, & plurimum valet, prima indignatio langueſcat.

IN multitudine magna ſeruorum, parum poteſt ſperari de conſenſu: Et in his ſolet facile languere prima indignatio, quæ plurimum valet.

Proinde intuta, quæ indecora:

INTVTA ſunt, quæ indecora. Id in Principe, qui exiſtimatione nititur: ſecus in priuato qui perſæpe vtilitatem decoro anteferre debet, vt ſtatum ſuum tueatur.

Vel ſi cadere neceſſe ſit, occurrendum diſcrimini.

VIR fortis, cum modis omnibus illi eſt cadendum, debet occurrere diſcrimini, & fortiter occumbere.

Id Othoni

Id Othoni inuidioſius, & ipſis honeſtum.

CONSILIA illa ſemper ſunt ſequenda, qua nobis honeſtatem, inimicis inuidiam afferre poſſunt.

Repugnantem huic ſententiæ Vinium, Laco minaciter inuaſit, ſtimulante Icelo, priuati odij pertinacia, in publicum exitium.

PESSIMA res eſt retinere pertinaciam priuati odij in publicum exitium.

Nec diutius Galba cunctatus, ſpecioſiora ſuadentibus acceſſit.

HOC fere ſemper ſequitur, vt cum a diuerſis ſententijs destineamur, tandem illi adhæreamus, quæ ſpecioſior eſt.

Præmiſſus tamen in caſtra Piſo, vt iuuenis magno nomine, recenti fauore, & infenſus T. Vinio, ſeu quia erat, ſeu quia irati ita volebant. Et facilius de odio creditur.

AD reuocandos in fidem, militum, qui deſciuerunt, animos, multum valet Iuuenis magno nomine, recenti fauore, & infenſus illi, quem milites oderunt.

Vix dum egreſſo Piſone, occiſum in caſtris Othonem, vagus primum & incertus rumor, mox vt in magnis mendacijs, interfuiſſe ſe quidam, & vidiſſe affirmabant:

MENDACIORVM hæc eſt natura, vt quando incipiunt; primum vagus & incertus rumor inter homines exeat: mox creſcente mendacio, quidam affirment ſe interfuiſſe, & vidiſſe, qua reuera non viderunt, & quibus non interfuerunt.

credula fama, inter gaudentes, & incurioſos.

INTER gaudentes, & incurioſos fama eſt credula. Ob lætitiam enim homines credunt facile quod cupiunt: Ob incuriam, verum indagare non ſtudent.

Multi arbitrabantur compoſitum, auctumq. rumorem, mixtis iam Othonianis, qui ad euocandum Galbam, læta falſo vulgauerint.

STRATAGEMA eſt hoc ad euocandum inimicum, qui ſe in tuto continet, vulgare læta falſo. Sic ille credendo, nullam curam ſibi habebit, & in inſidias cadet. Veruntamen ars eſt praua & homini probo vitanda.

Tum vero non populus tantum & imperita plebs plauſus & immodica ſtudia, ſed equitum plerique ac ſenatorum, poſito metu, incauti, refractis palatij foribus, ruere intus, ac ſe Galbæ oſtenrare præreptam ſibi vltionem querentes.

METVS reddit homines cautos, & circumſpectos: vt contra ferocia incautos & apertos. Hinc in Galbam a timentibus veniebat deſertio. Poſtquam illum mortuum credebant, ferocia, & mina.

Ignauiſſimus quiſque, & vt res docuit, in periculo non auſurus, nimij verbis, linguæ feroces:

IGNAVISSIMVS quiſque & in periculo non auſurus, nimius eſt verbis, & lingua ferox. Raro fallit hæc regula, nam ſecundum Ariſt. in 2. Rhetoric. placidi ac quieti ſunt terribiliores: & prouerbium Italicum huc vergit. Canis latrans non mordet.

nemo ſcire, & omnes affirmare;

IN magnis populorum motibus & conſternationibus, vbi de Principum vita & nece agitur, hoc ſueuit euenire: vt nemo ſciat & omnes affirment.

donec inopia veri, & conſenſu errantium victus, ſumpto thorace Galba,

ET quo modo non errabit ille, cui adſit inopia veri, & conſenſus errantium.

irruenti turbæ neque ætate neque corpore ſiſtens, ſella leuaretur.

MALE agitur de illo Principe, qui nec ætate, nec corpore ſiſtens, inter irruentem, & infeſtam militum turbam poſitus reperitur.

Obuius

Obuius in palatio Iulius Atticus ſpeculator, cruentum gladium oſtentans, occiſum a ſe Othonem clamauit. Et Galba, Commilito, inquit, quis iuſſit? inſigni animo ad coercendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, aduerſus blandientes incorruptus.

C*ERTE inſignis eſt animus ducis illius ad coercendam militarem diſciplinam, qui minantibus eſt intrepidus, & aduerſus blandientes incorruptus.*

Haud dubiæ iam in caſtris omnium mentes, tantusq. ardor, vt non contenti agmine & corporibus, in ſuggeſtu, in quo paulo ante aurea Galbæ ſtatua fuerat, medium inter ſigna Othonem vexillis circumdarent. Nec tribunis aut centurionibus adeundi locus: gregarius miles caueri inſuper præpoſitos iubebat.

N*ATVRA hæc eſt hominum; vt quiſque quantum poteſt, beneficij in aliquem collocati, vnde præmium magnum ſperat, gratiam in ſe trahere, & cæteris eripere ſtudeat. Hinc oriebatur gregariorum militum Othonis erga ſuos præpoſitos inſolentia.*

Strepere cuncta clamoribus, & tumultu, & exhortatione mutua; non tamquam in populo ac plebe, varijs ſegni adulatione vocibus.

R*ARO in plebe & populo, feruent animi ad res nouas, ſed ſolum ab ipſo exeunt varia voces ſegni adulatione; quæ tempore periculi inſtantis ceſſant omnes.*

Sed vt quemque affluentium militum aſpexerant, prenſare manibus, complecti armis, collocare iuxta, præire ſacramentum, modo imperatorem militibus, modo imperatori milites commendare.

S*IC ſe debent habere res in exercitu, Imperator militibus & milites Imperatori debent eſſe commendati. Hinc enim ſequetur, vt ille pro iſtorum ſalute, iſti pro illius gloria, ſtrenuè agendo, inuicti ſemper & glorioſi manebunt.*

Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, iacere oſcula, & omnia ſeruiliter pro dominatione.

P*RO dominatione adipiſcenda omnia aguntur ſeruiliter, ſic ſupra de Caio loquens: Nihil abnuentem, donec dominationis adipiſceretur. Et de Agrippina Neronis matre, idem: Omnia pro dominatione.*

Poſtquam vniuerſa claſſiariorum legio ſacramentum eius accepit, fidens viribus, & quos adhuc ſingulos extimulauerat, accendendos in commune ratus, pro vallo caſtrorum ita cœpit.

R*ERVM nouarum duces ſic ſe gerere ſolent, primo ſingulos homines extimulant, & ſeducunt: deinde poſtquam fidunt viribus, eos in commune accendunt.*

Quis ad vos proceſſerim commilitones dicere non poſſum:

P*LENA affectuum eſt hæc Othonis oratio, & tota verſatur in accendenda militum ira in Galbam & Piſonem: & augendo eorum in ſe ipſum amore.*

quia nec priuatum me ★ vocari ſuſtineo, princeps a vobis nominatus; nec principem, alio imperante.

C*ERTE nec priuatus dici poteſt, qui eſt nominatus Princeps ab habentibus nominandi poteſtatem: nec Princeps, ſi alius tunc imperat.*

Veſtrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur imperatorem populi Rom. in caſtris, an hoſtem habeatis.

I*N incerto erit ſemper nomen, & poteſtas illius eligentis: cum de ſua electione a reliquis qui conſentire debebunt, dubitabitur.*

Auditisne, vt pœna mea, & ſupplicium veſtrum ſimul poſtulentur? adeo manifeſtum eſt, neque perire nos, neque ſaluos eſſe, niſi vna, poſſe.

F*IDERE inuicem abſque ſuſpicione vlla poſſunt, qui neque perire, neque ſalui eſſe, niſi vna, poſſunt.*

Et cuius leuitaris eſt Galba, iam fortaſſe promiſit: vt qui, nullo expoſcente, tot millia innocentiſſimorum ciuium trucidauerit. Horror animum ſubit, quoties recordor feralem introitum & hanc ſolam Galbæ victoriam, cum in oculis vrbis decumari deditos iuberet, quos deprecantes in fidem acceperat.

DE illo, qui, nullo expoſcente, multa millia innocentiſſimorum ciuium trucidauerit, & iuſſerit decumari in oculis vrbis deditos, quos deprecantes in fidem acceperat; poteſt certa concluſio elici, quòd multo facilius & leuius imperabit vnius & ſimplicis æmuli mortem.

His auſpicijs vrbem ingreſſus, quam gloriam ad principatum attulit, niſi occiſi Obultronij Sabini, & Cornelij Marcelli in Hiſpania, ★ Beruichilonis in Gallia, Fontei Capitonis in Germania, Clodij Macri in Africa, Cingonij in via, Turpiliani in vrbe Nymphidij in caſtris?

MALA ſunt in Principe nouo auſpicia, cædes clarorum & innocentium virorum, de quibus gloriari indignum facinus, & deteſtandum.

Quæ vſquam prouincia, quæ caſtra ſunt, niſi cruenta & maculata? aut vt ipſe prædicat, emendata & correcta? Nam quæ alij ſcelera, hic remedia vocat: dum falſis nominibus, ſeueritatem pro ſæuitia, parſimoniam pro auaritia, ſupplicia & contumelias veſtras, diſciplinam appellat.

FINES vitiorum, & virtutum, adeo ſe attingunt propinquitate, vt ſæpe quæ alij ſcelera vocabunt, nonnulli praua interpretatione, remedia appellabunt. Sic ſeueritas pro ſæuitia, parſimonia pro auaritia; ſupplicia & contumelias militum, pro eorum diſciplina vocare Galbam ſueuiſſe, inquit Otho.

Septem a Neronis fine menſes ſunt, & iam plus rapuit Icelus, quàm quod Polycleti, & Vatinij, & Elij, & alij parauerunt.

HVC reſpicit quod ſupra auctor dixit: Et tamquam apud ſenem feſtinantes. Dubitabat enim Icelus de vita Galbæ: ideo feſtinabat. Aulice tecum loquor.

Minore auaritia, aut licentia graſſatus eſſet T. Vinius ſi ipſe imperaſſet. nunc & ſubiectos nos habuit, tamquam ſuos, & viles vt alienos.

TYRANNICVM equidem eſt, habere amicos, quoad ſubiectionem, & ſeruitium tamquam ſuos: quoad paruum pretium & amorem; tamquam alienos: Hoc eſt illis imperare, vt ſubiectis & ſuis: nullo beneficio & honore proſequi, tamquam alienos.

Vna illa domus ſufficit donatiuo, quod vobis numquam datur, & quotidie exprobratur.

SI ſtomachoſa res eſt exprobrare aliquando datum, quid erit exprobratio quotidiana illius rei, quæ numquam data eſt? Seneca de Benef.

Ac ne qua ſaltem in ſucceſſore Galbæ ſpes eſſet, accerſit ab exilio, quem triſtitia & auaritia ſui ſimillimum iudicabat.

SAEPE Principes habent ambitionem prauam in ſucceſſoribus, cum in illorum manu eſt illos eligere. Sic ſupra lib. 1. Annal. in principio inquit Auctor: Auguſtum deterrima comparatione quæſiuiſſe ſibi gloriam, in Tiberij electione.

Vidiſtis, commilitones, notabili tempeſtate, etiam deos infauſtam adoptionem aduerſantes. Idem ſenatus, idem populi Rom. animus eſt. Veſtra virtus expectatur, apud quos omne honeſtis conſilijs robur, & ſine quibus quamuis egregia, inualida ſunt.

IN virtute hominum ſtat omne robur honeſtis conſilijs, & ſine ipſis, quamuis egregia, ſunt inualida.

Non

Non ad bellum vos, nec ad periculum voco: omnium militum arma nobiſcum ſunt.

SEMPER debet faciles reddere res, quæ per ſe arduæ ſunt, ille, qui oratione ſua aliquos in pericula impellit.

Nec vna cohors togata defendit nunc Galbam, ſed detinet.

CVM numerus defenſorum tuorum adeo paruus & infirmus eſt, vt ab inſurgentibus aduerſarijs, te tutari nequeant: tunc poteſt dici, quòd te potius detineat, quàm defendat.

Cum vos aſpexerit, cum ſignum meum acceperit, hoc ſolum erit certamen, quis mihi plurimum imputet.

AD aucupandam Principis noui gratiam; ſolet eſſe hoc in turbis certamen, quis illorum Principi plurimum imputet: hoc eſt quis maiora ſigna obedientiæ, humilitatis & obſequij conferre poſſit.

Nullus contationi locus eſt in eo conſilio, quod non poteſt laudari, niſi peractum.

NVLLVS locus contationi eſt in eo conſilio, quod non poteſt laudari, niſi peractum. Nam, vbi conſulueris, mature facto opus eſt, inquit Salluſtius: & notandum, quòd ſæpiſſime claudit orationes Tacitus noſter ſententia inſigni. Sic infra lib. iij. Hiſt. in oratione Mutiani, vt videbimus: cum illa ſententia: Nam qui deliberant deſciuerunt.

Aperire deinde armamentarium iuſſit. rapta ſtatim arma, ſine more & ordine militiæ, vt prætorianus, aut legionarius inſignibus ſuis diſtingueretur. Miſcentur auxiliaribus, galeis ſcutisq. Nullo tribunorum, centurionumq. adhortante, ſibi quiſque dux & inſtigator: & præcipuum peſſimorum incitamentum, quòd boni mærebant.

PRAECIPVVM peſſimorum incitamentum eſt, quòd boni marent. Contrarium enim ſemper in ſui contrarij perniciem graſſatur. Inde nihil mirum, ſi quid bonis doloris cauſſa eſt, malos incitet.

Iam exterritus Piſo fremitu crebreſcentis ſeditionis, & vocibus in vrbem vſque reſonantibus, egreſſum interim Galbam, & foro appropinquantem aſſecutus erat: iam Marius Celſus haud læta retulerat. cum alij in palatium redire, alij Capitolium petere, plerique roſtra occupanda cenſerent, plures tantum ſententijs aliorum contradicerent, vtq. euenit in conſilijs infelicibus, optima viderentur, quorum tempus effugerat.

HOC euenit in conſilijs infelicibus, vt optima videantur quorum tempus effugit. Sero ſapiunt Phryges, nec locus eſt arripiendis: ideo antequam aggrediamur aliquid, conſulto opus eſt diligenti.

Agitaſſe Laco, ignaro Galba, de occidendo T. Vinio dicitur, ſiue vt pœna eius animos militum mulceret,

HAVD dubie mulcentur iratorum animi pœna alicuius ab ipſis inuiſi, vt enim ait Philoſophus in ij. Rhet. Melle dulcior eſt iratis animis vindicta de hoſte.

ſeu conſcium Othonis credebat, ad poſtremum vel odio. Hæſitationem attulit locus ac tempus, quia initio cædis orto, difficilis modus:

IN multitudine magna, ſi oritur cædis initium, difficile adhibetur modus.

& turbauere conſilium trepidi nuncij, ac proximorum diffugia, languentibus omnium ſtudijs, qui primo alacres fidem atque animum oſtentauerant.

HVC referri debet illud, quod proxime dixit Auctor: Ignauiſſimus quiſque, & vti res docuit, in periculo non auſurus, &c.

Agebatur huc, illuc Galba, vario turbæ fluctuantis impulſu, completis vndique baſilicis ac templis, lugubri proſpectu. neque populi aut plebis vlla vox, ſed attoniti vultus, & conuerſæ ad omnia aures. non tumultus, non quies, quale magni metus, & magnæ iræ ſilentium eſt.

IN magno metu & in magna ira, non eſt tumultus, nec eſt quies: ſolum ſilentium, & murmuris incerti ſpecies.

Othoni tamen armari plebem nunciabatur. Ire præcipites, & occupare pericula iubet.

SEMPER nocuit differre paratis. Ideo in magnis facinoribus, pericula ſunt ſemper occupanda & præuenienda.

Igitur milites Romani, quaſi Vologeſen, aut Pacorum, auito Arſacidarum ſolio depulſuri, ac non imperatorem ſuum inermem & ſenem trucidare pergerent, diſiecta plebe, proculcato ſenatu, truces armis, rapidis equis forum irrumpunt. Nec illos Capitolij aſpectus, & imminentium templorum religio, & priores & futuri principes terruere, quo minus facerent ſcelus, cuius vltor eſt, quiſquis ſucceſſit.

ETSI mors Principis antiqui a ſubditis interfecti, in vtilitatem ſucceſſoris cedit; tamen ſemper vlciſcetur ſucceſſor interfectores & punibit. Ne videlicet in exemplum tranſeat, interfici impune Principem poſſe, cum & ipſe Princeps ſit. Et pulcherrima eſt hæc Auctoris deploratio in ſcelere militum aduerſus Galbam.

Viſo cominus armatorum agmine, vexillarius comitantis Galbam cohortis, Atilium Vergilionem fuiſſe tradunt, dereptam Galbæ imaginem ſolo affixit. Eo ſigno manifeſta in Othonem omnium militum ſtudia,

NON ſtatim ac in vno tempore omnes coniurati aduerſus Principem ſe produnt. Sed aliqui facinus prius incipiunt: poſtea ſequuntur conſcij, qui occulti fuerant, vt proditionem maiori cum pretio in tempore efferrent. Et tunc omnium ſtudia in Principem manifeſta apparent.

Deſertum fuga populi forum, diſtricta aduerſus dubitantes tela. Iuxta Curtium Lacum, trepidatione ferentium Galba proiectus e ſella, ac prouolutus eſt.

IN vrgentis periculi tempore, omnes fere deſerunt, & amicum & Principem: cui prius, cum res erant proſpera, pollicebantur velle ſe & fortunas & ſalutem pro illius incolumitate prodigere.

Extremam eius vocem, vt cuique odium aut admiratio fuit, varie prodidere.

QVANDO incerta eſt actio aliqua de viro inſigni, quilibet pro libito fingit; vt odium vel admiratio illi eſt, nec verum reperiri facile poteſt.

Alij ſuppliciter interrogaſſe, quid mali meruiſſet? paucos dies exſoluendo donatiuo deprecatum.

NON debemus differre vſque ad vltimam neceſſitatem amicos beneficijs proſequi: ſed antequam ea nobis impendat, illis ſatisfacere debemus. Nam ſecus faciendo, non noſtræ voluntati, ſed neceſſitati potius homines id acceptum referent, nec vllam nobis gratiam habebunt.

Plures obtuliſſe vltro percuſſoribus iugulum, agerent ac ferirent, ſi ita e Rep. videretur. non interfuit occidentium quid diceret.

OCCISORES & coniurati in Principem, cum illum de medio tollunt, parum curæ habent, quid ille dicat: nihil enim illorum intereſt, ſed tantum ſtudent, ne in vita remaneat. Nam quod noſtra non intereſt, id parum curamus.

De percuſſore non ſatis conſtat. quidam Terentium Euocatum, alij Lecanium, crebrior fama tradidit Camurium xv. legionis militem, impreſſo gladio, iugulum eius hauſiſſe.

iſſe. Ceteri crura brachiaq. nam pectus tegebatur, fœde laniauere. pleraque vulnera, feritate & ſæuitia, trunco iam corpori adiecta.

MAXIMA feritas & ſæuitia eſt, in truncum viri & exanimum corpus crudelitatem exercere, & vulnera ipſi inferre.

Titum inde Vinium inuaſere, de quo & ipſo ambigitur, conſumpſerit ne vocem eius inſtans metus,

CONSVMERE ſolet vocem hominis, & eum elinguem reddere inſtans metus & periculum, Sic ſupra lib. xv. Annal. Auctor: Non vox aduerſus ea Fenio, et e. cum a conſcijs conuictus eſt coniurationis in Neronem.

an proclamauerit, non eſſe ab Othone mandatum, vt occideretur. Quod ſeu finxit formidine, ſeu conſcientia coniurationis confeſſus eſt: huc potius eius vita famaq. inclinat, vt conſcius ſceleris fuerit, cuius cauſſa erat.

IN dubio ſemper credendum eſt, illum eſſe ſceleris conſcium, qui ſceleris cauſſa eſt.

ante ædem diui Iulij iacuit, primo ictu in poplitem, mox ab Iulio Caro legionario milite in vtrumque latus tranſuerberatus. Inſignem illa die virum Semptonium Denſum ætas noſtra vidit.

NVMQVAM magnorum ſcelerum exempla in ciuitatum & principatuum reuolutionibus conſpiciuntur, quin illa comitentur & virtutum inſignium facinora.

Centurio is prætoriæ cohortis ad Galbæ cuſtodiam a Piſone additus, ſtricto pugione occurrens armatis, & ſcelus exprobrans, ac modo manu, modo voce, vertendo in ſe percuſſores, quamquam vulnerato Piſoni effugium dedit.

HOC modo debent ſe gerere illi, qui cuſtodia Principis aſſiſtunt: nempe cum periculum vita illi impendet, ſtricto ferro occurrere armatis hoſtibus, & modo voce, modo manu, vertendo in ſe percuſſores, dare effugium Principi.

Piſo in ædem veſtæ peruaſit, exceptusq. miſericordia publici ſerui, & contubernio eius abditus,

SIMILE perfugium fuit Hieronymi Olgiati poſt necem Io. Galeatio Sfortia illatam: & ſimili modo etiam inde extractus mortem obijt. Bernar. Corius in Hiſtor. Medial.

non religione, nec cærimonijs, ſed latebra imminens exitium differebat.

CVM efferatis & immanibus coniuratis, qui ſitiunt Principis ſanguinem, non valent carimonia, non religio locorum, in quos ille perfugit: quia illum ibi etiam interimunt.

cum aduenere, iuſſu Othonis, nominatim in cædem eius ardentes, Sulpicius Florus e Britannicis cohortibus, nuper a Galba ciuitate donatus, & Statius Marcus ſpeculator: a quibus protractus Piſo, in foribus templi trucidatur. Nullam cædem Otho maiore lætitia excepiſſe, nullum caput tam inſatiabilibus oculis perluſtraſſe dicitur: ſeu tum primum leuata omni ſolicitudine mens, vagare gaudio cœperat;

OMNIS ſolicitudo abſit oportet, ad hoc vt mens mortalium vagari gaudio poſſit.

ſeu recordatio maieſtatis in Galba, amicitiæ in T. Vinio, quamuis immitem animum imagine triſti confuderat.

RECORDATIO maieſtatis in Principe, & amicitia in amico, imagine triſti confundit animum interfectoris, quamuis immitem.

Piſonis & inimici & æmuli, cæde lætari, ius faſq. credebat.

FAS non eſt nec ius lætari morte inimici, & æmuli ſecundum Chriſtianam legem, quinimo illos debemus diligere, & illis benefacere.

Præfixa contis capita geſtabantur, inter ſigna cohortium iuxta Aquilam legionis, certatim oſtentantibus cruentas manus, qui occiderant, qui interfuerant, quive vere, quive falſo, vt pulchrum & memorabile facinus iactabant.

CERTARE ſolent ſceleſti in oſtentatione ſuorum facinorum apud nouum Principem, vt cum illo recentem gratiam ineant.

Plures quàm cxx. libellos præmia expoſcentium, ob aliquam notabilem illa die operam, Vitellius poſtea inuenit. omneſq. conquiri & interfici iuſſit, non honore Galbæ, ſed tradito principibus more, munimentum ad præſens, in poſterum vltionem.

SIC Princeps de proditore ſibi commodum acquirit: ad præſens, eius opera ſe munit aduerſus inimicos: in poſterum, delicta eorum punit, & caſtigat.

Alium crederes ſenatum, alium populum. Ruere cuncti in caſtra, anteire proximos, certare cum præcurrentibus, increpare Galbam, laudare militum iudicium, exoſculari Othonis manum: quantoq. magis falſa erant, quæ fiebant, tanto plura facere.

QVANTO magis falſa ſunt quæ fiunt, tanto plura fiunt. Hinc adulatores, qui vere non amant, in blanditiis ac obſequiis multo ſunt effuſiores, quàm veri & ſinceri amici: qui ſatis habent, re ipſa amorem oſtendere, ab inanibus abſtinent. Et tempore aduerſo illi quidem diffugiunt, hi verò ad mortem vſque permanent. Plutarch. De adulatoris ac veri amici diſcrimine.

Nec aſpernabatur ſingulos Otho, auidum & minacem militum animum, voce vultuq. temperans.

PRINCEPS præſertim nouus, nunquam debet aſpernari ſtudia hominum in ſe propenſa, nam eos a ſe abalienaret, ſed tamen conuenit voce vultuq. temperare animos minaces & auidos militum, qui ſemper cæteris licentiores ſunt.

Marium Celſum, conſulem deſignatum, Galba vſque in extremas res amicum fidumq.

TALES debent eſſe veri amici, ſeruare nempe fidem & beneuolentiam amico vſque in extremas res.

ad ſupplicium expoſtulabant, induſtriæ eius, innocentiæq. quaſi malis artibus infenſi.

SCELESTI ſemper ſunt infenſi induſtriæ, & innocentiæ proborum virorum, quaſi malis artibus, nam ſuas, quæ ſunt malæ, æſtimando bonas, ſequitur vt ceteras his contrarias aſpernentur, & odio proſequantur.

Cædis & prædarum initium, & optimo cuique perniciem quæri apparebat. ſed Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum ſcelus, iubere iam poterat.

PRINCIPI recenter ad principatum euecto, nondum poteſt eſſe auctoritas ad prohibenda ſcelera: nam hæc requirit diuturnitatem, poteſt quidem iubere & debet.

Ita ſimulatione iræ, vinciri iuſſum, & maiores pœnas daturum affirmans, præſenti exitio ſubtraxit.

ARS mira eſt hæc eludendi vulgus, quod coercere non poſſis: vt ſi necem alicuius vel damnum importunè flagitat & iniuſte, verum ſimules, & maiora facturum te aſſeueres aduerſus quem odit: interim tamen illum ſupplicio eximis.

Omnia deinde arbitrio militum acta. Prætorij præfectos ſibi ipſi legere: Plotium Firmum e manipularibus quondam, tum vigilibus præpoſitum, & incolumi adhuc Galba partes Othonis ſecurum.

HOS vere nouus Princeps ſublimare debet, & honoribus ac præmijs afficere, qui, incolumi adhuc & regnante prædeceſſore, partes eius ſecuti ſunt. Ab amore enim illius, non a rerum

proſperi-

proſperitate tractos ſe fuiſſe oſtendunt. Iure merito ergo SIX. V. P. M. *& Decium Azzolinum, & Io. Baptiſtam Caſtruccium, & Ant. Mariam Gallum Cardinales creauit, qui ſemper eius partes ſecuti ſunt, & perſonæ eius inſeruierunt, incolumi adhuc* GREGORIO XIII. P. M.

Adiungitur Licinius Proculus, intima familiaritate Othonis, ſuſpectus conſilia eius fouiſſe:

E*X intima alicuius cum altero familiaritate, iuſta oritur ſuſpicio, quòd illius conſilia foueat.*

Vrbi flauium Sabinum præfecere, iudicium Neronis ſecuti, ſub quo eandem curam obtinuerat, pleriſque Veſpaſianum fratrem in eo reſpicientibus. Flagitatum, vt vacationes præſtari centurionibus ſolitæ remitterentur. Namque gregarius miles, vt tributum annuum pendebat. Pars manipulis, pars per commeatus, aut in ipſis caſtris vaga, dum mercedem centurioni exſolueret, neque modum oneris quiſquam, neque genus quæſtus penſi habebat. Per latrocinia & raptus, aut ſeruilibus miniſterijs, militare otium redimebant. Tum locupletiſſimus quiſque miles, labore ac ſæuitia fatigari, donec vacationem emeret.

D*VABVS his rebus potiſſimum fatigatur miles; labore, & ducum ſæuitia.*

Vbi ſumptibus exhauſtus, ſecordia miſer elanguerat, inops pro locuplete, & iners pro ſtrenuo in manipulum redibat, ac rurſus, atque alius, eadem egeſtate ac licentia corrupti, ad ſeditionem & diſcordias, & ad extremum, bella ciuilia ruebant.

V*VLGVS, quod egeſtate ac licentia corruptum eſt, ad ſeditionem & diſcordias, & ad extremum ad bella ciuilia ruit.*

Sed Otho, ne vulgi largitione centurionum animos auerteret, ex fiſco ſuo vacationes annuas exoluturum promiſit:

M*AXIMAM ſemper curam adhibeat princeps nouus, qui ope & militum primitorum, & centurionum, & ducum ad id faſtigium euectus eſt, omnibus, in quantum poteſt ſatisfaceret, neque in re aliqua animos vnius partis, ob alteram a ſe vertat.*

rem haud dubie vtilem, & a bonis poſtea principibus, perpetuitate diſciplinæ, firmatam.

D*VBIVM non eſt, quòd inuenta à Principe ad vtilitatem principatus, ſemper firmentur a ſucceſſoribus, perpetuitate diſciplinæ, ſi boni ſunt a bonis, ſi mali a malis, dummodo id imperio conducat.*

Laco præfectus, tamquam in inſulam ſeponeretur, ab euocato, quem ad cædem eius Otho præmiſerat, confoſſus.

O*CCVLTE ſemper fieri ſolent, & ſub diuerſo prætextu, a Principibus, omnia illa, quæ in illo ſæuitiam arguere, & odium apud gentes conſtare poſſunt.*

In Martianum Icelum, vt in libertum, palam animaduerſum. Exacto per ſcelera die, nouiſſimum malorum fuit lætitia.

V*ERE, cum dies, per ſcelus exigitur, extremum malorum eſt lætitia: arguitur enim quòd omnes ferè ſunt ſceleſti. Probi enim viri numquam e ſceleribus lætitiam capiunt.*

Vocat ſenatum prætor vrbanus, certant adulationibus ceteri magiſtratus. Accurrunt patres, decernitur Othoni tribunitia poteſtas, & nomen Auguſti, & omnes principum honores, annitentibus cunctis abolere conuicia ac probra, quæ promiſcue iacta hæſiſſe animo eius nemo ſenſit. Omiſiſſet tot offenſas, an diſtuliſſet, breuitate imperij in incerto fuit.

S*AEPE breuitas Imperij alicuius Principis relinquit in incerto, qualis futurus eſſet in regimine: mutatur enim facile Principes ab vna in alteram naturam: vt ſupra de Tiberio vidimus.*

Otho, cruento adhuc foro, per ſtrages iacentium, in Capitolium atque inde in palatium vectus, concedi corpora ſepulturæ, cremariq. permiſit. Piſonem Verania vxor, ac

frater

frater Scribonianus, T. Vinium Criſpina filia compoſuere, quæſitis redentisq. capitibus, quæ Venalia interfectores ſeruauerat. Piſo vnum & triceſimum ætatis annum explebat, fama meliore quàm fortuna.

NON habet imperium in fama hominum fortuna. Ideo multi, etſi illa ipſis aduerſatur, bona fama vigere conſpiciuntur.

Fratres eius magnum Claudius, Craſſum Nero interfecerat. Ipſe diu exul, quatriduo Cæſar properata adoptione, ad hoc tantum maiori fratri prælatus eſt, vt prior occideretur.

INFELIX eſt illa prælatio alicuius, quæ tantum in eo verſatur, vt prius mortem ſubeat.

T. Vinius xlvij. annos varijs moribus egit.

VERE ſapiens, ſemper vnum & eundem tenorem vitæ ſeruat, eoſdem mores ſemper retinet: numquam non cum virtute progreditur. At vulgus hominum ætatem ſuam varijs moribus ſemper agit.

Pater illi e prætoria familia, maternus auus e proſcriptis. Prima militia infamis, Legatum Caluiſium Sabinum habuerat: cuius vxor, mala cupidine viſendi ſitum caſtrorum, per noctem militari habitu ingreſſa, cum vigilias & cetera militiæ munia eadem laſciuia tentaſſet; in ipſis principijs ſtuprum auſa,

RARO mulier curioſa inuenitur, quæ & impudica non ſit.

& criminis huius reus T. Vinius arguebatur.

CRIMEN magnum eſt & infamia dignum, polluere & adulterio corrumpere ſui ducis vxorem.

Igitur iuſſu C. Cæſaris oneratus catenis. mox mutatione temporum dimiſſus, curſu honorum inoffenſo, legioni poſt præturam præpoſitus, probatusq. ſeruili deinceps probro reſperſus eſt, tamquam ſcyphum aureum in conuiuio Claudij furatus. Et Claudius poſtera die ſoli omnium Vinio fictilibus miniſtrari iuſſit. Sed Vinius proconſulatu Galliam Narbonenſem ſeuere integreq. rexit.

IN multis hoc conſpicitur, vt qui antea probroſam & flagitioſam ætatem vixerint, ad Magiſtratus poſtea aſſumpti, eos integre ſancteq. adminiſtrent. Raro tamen hoc contingit. Sic idem ſupra de Othone.

Mox Galbæ amicitia in abruptum tractus.

PRINCIPVM amicitia multos ſæpe in abrupta trahunt: cum illorum enim ſtrage ruunt & ipſi. Ideo prudentes cum Principe tamquam cum igni agent: a quo non adeo aberunt, vt illius calore foueri non poſſint: nec ſic illi appropinquabunt, vt illius incendio etiam ipſi conflagrent.

audax, callidus, promptus, & prout animum intendiſſet, prauus aut induſtrius, eadem vi.

IN pleriſque hodiernis Aulicis viſuntur hæ T. Vinij qualitates: nempe, vt ſint audaces, callidi, prompti, & prout animum intenderint, praui, aut induſtrij eadem vi: Sic ferme ſupra lib. iij. Annal. de Seiano annotauimus.

Teſtamentum T. Vinij magnitudine opum irritum, Piſonis ſupremam voluntatem paupertas firmauit.

SVB Tyranno, magnitudo opum teſtatoris, teſtamentum eius inualidat. Contra, teſtatoris paupertas, eius ſupremam voluntatem firmare ſolet.

Galbæ corpus diu neglectum, & licentia tenebrarum plurimis ludibrijs vexatum,

SEMPER tenebras conſequi ſolet licentia. Inde vulgatum illud fur odit lucem.

diſpen-

diſpenſator Argius, e prioribus ſeruis, humili ſepulrura in priuatis eius hortis contexit.

EA eſt laudanda pietas, quæ in defunctos exhibetur. Arguitur enim in exhibente magna morum probitas: cum ad hoc officium nec ſpe, nec pretio impellatur.

Capur per lixas calonesq. ſuffixum, laceratumq. ante Patrobij tumulum libertus is Neronis punitus a Galba fuerat, poſtera demum die repertum, & cremato iam corpori admixtum eſt.

O Miſeram mortalium condicionem; & vnde tantus animi tumor, & faſtus? Ecce Monarca eo rediguntur, vt poſt mortem a lixis & calonibus membris eorum illudatur, & pene paruum locum integræ ſepulturæ inueniant.

Hunc exitum habuit Ser. Galba tribus & ſeptuginta annis, quinque principes proſpera fortuna emenſus, & alieno imperio felicior quàm ſuo.

MVLTI reperti ſunt Principes, qui ante principatum felices vixerunt: Regnum poſtea adepti, in calamitates & miſerias maximas inciderunt. Vnde alieno imperio fuerunt feliciores, quàm ſuo.

Vetus in familia nobilitas, magnæ opes. ipſi medium ingenium, magis extra vitia, quàm cum virtutibus.

NON ſufficit Aulicum extra vitia eſſe, ſi non & cum virtutibus ſit; ad hoc vt gratiam, & auctoritatem in Aula adipiſcatur. Id magis in Principe aſſeuerandum eſt.

Famę nec incurioſus, nec vendicator.

IMMO oportet curioſum eſſe famæ, nempe bonæ, atque eam omnibus modis & artibus parare.

Pecuniæ alienæ non appetens, ſuæ parcus, publicæ auarus.

LAVDANDVM equidem eſt in Principe, quòd pecuniæ alienæ non ſit appetens, & ſuæ parcus; ſed publicæ eſſe auarum dedecet.

Amicorum libertorumq. vbi in bonos incidiſſet, ſine reprehenſione patiens: ſi mali forent, vſque ad culpam ignarus.

IN hoc magnam adhibere oportet Principem curam; vt amicorum, ſeruorum, & intimorum ſuorum naturam ſapiat: & an ſint boni vel praui. Culpa enim illorum vt alibi diximus, ad illius infamiam & perniciem veniet.

Sed claritas natalium, & metùs temporum obtentui, vt quod ſegnitia erat, ſapientia vocaretur.

SVB Tyranno, claritas natalium, & metus temporum in ſubdito, obtentui ſunt; vt quod ſegnitia eſt, ſapientia vocetur.

Dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit: proconſul Africam moderate, iam ſenior, citeriorem Hiſpaniam pari iuſtitia continuit, maior priuato viſus, dum priuatus fuit, & omnium conſenſu capax imperij, niſi imperaſſet.

CONSPICI ſolet hoc in multis, vt dum priuati viuunt, maiores priuatis videantur: & omnium conſenſu capaces dignitatum, & imperiorum iudicentur, niſi dignitates & imperia acciperent.

Trepidam vrbem, ac ſimul atrocitatem recentis ſceleris; ſimul veteres Othonis mores pauentem, nouus inſuper de Vitellio nuncius exterruit, ante cædem Galbæ ſuppreſſus, vt tantum ſuperioris Germaniæ exercitum deſciuiſſe crederetur. Tum duos omnium mortalium impudicitia, ignauia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum imperium fatali-

fataliter electos, non ſenatus modo & eques, quis aliqua pars & cura Reip. ſed vulgus quoque palam mœrere.

VT Principis virtus ſolet Rempublicam, & ſubditos ſeruare, augere & felices reddere: ſic Tyranni vitia illos e conuerſo euertere ac perdere ſolent. Vnde nil mirum, ſi non ſolum illi, quibus aliqua pars & cura Reipublicæ eſt, mæreant, ſed vulgus etiam.

Nec iam recentia ſæuæ pacis exempla, ſed repetita bellorum ciuilium memoria, captam toties ſuis ciuibus vrbem, vaſtitatem Italiæ, direptiones prouinciarum, Pharſaliam Philippos, & Peruſiam ac Mutinam, nota publicarum cladium nomina, loquebantur. Prope euerſum orbem, etiam cum de principatu inter bonos certaretur, ſed manſiſſe C. Iulio, manſiſſe Cæſare Auguſto victore, imperium, manſuram fuiſſe ſub Pompeio Brutoq. Remp. Nunc pro Othone, an pro Vitellio, in templa ituros. Vtraſque impias preces vtraque deteſtanda vota, inter duos, quorum bello ſolum id ſcires, deteriorem fore qui viciſſet.

EVERTITVR prope orbis, cum etiam inter bonos de principatu certatur. Quid ſi hoc eueniat inter improbos? quorum bello hoc ſcias illum deteriorem fore, qui vicerit. Coniunctam enim malitiæ & improbitati potentiam habebit. Et eſt pulcherrima, & elegans hac Auctoris digreſſio, mori eius conſona, qui de rebus ferre iudicium ſolet.

Erant qui Veſpaſianum & arma orientis augurarentur. & vt potior vtroque Veſpaſianus, ita bellum aliud, atque alias clades horrebant. Et ambigua de Veſpaſiano fama: ſolusq. omnium ante ſe principum, in melius mutatus eſt.

PAVCI Principum in melius mutantur, poſtquam adepti fuerunt principatum. Vis enim dominationis, vt ſupra de Tiberio in Arruntij voce protulit; conuellit etiam firmos, & longa experientiæ viros. Et eſt notabile hoc dictum de Veſpaſiano: quòd ſolus omnium ante ſe Principum, in melius mutatus ſit.

Nunc initia cauſſaſq. motus Vitelliani expediam. Cæſo cum omnibus copijs Iulio Vindice, ferox præda gloriaq. exercitus, vt cui ſine labore ac periculo, ditiſſimi belli Victoria eueniſſet expeditionem & aciem, præmia quam ſtipendia malebat: diuq. infructuoſam & aſperam militiam tolerauerat, ingenio loci cæliq. & ſeueritate diſciplinæ, quam in pace inexorabilem diſcordiæ ciuium reſoluunt.

SEVERITAS diſciplinæ militaris, in pace inexorabilis, a diſcordia ciuium reſoluitur. Cum enim ob neceſſitatem, quæ illorum habetur, duces multa indulgeant; ſic miles ſit deterior, & corrumpitur diſciplina.

paratis vtrimque corruptoribus, & perfidia impunita.

IMPOSSIBILE fere eſt, quin inficiatur exercitus ille, cum parati ſunt corruptores, & perfidia eſt impunita.

Viri, arma, equi, ad vſum & ad decus ſupererant. Sed ante bellum, centurias tantum ſuas turmasq. noſcerant: exercitus finibus prouinciarum diſcernebantur. Tum aduerſus Vindicem contractæ legiones, ſeq. & Gallias expertæ, quærere rurſus arma, nouasq. diſcordias: nec ſocios vt olim, ſed hoſtes & victos vocabant. Nec deerat pars Galliarum, quæ Rhenum accolit, eaſdem partes ſecuta, ac tum acerrima inſtigatrix aduerſus Galbianos. hoc enim nomen faſtidito Vindice indiderant. Igitur Sequanis Aeduisq. ac deinde prout opulentia ciuitatibus erat, infenſi, expugnationes vrbium populationes agrorum, raptus penatium hauſerunt animo, ſecundum auaritiam & arrogantiam præcipua validiorum vitia,

AVARITIA, & arrogantia ſunt præcipua validiorum vitia. Ratio redditur ab Ariſtotele in 2. Rhet.

contumacia Gallorum inritati qui, remiſſam ſibi a Galba quartam tributorum partem, & publice donatos in ignominiam exercitus iactabant.

FACILE incitantur a contumacia inferiorum validiores, & ſuperbi: & hac occaſione ad eos ſpoliandos libenter vti ſolent.

Acceſſit

Acceſſit callide vulgatum, temere creditum, decumari legiones, & promptiſſimum quemque centurionum dimitti:

AVLICVS vafer ſæpe aliquid callide vulgat, vt temere ab æmulo credatur, & illi pernitiem afferat. Ergo prudentis eſt, non omnia credere.

vndique atroces nuncij, ſiniſtra ex vrbe fama. infenſa Lugdunenſis colonia, & pertinaci pro Nerone fide fecunda rumoribus. Sed plurima ad fingendum credendumq. materies in ipſis caſtris, odio, metu, &, vbi vires ſuas reſpexerant, ſecuritate.

VERE eſt ſecurus, qui in viribus ſuis conſidere poteſt, & non nititur alia vi: vt ſupra de Agrippina inquit Auctor. Hinc ſtudeat omnis Princeps tantum virium ſibi comparare; vt ex ſe ſolum pendere poſſit, ſuam militiam conſcribat, & in viribus ſuis ſecuritatem propriam fundet, vt alibi obſeruauimus.

Sub ipſas ſuperioris anni Kal. Decemb. Aulus Vitellius inferiorem Germaniam ingreſſus, hiberna legionum cum cura adierat: redditi pleriſque ordines, remiſſa ignominia, alleuatæ notæ: plura ambitione, quædam iudicio:

NON recte ſe habebunt Imperia, Principatus, & Aulæ, in quibus ex honoribus plures diſpenſentur ambitione, quàm iudicio. Sæculi corruptio aliter tamen fert.

in quibus ſordem & auaritiam Fonteij Capitonis, adimendis aſſignandisve militiæ ordinibus, integre mutauerat. Nec conſularis legati menſura, ſed in maius omnia accipiebantur. Et Vitellius apud ſeueros humilis. Ita comitatem bonitatemq. fauentes vocabant, quòd ſine modo, ſine iudicio, donaret ſua, largiretur aliena.

QVI ſine modo & ſine iudicio donat ſua, idem etiam de alienis largiendo faciet.

Simul, auiditate imperandi, ipſa vitia pro virtutibus interpretabantur.

IMPERANDI auiditas detorquet ſenſum & ſignificationem nominibus: & quæ ſunt vitia, pro virtutibus interpretantur.

Multi in vtroque exercitu ſicut modeſti quietiq. ita mali & ſtrenui.

NON ſolum in exercitibus, ſed & in Aulis, multi conſpiciuntur, ſicut modeſti quietiq. ita mali & ſtrenui.

Et profuſa cupidine, inſigni temeritate, legati legionum, Alienus Cæcinna, & Fabius Valens:

MALVM exemplum haurient a duce milites cum illum cernent, profuſa cupidine, & inſigni temeritate præditum.

e quibus Valens infenſus Galbæ, tamquam detectam a ſe Verginij cuntationem, oppreſſa Capitonis conſilia ingrate tuliſſet, inſtigare Vitellium, ardorem militum oſtentans.

INDIGNATVR miniſter erga Principem, cum ſtrenue a ſe aliqua magna in re nauatam operam ingrate Principem ferre opinatur.

Ipſum celebri vbique fama: nullam in Flacco Hordeonio moram, affore Britanniam, ſecutura Germanorum auxilia, male fidas prouincias, precarium ſeni imperium, & breui tranſiturum: panderet modo ſinum, & venienti fortunæ occurreret.

PANDERE debet ſinum ſemper vir fortis & prudens, & venienti occaſioni occurrere.

Merito dubitaſſe Verginium, equeſtri familia, ignoto patre: imparem ſi recepiſſet imperium, tutum ſi recuſaſſet.

MEDIOCRIS condicionis ſit ille oportet, qui impar ſit imperio ſi accipiat: tutus, ſi, recuſet, & recte agit, ſi de accipiendo illo dubitat.

Vitellio

Vitellio tres parris conſulatus, cenſuram, collegium Cæſaris, imponere iam pridem imperatoris dignationem, & auferre priuati ſecuritatem.

EMINENTIAE illa virtutum, ſeu nobilitatis, ſeu aliarũ Naturæ dotium, quæ in ſubdito Tyranni reperiuntur: ſicut imponunt illi Principis dignationem ita auferunt priuati ſecuritatem. Numquam enim ſe ab illo tutum exiſtimabit Tyrannus, & tandem aliquo colore illum perdet.

Quatiebatur his ſegne ingenium, vt concupiſceret magis, quàm ſperaret.

SEGNIA ingenia magis concupiſcunt, quàm ſperant. Hæc enim ſpes oritur à conſcientia virtutis, quæ ad exitum ingentia negotia perduci poſſe ſibi pollicetur: quæ cum in ſegni ceſſet, mirum non eſt ſi magis optet, quàm ſperet.

At in ſuperiore Germania, Cęcinna decora iuuenta, corpore ingens, animi immodicus, cito ſermone, erecto inceſſu, ſtudia militum allexerat.

IN quo hæc concurrent duce, ſemper hic ſtudia militum alliciet. Nempe, decora iuuenta, corporis proceritas, animus immodicus, citus ſermo, & erectus inceſſus. Huc quadrat, quod de Corbulone ſupra vidimus: Et ſpecie inanium validus.

Hunc iuuenem Galba, quæſtorem in Bætica, impigre in partes ſuas tranſgreſſum, legioni præpoſuit. Mox compertum publicam pecuniam auertiſſe, vt peculatorem flagitari iuſſit.

IN hunc modum gerere ſe debet prudens Princeps; amicorum & ſubditorum egregia facinora præmijs proſequi, & eorundem flagitia acriter punire, nec vmquam vnũ cum altero compenſare.

Cæcinna ægre paſſus, miſcere cuncta, & priuata vulneta Reipub. malis operire ſtatuit.

PARVM probi ciuis eſt, velle priuata vulnera operire malis Reipublicæ. Cum immo debeat quiſque Reip. vulnera priuatis malis operire. Sic Curtius, Decij Romæ. Sic Meneceus & Codrus Athenis ſeſe geſſerunt; vnde ſemper erunt clari & immortales. Vide Liuium & Dionyſium de duobus primis, de ſequentibus Statium, Diodorum, Iuſtinum, & alios.

Nec deeranr in exercitu ſemina diſcordiæ, quod & bello aduerſus Vindicem vniuerſus affuerar, nec niſi, occiſo Nerone, tranſlatus in Galbam, atque in ipſo ſacramento vexillis inferioris Germaniæ præuenrus erat.

NVMQVAM fere deſunt in exercitu ſemina diſcordiæ. Idq. præſertim accidit in mutatione Principis, quam ſequitur licentia turbarum, & laſciuia. Vt ſupra lib. 1. Annal. obſeruauimus in exceſſu Auguſti.

Et Treueri ac Lingones, quasq. alias ciuitates atrocibus edictis, aut damno finium Galba perculerat, hibernis legionum propius miſcentur. Vnde ſeditioſa colloquia, & inrer paganos corruptior miles, & in Verginium fauor cuicumque alij profuturus.

FAVOR militum ſeditioſorum, qui alicui eorum duci propenſus erat, illo ſublato, ſemper adhærebit cuicumque illas partes ducis ſuſcipere volet, & in illam curam inſurgere.

Miſerat ciuitas Lingonum, vetere inſtituto, dona legionibus, dextras hoſpitij inſigne. Legati eorum in ſqualorem mæſtitiamq. compoſiti, per principia, per contubernia, modo ſuas iniurias, modo ciuitatum vicinarum præmia, & vbi pronis militum animis accipiebantur, ipſius exercitus pericula & contumelias conquerenres accendebant animos.

AD concitandos hominum affectus, præter verba, refert etiam multum perſonæ compoſitio & habitus.

Nec procul ſeditione aberant, cum Hordeonius Flaccus abire legatos, vtq. occultior digreſſus eſſet, nocte caſtris excedere iubet. Inde atrox rumor, affirmantibus pleriſque inrerfectos, ac ni ſibi conſulerent, fore vt acerrimi militum, & præſenria conqueſti, per tenebras & inſcitiam ceterorum occiderentur.

CVM aliqua in re nobis res ſiniſtra eſſe volunt: bona conſilia ſemper in malum euentum verti ſolent; vt hic Hordeonio Flacco euenit circa tempus noctis.

Obſtrin-

Obſtringuntur inter ſe tacito fœdere legiones. Aſciſcitur auxiliorum miles, primo ſuſpectus, tamquam circumdatis cohortibus alisq. impetus in legiones pararetur; mox eadem acrius volens, faciliore inter malos conſenſu ad bellum, quàm in pace ad concordiam.

FACILIOR eſt inter malos conſenſus ad bellum, quàm in pace ad concordiam. Illud enim malum eſt ſemper; hac bona. Vnde cum ſimile ſuum ſimile appetat, ſequitur, quod eleganter inquit Auctor noſter.

Inferioris tamen Germaniæ legiones ſollemni Kal. Ianu. ſacramẽto pro Galba adactę, multa contatione, & raris primorum ordinum vocibus: ceteri ſilentio, proximi cuiusq. audaciam expectantes, inſita mortalibus natura propere ſequi, quæ piget inchoare.

MORTALIBVS inſita eſt natura propere ſequi, quæ piget inchoare. Nam pericula ſæpe ſunt periculoſa, pauci ea aggredi audent: vt vero ea bene ceſſere, reliqua faciliora putantur. Et ideo qui metu receſſerant, impigre inchoata perſequuntur. Dimidium facti, qui bene cæpit, habet, *inquit ille. Hinc adagium: Nolo appendere feli tintinabulum.*

Sed ipſis legionibus inerat diuerſitas animorum. primani, quintaniq. turbidi, adeo vt quidam ſaxa in Galbæ imagines iecerint: quinta decima ac ſexta decima legiones, nihil vltra fremitum & minas auſæ, initium erumpendi circumſpectabant.

IN exercitu a ſeditione agitato, & parum ducibus obſequente, ſemper ineſt diuerſitas animorum.

At in ſuperiori exercitu, quarta ac duodeuiceſima legiones iiſdem hibernis tendentes ipſo Kalen. Ianu. die dirumpunt imagines Galbæ: quarta legio promptius, duodeuiceſima contanter. Mox cõnſenſu, ac ne reuerentiam imperij exuere viderentur, in S. P. Q. R. obliterata iam nomina, ſacramenta aduocabant.

ETSI re ipſa deficiunt ab Imperatore & Principe ſubditi, tamen, ne reuerentiam imperij exuere videantur, ſolent aduocare ſacramenta in alia nomina, quæ idem referunt.

nullo legatorum, tribunorumq. pro Galba nitente, quibuſdam, vt in tumultu, notabilius turbantibus. Non tamen quiſquam in modum concionis aut ſugeſtu locutus. neque enim erat adhuc, cui imputaretur. Spectator flagitij Hordeonius Flaccus conſularis legatus aderat, non compeſcere ruentes, non retinere dubios, non cohortari bonos auſus, ſed ſegnis, pauidus, & ſecordia innocens.

CONTEMNENDVS, & deſpectibilis certe eſt dux ille qui in exercitu ſuo, non audet compeſcere ruentes, non retinere dubios, non cohortari bonos, ſed iacet ſegnis, pauidus & ſecordia innocens:

Quatuor centuriones duodeuiceſimæ legionis, Nonius Receptus, Donatius Valens, Romilius Marcellus, Calpurnius Repentinus, cum protegerent Galbæ imagines, impetu militum abrepti, vinctiq. Nec cuiquam vltra fides, aut memoria prioris ſacramenti: ſed quod in ſeditionibus accidit, vnde plures erant, omnes fuere.

SEDITIONVM hæc eſt natura, vt a paucis incipiant, in multos creſcant, & in vniuerſos finiant: niſi mature compeſcantur.

Nocte, quæ Kalen. Ianu. ſecuta eſt, Coloniam Agrippinenſem Aquilifer quartæ legionis epulanti Vitellio nunciat, quartam & duodeviceſimam legiones, proiectis Galbæ imaginibus, in Senatus & Pop. Rom. verba iuraſſe. Id ſacramentum inane viſum occupari nutantem fortunã, & offerri principem placuit. Miſſi a Vitellio ad legiones legatosq. qui deſciuiſſe a Galba ſuperiorem exercitum nunciarent: proinde aut bellandum aduerſus deſciſcentes, aut ſi concordia & pax placeat, faciendum imperatorem: & minore diſcrimine ſumi principem quàm quæri.

MINORE diſcrimine ſumitur Princeps, quàm quæritur. In ſumendo enim effugitur, cum conſentiatur ceteris, in quærendo diſcordia primo & deinde bellum erumpit.

Ptoxima legionis primę hiberna erant & promptiſſimus e legatis Fabius Valens. Is die poſtero Coloniam Agrippinenſem cum equitibus legionis, auxiliariorumq. ingreſſus, Imperatorem Vitellium conſalutauit. Secutæ ingenti certamine eiuſdem prouinciæ legiones: & ſuperior exercitus, ſpecioſis Senatus, populiq. Romani nominibus relictis iij. Non. Ianu. Vitellio acceſſit. ſcires illum priore biduo non penes Remp. fuiſſe. ardorem exercituum Agrippinenſes, Treueri, Lingones æquabant, auxilia, equos, arma, pecunias offerentes, vt quiſque corpore, opibus, ingenio validus. Nec principes modo coloniarum aut caſtrorum, quibus præſentia ex affluenti, & parta victoria magnæ ſpes:

PRINCIPIBVS ciuitatum & caſtrorum ſunt præſentia ex affluenti, parta victoria magna ſpes. Magnum enim momentum ad illam apiſcendum afferunt.

ſed manipuli quoque & gregarius miles, viatica ſua, & balteos, phalerasq. inſignia argento decora, loco pecuniæ tradebant: inſtinctu, & impetu, & auaritia.

TRIA ſunt hæc præcipua capita, ob quæ homines, præſertim ſeditioſi tradunt ſua: Inſtinctus, impetus, & auaritia.

Igitur laudata militum alacritate Vitellius, miniſteria principatus per libertos agi ſolita, in equites Romanos diſponit. Vacationes centurionibus ex fiſco numerat. Sæuiriam militum pleroſq. ad pœnam expoſcentium ſæpius approbat, pari ſimulatione vinculorum fruſtratur.

PRINCEPS nouus, qui nondum ea eſt auctoritate, vt frænare ſubditorum libidines poſſit; ſæpius eorum quæſita approbare extrinſecus ſolet, ſed aliqua ſimulatione eorum euentus fruſtrari.

Pompeius Propinquus procurator Belgicæ ſtatim interfectus. Iulium Burdonem Germanicę claſſis præfectum aſtu ſubtraxit. Exarſerat in eum iracundia exercitus, tamquam crimen, ac mox inſidias, Fonteio Capitoni ſtruxiſſet. grata erat memoria Capitonis, & apud ſæuientes occidere palam, ignoſcere non niſi fallendo licebat.

APVD ſæuientes occidere palam, ignoſcere non niſi fallendo licet. In Eliſabetha regina Angliæ in Chriſtianos ſæuiente, perſpicuum videtur, vt ex hiſtoria Sanderi cognoſcere liquet, ad quam me remitto.

Ita in cuſtodia habitus: & poſt victoriam demum, ſtratis iam militum odijs, dimiſſus eſt.

MILITVM odia durant, quoties eſt in incerto victoria: poſtquam adepta eſt illa, ſternuntur & extinguuntur.

Interim vt piaculum obijcitur centurio Criſpinus, qui ſe ſanguine Capitonis cruentauerat: eoq. & poſtulantibus manifeſtior, & punienti vilior fuit. Iulius deinde Ciuilis periculo exemptus, præpotens inter Batauos, ne ſupplicio eius ferox gens alienaretur.

EXPEDIT curam alicuius præpotentis in aliqua natione habere, etiam ſi nocens ſit; ne eius ſupplicio tota natio alienetur.

Et erant in ciuitate Lingonum viij. Batauorum cohortes, quartædecimæ legionis auxilia, tum diſcordia temporum a legione digreſſæ, prout inclinaſſent, grande momentum, ſociæ aut aduerſæ.

MANVS valida militum, quæ ſeorſim diſciplina ſua regitur, in ciuilibus bellis ſolet eſſe grande momentum, prout inclinant proſpera vel aduerſa.

Nonium, Donatium, Romilium, Calpurnium, centuriones, de quibus ſupra retulimus, occidi iuſſit, damnatos fidei crimine, grauiſſimo inter deſciſcentes.

CRIMEN fidei inter deſciſcentes eſt grauiſſimum. Sicut apud fideles, crimen rebellionis: contrariorum enim vt inquit Philoſophus eadem eſt diſciplina.

Acceſſere partibus Valerius Aſiaticus, Belgicæ prouinciæ legatus, quem mox Vitellius generum aſciuit: & Iunius Blæſus Lugdunenſis Galliæ rector, cũ Italica legione, & ala

Tauri-

Taurina, Lugduni tendentibus. Nec in Rheticis copijs mora, quominus ſtatim adiungerentur. Ne in Britannia quidem dubitatum. Præerat Trebellius Maximus, per auaritiam ac ſordes contemptus exercitui inuiſusq.

AVARITIA, & ſordes generant contemptum, ac odium. Contemptus a ſordibus procedit, odium ab auaritia: & hic repetitur quod toties dictum eſt. Principem & ducem, tamquam ſcopulum fugere debere, & odium & contemptum, ſunt enim venena principatuum omnium.

Accendebat odium eius Roſcius Cælius legatus viceſimæ legionis olim diſcors, ſed occaſione ciuilium armorum atrocius proruperant.

DISCORDIAE priuatæ ciuium, quæ in pacis tempore inchoatæ fuerunt, occaſione ciuilium armorum atrocius prorumpere ſolent.

Trebellius ſeditionem & confuſum ordinem diſciplinæ Cælio: ſpoliatas & inopes legiones Cælius Trebellio obiectabat, cum interim fœdis legatorum certaminibus, modeſtia exercitus corrupta,

SEMPER corrumpitur exercitus modeſtia, fœdis ducum certaminibus.

eoq. diſcordiæ ventum, vt auxiliarium quoque militum conuicijs proturbantibus, & aggregantibus ſe Cælio cohortibus alisq. deſertus Trebellius ad Vitellium perfugerit. quies prouinciæ, quamquam remoto conſulari, manſit. Rexere legati legionum, pares iure, Cælius audendo potentior.

IN bellis, præſertim ciuilibus, ſemper ſunt potentiores qui ſunt audentiores.

Adiuncto Britannico exercitu, ingens viribus, opibusq. Vitellius, duos duces, duo itinera bello deſtinauit. Fabius Valens allicere, vel ſi abnuerent, vaſtare Gallias, & Cotianis alpibus Italiam irrumpere: Cæcinna propriore tranſitu, Peninis iugis degredi iuſſus. Valenti inferioris exercitus electi cum Aquila ★ quintæ legionis, & cohortibus alisq. ad xl. millia armatorum data, xxx. millia Cæcinna e ſuperiore Germania ducebat, quorum robur legio vna, prima & viceſima fuit addita, vtrique Germanorum auxilia, e quibus Vitellius ſuas quoque copias ſuppleuit, tota mole belli ſecuturus. Mira inter exercitum imperatoremq. diuerſitas. Inſtare miles, arma poſcere, dum Galliæ trepident; dum Hiſpaniæ contentur, non obſtare hiemem, neque ignauæ pacis moras. inuadendam Italiam, occupandam Vrbem. nihil in diſcordijs ciuilibus feſtinatione tutius, vbi facto magis, quàm conſulto opus eſſet.

IN diſcordijs ciuilibus nihil feſtinatione eſt tutius, vbi facto magis, quàm conſulto opus eſt. Nam res prauæ feſtinatione valeſcunt; & bona conſilia, mora: vt ſupradixit. Vnde, cum diſcordiæ ciuiles ſint res peſſimæ, patet concluſio, quòd in illis feſtinandum eſt: nam ſi tempus tempori detur, langueſcit impetus animorum, bona conſilia ſuccedunt, & primæ ſpes innouantibus reciduntur.

Torpebat Vitellius, & fortunam principatus inerti luxu ac prodigis epulis præſumebat, medio diei temulentus, & ſagina grauis:

EXITIALIS Principi eſt torpor: cum principatus fortunam inerti luxu, ac prodigis epulis præſumit. Et hinc eſt, quòd ſæpiſſime interfecti ſunt Principes, præſertim recenti in imperio.

cum tamen ardor & vis militum vltro ducis munia implebat, vt ſi adeſſet imperator, & ſtrenuis vel ignauis ſpem metumq. adderet.

MAXIMVM ſignum charitatis erga ducem eſt illorum militum, qui ardore, & vi ſua vltro ipſius munia implent, & ſtrenuis vel ignauis ſpem metumq. addunt.

Inſtructi intentiq. ſignum profectionis expoſcunt: nomine Germanici, Vitellio ſtatim addito. Cæſarem ſe appellari, etiam Victor prohibuit. Lætum augurium Fabio Valenti exercituiq. quem in bellum cogebat, ipſo profectionis die, aquila leui meatu prout agmen incederet, velut dux viæ præuolauit: longumq. per ſpatium, is gaudentium militum clamor, ea quies interritæ alitis fuit, vt haud dubium magnæ & proſperæ rei omen acciperetur.

ETSI nulla fides adhibenda ſit ominibus, & augurijs, tamen mirum dictu, quantum efficaciæ habeant, in animis militum rudibus & imperitis plerumq. Ea ergo dux prouidus in ſui ipſius

gloriam ; & militum ardorem conuertere debet ; cum occaſio eorum aduenerit . Sic ſupra lib. 1. Annal. Defectus Lunæ in Pannonico exercitu ſeditionem ſedauit .

Et Treueros quidem vt ſocios ſecuri adiere. Diuoduri, Mediomatricorum id oppidum eſt, quamquam omni comitate exceptos, ſubitus pauor exterruit, raptis repenre armis, ad cædem innoxiæ ciuitatis, non ob prædam, aur ſpoliandi cupidinem, ſed furore, & rabie, & cauſſis incertis, eoq. difficilioribus remedijs.

CVM cauſſa mali alicuius ſunt incertæ, difficiliora ſunt remedia. Ambigitur, quid proficiat, obſitue in eorum applicatione : & ideo a ſeminibus diſcordiarum ſemper eſt cauendum .

donec precibus ducis mitigati, ab excidio ciuitatis temperauere.

TVRPE eſt duci, quòd eius precibus mitigentur milites, quos dignius eſt diſciplina rigore coercere, & iuſsionibus in officio tenere : ſed hæc eſt bellorum ciuilium infelicitas & corruptio ;

Cæſa tamen ad quatuor millia hominum. Isq. terror Gallias inuaſit, vt venienti mox agmini vniuerſæ ciuitates, cum magiſtratibus & precibus, occurrerent, ſtratisq. per vias pueris fęminisq. quæque alia placamenta hoſtilis iræ, non quidem in bello, ſed pro pace tendebantur. Nuncium de cæde Galbæ, & imperio Othonis Fabius Valens in ciuitate Leucorum accepir. Nec militum animus in gaudium, aut formidinem permotus, bellum voluebat. Gallis contatio exempta, & in Othonem ac Vitellium odium par, ex Virellio & metus.

CVM animi aliquorum populorum, erunt affecti erga duos Principes, odio pari ; ſed erga alterum etiam metu : eligent ſemper illum pro minori malò, quem ſolum odio proſequuntur .

Proxima Lingonum ciuitas erat, fida partibus. benigne excepti, modeſtia certauere. Sed breuis lætitia fuit, cohortium intemperie, quas a legione quartadecima, vt ſupra memorauimus, digreſſas exercitui ſuo Fabius Valens adiunxerat. Iurgia primum, mox rixa inter Batauos & legionarios. Dum his aut illis ſtudia milirum adgregantur, prope in prælium exarſere, ni Valens animaduerſione paucorum, oblitos iam Batauos imperij admonuiſſet.

DVX prouidus in ſeditione exercitus, paucorum animaduerſione, admonet reliquos milites iam imperij oblitos .

Fruſtra aduerſus Æduos quæſira belli cauſſa. iuſſi pecuniam atque arma deferre, gratuitos inſuper commeatus præbuere.

OMNIA aduerſa ſolet ſuperare patientia & manſuetudo, quæ efficit, vt etiam hoſtis tuus fruſtra quærat aduerſus te belli cauſſam, cum ei offers gratuito plus, quàm ille petit .

quod Ædui formidine, Lugdunenſes gaudio fecere :

SAEPE eandem rem, quam aliquis formidine faciet ; alter illam peraget gaudio .

Sed legio Italica & ala Taurina abductæ. Cohortem XVIII. Lugduni, ſolitis ibi hibernis, relinqui placuit. Manlius Valens, legatus Italicæ legionis, quamquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit. Secretis eum criminationibus infamauerat Fabius ignarum, & quo incautior deciperetur, palam laudatum.

PRAVORVM & improborum Aulicorum eſt hac natura ; vt ſecretis criminationibus infament apud Principem æmulum ignarum : & quo eum incautius decipiant, palam laudent. Hinc fit vt animus ſimplex ex corde exire laudes reputans, amicum ſibi illum credat, & nihil ſibi præcaueat ab illo : Qui interim, tamquam aduerſus ſomnolentum, pro libito poteſt inſidias machinari. Ideo prudentes Aulici ſemper oculati eſſe debent, & numquam ſine ſuſpicione degere. Hoc enim modo temere non credent, & vera a falſis amoris ſignis diſtinguent. Vt in Aulis hodiernis vſu euenire ſolet.

Veterem inter Lugdunenſes, Viennenſesq. diſcordiam proximum bellum accenderat.

SIC ſupra proxime de Roſcio Cælio & Trebellio Auctor inquit : Olim diſcors, ſed occaſione ciuilium armorum atrocius proruperant .

multæ

multæ inuicem clades, crebrius, infeſtiusq. quàm vt tantum propter Neronem Galbamq. pugnaretur. Et Galba reditus Lugdunenſium, occaſione iræ in fiſcum verterat,

PRINCEPS vafer, ſæpe occaſione iræ ſolet vertere reditus ſubditorum delinquentium in fiſcum.

Multus contra in Viennenſes honor. Vnde æmulatio, & inuidia, & vno amne diſcretis connexum odium.

SEMPER inter accolas vigent odia, & æmulationes, & inuidia. Cauſſas enim & crebras, & propinquas habent, quæ hos affectus accendere ſolent. Ariſt. 2. Rhet.

Igitur Lugdunenſes exſtimulare ſingulos militum, & in euerſionem Viennenſium impellere, obſeſſam ab illis coloniam ſuam, adiutos Vindicis conatus, conſcriptas nuper legiones in præſidium Galbæ referendo. Et vbi cauſſas odiorum prætenderant magnitudinem prædæ oſtendebant.

NEMO mortalium non perſuadebitur, ſi vnde cauſſas odij in aliquem videt, ibi & magnitudinem prædæ conſpiciet. Duo enim potentiſſimi affectus illum extimulabunt: deſiderium vindictæ, & auaritiæ libido.

Nec iam ſecreta exhortatio, ſed publicæ preces. Irent vltores, excinderent ſedem Gallici belli: cuncta illic externa & hoſtilia, ſe coloniam Romanam, & partem exercitus, & proſperarum aduerſarumq. rerum ſocios. ſi fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur. His & pluribus in eundem modum, perpulerant, vt nec legati quidem ac duces partium reſtingui poſſe iracundiam exercitus arbitrarentur: cum haud ignari diſcriminis ſui Viennenſes, velamenta & infulas perferentes, vbi agmen inceſſerat, arma, genua, veſtigia prehenſando, flexere militum animos.

AD placandum irati hoſtis animum, optimum conſilium eſt, humiliare ſe, & omnibus illis ſignis obſequij quæ poſſunt exhiberi, flectere inimicorum animos.

Addidit Valens tricenos ſingulis militibus ſeſtertios. ✶ Tum vetuſtas dignitasq. coloniæ valuit. Et verba Fabij ſalutem incolumitatemq. Viennenſium commendantis æquis auribus accepta. Publice tamen armis multati, priuatis & promiſcuis copijs iuuere militem. Sed fama conſtans fuit, ipſum Valentem magna pecunia emptum. Is diu ſordidus, repente diues, mutationem fortunæ male tegebat,

QVI diu ſordidus fuit, ſi repente diues efficiatur, mutationem fortunæ male teget. Rari enim ſunt ſapientes, qui quidem non dimouentur a ſtatu ſuo ob lætam fortunam. Contra vulgus cuius eſt maior pars, ab his affectibus rapitur, quos enumerat Auctor noſter.

accenſis egeſtate longa cupidinibus, immoderatur, & inopi iuuenta, ſenex prodigus.

LONGA egeſtas cupidines accendere ſolet, vt longa aquæ & potus penuria ſitim: & qui fuerunt inopi iuuenta, ſunt ſenes prodigi.

Lento deinde agmine, per fines Allobrogum, & Vocontiorum ductus exercitus: ipſa itinerum ſpatia, & ſtatiuorum mutationes, venditante duce, fœdis pactionibus aduerſus poſſeſſores agrorum, & magiſtratus ciuitatum, adeo minaciter, vt Luco, municipium id Vocontiorum eſt, faces admouerit, donec pecunia mitigaretur. quoties pecuniæ materia deeſſet, & ſtupris & adulterijs exorabatur.

IMPROBI duces exercituum, quoties pecunia materia deeſt in locis, per quæ hoſtiliter tranſeunt, ſtupris & adulterijs exorantur. Sic Cæſarem Borgiam in Regno Neapolitano factitaſſe habetur, apud Guicciard.

Sic ad Alpes peruentum. Plus prædæ ac ſanguinis Cæcinna hauſit. Irritauerant turbidum ingenium Heluetij, Gallica gens, olim armis viriſq. mox memoria nominis clara, de cæde Galbæ ignari, & Vitellij imperium abnuentes. Initium bello fuit auaritia ac feſtinatio vndeuiceſimæ legionis. Rapuerunt pecuniam miſſam in ſtipendium caſtelli, quod olim Heluetij ſuis militibus ac ſtipendijs tuebantur. ægre id paſſi Heluetij, interceptis epiſtolis, quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem & quoſdam militum in cuſtodia retinebant. Cęcinna belli auidus, proximam quamque culpam, antequam pœniteret, vltum ibat.

DVCES bellorum auidi, prompte arripiunt occaſiones bellandi aduerſus populos, qui ſi in aliquam culpam inciderint, antequam illius pæniteat, illi eam vltum ire ſolent.

Mota propere caſtra. Vaſtati agri. Direptus longa pace in modum municipij extructus, locus, amœno ſalubrium aquarum vſu frequens. Miſſi ad Rhetica auxilia nuncij, vt verſos in legionem Heluetios a tergo aggrederentur. Illi ante diſcrimen feroces, in periculo pauidi,

QVI ante diſcrimen ſunt feroces, in periculo ſunt pauidi. Vaneſcit enim tota illa animorum vis in verba ac minas, tamquam flamma in fauillas: aduenient vero tempore periculoſo, animus langueſcit.

quamquam primo tumultu Claudium Seuerum ducem legerant, non arma noſcere, non ordines ſequi, non in vnum conſulere.

PARVM prodeſt multitudini ducem legere, qui eam aduerſus hoſtes in bello tuetur: ſi ipſa non noſcit arma, neſcit ordines ſequi, nec in vnum conſulere.

exitioſum aduerſus veteranos prælium, intuta obſidio, dilapſis vetuſtate mœnibus. hinc Cæcinna cum valido exercitu, inde Rheticæ alæ cohorteſq. & ipſorum Rhetorum iuuentus ſueta armis, & more militiæ exercita. Vndique populatio & cædes. Ipſi in medio vagi abiectis armis, magna pars ſaucij aut palantes, in montem Vocetium perfugere. Ac ſtatim immiſſa cohorte Thracum depulſi, & conſectantibus Germanis Rhetiſq. per ſiluas atque in ipſis latebris trucidati. Multa hominum millia cæſa, multa ſub corona venundata. Cumque direptis omnibus, Auenricum gentis caput iuſto agmine peteretur, miſſi qui dederent ciuitatem, & deditio accepta. In Iulium Alpinum e principibus vt concitorem belli, Cæcinna animaduertit: cæteros veniæ vel ſæuitiæ Vitellij reliquit.

IN concitores belli & ſeditionis debet animaduertere dux, & Princeps: reliquis veniam impartiri.

Haud facile dictu eſt, legati Heluetiorum minus placabilem imperatorem, an militem inuenerint. Ciuitatis excidium poſcunt, tela ac manus in ora legatorũ intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat: cum Claudius Coſſus vnus ex legatis, notæ facundiæ, ſed dicendi artem apta trepidatione occultans, atque eo validior, militis animum mitigauit:

ARS occulta, eſt validior, & tamquam res naturalis, magis placet & perſuadet.

vt eſt mos vulgo, mutabili ſubitis, & tam prono in miſericordiam, quam immodicum ſæuitia fuerat.

MOS vulgo eſt, mutari ſubitis: & tam pronum eſſe in miſericordia, quam immmodicum ſæuitia. Maximum intemperantiæ ſignum, quæ præcipuè in multitudine habet locum. De eadem Liuius: Hæc eſt natura multitudinis; aut ſuperbe dominatur, aut humiliter ſeruit.

effuſis lacrymis, & meliora conſtantius poſtulando, impunitatem ſalutemq. ciuitati impetrauere. Cæcinna paucos in Heluetijs moratus dies, dum ſententiæ Vitellij certior fieret, ſimul tranſitum Alpium parans, lætum ex Italia nuncium accipit, alam Syllanam circa Padum agentem ſacramento Vitellij acceſſiſſe. Proconſulem Vitellium Syllani

lani in Africa habuerant: mox a Nerone, vt in Ægyptum præmitterentur exciti, & ob bellum Vindicis remorati, ac tum in Italia manentes, inſtinctu decurionum, qui Othonis ignari, Vitellio obſtricti, robur aduentantium legionum & famam Germanici exercitus attollebant, tranſiere in partes:

MILITVM turba in bellis ciuilibus ſolet tranſire in partes Principis illius, in quam illam impellit inſtinctus ſuorum ducum.

& vt donum aliquod nouo principi, firmiſſima. Tranſpadanæ regionis municipia, Mediolanum, ac Nouariam, & Eporediam, ac Vercellas, adiunxere. Id Cæcinnæ per ipſos compertum. Et quia præſidio alæ vnius latiſſima pars Italiæ defendi nequibat, præmiſſis Gallorum, Luſitanorum, Britannorumq. cohortibus, & Germanorum vexillis, in alpe Graia, ipſe paululum contatus, num Rheticis iugis in Noricum flecteret, aduerſus Petronium, vrbis procuratorem, qui concitis auxilijs, & interruptis fluminum pontibus, fidus Othoni putabatur. Sed metu ne amitteret præmiſſas iam cohortes alasq. ſimul reputans plus gloriæ retenta Italia, & vbicumque certatum foret, Noricos in cetera victoriæ præmia acceſſuros, Penino ſubſignanum militem itinere, & graue legionum agmen, hibernis adhuc niuibus traduxit. Otho interim contra ſpem omnium, non delitijs, neque deſidia torpeſcere. dilatæ voluptates, diſſimulata luxuria, & cuncta ad decorem imperij compoſita.

CVM tempus poſtulat, differendæ ſunt a principe voluptates, ſi non poteſt penitus eas relinquere, & cuncta ad imperij decorem componere.

Eoq. plus formidinis afferebant falſæ virtutes, & vitia reditura.

MAGNAM formidinem ſubditis prudentibus iure merito afferre debent Principis falſæ virtutes, & reditura vitia.

Marium Celſum conſulem deſignatum, per ſpeciem vinculorum, ſæuitiæ militum ſubſtractum, acciri in Capitolium iubet. Clementiæ titulus, e viro claro & partibus inuiſo, petebatur.

PRINCIPI nouo, qui principatum per virtutem non acquiſiuit; conducit acquirere titulum clementiæ facto aliquo egregio.

Celſus conſtanter ſeruatæ erga Galbam fidei crimen confeſſus.

FORTES & magnanimi viri, ſicut ſemper erga Principes ſuos fidem ſeruant conſtanter; ſic etiam eam intrepide apud hoſtem confitentur.

exemplum vltro imputauit.

QVI coram te fatetur ſe egiſſe illud, quod tu non egiſti, & tamen tantumdem ac ille agere debebas, exemplum vltro imputat.

Nec Otho quaſi ignoſceret, ſed ne hoſtis metum reconciliationis adhiberet, ſtatim intra intimos habuit, & mox bello inter duces dilegit. Manſitq. Celſo velut fataliter etiam pro Othone fides, integra & infelix.

MVLTIS claris & fortibus viris ſolet ſemper eſſe infelix virtus: vt e conuerſo pleriſque improbis proſpere cedere aſſueuit nequitia. Sic diſponit DEVS OPT. MAX. Vide Senecam in tractat. Quare bonis mala eueniunt: Et Gregorium Nazianzenum qui xi. cauſſas huius rei aſſignat.

Læta primoribus ciuitatis, celebrata in vulgus Celſi ſalus; ne militibus quidem ingrata fuit, eandem virtutem admirantibus cui iraſcebantur.

VIRTVTEM admirantur etiam, qui ei iraſcuntur. Propria hæc eſt virtutis vis, quæ etiam ab hoſte laudem, ac admirationem elicit. Cicero.

Par inde exultatio, diſparibus cauſſis conſecuta, impetrato Tigellini exitio.

APVD bonos, diſparibus cauſſis eſt par exultatio, & in ſalute clari alicuius viri, & in exitio improbi & ſceleſti.

Sopho-

Sophonius Tigellinus obſcuris parentibus, fœda pueritia, impudica ſenecta, pręfecturam vigilum, & prætorij, & alia præmia virtutum, quia velocius erat vitijs, adeptus.

PRAEMIA virtutum ſæpe velocius vitijs acquiruntur. Id apud Tyrannum: ſecus apud Principem iuſtum, & ſapientem: qui etſi ſero, ſemper tamen virtutes præmijs proſequitur, aut ſaltem proſequi debet.

crudelitatem mox deinde auaritiam, & virilia ſcelera exercuit:

VITIORVM & ſcelerum, alia ſunt virilia, & alia muliebria. Ideo veri ſceleſti hæc exercent prima ætate, illa vero ſubſequenti: & ſic omnia complectuntur.

corrupto ad omne facinus Nerone, quædam ignaro auſus, ac poſtremo eiuſdem deſertor ac proditor.

QVI Tyrannum ad omne facinus corrumpunt, ij multa audent ſcelera, illo ignaro. Poſtremo tempore periculi vrgentis illum deſerunt ac produnt.

Vnde non alium pertinacius ad pœnam flagitauere, diuerſo affectu quibus odium Neronis inerat, & quibus deſiderium.

INVISVS eſt certe miniſter ille Principis, qui, domino defuncto, diuerſo affectu ad pœnam flagitatur, tam ab his, quibus odium ineſt Principis, quàm quibus deſiderium.

Apud Galbam T. Vinij potentia defenſus, prætexentis ſeruatam ab eo filiam. & haud dubie ſeruauerat, non clementia, quippe tot interfectis, ſed effugio in futurum. quia peſſimus quiſque, diffidentiam præſentium mutationem pauens, aduerſus publicum odium, priuatam gratiam præparat: vnde nulla innocentiæ cura, ſed vitæ impunitatis.

PESSIMVS quiſque, diffidentia præſentium mutationem pauens, aduerſus publicum odium priuatam gratiam præparatum it, nulla innocentia cura, ſed vitæ ſuæ impunitatis. Præter maxima mala, quæ affert maculoſa conſcientia, hoc non leue eſt; quòd ſemper in metu degit, ſemper timet, & numquam eſt tuta & ſecura. Hinc ſubſidia illa præparantur, quæ ait Auctor noſter: Contra virtus, & innocentia ſemper in ſecuritate agit: & pro mille legionibus, & telis ſe ipſa munita eſt. Huc pertinet elegantiſſima illa Horatij ode, quæ incipit.

Integer vitæ, ſcelerisq. purus
Non eget Mauri, Iaculis, nec, arcu, *& quæ ſequuntur.*

Eo infenſior populus, addita ad vetus Tigellini odium, recenti T. Vinij inuidia,

CVM odio alicuius in aliquem additur inuidia; ecquid illi timendum non erit?

concurrere e tota vrbe in palatium ac fora, & vbi plurima vulgi licentia, in circum ac theatra effuſi, ſeditioſis vocibus obſtrepere:

IN circo, & theatris plurima eſt vulgi licentia. Ideo ſapienter Seneca ab ijs locis Lucilium abſtinere monet, ſi vult ſapiens euadere: Epiſt. vij. Raro enim fit vt ſapiens, ſi his in locis verſatur, non hauriat aliquid vitiorum ex vulgo, & ſe inquinet, aut ambitione, aut luxuria, aut alia libidine.

donec Tigellinus, accepto apud Sinueſſanas aquas ſupremæ neceſſitatis nuncio, inter ſtupra concubinarum, & oſcula & deformes moras, ſectis nouacula faucibus, infamem vitam fœdauit etiam exitu ſero & inhoneſto.

FERME ſemper infamis vita fœdatur exitu etiam inhoneſto.

Per idem tempus expoſtulata ad ſupplicium Galuia Criſpinilla, varijs fruſtrationibus, & aduerſa diſſimulantis principis fama, periculo exempta eſt: magiſtra libidinum Neronis, tranſgreſſa in Africam ad inſtigandum in arma Clodium Macrum, famem populi Rom. haud obſcure molita, totius poſtea ciuitatis gratiam obtinuit conſulari matrimonio innixa, & apud Galbam, Othonem, Vitellium illæſa: mox potens pecunia, & orbitate, quæ bonis maliſq. temporibus iuxta valent.

PECVNIA, & orbitas, bonis maliſq. temporibus iuxta valent. Quæ per ſe ſunt inſtrumenta, nec bona nec mala: ſed prout exercentur fiunt. Sic de omnibus fortuna bonis dici poteſt: ſi

ea ſa-

ea ſapiens habuerit, ad publicam felicitatem conuertet: contra in manu improbi ad communem perniciem conuertentur.

Crebræ interim, & muliebribus blandimentis infectæ, ab Othone ad Vitellium epiſtolæ, offerebant pecuniam & gratiam, & quemcumque quietis locum prodigæ vitæ legiſſet. Paria Vitellius oſtendebat, primo mollius, ſtulta vtrimque & indecora ſimulatione: mox quaſi rixantes, ſtupra & flagitia inuicem obiectauere, neuter falſo.

SICVT fortes & ſtrenui Principes inuicem diſcidentes, aperto Marte rem agunt, & inimicitiam viriliter exercent: ſic viles & deſpecti muliebribus epiſtolis, ſimulationibus, rixis & calumnijs eas tranſigere ſolent.

Otho, reuocatis, quos Galba miſerat, legatis, rurſus ad vtrumque Germanicum exercitum, & ad legionem Italicam, easq. quæ Lugduni agebant, copias, ſpecie ſenatus miſit. Legati apud Vitellium remanſere, promptius quàm vt retenti viderentur. Prætoriani, quos per ſimulationem officij legatis Otho adiunxerat, remiſſi, antequam legionibus miſcerentur. Addit epiſtolas Fabius Valens nomine Germanici exercitus, ad prætorias & vrbanas cohortes, de viribus partium magnificas, & concordiam offerentes. Increpabant vltro, quòd tanto ante traditum Vitellio imperium, ad Othonem vertiſſent. Ita promiſſis ſimul, ac minis tentabantur: vt bello impares, in pace nihil amiſſuri. Neque ideo prætorianorum fides mutata.

QVI vere fidi ſunt Principi ſuo, hi nec minis nec promiſſis corrumpuntur, nec fidem mutant.

Sed inſidiatores ab Othone in Germaniam; a Vitellio in vrbem miſſi. Vtriſque fruſtra fuit: Vitellianis impune, per tantam hominum multitudinem, mutua ignorantia fallentibus: Othoniani, nouitate vultus, omnibus inuicem gnaris, prodebantur.

IN magna hominum multitudine, mutua ignorantia falluntur homines: ſed nouitas vultus omnibus inuicem gnaris, prodit inſidiantes.

Vitellius litteras ad Titianum fratrem Othonis compoſuit, exitium ipſi filioq. eius minitans, ni incolumes ſibi mater ac liberi ſeruarentur. Et ſtetit domus vtraque ſub Othone, incertum an metu; Vitellius victor, clementiæ gloriam tulit.

NVLLAM maiorem ferre poteſt victor gloriam, quàm clementiæ: ob hanc Cæſar Dictator magis cantur apud ſcriptores, & celebratur, quàm ob innumera hoſtium millia cæſa & ingentes ductos triumphos.

Primus Othoni fiduciam addidit ex Illyrico nuncius, iuraſſe in eum Dalmatiæ, ac Pannoniæ & Mæſiæ legiones. Idem ex Hiſpania allatum. laudatusq. per edictum Cluuius Rufus: & ſtatim cognitum eſt conuerſam ad Vitellium Hiſpaniam. Nec Aquitania quidem, quamquam a Iulio Cordo in verba Othonis obſtricta, diu manſit. Nuſquam fides aut amor, metu ac neceſſitate huc illuc mutabantur.

VERE nuſquam fides aut amor, metu ac neceſſitate, cuncta huc illuc mutantur. Rectè Virgilius: Nuſquam tuta fides. *Sed quanto rarior, eo ſpecioſior, & laudabilior: ideo amplectenda, & omnibus ſeruanda eſt; ne hoſte quidem excepto.*

Eadem formido prouinciam Narbonenſem ad Vitellium vertit, facili tranſitu ad proximos, & validiores.

CVM inter duos de principatu diſceptatur; reliquorum hominum facilior eſt tranſitus ad proximum, & validiorem.

Longinquæ prouinciæ & quidquid armorum mari dirimitur, penes Othonem manebant, non partium ſtudio, ſed erat grande momentum in nomine vrbis, ac prætextu ſenatus.

IN bellis ciuilibus apud longinquos ſemper grande conſueuit eſſe momentum in nomine vrbis, ac prætextu ſenatus.

Et occu-

Et occupauerat animos priot auditus.

OCCVPANT ſemper animos priora audita. Hinc prudens Aulicus, ſi negotium magni momenti cum Principe tractandum habet, id deferat auribus eius nullo alio negotio fatigatis: Alioquin ſi plenæ aliorum negotiorum fuerint, aut non imprimentur rationes ſecundi negotij: aut ſaltem inefficaciter breui hærebunt.

Iudaicum exercitum Veſpaſianus, Syriæ legiones Mucianus ſacramento Othonis adegere. Simul Ægyptus, omneſq. verſæ in Orientem prouinciæ, nomine eius tenebantur. Idem Africæ obſequium, initio a Carthagine orto. Neque expectata Vipſani Apto- niani proconſulis auctoritate, Creſcens Neronis libertus, nam in malis temporibus partem ſe Reip. fecerat, epulum plebi ob lætitiam recentis imperij, obtulerat: & populus pleraque ſine modo feſtinauit.

RARO ſcit ſeruare in actionibus ſuis modum populus. Vnde omnia agit feſtinanter.

Carthaginem ceteræ ciuitares ſecutæ. Sic diſtractis exercitibus ac prouincijs, Vitellio quidem ad capeſſendam principatus fortunam bello opus erat. Otho, vt in multa pace, munia imperij obibat: quædam ex dignitate Reipub. pleraque, contra decus, ex præſenti vſu properando.

NOVVS & nutans Princeps, non omnia ex dignitate Reip. facit: ſed pleraque contra decus ex præſenti vſu properat.

Conſul cum Titiano fratre in Kalend. Martias ipſe, proximos menſes Verginio deſtinat, vt aliquod exercitui Germanico delinimentum. Iungitur Verginio Poppæus Vopiſcus, prætextu veteris amicitiæ, pleriqueViennenſium honori datum interpretabantur.

CVM aliquis in magna dignitate a Principe conſtituitur, non ſolum illi honor datur, ſed etiam illius patriæ & prouinciæ. Hinc SIXTVS V. PONT. MAX. dicere, cum adhuc Cardinalis eſſet, memini: Pontifices in creando Cardinale aliquo, præter illum, patriam etiam, & prouinciam, vnde eſt oriundus electus, a Pontifice affici ſolere honore & ſolatio.

Ceteri conſulatus ex deſtinatione Neronis, aut Galbæ manſere. Cælio ac Flauio Sabinis, in Iulias; Ario Antonino & Mario Celſo, in Septembres: quorum honori ne Vitellius quidem Victor interceſſit. Sed Otho pontificatus auguratusq. honoratis iam ſenibus cumulum digniratis addidit; & recens ab exitio reuerſos nobiles adoleſcentulos, auitis ac paternis ſacerdotijs in ſolatium recoluit. Redditus Cadio Rufo, Pædio Blæſo, Seuino Promptino ſenatorius locus, qui repetundarum criminibus ſub Claudio ac Nerone ceciderant. Placuit ignoſcentibus, verſo nomine, quod auaritia fuerat, videri maieſtatem: cuius tum odio, etiam bonæ leges peribant.

RECTE dictum fuit a Lyrico vate: Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. *Nam ſæpe apud ſtultos, odio alicuius iniquæ legis, etiam bonæ pereunt.*

Eadem largitione ciuitatum quoque ac prouinciarum animos aggreſſus, Hiſpalienſibus & Emeritenſibus familiarum adiectiones, Lingonibus vniuerſis ciuitatem Romanam, prouinciæ Bæticæ Maurorum ciuitates dono dedit. Noua iura Cappadociæ, noua Africæ, oſtentui magis, quàm manſura.

PRINCEPS recens & nouus, multa iura & munera ſæpe dat aliquibus in principatus initio, oſtentui magis, quàm manſura.

Inrer quæ neceſſitate præſentium rerum, & inſtantibus curis excuſata, ne tum quidem immemor amorum, ſtatuas Poppææ per ſenatus conſultum repoſuit. Creditus eſt etiam de celebranda Neronis memoria agitauiſſe, ſpe vulgum alliciendi.

MERE allicit vulgi animos Princeps nouus, cum præceſſoris ſui, qui ab illo diligebatur, memoriam celebrat.

Et fuere

Et fuere qui imagines Neronis proponerent: atqne etiam Othoni, quibuſdam diebus populus & miles, tamquam nobilitatem ac decus aſtruerent, NERONI OTHONI acclamauit. Ipſe in ſuſpenſo tenuit, vetandi metu, vel cognoſcendi pudore.

DVO magna frana, ne aliquid faciant homines, ſunt pudor & metus.

Conuerſis ad ciuile bellum animis, externa ſine cura habebantur.

IN ciuitate cum animi ſunt conuerſi ad ciuile bellum, externa ſine cura habentur.

Eo audentius Rhoxolani, Sarmarica gens, priore hieme cæſis duabus cohortibus, magna ſpe ad Moeſiam irruperant. nouem millia equitum, ex ferocia & ſucceſſu, prædæ magis, quàm pugnæ intenta.

EXERCITVS, qui cum ferocia militando proſpero etiam vtitur pugnarum ſucceſſu; eſt ſemper præda magis, quàm pugnæ intentus.

Igitur vagos & incurioſos, tertia legio adiunctis auxilijs repente inuaſit. Apud Romanos omnia prælio apta. Sarmaræ diſperſi, aut cupidine prædæ, graues onere ſarcinarum, & lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, velut vincti cædebantur. Namque mirum dictu vt ſit omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipſos. nihil ad pedeſtrem pugnam ram ignauum, vbi per turmas aduenere, vix vlla acies obſtiterit.

QVOD ſupra diximus, hic demum repetimus; rerum nomina ſolum a temporibus mutari: ſed cauſſas & naturas eaſdem eſſe. Ideo quæ hic de Sarmatarum populorum moribus, & conditione tradit Auctor, eadem etiam hodie conſpiciuntur.

Sed tum humido die, & ſoluto gelu, neque conti, neque gladij, quos prælongos vtraque manu regunt, vſui lapſantibus equis, & caraphractarum pondere, id principibus & nobiliſſimo cuique tegmen, ferreis laminis, aut præduro corio conſertum; vt aduerſus ictus impenetrabile, ita impetu hoſtium prouolutis in habile ad reſurgendum, ſimul altitudine, & mollitia niuis, hauriebantur. Romanus miles facili lorica & miſſili pilo, aut lanceis aſſultans, vbi res poſceret, leui gladio inermem Sarmatam, neque enim defendi ſcuto mos eſt, cominus fodiebat. donec pauci, qui prælio ſuperfuerant, paludibus abdebantur. Ibi ſæuitia hiemis, hic miſeria vulnerum abſumpti. Poſtquam id Romæ compertum, M. Aponius Moeſiam obtinens triumphali ſtatua, Fuluius Aurelius, & Iulianus Titius, ac Numiſius Lupus, legati legionum, conſularibus ornamentis donantur: læto Othone, & gloriam in ſe trahente, tamquam & ipſe felix bello, & ſuis ducibus, ſuisq. exercitibus Remp. auxiſſet.

POTEST iure merito lætus eſſe Princeps, & gloriam in ſe trahere: cum ſui duces & ſui exercitus felices bello Rempublicam augent.

Paruo interim initio, vnde nihil timebatur, orta ſeditio, prope Vrbi excidio fuit.

OMNIA, etſi parua, initia ſemper a prudente ſunt æſtimanda: nam ſæpe ante vnde nihil timetur, oriuntur maxima mala, quæ vrbibus prope excidio ſunt.

Septimamdecimam cohortem, colonia Hoſtienſi, in Vrbem acciri Otho iuſſerat. Armandæ eius, cura Vario Criſpino tribuno e prætorianis, data. Is quo magis vacuus, quietis caſtris, iuſſa exequererur; vehicula cohortis, incipiente nocte, onerari aperto armamentario iubet. Tempus in ſuſpicionem; cauſſa in crimen; affectatio quietis, in tumultum eualuit.

NOTANDA ſunt hæc tria pulcherrima capita, quæ cauſſæ fuere tam magnæ ſeditionis; Tempus, nempe, in ſuſpicionem, cauſſa in crimen, affectatio quietis in tumultum eualuit.

Et viſa inter temulentos arma, cupidinem ſui mouere.

ARMA cum inter temulentos videntur, cupidinem ſui mouent. Hinc a poetis celebre illud Lapitharum cum Centauris prælium, indicat Bacchum & Martem coniuncto & affines eſſe.

Fremit

Fremit miles, & tribunos centurionesq. proditionis arguit, tamquam familiæ ſenatorum ad perniciem Othonis armarentur. Pars ignari & vino graues; peſſimus quiſque in occaſionem prædarum: vulgus, vt mos eſt, cuiuſq. motus noui cupidum.

S EMPER eſt vulgi mos, cuiuſque motus noui eſſe cupidum. Idem multis in locis ſupra.

& obſequia meliorum nox abſtulerat.

O BSEQVIA meliorum nox auferre ſolet.

Reſiſtentem ſeditioni tribunum, & ⋆ ſeueriſſimum centurionum obtruncant. rapta arma, nudati gladij, inſidentes equis, vrbem ac palatium petunt. Erat Othoni celebre conuiuium, primoribus feminis viriſq. qui trepidi, fortuitus ne militum furor, an dolus imperatoris, manere ac deprehendi, an fugere & diſpergi, periculoſius foret; modo conſtantiam ſimulare, modo formidine deregi, ſimul Othonis vultum intueri. Vtq. euenit inclinatis ad ſuſpicionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur.

I NCLINATIS ad ſuſpicionem mentibus hoc euenire ſolet, vt cum timent, timeantur.

Sed haud ſecus diſcrimine ſenatus, quàm ſuo territus, & præfectos prætorij ad mitigandas militum iras ſtatim miſerat, & abire propere omnes e conuiuio iuſſit. Tum vero paſſim magiſtratus, proiectis inſignibus, vitata comitum & ſeruorum frequentia, ſenes, feminæq. per tenebras, diuerſa vrbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta, & vt cuique humillimus cliens, incertas latebras petiuere. Militum impetus ne foribus quidem palatij coercitus, quo minus conuiuium irrumperent, oſtendi ſibi Othonem expoſtulantes: vulnerato Iulio Martiale tribuno & Vitellio Saturnino præfecto legionis, dum mentibus obſiſtunt. Vndique arma & minæ, modo in centuriones tribunoſq. modo in ſenatum vniuerſum: lymphatis cæco pauore animis, & quia neminem vnum deſtinare iræ poterant, licentiam in omnes poſcentibus.

F VRORIS popularis, & militaris hac eſt conſuetudo, vt cum neminem vnum deſtinare ira poteſt, licentiam in omnes poſcat.

donec Otho, contra decus imperij thoro inſiſtens, precibus & lacrymis ęgre cohibuit. Redieruntq. in caſtra inuiti, neque innocentes. Poſtera die, velut capta vrbe, clauſa domus, rarus per vias populus, mæſta plebs, deiecti in terram militum vultus, ac plus triſtitiæ, quàm pœnitentiæ.

M ALVM ſignum in illo, qui deliquit, eſt, præ ſe ferre plus triſtitiæ, quàm pænitentiæ.

Manipulatim allocuti ſunt Licinius Proculus, & Plotius Firmus, præfecti: ex ſuo quiſque ingenio, mitius aut horridius. Finis ſermonis in eo, vt quina millia nummum ſingulis militibus numerarentur.

F LAGITIOSVM remedium eſt, ad coercendos ſeditioſos milites largitio pecuniæ. Sic ſupra lib. 6. Annal. Periculoſa ſeueritas, flagitioſa largitio, inquit Auctor noſter:

Tum Otho ingredi caſtra auſus. Atque illum tribuni centurionesq. circumſiſtunt, abiectis militiæ inſignibus, otium & ſalutem flagitantes. Senſit inuidiam miles,

C ONFERT in militem inuidiam centurio, & præpoſitus, cum poſt grauem ſeditionem, abiectis militiæ inſignibus, flagitat otium & ſalutem a duce vel Principe.

& compoſitus in obſequium, auctores ſeditionis ad ſupplicium vltro poſtulabat. Otho quamquam turbidis rebus, & diuerſis militum animis, cum optimus quiſque remedium præſentis licentiæ poſceret: vulgus & plures, ſeditionibus & ambitioſo imperio læti, per turbas & raptus facilius ad ciuile bellum impellerentur.

I N magna ſeditione, dum turbidæ ſunt res, & diuerſi militum animi: optimus quiſque ſemper remedium licentiæ poſcet: contra vulgus & plures, ſeditionibus & ambitioſo imperio læti, per turbas & raptus facilius ad bellum ciuile impellentur.

ſimul

ſimul reputans non poſſe principatum ſcelere quæſitum ſubita modeſtia & priſca grauitate retineri,

PRINCIPATVS ſcelere quaſitus, non poteſt ſubita modeſtia, & priſca grauitate retineri. Principatuum enim omnium, alij ſunt veteres, alij recentes. Recentium alij acquiruntur virtute, alij temporum benignitate, alij temporum benignitate & virtute ſimul, alij ſcelere. Vt priorum exempla omittam, qui ſcelere acquiruntur, peſſimi omnium ſunt, & parum diuturni; & raro ad ſucceſſores tranſeunt. Et ſcelere acquiruntur, cum aliquis ciuis priuatus, aut verum Principem & legitimum interficiendo, aut Remp. occupando, ipſe ſe dominum conſtituit. Vt priſcis temporibus Agathocles Syracuſis, Nabis Spartæ, Piſiſtratus Athenis, Ariſtodemus Elide, & multi alij fecere: inter quos eſt connumerandus Otho, de quo hic agitur. Tales ergo Principes, ſi in tyrannide ſcelere parta remanere volunt, eas res, quibus eam acquiſiuerunt, in conſeruando etiã exercere ſolent, nempe cædes, & potentiorum ſibi aduerſantium euaſiones, cum alijs omnibus medijs tyrannidi opportunis, & ad eius ſecuritatem tendentibus: quæ videre licet apud Ariſtotelem lib. v. vi. & vij. Politices. Quæ omnia ſunt modeſtiæ, & grauitati contraria: virtutibus tyrannidi ignotis, & ſolum a vero & legitimo Principe cognitis & exercendis.

ſed diſcrimine vrbis & periculo ſenatus anxius,

SEMPER debet eſſe anxius diſcrimine vrbis, & periculo ſenatus prudens Princeps.

poſtremo ita diſſeruit:

MIRA & efficax eſt ad commouendos ſimul & inſtruendos milites hac Othonis oratio: ex qua elicitur, Principem tempori ſe aptare debere, & prius ſecuritati, quàm ceteris rebus conſulere.

Neque vt affectus veſtros in amorem mei accenderem, commilitones, neque vt animũ ad virtutem cohortarer, vtraque enim egregie ſuperſunt, ſed veni poſtulaturus a vobis temperamentum veſtræ fortitudinis, & erga me modum charitatis.

DVABVS his de cauſſis ſolent plerumque verba facere ad milites duces & imperatores: aut vt accendant affectus eorum in ſui amorem: aut vt animum ad virtutem cohortentur. Sed ſi vtraque hæc egregie ſuperſunt, tunc debẽt poſtulare ab illis temperamentũ fortitudinis, & modũ erga illos charitatis. Abſque enim hoc modo fortitudo in audaciã, charitas in furorem deſinet & vertetur.

Tumultus proximi initium, non cupidine vel odio, quæ multos exercitus in diſcordiam egere, ac ne detractatione quidem, aut formidine periculorum,

CVPIDO & odium multos exercitus in diſcordiam agere, idem etiam efficere ſolet detractatio, & formido periculorum.

nimia pietas veſtra acrius, quàm conſideratius excitauit.

IN excitandis tumultibus, & magnarum rerum motibus, non ſolum acriter, ſed conſiderate agere oportet: ſine prudentia enim nihil proſunt vires; vt ſupra non ſemel annotauimus.

Nam ſæpe honeſtas rerum cauſſas, ni iudiciũ adhibeas, pernicioſi exitus conſequuntur.

SI ſæpe honeſtas rerũ cauſſas, ni iudicium adhibeas, pernicioſi exitus conſequuntur: quanto magis inhoneſtas? Non immerito igitur iudicium appellatur a prudentibus, viri œconomus; vt quod diſponit & omnia rite & apte gubernat. Nec ſine illo vmquam, merito quis prudẽs appellari debet. Et conſiſtit præcipue in conſiderandis circumſtantijs rerum, locorum, temporũ, & perſonarum, cũ quibus agitur: vt habetur in Ariſt. Ethica, vbi de Prudentia agit. Certe qui iudicio ingenij magno pollet, is negotia difficillima facillime tractabit, & ad exitũ perducet optatum: vt e contra qui eo caruerit, negotia facillima, impoſſibilia reddet, & numquã eorum finẽ conſequetur. Medicis & Chirurgis comparari poſſunt imperitis viri tales: qui dum ſanare intendunt, ea inopportunis remedijs exacerbant, & inſanabilia redigunt, vſque ad ægroti vltimam necem. Obſeruent hoc caput diligentiſſime prudentes Aulici, & præſertim qui vices Regum ac Principum ſuſtinent ac gerunt: quibus quotidie conuenit cum varijs hominum generibus congredi, & rem tractare.

Imus ad bellum. num omnes nuncios palam audiri, omnia conſilia cunctis præſentibus tractari, ratio rerum, aut occaſionum velocitas patitur?

RATIO rerum & occaſionum velocitas non patitur, vt in bello omnes nuncij palam audiantur; nec omnia conſilia cunctis præſentibus tractentur.

Tam neſcire quædam milites, quàm ſcire oportet.

TAM neſcire quædam milites, quàm ſcire oportet. Scire ſolum debet, quæ exequi, cetera quæ egent conſilio, protinus ignoranda eis ſunt.

Ira ſe ducum auctoritas,ſic rigor diſciplinę habet, vt multa per centuriones tribunosq. tantum iuberi expediat.

IN bello ita ducum auctoritas, ſic rigor diſciplinæ ſe habet, vt multa per centuriones, tribunosq. tantum iuberi expediat.

Si vbi iubeantur, quærere ſingulis liceat: pereunte obſequio, etiam imperium intercidit.

SI vbi milites iubeantur, quærere ſingulis liceat, pereunte obſequio, etiam imperium intercidit. Idq. non ſolum de militibus, ſed de omnibus ſubditis eſt dicendum. Sed tanto magis in militibus deſideratur obedientia, quanto maius damnum afferre poteſt non ſeruata. Nullam certe aliam potiorem viam inuenies, qua Turcarum Imperatores tantum ſibi imperium comparauerint, tam opulentes & ingentes prouincias ſubegerint, quàm militarem exactiſſimam obedientiam: quæ & iam hodie durat. Eam enim immediate ſequitur diſciplina caſtrenſis, amor & reuerentia ergà Principem & duces: qui his militibus freti, omnia ardua aggredi, & ſuperare haud dubie poterunt.

An & illic nocte intempeſta rapientur arma? Vnus alterve perditus ac temulentus, neque enim plures conſternatione proxima inſaniſſe crediderim, centurionis ac tribuni ſanguine manus imbuet? Imperatoris ſui tentorium irrumpet? Vos quidem iſtuc pro me. Sed in diſcurſu, ac tenebris, & rerum omnium confuſione, patefieri occaſio etiam aduerſus me poteſt.

IN diſcurſu ac tenebris, rerum omnium confuſione patefieri occaſio etiam aduerſus Principem poteſt.

Si Vitellio & ſatellitibus eius eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes imprecentur, quid aliud quam ſeditionem & diſcordiam optabunt? ne miles centurioni; ne centurio tribuno obſequatur: hinc confuſi pedites equitesq. in exitium ruamus.

IN ſui beneficium certe, vt ſecundum carnem loquar, non ſecundum Chriſtianam religionem, non poteſt eligere, & imprecari aliud inimicis ſuis hoſtis armatus, quam ſeditionem & diſcordiam; ne miles centurioni, ne centurio tribuno obſequatur: ſed hinc confuſi pedites equitesq. in exitium ruant. Id tamen a Chriſtiano milite fieri non licet, niſi contra infideles bellum pro fide gereret.

Parendo potius, commilitones, quàm imperia ducum ſciſcitando, res militares continentur.

CERTVM eſt, quòd parendo potius, quàm imperia ducum ſciſcitando, res militares continentur. Corollarium ſententiæ ſuperioris; cui nihil habeo adÿcere: niſi quod noſtri duces, qui exercitus ducunt, deberent menti mandare eam.

Et fortiſſimus in ipſo diſcrimine exercitus eſt, qui ante diſcrimen quietiſſimus.

FORTISSIMVS in ipſo diſcrimine exercitus eſt, qui ante diſcrimen quietiſſimus. Simile ſupra dixit. Ariſt. recte ÿ. Rhet. inquit: Quietos viros eſſe longe terribiliores ceteris.

Vobis arma, & animus ſit; mihi conſilium, & virtutis veſtræ regimen relinquite.

SIC partiri inter ſe munia debent dux & exercitus: vt huic arma & animus adſit; illi conſilium & virtutis militum regimen relinquatur.

Paucorum culpa fuit, duorum pœna erit. Ceteri abolete memoriam fœdiſſimæ noctis.

IN exercitus ſeditione, vbi paucorum fuit culpa; debet eſſe multo pauciorum pœna. Ceteros vero abolere conuenit memoriam ſeditionis.

Nec illas aduerſus ſenatum voces vllus vmquam exercitus audiat. Caput imperij, & decora omnium prouinciarum, ad pœnam vocare, non hercle illi, quos cum maxime Vitel-

Vitellius in nos ciet, Germani audeant. Vlli ne Italiæ alumni, & Romana vere iuuentus ad ſanguinem & cædem depoſcerent ordinem, cuius ſplendore & gloria, ſordes & obſcuritatem Vitellianarum partium, perſtringimus?

SPLENDORE & gloria noſtra poſſumus perſtringere ſordes, & obſcuritatem æmulorum noſtrorum.

Nationes aliquas occupauit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet: Senatus nobiſcum eſt. Sic fit, vt hinc Reſpub. inde hoſtes Reip. conſtiterint. Quid? vos pulcherrimam hanc vrbem, domibus & tectis & congeſtu lapidum, ſtare creditis? Muta iſta & inanima intercidere ac reparari promiſcue poſſunt. æternitas rerum & pax gentium, & mea cum veſtra ſalus, incolumitate ſenatus firmatur.

RESPVBLICAE & vrbes magnæ non ſtant domibus & tectis, & congeſtu lapidum. Muta enim iſta & inanima intercidere, ac reparari promiſcue poſſunt. Sed æternitas rerum, & pax gentium, & Principis cum populi ſalute ſalus, incolumitate ſenatus firmatur.

Hunc auſpicato a parente & conditore vrbis noſtræ inſtitutum, & a regibus vſque ad principes continuum & immortalem ſicut a maioribus accepimus, ſic poſteris tradamus. Nam vt ex vobis ſenatores, ita ex ſenatoribus principes naſcuntur.

GRADATIO eſt hæc, quæ ad noſtra tempora apte transferri poteſt. Vt enim antiquitus ex militibus fiebant ſenatores, & ex ſenatoribus Principes: ſic hodie, ſalua ſemper reuerentia, ex Sacerdotibus, qui ſunt S. R. E. milites, fiunt Cardinales, ex Cardinalibus Pontifices.

Et oratio ad perſtringendos, mulcendosq. militum animos, & ſeueritatis modus, neque enim in plures, quàm in duos animaduerti iuſſerat, grate accepta, compoſitiq. ad præſens, qui coerceri non poterant.

IN pacanda ſeditione exercitus, ſic ſe debet gerere Princeps. Orationem habere ad milites, quæ eos & perſtringat, & mulceat: modum in ſeueritate adhibere & demum componere ad præſens, qui coerceri non poſſunt.

Non tamen quies vrbi redierat, ſtrepitus telorum, & facies belli erat: militibus vt nihil in commune turbantibus, ita ſparſis per domos, occultu habitu, & maligna cura in omnes, quos nobilitas, aut opes, aut aliqua inſignis claritudo rumoribus obiecerat.

HÆC ſunt, ob quæ aliqui rumoribus vulgi obijciuntur. Nobilitas, opes, aut aliqua inſignis nominis claritudo. Et certe, vbi diſſeritur de promouendis ad dignitates varijs hominum generibus; ad hæc tria capita omnia reduci deberent.

Vitellianos quoque milites veniſſe in vrbem ad ſtudia partium noſcenda, plerique credebant. Vnde plena omnia ſuſpicionum, & vix ſecreta domuum ſine formidine; ſed plurimum trepidationis in publico, vt quemque nuncium fama attuliſſet, animum vultumq. conuerſi, ne diffidere dubijs, ac parum gaudere proſperis viderentur. Coacto vero in curiam ſenatu, arduus rerum omnium modus, ne contumax ſilentium, ne ſuſpecta libertas:

SVB Principe, qui Tyrannum ſapiat, arduus eſt ſemper omnium rerum modus: nam ſilentium eſt contumax, libertas eſt ſuſpecta.

Et priuato Othoni nuper, atque eadem dicenti, nota adulatio. Igitur verſare ſententias, & huc atque illuc torquere, hoſtem & parricidam Vitellium vocantes. Prouidentiſſimus quiſque, vulgaribus conuicijs,

SEMPER prouidentiſſimus quiſque vulgaribus conuicijs abſtinet. Nam mina, & conuicia ſunt arma eius in quem iaciuntur, & odium in iacientem concitant ſine illius aliquo fructu.

quidam vera probra iacere, in clamore tamen, & vbi plurimæ voces, aut tumultu verborum ſibi ipſi obſtrepentes.

IN magna ciuitatis reuolutione, plurimæ ſolent eſſe voces; & verborum tumultu quiſque ſolet ſibi obſtrepere.

Prodigia inſuper terrebant,diuerſis auctoribus vulgata. In veſtibulo Capitolij omiſſas habenas bigæ, cui Victoria inſtiterat: erupiſſe cella Iunonis, maiorem humana ſpeciem. ſtatuam diui Iulij, in inſula Tiberini amnis,ſereno & immoto die,ab Occidente in Orientem cōuerſam. prolocutum in Hethruria bouem. inſolitos animaliū partus. & plura alia, rudibus ſęculis, etiam in pace obſeruata, quæ nunc tantum in metu audiuntur. Sed præcipuus,& cum præſenti exitio,etiā futuri pauor, ſubita inundatione Tiberis: qui immenſo auctu, prorupto ponte ſublicio, ac ſtrage obſtantis molis refuſus, nō modo iacentia & plana vrbis loca,ſed ſecura huiuſmodi caſuū impleuit. Rapti e publico plerique,plures in tabernis & cubilibus intercepti. Fames in vulgus,inopia quæſtus,& penuria alimentorū, corrupta ſtagnantibus aquis inſularum fundamenta, dein remeante flumine dilapſa.

NON vna ac ſimplex calamitas occurrit vni vrbi aut prouinciæ, cum ira Dei ob ſua flagitia in eam deſæuit, ſed plures ac innumeræ.

Vtq. primum vacuus a periculo animus fuit, id ipſum, quod paranti expeditionem Othoni,campus Martius & via Flaminia iter belli eſſet obſtructum,a fortuitis vel naturalibus cauſſis, in prodigium & omen imminentium cladium vertebatur. Otho, luſtrata vrbe,& expenſis belli conſilijs,quando Peninæ, Cottiæq. alpes,& ceteri Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur; Narbonenſem Galliam aggredi ſtatuit, claſſe valida & partibus fida. quòd reliquos cæſorum ad pontem Miluium, & ſæuitia Galbæ in cuſtodiam habitos, in numerum legionis compoſuerat. Facta & reliquis ſpes honoratioris in poſterum militiæ.

ANTEQVAM expeditionem ſuſcipiat aduerſus hoſtes Princeps, & foris contra illos proficiſcatur, debet omnia belli conſilia prius expendere: & poſtea proficiſci.

Addidit claſſi vrbanas cohortes & pleroſque e Prætorianis, vires & robur exercitus, atque ipſis ducibus conſilium & cuſtodes. Summa expeditionis Antonio Nouellio, Suedio Clementi primipilaribus, Æmilio Pacenſi, cui ademptum a Galba Tribunatum reddiderat, permiſſa. Curam nauium Oſcus libertus retinebat, ad obſeruandam honeſtiorum fidem inuitatus. Peditum equitumq. copijs Suetonius Paulinus, Marius Celſus, Annius Gallus rectores deſtinati.

PRAECIPVVM belli conſilium in Principe eſt, optimos duces deligere & exercitui præficere, tam terreſtri quàm maritimo.

Sed plurima fides Licinio Proculo prætorij præfecto. Is Vrbanæ militiæ impiger, bellorum inſolens, auctoritatem Paulini, vigorem Celſi, maturitatem Galli, vt cuique erat, criminando, quod facillimum factu eſt,

CRIMINARI alios facillimum factu eſt. Prudentes Principes rectè æſtimare debent, quis, & a quo apud ipſos accuſetur, nam ſæpe aut odio, aut inuidia, aut alio prauo affectu erga inſontes & ſtrenuos viros crimina finguntur; quibus ſi Princeps facile crediderit, irreparabile damnum incurret. Vide Dionem lib. 55. in perſona Mæcenatis apud Auguſtum loquentem. Et obſeruandæ ſunt hæ tres qualitates, quæ in quolibet duce maxime vtiles & neceſſariæ ſunt: Auctoritas, vigor & maturitas.

prauus & callidus, bonos & modeſtos anteibat.

SAEPE in Aulis & apud Principem praui & callidi criminādo alios, anteeunt bonos & modeſtos.

Sepoſitus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem, neque arta cuſtodia, neque obſcura: nullum ob crimen ſed vetuſto nomine, & propinquitate Galbæ monſtratus. Multos e magiſtratibus, magnam conſularium partem, Otho, non participes aut miniſtros bello, ſed comitum ſpecie, ſecum expedire iubet. In quis & L. Vitellium, eodem quo ceteros cultu, nec vt imperatoris fratrem, nec vt hoſtis. Igitur motæ vrbis curæ, nullus ordo metu aut periculo vacuus. Primores ſenatus ætate inualidi, & longa pace deſides; ſegnis & oblita bellorum nobilitas; ignarus militiæ eques: quanto magis occultare, ac abdere pauorem nitebantur, manifeſtius pauidi.

NONNVMQVAM, quanto quis occultare magis ac abdere pauorem nititur; manifeſtius eſt pauidus.

Nec

Nec deerant e contrario, qui ambitione ſtolida, conſpicua arma, inſignes equos, quidam luxurioſos apparatus conuiuiorum, & irritamenta libidinum, vt inſtrumenta belli mercarentur.

STOLIDA eſt equidem eorum ambitio, qui ad bellum euntes mercantur luxurioſos apparatus conuiuiorum & irritamenta libidinum, vt inſtrumenta belli. Nota eſt reſponſio Annibalis ad Antiochum, cum ei oſtentaret exercitum, quem Rex bellum Pop. Rom. facturus comparauerat; inſignibus argenteis & aureis florentem. Inducebat etiam currus cum falcibus, & elephantos cum turribus: equitatumq. frenis, ephippijs, monilibus, phaleris præfulgentem. Atque ibi Rex contemplatione tanti & tam ornati exercitus, gloriabundus, Annibalem aſpicit: Et putasne, inquit, conferri poſſe, & ſatis eſſe Romanis hæc omnia? Tum Pœnus illudens ignauiam imbelliamq. militum eius pretioſe armatorum: Satis plane, inquit, ſatis eſſe credo hæc omnia Romanis, etiamſi auariſſimi ſint. Gell. lib. v. cap. v. Noct. Atticar.

Sapientibus quietis, & Reip. cura: leuiſſimus quiſque, & futuri improuidus ſpe vana tumens.

SAPIENTIBVS eſt cura quietis & Reip. leuiſſimus quiſque, & futuri improuidus ſpe vana tumet. Primi enim fortuna luſus caleant; & ideò inuiti ſe illi committunt: contra alij cum iudicio deficiant, rebus nouis gaudent, quarum exitus non poſſunt ob inopiam iudicij dignoſcere.

Multis afflicta fides in pace, ac turbatis rebus alacres, & per incerta tutiſſimi.

MALE ſe illi habeant, opus eſt, quibus afflicta eſt fides in pace, & qui ſunt turbatis rebus alacres, & per incerta tutiſſimi. Ab his ferme ſemper coniurationes prodire ſolent in Principem.

Sed vulgus & magnitudine nimia communium curarum expers populus.

POPVLVS eſt expers communium curarum magnitudine nimia. Haud enim eſt capax rationum, quibus ingentia negotia geruntur, & ideo euentus ſpectat, parum interim ſolicitus.

ſentire paulatim bella mala, conuerſa in militum vſum omni pecunia, intentis alimentorum pretijs:

VVLGVS ſentit præcipue belli mala, eo quia conuertitur in militum vſum omnis pecunia: & alimentorum pretia intenta ſunt.

quæ motu Vindicis, haud perinde plebem attriuerant; ſecura tum vrbe, & prouinciali bello, quod inter legiones Galliasq. velut externum fuit. Nam, ex quo Diuus Auguſtus res Cæſarum compoſuit, procul & in vnius ſolicitudinem aut decus, populus Romanus bellauerat. Sub Tiberio & Caio, tantum pacis aduerſa pertimuere. Scriboniani contra Claudium incœpta, ſimul audita & coercita. Nero nuncijs magis & rumoribus, quàm armis depulſus. Tum legiones, claſſesq. & quod raro alias, prætorianus, vrbanusq. miles, in aciem deducti, Oriens Occidensq. & quidquid vtrimque virium eſt a tergo: ſub ducibus alijs, ſi bellatum foret, longo bello materia.

AD protrahenda bella, multum refert quales ſint duces exercituum: nam ſi vterque duxerit ſtrenuus & peritus, longum erit bellum, ſin vero ignauus, cito finis imponetur. Hinc inter Auguſtum & Antonium ex vna parte, & Brutum & Caſſium ex altera; longius fuit bellum & periculoſius, quàm inter Othonem & Vitellium.

Fuere, qui proficiſcenti Othoni moras religionem nondum conditorum ancilium afferrent.

ETIAM apud Gentiles & Ethnicos obſeruatum ſemper fuit, neglectam religionem, maximorum malorum cauſſam fuiſſe. Vide Valer. Max. lib. 1. cap. De neglecta religione.

Aſpernatus omnem contationem, vt Neroni quoque exitioſam: & Cæcinna, iam alpes tranſgreſſus, extimulabat. Pridie Idus Mart. commendata patribus Rep. reliquias

Nerorianarum ſectionum nondum in fiſcum conuerſas, reuocaris ab exilio conceſſit: iuſtiſſimum donum, & in ſpeciem magnificum, ſed feſtinata exactione, vſu ſterile.

PLERVMQVE dona Principis, etſi iuſtiſſima ſint, & in ſpeciem magnifica, tamen feſtinata exactione, ſunt vſu ſterilia.

Mox vocata concione, maieſtatem vrbis, & conſenſum populi ac ſenatus pro ſe attollens, aduerſum Vitellianas partes, modeſte diſſeruit: inſcitiam potius legionum, quàm audaciam increpans, nulla Vitellij mentione. ſiue ipſius ea moderatio ſeu ſcriptor orationis ſibi metuens, contumelijs in Vitellium abſtinuit: quando, vt in conſilijs militiæ Suetonio Paulino, & Mario Celſo, ita in rebus vrbanis Galerij Trachali ingenio Othonem vti credebatur. & erant, qui genus ipſum orandi noſcerent, crebro fori vſu celebre, & ad implendas populi aures, latum & ſonans. Clamor vocesq. vulgi, ex more adulandi nimiæ & falſæ,

SEMPER in quemcumque Principem, clamor & voces vulgi nimiæ ac falſæ effunduntur, ex more adulandi, abſque diſtinctione.

quaſi Dictatorem Cæſarem aut Imperatorem Auguſtum proſequerentur, ita ſtudijs votisq. certabant, nec metu, aut amore, ſed ex libidine ſeruitij, vt in familijs, priuata cuique ſtimulatio, & vile iam decus publicum.

CVM tyrannis ad ſummum in ciuitate aliqua peruenit; tum certatur a populo ſtudijs & votis erga Tyrannum, non metu aut amore: ſed ex libidine ſeruitij: priuata cuiuſque ſtimulatione vt in familiis. Et denique eo modo vt appareat omnibus eſſe vile iam decus publicum. Sic ſupra lib. iiij. Annal. inquit Auctor: Sed ſenatus nulla in eo cura, an imperij extrema dehoneſtarentur, et c.

Profectus Otho, quietem Vrbis curasq. imperij, Saluio Titiano fratri permiſit.

CVM Princeps peregre proficiſcitur, quietem vrbis & curas Imperij permittere debet propinquiori alicui ſui ſanguinis, & ſibi fidiori.

Commentariorum in Librum I. Hiſtoriarum P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI PLACENTINI IN P. CORNELII TACITI Hiſtor. Commentarij.

Ex Lib. II. Hiſtor. P. Cornelij Taciti.

STRVEBAT iam fortuna, in diuerſa parte terrarum, initia cauſſasq. imperio:

FALSA eſt, & penitus reijcienda illa opinio, quòd principatus aliqui a fortuna hominibus deferantur. Nomen enim hoc fortunæ, vt alibi diximus, nullius momenti eſt, nec vſquam fortuna reperitur. Immo omnia prouidentia diuina nutu diſponuntur & reguntur.

quod varie ortum, lætum Reip. aut atrox. ipſis principibus proſperum, aut exitio fuit,

SEMPER talia ſolent eſſe noua imperia: Varie oriuntur, læta aut atrocia ſunt Reip. ipſi Principi nouo, aut proſpera, aut exitioſa. Nec modum aliquem ſeruant, nec moderationem.

Titus Veſpaſianus e Iudæa, incolumi adhuc Galba miſſus a patre, cauſſam profectionis officium erga principem, & maturam petendis honoribus iuuentam ferebat. Sed vulgus fingendi auidum, diſperſerat, accitum in adoptionem.

MIRVM eſſe non debet, quòd vulgus ſit fingendi auidum. Amat enim res nouas. Inde diſpergit varios rumores.

materia ſermonibus, ſenium & orbitas principis, & intemperantia ciuitatis, donec vnus eligatur, multos deſtinandi.

CIVITAS intemperantia ſua donec vnus eligatur, multos deſtinat. Videre hoc poſſumus Romæ Sedis vacantis tempore, in Pontifice eligendo. Et ratio elicitur, ex diuerſis voluntatibus, quæ cum diuerſis faueant, fit, vt de pluribus ſermo circumferatur: & ſæpiſſime accidit, vt de quo minor erat ſermo, ille eligatur.

Augebat famam, ipſius Titi ingenium quantæcumque fortunæ capax, decor oris cum quadam maieſtate, proſperæ Veſpaſiani res, præſaga reſponſa:

CVM in aliquo iuuene claro nobilitate, & fortunæ muneribus, conſpicitur ingenium quantæcumque fortunæ capax; tunc magna de eo fama excitabitur, & ſemper augebitur.

& inclinatis ad credendum animis, loco omnium etiam fortuna.

INCLINATIS ad credendum animis loco omnium eſt fortuna. Quæ, vt Maro ait, ſemper audaces ſequitur; & qui minus conſulto ſe gerunt: contra prouidis & ſapientibus vt plurimum obſtare & aduerſari videtur.

Vbi Chorinthi, Achaię vrbe, certos nuncios accepit de interitu Galbæ, & aderant qui arma Vitellij bellumq. affirmarent: anxius animo, paucis amicorum adhibitis, cuncta

Vtrim-

vtrimque perluſtrat. Si pergeret in vrbem, nullam officij gratiam, in alterius honorem ſuſcepti:

NVLLA officij eſt gratia in alterius honorem ſuſcepti: niſi forte dexteritate quadam, vt prudentes Aulici faciunt, & facere debent, id adeo aptetur & inuertatur, vt ille, in cuius honorem, non erat ſuſceptum, arbitretur ſuſceptum. Sed de hoc præceptum nullum melius eſt, quàm in tempore naturam officij conſiderare, & ſi patitur hanc verſionem ſtatim perficere.

ac ſe Vitellio, ſiue Othoni, obſidem fore. Sin rediret; offenſam haud dubiam victoris. ſed incerta adhuc victoria, & concedente in partes patre, filiam excuſatum. Sin Veſpaſianus Remp. ſuſciperet, obliuiſcendum infenſarum, de bello agitantibus. His ac talibus inter ſpem metumq. iactatum, ſpes vicit.

PLVS ſemper poteſt in hominibus ſpes, quàm metus. Et hoc probe ſciunt Aulici Romani, qui perſæpe Romæ conſeneſcunt, hac ſola ſpe animum paſcentes. In iuuenibus vero multo magis poteſt quam in ſenibus, ob cauſſam ab Ariſt. in 2. Rhet. aſſignatam ſcilicet, eo quod plus illis temporis quod viuant, ſupereſt; quàm ſit illud, quod vixerunt. Contra ſenes, memoria preteriti temporis, magis quàm ſpe futuri, ſe ipſos conſolantur.

Fuere qui accenſum deſiderio Berinices, reginæ, vertiſſe iter crederent. Neque abhorrebat a Berinice iuuenilis animus. Sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum.

EXCVSABILIS eſt in adoleſcente voluptas modice ſumpta, dummodo rebus gerendis nullum ex ea veniat impedimentum.

lætam voluptatibus adoleſcentiam egit, ſuo quàm patris imperio modeſtior.

MVLTI Principes ſunt modeſtiores imperio ſuo, quàm patrum.

Igitur oram Achaiæ, & Aſiæ ac læua maris præteruectus. Rhodum & Cyprum inſulas, inde Syriam audentioribus ſpatijs petebat. Atque illum cupido inceſſit, adeundi viſendiq. templum Paphiæ Veneris, inclytum per indigenas aduenasq. Haud fuerit longum initia religionis, templi ſitum, formam deæ, neque enim alibi ſic habetur, paucis diſſerere. Conditorem templi regem Æriam vetus memoria, quidam ipſius deæ nomen id perhibent. Fama recentior tradit, a Cinara ſacratum templum, deamq. ipſam conceptam mari, huc appulſam. Sed ſcientiam artemq. haruſpicium accitam, & Cilicem Thamyram intuliſſe. Atque ita pactum, vt familiæ vtriuſque poſteri cærimonijs præſiderent. Mox ne honore nullo regium genus peregrinam ſtirpem antecelleret, ipſa, quam intulerant, ſcientia hoſpites ceſſere. Tantum Cinarades ſacerdos conſulitur. Hoſtię, vt quiſque vouiſſet, mares diliguntur. Certiſſima fides hædorum fibris. Sanguinem aræ offundere vetitum, precibus & igne puro altaria adolentur, nec vllis imbribus, quamquam in aperto, madeſcunt. Simulacrum deæ non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exurgens. Et ratio in obſcuro. Titus ſpectata opulentia donisq. regum, quæq. alia lætum antiquitatibus Græcorum genus incertæ vetuſtati affingit,

EADEM cupido quæ prius inceſſerat Germanicum ſpectandi Aegyptum, nunc venit Tito ſpectandi templum hoc, & eſt dignum deſiderium animis regijs & nobilibus.

de nauigatione primum conſuluit. Poſtquam pandi viam, & mare proſperum accepit, de ſe per ambages interrogat, cæſis compluribus hoſtijs. Soſtratus, ſacerdotis id nomen erat, vbi læta & congruentia exta, magnisq. conſultis annuere deam videt, pauca in præſens & ſolita reſpondens, petito ſecreto futura aperit. Titus, aucto animo, ad patrem peruectus, ſuſpenſis prouinciarum & exercituum mentibus, ingens rerum fiducia, acceſſit. Profligauerat bellum Iudaicum Veſpaſianus, oppugnatione Hieroſolimorum reliqua, duro magis & arduo opere ob ingenium gentis, & peruicaciam ſuperſtitionis, quàm quod ſatis virium obſeſſis ad tolerandas neceſſitates ſupereſſet. Tres, vt ſupra memorauimus, ipſi Veſpaſiano legiones erant, exercitæ bello: quatuor Mucia-

Mucianus obtinebat in pace. Sed æmulatio, & proximi exercitus gloria repulerat ſegnitiam.

AEMVLATIO ſemper, & ſimilium noſtrorum gloria, a nobis repellit ſegnitiam. Notum eſt, quod dicebat Themiſtocles: Milciadis trophæa ſibi ſomnum adimere. Plutar. in eius vita.

Quantumq. illis roboris diſcrimina & labor, tantum his vigoris addiderat integra quies, & inexperta belli:

HOC pariunt diſcrimina, & labores mortalibus: vt maius robur habeant. Ex integra vero quiete, additur vigor.

auxilia vtrique cohortium alarumq. & claſſes regesq. ac nomen diſpari fama celebre.

DVORVM Aulicorum poteſt eſſe nomen diſpari fama celebre. Sic ſupra de Seneca & Burrho: Diuerſa arte ex æquo pollebant: inquit idem.

Veſpaſianus acer militię, anteire agmen, locum caſtris capere, noctu diuq. conſilio, ac ſi res poſceret, manu hoſtibus obniti, cibo fortuito, veſte habituq. vix a gregario milite diſcrepans, prorſus ſi auaritia abeſſer, antiquis ducibus par. Mucianum e contrario magnificentia, & opes, cuncta priuarum modum ſupergreſſa extollebant. aptior ſermone, diſpoſitu, prouiſuq. ciuilium rerum peritus. egregium principatus temperamentum, ſi demptis vtriuſque virijs, ſolæ virtutes miſcerentur.

ILLVD eſt egregium principatus temperamentum: cum demptis vitijs, ſolæ virtutes in Principe miſcentur. Et obſeruandæ ſunt hæ duæ deſcriptiones, Veſpaſiani & Muciani; Illa enim verum ducem, hæc Aulicum & Politicum ſimul deſignat.

Ceterum hic Syriæ, ille Iudeæ præpoſitus, vicinis prouinciarum adminiſtrationibus inuidia diſcordes.

SOLENT ſemper fere vicinarum prouinciarum adminiſtratores, inuidia eſſe diſcordes.

exitu demum Neronis, poſitis odijs in medium conſuluere. primum per amicos dein pręcipua concordiæ fides Titus, praua certamina communi vtilitate aboluerat,

HOC eſt prudentis officium, praua certamina cum æmulo vel propinquo, communi vtilitate abolere.

natura atque arte compoſitus alliciendis etiam Muciani moribus.

OMNIS Aulicus, qui hoc nomine vere dignus eſſe debet; oportet vt ſit natura & arte compoſitus alliciendis hominum moribus. Sic enim omnia negotia ad finem conducet.

Tribuni centurionesq. & vulgus militum induſtria, licentia, per virtutes per voluptates, vtq. cuique ingenium adſciſcebantur. Antequam Titus aduentaret, ſacramenrum Othonis acceperat vterque exercitus, præcipitibus, vt aſſolet, nuncijs.

QVI poteſt, & tempus habet, numquam ſub primorum nunciorum aduentu de re aliqua magna deliberet. Semper enim ferme præcipites ſunt: ſed ſecundos & tertios etiam moretur: deinde deliberare maturius poterit.

& tarda mole ciuilis belli, quòd longa concotdia quietus Oriens, tunc primum parabat.

BELLI, quod parat prouincia longa concordia quieta, tarda eſt ſemper moles. Ad inaſſueta enim minus prompte ferimur.

Namque olim validiſſima inter ſe ciuium arma, in Italia, Galliaue viribus Occidentis cœpta. Et Pompeio, Caſſio, Bruto, Antonio, quos omnes tranſmare ſecutum eſt ciuile bellum haud proſperi exitus fuerant. Auditiq. ſæpius in Syria Iudæaq. Cæſares, quàm inſpect. Nulla ſedito legionum; tantum aduerſus Parthos minæ, vario euentu. Et proximo ciuili bello, turbatis alijs, inconcuſſa ibi pax: dein fides erga Galbam. Mox vt Othonem ac Vitellium ſceleſtis armis res Romanas raptum ire, vulgatum eſt, ne penes

ceteros imperij præmia, penes ipſos tantum ſeruitij neceſſitas eſſet, fremere miles, & vires ſuas circumſpicere.

CAVSSAM vere habet, vnde fremat miles, qui dubitat ne penes ceteros imperij præmia, penes ipſum tantum ſeruitij neceſſitas ſit, præſertim cum eas vires habet, vt alios cogere, ipſe cogi non poſſit.

Septem legiones ſtatim, & cum ingentibus auxilijs Syria Iudæaq. inde continua Ægyptus, duæq. legiones: hinc Cappadocia Pontusq. & quidquid caſtrorum Armenijs prætenditur. Aſia & ceteræ prouinciæ, nec virorum inopes, & pecuniæ opulentæ. quantum inſularum mari cingitur, & parando interim bello ſecluſum tutumq. ipſum mare. Non fallebat duces impetus militum. Sed bellantibus alijs placuit expectari bellum, cum in victores victosq. numquam ſolida fides coaleſceret.

IN victores, victosq. numquam ſolida fides coaleſcit. Memoria enim offenſarum, confidentiam tollit. Præterea primi opprimere conantur, ſecundi abnuunt: vnde ſemper diſcordia, & malè fida pax.

Nec referre Vitellium an Othonem ſuperſtitem fortuna faceret, Rebus ſecundis etiam egregios duces inſoleſcere.

REBVS ſecundis etiam egregij duces inſoleſcunt. Nec alia de cauſſa Romani ſtatuerunt, vt publice Imperatores triumphantes in curru vna cum ſeruo veherentur, quàm vt ſe eſſe mortales, & in ſuperbiam labi non debere admonerentur. Huc pertinet conſuetudo noſtrorum temporum in Pontificibus, ſi comparare hæc licet, quando coronantur: accendendi ſcilicet ſtipulam in capite arundinis, illa verba acclamando: Pater Sancte, Sic tranſit gloria mundi. Congruit huic ſententia etiam id, quod ſupra dixit in oratione Galbæ ad Piſonem: Secundæ res acrioribus ſtimulis animum exagitant.

diſcordiam his, ignauiam, luxuriem & ſuiſmet vitijs, alterum bello, alterum victoria periturum.

SAEPE ſuiſmet vitijs dux aliquis in victoria perit, & peſſundatur. Vt Lepido & Antonio Triumuiris euenit. vide Dionem & Plutarchum.

Igitur arma in occaſionem diſtulere.

ARMA ſunt ſemper in occaſionem differenda. Quæ occaſio vt alibi diximus, numquam non eſt ante oculos prudenti habenda.

Veſpaſianus, Mucianusq. nuper, ceteri olim mixtis conſilijs, optimus quiſque amore Reipub. Multos dulcedo prædarum ſtimulabat, alios ambiguæ domi res. Ita boni maliq. cauſſis diuerſis, ſtudio pari, bellum omnes cupiebant.

SAEPE, adeo ſunt permixta & varia humana res, vt boni maliq. cauſſis diuerſis, ſtudio pari, idem omnes cupiant.

Sub idem tempus Achaia atque Aſia falſo exterritæ, velut Nero aduentaret: vario ſuper exitu eius rumore, eoq. pluribus viuere eum fingentibus, credentibusq. Ceterorum caſus conatusq. in contextu operis dicemus. Tunc ſeruus e Ponto, ſiue vt alij tradiderunt, libertinus ex Italia, citharæ & cantus peritus, vnde illi ſuper ſimilitudinem oris propior ad fallendum fides, adiunctis deſertoribus, quos inopia vagas ingentibus promiſſis corruperat, mare ingreditur:

NON eſt admodum difficile, corrumpere ingentibus promiſſis homines inopia vagos.

ac vi tempeſtatum Scithinum inſulam detruſus, & militum quoſdam ex Oriente commeantium aſciuit, & abnuentes interfici iuſſit, & ſpoliatis negotioribus, mancipiorum valentiſſimum quemque armauit. Centurionemq. Siſennam dextras, concordiæ inſignia, Syriaci exercitus nomine ad prætorianos ferentem, varijs artibus aggreſſus, eſt: donec Siſenna clam relicta inſula, trepidus & vim metuens aufugeret: inde late terror,

terror, multis ad celebritatem nominis erectis, rerum nouarum cupidine, & odio præſentium.

DVAE hæ res ſunt in cauſſa, cur erigantur animi gentium ad celebritatem rei alicuius: Cupido rerum nouarum, & odium præſentium.

Gliſcentem in dies famam fors diſcuſſit. Galatiam ac Pamphiliam prouincias Calpurnio Aſprenati regendas Galba permiſerat. Datæ e claſſe Miſcenenſi duæ triremes ad proſequendum, cum quibus Scithinum Inſulam tenuit. Nec defuere qui trierarchos nomine Neronis accirent. Is in mæſtitiam compoſitus, & fidem ſuorum quondam militum inuocans, vt eum in Syria, aut Aegypto ſiſterent, orabat. Trierarchi nutantes ſeu dolo, alloquendo ſibi milites, & paratis omnium animis reuerſuros firmauerunt. Sed Aſprenati cuncta ex fide nunciata. cuius cohortatione expugnata nauis, & interfectus quiſque ille erat. Corpus inſigne oculis comaq. & toruitate vultus, in Aſiam, atque inde Romam peruectum eſt. In ciuitate diſcordi, & ob crebras principum mutationes inter libertatem ac licentiam incerta, paruæ quoque res magnis motibus agebantur.

IN ciuitate diſcordi, & ob crebras mutationes Principum inter libertatem ac licentiam incerta, parua res magnis motibus agi ſolent. Feruent enim ingenia, & cum deſit caput, quod moderetur, & temperet reliqua membra, mirum non eſt, ſi illa abſque modo & menſura, res paruas magnis motibus agant.

Vibius Criſpus pecunia, potentia, ingenio inter claros magis quàm inter bonos.

MVLTI inueniuntur, qui pecunia, potentia, & ingenio inter claros magis quàm inter bonos haberi debent.

Annium Fauſtum equeſtris ordinis, qui temporibus Neronis delationes factitauerat, ad cognitionem ſenatus vocabat. Nam recens Galbæ principatu cenſuerat patres, vt accuſatorum cauſſæ noſcerentur. Id ſenatuſconſultum varie iactatum, & prout potens, vel inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebatur.

NON recte ſe habet iuſtitia, cum leges varie iactantur: & prout potens vel inops reus incidit, infirmæ aut validæ retinentur. Cui ſimilis eſt illa Anacharſis comparatio: quæ tamquam aranearum telas leges eſſe dicebat: quæ exigua animalia detinerent, a validioribus vero ſcinderentur. Hoc dici non poteſt temporibus SIXTI V. qui ita iudicat magnum, vt puſillum: & qui non admittit acceptionem perſonarum.

Terrore & propria vi Criſpus incubuerat delatorem fratris ſui peruertere: traxeratq. magnam ſenatus partem, vt indefenſum & inauditum dedi ad exitium poſtularet. Contra apud alios nihil æque reo proderat, quàm nimia potentia accuſatoris.

PLERVMQVE apud gentes, nihil æque reo prodeſt, quàm nimia potentia accuſatoris. Miſerationem enim permagnam reo conciliat.

dari tempus, edi crimina, quamuis inuiſum ac nocentẽ, more tamen audiendũ cenſebant.

REO dari tempus, edi crimina iuſtum eſt: & quamuis inuiſi ac nocentes, ſunt tamen a iudicibus audiendi.

Et valuere primo, dilataq. in paucos dies cognitio. mox damnatus eſt Fauſtus, nequaquam eo aſſenſu ciuitatis, quem peſſimus moribus meruerat. quippe ipſum Criſpum eaſdem accuſationes cum præmio exercuiſſe meminerant. nec pœna criminis, ſed vltor diſplicebat.

SAEPE non diſplicet pœna criminis alicui inflicta, ſed vltor, qui illam inflixit.

Læta Othoni principia belli, motis ad imperium eius e Dalmatia Pannoniaq. exercitibus. Fuere quatuor legiones, e quibus bina millia præmiſſa. Ipſæ modicis interuallis ſequebantur: ſeptima a Galba conſcripta: veteranæ, vndecima ac tertia decima, & præcipui fama Quartadecumani, rebellione Britanniæ compreſſa. Addiderat gloriam Nero, eligendo vt potiſſimos.

QVOS e multis Princeps eligit vt potiſſimos, his magnam addit gloriam.

Vnde

Vnde longa illis erga Neronem fides, & erecta in Othonem ſtudia. Sed quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat.

QVO quis habet plus virium ac roboris, eo plus habet fiducia: & e fiducia tarditas venit. Hinc magnanimorum, qui ſibi plurimum ob virtutem fidunt, proprium eſt lento gradu incedere, & tarda voce uti. Ariſtot. in 6. Ethic.

agmen legionum, alæ cohorteſq. præueniebant. Ex ipſa vrbe haud ſpernenda manus, quinque prætoriæ cohortes, & equitum vexilla cum legione prima, ac deforme inſuper auxilium, duo millia gladiatorum, ſed per ciuilia arma etiam ſeueris ducibus vſurpatum.

HOC malum præter multa alia afferunt ciuilia bella; vt etiam ſeueri duces vſurpent deforme auxilium gladiatorum & ſeruorum.

His copijs rector additus Annius Gallus, cum Veſtricio Spurinna ad occupandas Padi ripas præmiſſus: quoniam prima conſiliorum fruſtra ceciderant, tranſgreſſo iam alpes Cęcinna, quem ſiſti inter Gallias poſſe ſperauerat. Ipſum Othonem comirabantur ſpecularorum lecta corpora, cum ceteris prætorijs cohortibus, veterani e prærorio, claſſicorum ingens numerus. Nec illi ſegne aut corruptum luxu iter. Sed lorica terrea vſus, & ante ſigna, pedeſter, horridus, incomptus, famæq. diſſimilis.

MVLTVM refert ad milites in officio, & diſciplina, non ſolum continendos, ſed etiam inflammandos; quòd dux ipſe, vt ceteri gregarij milites, labores ſubeat, incommoda ſentiat, & nihil ſibi indulgeat, nihil corpori ſuo parcat. Sic de Ageſilao tradit Plutarchus in eius vita. Sic de ALEXANDRO FARNESIO glorioſiſſimo Duce experientia quotidie nobis clara & illuſtria exempla prodit.

Blandiebatur cœptis fortuna, poſſeſſa per mare & naues, maiore Italiæ parte, penitus vſque ad initium maririmarum alpium. quibus tentandis, aggrediendæq. prouinciæ Narbonenſi, Suedium Clementem, Antonium Nouellum, Æmilium Pacenſem duces dederat. Sed Pacenſis per licentiam milirum victus: Antonio Nouello nulla auctoritas: Suedius Clemens ambitioſo imperio regebat. vt aduerſus modeſtiam diſciplinæ corruptus, ita præliorum auidus.

AMBITIOSVM eſt illius ducis imperium, qui vt aduerſus modeſtiam diſciplinæ eſt corruptus, ita præliorum auidus ſolet eſſe.

Non Italia adiri, nec loca ſedeſq. parriæ videbantur: tamquam externa littora, & vrbes hoſtium vrere, vaſtare, rapere: eo atrocius, quod nihil vſquam prouiſum aduerſum metus,

QVANDO nihil eſt prouiſum aduerſus metus bellorum, eo atrocius hoſtes poſſunt vaſtare, vrere, & rapere.

pleni agri, apertæ: domus. occurſantes domini iuxta coniuges & liberos, ſecuritate pacis, & belli malo circumueniebantur.

QVI de bellorum damnis nullam ſuſpicionem habent: ſi improuiſus hoſtis eos adoritur, circumueniuntur ſecuritate pacis & belli malo.

Maritimas rum alpes tenebat procurator Marius Maturus. Is concita gente, nec deeſt iuuentus, arcere prouinciæ finibus Orhonianos inrendit. Sed primo impetu cæſi diſiectiq. montani, vt quibus temere collectus, non caſtra non ducem noſcitanribus, neque in victoria decus eſſet, neque in fuga flagitium.

PESSIMVM genus militum eſt illorum, qui temere ex montibus collecti, non caſtra, non ducem noſcitant: & nec in victoria decus non ponunt, nec in fuga flagitium.

Inritarus eo prælio Othonis miles, vertit iras in municipium Albium Intemelium: quippe in acie nihil prædę, inopes, agreſtes, & vilia arma: nec capi poterant, pernix genus, & gnari locorum. Sed calamitatibus inſontium expleta auaritia.

MILES præda auidus, cum nullam in victis inopibus materiam habet prædandi, & ſpoliandi, explere ſolet auaritiam calamitatibus inſontium.

Auxit

Auxit inuidiam præclaro exemplo femina Ligus, quæ filio abdito, cum ſimul pecuniam occultari milites crediidiſſent, eoq. per cruciatus interrogarent, vbi filiũ occuleret; vterum oſtendens, latere reſpondit. nec vllis deinde tortoribus, aut morte, conſtantiam vocis egregiæ mutauit.

IN feminis ſæpe præclara virtutum exempla conſpiciuntur.

Imminere prouinciæ Narbonenſi, in verba Vitellij adactæ, claſſem Othonis, Fabio Valenti trepidi nuncij attulere. Aderant legati coloniarum, auxilium orantes. Duas Tungrorum cohortes, quatuor equitum turmas, vniuerſam Treuerorum alam, cum Iulio Claſſico præfecto miſit, e quibus pars in colonia Foroiulienſi retenta; ne omnibus copijs in terreſtre iter verſis, vacuo mari claſſis acceleraret. Duodecim equitum turmæ, & lecti e cohortibus, aduerſus hoſtem iere: quibus adiuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium, & quingenti Pannonij nondum ſub ſignis. Nec mora prælio: ſed acie ita inſtructa, vt pars claſſicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exurgeret, quantum inter colles ac litus æqui loci prætorianus miles expleret, in ipſo mari vt annexa claſſis & pugnæ parata, conuerſa, & minaci fronte prætenderetur. Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, alpinos proximis iugis cohortes denſis ordinibus poſt equitem locant. Treuerorum turmæ obtulere ſe hoſti incaute, cum exciperet contra veteranus miles, ſimul a latere ſaxis vrgeret apta ad iaciendum paganorum manus; qui ſparſi inter milites, ſtrenui ignauiq. in victoria idem audebant.

IN victoria ſtrenui ignauiq. milites idem audent: illi inſita fortitudine; hi ſecuritate.

Additus perculſis terror, inuecta in terga pugnantium claſſe. Ita vndique clauſi. Deletæq. omnes copiæ forent, ni victorem exercitum attinuiſſet obſcurum noctis, obtentui fugientibus. Nec Vitelliani, quamquam victi, quieuere: accitis auxilijs, ſecurum hoſtem, ac ſucceſſu rerum ſecordius agentem inuadunt.

ETSI res proſpere ſuccedant, numquam debet miles ſecordius agere & ſecurus eſſe. Nam inimicis occaſionem aperiet.

cæſi vigiles, perrupta caſtra, trepidatum apud naues, donec ſidente paulatim metu, occupato iuxta colle defenſi, mox irrupere. Atrox ibi cædes, & Tungrarum cohortium præfecti, ſuſtentata diu acie, telis obruuntur. Ne Othonianis quidem incruenta victoria fuit, quorum improuide ſecutos, conuerſi equites circumuenerunt. Ac velut pactis inducijs, ne hinc claſſis, inde equites ſubitam formidinem inferrent, Vitelliani retro Antipolim Narbonenſis Galliæ municipium, Othoniani Albingaunum interioris Liguriæ reuertere. Corſicam ac Sardiniam, ceteraſq. proximi maris inſulas, fama victricis claſſis in partibus Othonis tenuit. Sed Corſicam prope afflixit Decimi Pacarij procuratoris temeritas, tanta mole belli nihil in ſumma profutura, ipſi exitioſa.

NOTABILIS eſt ſtultitia & temeritas illius, qui in magna mole belli, interponere vult perſonam ſuam abſque neceſsitate, inani auxilio etiam ſi proueniat, & nihil in ſumma profuturo, ſed ſibi ſolum exitioſo.

Namque Othonis odio iuuare Vitellium Corſorum viribus ſtatuit, inani auxilio, etiam ſi proueniſſet. Vocatis principibus Inſulæ, conſilium aperit. Et contradicere auſos Claudium Phirrhicum trierarchum liburnicarum ibi nauium, Quinctium Certum equitem Romanum, interfici iubet. quorum morte exterriti qui aderant, ſimul ignara, & alieni metus ſocia imperitorum turba, in verba Vitellij iurauere. Sed vbi dilectum agere Pacarius, & inconditos homines fatigare militiæ muneribus occepit, laborem inſolitum peroſi, infirmitatem ſuam reputabant. Inſulam eſſe quam incolerent, & longe Germaniam vireſq. legionum: direptos vaſtatoſq. claſſe, etiam quos cohortes alæq. protegerent. Et auerſi repente animi, nec tamen aperta vi: aptum tempus inſidijs legere.

Digreſſis qui Pacarium frequentabant, nudus & auxilij inops, balneis interficitur. Trucidari & comites. Capita, vt hoſtium, ipſi interfectores ad Othonem tulere,

MALE audit gens Corſorum: & vetus adagium eſt: De Corſo nec viuo nec defuncto eſſe fidendum. Proinde hoc exemplum quadrat naturæ vulgatæ gentis.

Neque eos aut Otho prǽmio affecit, aut puniuit Vitellius, in multa colluuie rerum maioribus flagitijs permixtos. Aperuerat iam Italiam, bellumq. tranſmiſerat, vt ſupra memorauimus, ala Sullana, nullo apud quemquam Othonis fauore nec quia Vitellium mallent, ſed longa pax ad omne ſeruitium fregerat, faciles occupantibus, & melioribus incurioſos.

FRANGIT ad omne ſeruitium, populorum animos longa pax: & reddit eos faciles occupantibus prioribus dominis, & melioribus incurioſos. Hinc illud ſcitum Virgilij.

. . . . deſidesq. mouebit
Tullus in arma viros. . . . .

nam emolliuntur pace animi feroces & bellicoſi.

Florentiſſimum Italiæ latus, quantum inter Padum alpesq. camporum & vrbium, armis Vitellij, namque & præmiſſæ a Cæcinna cohortes aduenerant, tenebantur. Capta Pannoniorum cohors apud Cremonam. Intercepti centum equites, ac mille claſſici inter Placentiam Ticinumq. quo ſucceſſu Vitellianus miles non iam flumine aut ripis arcebatur. Irritabat quin etiam Barauos Tranſrhenanosq. Padus ipſe: quem contra Placentiam trangreſſi, raptis quibuſdam exploratoribus, ita ceteros terruere, vt adeſſe omnem Cæcinnæ exercitum trepidi ac falſi nunciarent. Certum erat Spurinnæ, is enim Placentiam obtinebat, necdum veniſſe Cæcinnam, & ſi propinquaret, coercere intra munimenta militem, nec tris prætorias cohortes, & mille vexillarios cum paucis equitibus, veterano exercitui obijcere. Sed indomitus miles, & belli ignarus, correptis ſignis vexillisq. ruere, & retinenti duci tela intentare, ſpreris centurionibus tribunisq. prouidentiam ducis laudantibus quin pro Othone, & accitum Cæcinnam clamitabant.

PESSIMVM genus militum eſt illud, quod ex gente indomita & belli ignara conficitur. Ruit enim contra imperium ſuperiorum: retinenti duci tela intentat, & ſpernit duces & omnia confundit.

Fit temeritatis alienæ comes Spurinna, primo coactus, mox velle ſimulans, quo plus auctoritatis ineſſet conſilijs, ſi ſeditio miteſceret.

CVM magna adeo ſeditio in vrbe, vel in caſtris ardeſcit, vt dux eam comprimere vi non valeat, prudentiſſime ſe geret, ſi ſimulans idem velle, fiet temeritatis alienæ comes: quo plus auctoritatis inſit eius conſilijs, ſi ſeditio miteſcet. Huc pertinet præceptum Platonis, quod in ſeditionibus ciuilibus, clari & præſtantiores viri debent alteri partium, & factionum ſe admiſcere: vt poſtea ad firmandam inter ciues concordiam maiorem vim in perſuadendo apud ciues habeant, & populus magis illis credat.

Poſtquam in conſpectu Padus, & nox appetebat, vallari caſtra placuit. Is labor vrbano militi inſolitus contudit animos. Tum vetuſtiſſimum quiſque caſtigare credulitatem ſuam, metum ac diſcrimen oſtendere, ſi cum exercitu Cæcinna, patentibus campis, tam paucas cohortes circumfudiſſet. Iamq. totis caſtris modeſti ſermones, & inſerentibus ſe centurionibus tribunisq. laudare prouidentiam ducis: quòd coloniam virium & opum validam, robur ac ſedem bello legiſſet. Ipſe poſtremo Spurinna non tam culpam exprobrans, quàm ratione oſtendens,

GRAVES & prudentes viri, quando ſocij, propinqui, aut ſub regimine eius conſtituti homines in aliquo delinquunt: non tam debent eis culpam exprobrare, quàm rationes oſtendere, & ſic communi eorum vtilitati conſulere. Sic prudentiſſime VENETORVM RESPVB. in tempore turbulentiſſimo, cum omnia fere, Venetijs & maritimis locis exceptis, amiſiſſet; erga aliquos

Sena-

Senatores, quorum conſilia non recte eeſſerant; fecit & in commune prouidit. Guic. lib. Hiſt. Bembus & alij:

relictis exploratoribus, ceteros Placentiam reduxit, minus turbidos & imperia accipientes.

QVI ob nimiam temeritatem, inobedientes in aliquod periculum inciderunt: erroris ſui poſtea capaces, minus turbidi efficiuntur, & imperia, quæ prius recuſabant, accipiunt.

Solidati muri, propugnacula addita, auctæ turres, prouiſa parataq. non arma modo, ſed obſequium & parendi amor, quod ſolum illis partibus defuit, cum virtutis haud pœniteret.

IN bello aliquo proſpere conficiendo, oportet, vt duci adſint non ſolum milites, arma, & cetera belli neceſſaria inſtrumenta, prouiſa & parata: ſed etiam in militibus, obſequium & parendi amor.

At Cæcinna, velut relicta poſt alpes ſæuitia ac licentia, modeſto agmine per Italiam inceſſit. Ornatum ipſius, municipia & coloniæ in ſuperbiam trahebant: quòd verſicolore ſagulo, brachas tegmen barbarum indutus, togatos alloqueretur.

DVCVM & Principum, qui in eminentiori loco præ ceteris & digniori fulgent, omnia debent eſſe dicta & facta, prudentia plena, & irreprehenſibilia. Nam quæ in alijs leuia, vel nullius momenti apparerent, in ipſorum perſona, magnum crimen important. Sic Scipionem antiquitas ob nimiam ſomni indulgentiam; cum in ceteris inuidia nihil contra ipſum inueniret, accuſauit, & improbauit. Dictatorem Cæſarem, eo quòd digito vno caput ſcalperet, reprehenderunt æmuli: & multa alia exempla, quæ hic conſulto omitto.

Vxorem quoque eius Saloninam, quamquam in nullius iniuriam, inſigni equo oſtroq. veheretur, tamquam læſi grauabantur.

ETSI in nullius iniuriam multa agi a nobis poſſunt: cauendum tamen eſt, ne noua & inſolita ſint, quæ agimus. Homines enim ob hoc ſolum, tamquam læſi, nos grauabunt.

Inſito mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modumq. fortunæ a nullis magis exigere, quàm quos in æquo videre.

INSITVM eſt mortalibus natura, ægris oculis recentem aliorum felicitatem introſpicere; modumq. fortunæ a nullis magis exigere, quàm quos in æquo videre. Inuidia enim ſecundum Philoſophum, erga pares & ſimiles oritur: & idem aſſerit diuitias omnes, ſed præſertim recenter partas odioſas eſſe. Ideo nihil nouum, quod inquit Tacitus noſter: & hæc omnia quotidie Romæ iñ experientiam ducuntur.

Cæcinna Padum tranſgreſſus; tentata Othonianorum fide per colloquium & promiſſa, iiſdem petitus, poſtquam pax & concordia ſpecioſis & inritis nominibus iactata ſunt, conſilia curaſq. in oppugnationem Placentiæ magno terrore vertit: gnarus, vt initia belli prouenißent, famam in cetera fore.

VT initia belli proueniunt, fama in cetera oritur. Simile ſupra de Corbulone: Et eſt veriſsima ſententia: Nam occupat animos prior auditio, vt idem ſupra dixit: hinc acquiritur exiſtimatio, & amittitur, qua ſola res omnes mortales fere reguntur.

Sed primus dies impetu magis, quàm veterani exercitus artibus, tranſactus. Aperti incautiq. muros ſubiere, cibo vinoq. prægraues. In eo certamine, pulcherrimum amphitheatri opus, ſitum extra muros, conflagrauit; ſiue ab oppugnatoribus incenſum, dum faces & glandes ac miſſilem ignem in obſeſſos iaculantur; ſiue ab obſeſſis, dum regerunt. Municipale vulgus pronum ad ſuſpiciones, fraude illata ignis alimenta credidit, a quibuſdam vicinis colonijs, inuidiæ æmulatione, quòd nulla in Italia moles tam capax foret.

IAM non ſemel diximus ex Philoſophi auctoritate. Inuidiam inter vicinos & proximos facile oriri.

quocunque caſu acciderat, dum atrociora metuebantur, in leui habitum: reddita ſecuritate, tamquam nihil grauius pati potuiſſent, mærebant.

DAMNA, etſi grauia, quæ nobis accidunt, dum atrociora metuimus, in leui habentur: reddita ſecuritate, tamquam nihil grauius pati potuiſſemus, mæremus.

Ceterum, multo ſuorum cruore, pulſus Cæcinna. Et nox parandis operibus aſſumpta. Vitelliani pluteos cratesq. & vineas ſuffodiendis muris, protegendisq. oppugnatoribus, Othoniani ſudes & immenſas lapidum ac plumbi ærisq. moles, perfringendis operibus, obruendisq. hoſtibus expediunt. Vtrimque pudor, vtrimque gloria, & diuerſæ exhortationes, hinc legionum & Germani exercitus robur; inde vrbanæ militiæ,& prętoriarum cohortium decus attollentium. Illi, vt ſegnem ac deſidem,& circo ac theatris corruptum militem; hi peregrinum & externum increpabant. Simul Othonem, ac Vitelliũ,celebrantes,culpantesq. vberioribus inter ſe probris,quã laudibus ſtimulabantur.

INTER corruptos & flagitioſos, cum ad iurgia, & increpationes deſcenditur, vberiora ſunt probra, quàm laudes.

Vix dum orto die, plena propugnatoribus mœnia, fulgentes armis virisq. campi, denſum legionum agmen, ſparſa auxiliorum manus, altiora murorum ſagittis aut ſaxis inceſſere, neglecta aut æuo fluxa cominus aggredi. Ingerunt deſuper Othoniani pila, librato magis & certo ictu, aduerſus temere ſubeuntes cohortes Germanorum, cantu truci & more patrio, nudis corporibus, ſuper humeros ſcuta quatientium. Legionarius pluteis, & cratibus tectus ſubruit muros, inſtruit aggerem, molitur portas. Contra prætoriani diſpoſitos ad id ipſum molares ingenti pondere ac fragore prouoluunt. pars ſubeuntium obruti: pars confixi, & exſangues aut laceri, cum augeret ſtragem trepidatio.

IN conflictu militari, ſtragem ſemper augere ſolet trepidatio.

eoq. acrius e mœnibus vulnerarentur, rediere, in fracta partium fama.

INFRINGIT famam exercitus, expeditio prima belli improſpere ſuſcepta. Sic ſupra de Tib. lib. iij. Annál. inquit Auctor: Simul reputans, quàm indecorum ſit attrectare, quod conſequi nequeas. &c.

Et Cæcinna fama & pudore cœptæ temere oppugnationis,

TEMERE cœpta oppugnatio pudorem duci offundere debet: inconſiderationẽ enim in eo arguit.

ne irriſus ac vanus iiſdem caſtris aſſideret, traiectos rurſus Pado Cremonam petere intendit. Tradidere ſe abeunti Turullius Cerialis, cum compluribus claſſicis, & Iulius Briganticus, cum paucis equitum. hic præfectus alæ, in Batauis genitus; ille primi pilaris, & Cæcinnæ haud alienus, quod ordines in Germania duxerat. Spurinna, comperto itinere hoſtium, defenſam Placentiam: quæq. acta, & quid Cæcinna pararet, Annium Gallum per litteras docet. Gallus legionem primam in auxilium Placentię ducebat, diffiſus paucitati cohortium, ne longius obſidium, & vim Germanici exercitus parum tolerarent. Vbi pulſum Cæcinnam pergere Cremonam accepit, ægre coercitam legionem, & pugnandi ardore vſque ad ſeditionem progreſſum, Bedriaci ſiſtit. Inter Veronam Cremonamq. ſitus eſt vicus, duabus iam Romanis cladibus notus, infauſtusq.

CELEBRIA, & infauſta, redduntur loca ex cladibus, aut factis inſignibus, quæ ibi accidunt. Sic de ignobili in Aſia pago, ob mortem Baiazetis Turcarum Imperatoris, qui ibi obijt, eueniſſe, Auctor eſt Iouius in Hiſt.

Iiſdem diebus, a Martio Macro, haud procul Cremona, proſpere pugnatum. Namque promptus animi Martius, tranſuectos nauibus gladiatores, in aduerſam Padi ripam repente effudit. Turbata ibi Vitellianorum auxilia, & ceteris Cremonam fugientibus, cæſi qui reſtiterant. Sed repreſſus vincentium impetus, ne nouis præſidijs firmati hoſtes, fortunam prælij mutarent.

CONDVCIT duci exercitus nonnumquam reprimere militum ſuorum vincentium impetum. Ne ſcilicet firmatus nouis præſidijs hoſtis victus, fortunam belli mutet.

Suſpe-

Suſpectum id Othonianis fuit omnia, quæcumque facta praue æſtimantibus.

MALEVOLORVM, & æmulorum mala eſt hæc natura, omnia noſtra quæcumque facta praue æſtimandi.

Certatim, vt quiſque animo ignauus, procax ore Annium Gallum, & Suetonium Paulinum, & Marium Celſum, nam eos Otho quoque præfecerat, varijs criminibus inceſſerant.

VT quiſque eſt animo ignauus, procax eſt ore. Nam cum ex ſuis factis nullam ſibi acquirere laudem poſſit, detrahere aliena gloria ſtudet, a qua plus vrgeri ignauiam ſuam æſtimat: & tales homines prompti ſunt ad inceſſendum varijs criminibus fortes & probos viros.

Acertima ſeditionum ac diſcordiæ incitamenta, interfectores Galbæ, ſcelere, & metu vecordes, miſcere cuncta, modo palam turbidis vocibus, modo occultis ad Othonem litteris.

SCELESTI & improbi, cum ſcelere & metu ſemper ſint vecordes; ſunt etiam accerrima ſeditionum, ac diſcordia incitamenta: & ſemper miſcent cuncta, modo palam turbidis vocibus, modo occultis ad Principem litteris.

qui humillimo cuique credulus, bonos metuens, trepidabat, rebus proſperis incertus. & inter aduerſa melior.

TYRANNORVM, & eorum, qui per ſcelus principatum adepti ſunt, miſera eſt condicio. Nam bonos metuentes, humillimo cuique credunt: ſemper trepidant, rebus proſperis incerti, & inter aduerſa meliores.

Igitur Titianum fratrem accitum, bello præpoſuit. Interea Paulini & Celſi ductu, res egregiæ geſtæ. Angebant Cæcinnam, nequidquam omnia cæpta, & ſeneſcens exercitus ſui fama.

MERITO debet angi dux cum nequidquam omnia ſua cæpta cadunt: & exercitus ſui fama ſeneſcit.

pulſus Placentia, cæſis nuper auxilijs, etiam per concurſum exploratorum, crebra magis quàm digna memoratu prælio, inferior: propinquante Fabio Valente, ne omni belli decus illuc concederet, reciperare gloriam, auidius quam conſultius properabat.

CONSVLTIVS, quàm auidius, & non auidius, quàm conſultius, ſe debent gerere exercituum duces. Et ſimile huic Cæcinnæ facto, fuit illud Mottini Heluetij apud Nouariam, timentis ne omne decus belli in aduentum Altoſaxi, qui expectabatur, concederet. Vide Guicciard. lib. Hiſt. qui etiam pulcherrimam eius orationem ibi exprimit.

Ad duodecimum a Cremona, locus Caſtrorum vocatur, ferociſſimos auxiliarium imminētibus viæ lucis occultos imponit. equites præcedere longius iuſſi, & irritato prælio, ſponte refugi feſtinationē ſequentiū elicere, donec inſidię coorirentur. Proditū id Othonianis ducibus. & curam peditum Paulinus, equitum Celſus, ſumpſere. Tertiæ decimæ legionis vexillum quatuor auxiliorum cohortes, & quingenti equites in ſiniſtro locantur. Aggerem viæ tres prætoriæ cohortes artis ordinibus obtinuere. Dextra fronte prima legio inceſſit, cum duabus vexillaribus cohortibus, & quingentis equitibus. Super hos e prætorio auxilijsq. mille equites, cumulus proſperis, aut ſubſidium laborantibus ducebantur.

IN valido & bene inſtructo exercitu, ſuper ceteros ordines militum, ſolet ſemper duci aliqua valida manus lectorum militum, qui cumulus ſunt proſperis, aut ſubſidium laborantibus.

Antequam miſcerentur acies, terga vertentibus Vitellianis, Celſus doli prudens, repreſſit ſuos, Vitelliani temere exſurgentes, cedente ſenſim Celſo, longius, ſecuti vltro in inſidias præcipitantur. Nā a lateribus cohortes legionum, aduerſa fronte, & ſubito diſcurſu terga cinxerāt equites. Signū pugnæ non ſtatim a Suetonio Paulino pediti datum.

Contator natura, & cui cauta potius conſilia cum ratione, quàm proſpera ex caſu placerent, compleri foſſas, aperiri campum, pandi aciem iubebat, ſatis cito incipi victoriam ratus, vbi prouiſum foret, ne vincerentur.

DVCES contatores natura & quibus cauta potius conſilia cum ratione, quàm proſpera ex caſu placent; ſatis cito incipi victoriam iudicant, vbi prouiſum eſt, ne vincantur. Sic Fabius Maximus priſcis temporibus fuit pro Romanorum Repub. Sic recentioribus Proſper Columna. Et tales Duces optimi pro Rerumpublicarum ſeruitio ſunt: & tales VENETORVM Reſpublica amat & quærit.

Ea contatione ſpatium Vitellianis datum, in vineas nexu traducum impeditas, refugiendi. Et modica ſilua adhærebat, vnde rurſus auſi, promptiſſimos prætorianorum equitum interfecere. Vulneratur rex Epiphanes, impigre pro Othone pugnam ciens. Tum Othonianus pedes erupit, protrita hoſtium acie, verſi in fugam etiam qui ſubueniebant. Nam Cæcinna non ſimul cohortes, ſed ſingulas acciuerat: quæ res in prælio trepidationem auxit, cum diſperſos, nec vſquam validos, pauor fugientium abriperet.

MILITES diſperſi nuſquam ſunt validi.

Orta & in caſtris ſeditio, quòd non vniuerſi ducerentur. Vinctus præfectus caſtrorum Iulius Gratus, tamquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret: cum fratrem eius Iulium Frontonem tribunum, Othoniani ſub eodem crimine vinxiſſent.

IN bellis ciuilibus hæc infelicitas præter ceteras accidit, vt de eodem crimine falſo ſæpe duo fratres, propinqui aut amici inſimulentur, & immerito malum patiantur ob proditionis ſuſpicionem, quæ acerrima eſſe ſolet.

Ceterum ea vbique formido fuit, apud fugientes, occurſantes, in acie pro vallo, vt deleri cum vniuerſo exercitu Cæcinnam potuiſſe, ni Suetonius Paulinus receptui ceciniſſet, vtriſque in partibus percrebuerit. Timuiſſe ſe Paulinus ferebat, tantum inſuper laboris atque itineris, ne Vitellianus miles recens e caſtris feſſos aggrederetur, perculſis nullum retros ſubſidium foret. apud paucos ea ducis ratio probata, in vulgus aduerſo rumore fuit.

RATIONES prudentum, quibus prauijs negocia ſua ducere ſolent, fere ſemper a paucis prudentibus probantur: in vulgus vero aduerſo rumore ſunt.

Haud perinde damnum Vitellianos in metum compulit, quàm ad modeſtiam compoſuit:

SAEPE ex malo elicitur bonum: & hoc eſt prudentis munus. Plut. De animi tranquillitate. Hinc aliquando damnum, quod ſuperbo alicui accidit, non perinde in motum illum compellere ſolet, quàm ad modeſtiam componere: vnde reuerentius & æqualius duci & ſuperiori ſuo pareat.

nec ſolum apud Cæcinnam, qui culpam in militem conferebat, ſeditioni magis, quàm prælio paratum,

BONVS miles magis debet eſſe prælio, quàm ſeditioni paratus. Qui vero magis eſt ſeditioni quam prælio, is eſt corruptus & prauus.

ſed Fabij quoque Valentis copiæ, iam enim Ticinum venerat, poſito hoſtinm contemptu.

NVMQVAM debet hoſtis, qualiſcumque ille ſit, contemni. Inde enim infinita mala.

& recuperandi decoris cupidine, reuerentius & æqualius duci parebant. Grauis alioquin ſeditio exarſerat, quam altiori initio, neque enim rerum a Cæcinna geſtarum ordinem interrumpi oportuerat, repetam. Cohortes Batauorum, quas bello Neronis, a quarradecima legione digreſſas, cum Britanniam peterent, audito Vitellij motu, in ciuitare Lingonum Fabio Valenti adiunctas retulimus, ſuperbe agebant, vt cuiuſque legionis tentoria acceſſiſſent, coercitos a ſe quartadecimanos, ablatam Neroni Italiam,

atque

atque omnem belli fortunam in ipſorum manu ſitam iactantes. Contumelioſum id militibus, acerbum duci, corrupta iurgijs aut rixis diſciplina. Ad poſtremum Valens e petulantia, etiam perfidiam ſuſpectabat.

E Petulantia etiam perfidia ſuſpectanda eſt. Cum fide enim pari paſſu ambulant reuerentia, obſequium & obedientia: omnia petulantia contraria. Unde elicitur concluſio, quam Auctor noſter hic ponit.

Igitur nuncio allato, pulſam Treuerorum alam Tungrosq. a claſſe Othonis, & Narbonenſem Galliam circumiri ſimul cura ſocios tuendi, & militari aſtu, cohortes turbidas, ac ſi vna forent, præualidas diſpergendi partem Batauorum, ire in ſubſidium iubet.

NON ſolum in caſtris inter milites, ſed etiam in ciuitatibus inter ciues, aſtus eſt, & conſilium laudabile; gentes turbidas, ac ſi vna forent, præualidas, diſpergere & ſeparare.

Quod vbi auditum, vulgatumq. mærere ſocij, fremere legiones, orbari ſe fortiſſimorum virorum auxilio, veteres illos & tot bellorum victores, poſtquam in conſpectu ſit hoſtis, velut ex acie abduci. ſi prouincia, vrbe, & ſalute imperij potior ſit, omnes illuc ſequerentur: ſin victoriæ ſanitas, ſuſtentaculum, columen in Italia verteretur, non abrumpendos, vt corpori validiſſimos artus.

CUM ab vniuerſitate aliqua militum & ſociorum aliqui ſegregantur; vere poteſt dici, quòd abrumpuntur corpori validiſſimi artus.

Hæc ferociter iactando; poſtquam immiſſis lictoribus, Valens coercere ſeditionem cœptabat, ipſum inuadunt, ſaxa iaciunt, fugientem ſequuntur. Spolia Galliarum, & Viennenſium aurum, & pretia laborum occultare clamitantes, direptis ſarcinis, tabernacula ducis, ipſamq. humum pilis & lanceis rimabantur. nam Valens ſeruili veſte, apud decurionem equitum tegebatur. Tum Alphenus Varus præfectus caſtrorum, deflagrante paulatim ſeditione, addit conſilium vetitis obire vigilias centurionibus, omiſſo tubæ ſono, quo miles ad belli munia cietur. Igitur torpere cuncti, circumſpectare inter ſe attoniti: & id ipſum, quod nemo regeret, pauentes, ſilentio, patientia, poſtremo precibus ac lacrymis veniam quærebant.

SUNT pulchra ea conſilia, quæ ex re ſubita capiuntur: & exercituum ducibus ſæpe offerunt ſe occaſiones expediendi ſe in re ſubita: vt hic Alphenus Varus abſque ſupplicijs & inuidia, milites erroris ſui commonefecit, & ad obſequium & diſciplinam reduxit.

Vt vero deformis & flens, præter ſpem, incolumis Valens proceſſit, gaudium, miſeratio, fauor.

GAUDIUM concipiebant milites Valentis, eo quòd viueret: miſerationem habebant, quòd periculum ſubijſſet: fauor erat erga illum, quòd ipſis regere denuo deberet. Et ſic vno accidenti plures affectus diuerſi oriebantur.

Verſi in lætitiam, vt eſt vulgus vtroque immodicum, laudantes gratantesq. circumdatum aquilis ſignisq. in tribunal ferunt.

VULGUS & in odio, & in fauore erga aliquem, ſemper eſt immodicum: nam eſt affectuum impotens, nec frænare eos nouit.

Ille, vtili moderatione,

SEMPER eſt vtilis moderatio, ſed præcipue in militaribus ſeditionibus compeſcendis. Alibi plura diximus.

non ſupplicium cuiuſquam popoſcit: ac ne diſſimulans ſuſpectior foret, paucos incuſauit:

SAEPE diſſimulatio nocet. Idq. cum ex ea ſuſpecti efficimur apud aliquos, quorum amor & fides nobis perutilis & neceſſaria ſit. Tali ergo in caſu relinquere eam prorſus oportet. Sic ſupra lib. 1. Hiſt. de Galba idem.

gnarus

gnarus ciuilibus bellis, plus militibus quàm ducibus licere,

CIVILIBVS bellis plus militibus quàm ducibus licet. Duces enim vt eis vtantur, multa contra fas & ius belli illis indulgent: vnde breui corruptio. Et merito miſerrima ſunt præ cæteris bella ciuilia.

Muneribus caſtra apud Ticinum, de aduerſa Cæcinnæ pugna allatum, & prope renouata ſeditio, tamquam fraude & cunctationibus Valentis prælio defuiſſent. Nolle requiem, non expectare ducem, anteire ſigna, vrgere ſigniferos: rapido agmine Cæcinnæ iunguntur. Improſpera Valentis fama apud exercitum Cæcinnæ erat: expoſitos ſe tanto pauciores integris hoſtium viribus querebantur, ſimul in ſuam excuſationem, & aduentantium robur per adulationem attollentes, ne vt victi & ignaui deſpectarentur. Et quamquam plus virium, prope duplicatus legionum auxiliorumq. numerus erat Valenti, ſtudia tamen militum in Cæcinnam inclinabant, ſuper benignitatem animi, qua promptior habebatur; etiam vigore ætatis, proceritate corporis, & quodam inani fauore.

CETERIS paribus in duobus viris, ille ſemper maiora habebit ſtudia vulgi, qui vigore ætatis, proceritate corporis, & quodam inani fauore, vulgi oculos magis in ſe trahet. Hinc non abs re dictum:

Gratior eſt pulchro veniens e corpore virtus

Et ex rebus inanibus ſæpe vulgi fauor acquiritur.

Hinc æmulatio ducibus. Cæcinna, vt fœdum & maculoſum: ille vt vanum ac tumidum irridebant. Sed condito odio, eandem vtilitatem fouere.

PRVDENTIS eſt, etſi cum aliquo ſimultatis cauſſam habeat, tamen condito odio eandem vtilitatem fouere.

crebris epiſtolis, ſine reſpectu veniæ, probra Othoni obiectantes: cum duces partium Othonis, quamuis vberrima conuiciorum in Vitellium materia, abſtinerent.

ETSI vberrimam conuiciorum materiam in inimicum habeas: abſtinere tamen ſemper debes ab ea. Caſus enim temporum adeo ſunt in hac mortalium vita varij; vt qui hodie tuus eſt acerrimus inimicus, cras poſsit eſſe dilectiſsimus amicus. Vnde pœnitentia ſequetur maledictorum in eum iactorum: & te leuem fuiſſe patebit.

Sane ante vtriuſque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagitioſiſſimum, meruere, minus Vitellij ignauæ voluptates, quàm Othonis flagrantiſſimæ libidines timebantur.

IN Principe minus timendæ ſunt a ſubditis ignauæ voluptates, quàm flagrantiſsimæ cupidines. Illæ enim ipſi ſoli, hæ vero omnibus ſubditis nocent.

Addiderat huic terrorem atque odium cædes Galbæ: contra, illi initium belli nemo imputabat. Vitellius, ventre & gula ſibi ipſi hoſtis: Otho, luxu, ſæuitia, audacia, Reip. exitioſior ducebatur. Coniunctis Cæcinnæ ac Valentis copijs, nulla vltra penes Vitellianos mora, quin totis viribus certarent. Otho conſultauit, trahi bellum, an fortunam experiri placeret. Tum Suetonius Paullinus, dignum fama ſua ratus, qua nemo illa tempeſtate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli cenſere.

PRVDENS Aulicus, cum occaſio apta ſe oſtendit, in qua ipſe ingenij & doctrinæ ſuæ vires palam oſtendere citra vanitatem, & iactantiam poſsit, ſemper vti ea debet. Sic enim apud Principem & Aulicos omnes innoteſcet; & exiſtimationem valde augebit. Sed id cum modo & menſura agendum.

Feſtinationem hoſtibus, moram ipſis vtilem diſſeruit. Exercitum Vitellij vniuerſum aduenisse: nec multum virium a tergo, quoniam Galliæ tumeant, & deſerere Rheni ripam, irrupturis tam infeſtis nationibus, non conducat. Britannicum militem, hoſte & mare diſtineri. Hiſpanias armis non ita redundare: prouinciam Narbonenſem, incurſu claſſis,

claſſis, & aduerſo prælio cõtremuiſſe: clauſam alpibus, & nullo maris ſubſidio, Tranſpadanam Italiam, atque ipſo tranſitu exercitus vaſtatam, non frumentum vſquam exercitui, nec exercitum ſine copijs retineri poſſe. Iam Germanos, quod genus militum apud hoſtes atrociſſimum ſit, tracto in æſtatem bello, fluxis corporibus, mutationem ſoli cæliq. haud toleraturos. Multa bella impetu valida, per tædia & moras euanuiſſe.

SAEPE multa bella impetu valida, per tædia & moras euaneſcunt. Tale fuit bellum, quod patrum noſtrorum memoria Lotrechius pro REGE GALLIARVM in Regno Neapolitano geſsit. Guicciard.

Contra, ipſis omnia opulenta & fida: Pannoniam, Moeſiam, Dalmatiam, Orientem, cum integris exercitibus: Italiam, & caput rerum Vrbem, ſenatumq. & populum, numquam obſcura nomina, & ſi aliquando obumbrentur:

ETSI aliquando nomen alicuius inſignis dignitatis obumbretur; tamen numquam obſcurari poteſt.

publicas priuatasq. opes, & immenſam pecuniam inter ciuiles diſcordias ferro validiorem:

INTER ciuiles diſcordias, pecunia eſt ferro validior: quæ per ſe ſolet eſſe bellorum neruus.

corpora militum aut Italiæ ſueta, aut æſtibus. Obiecere flumen Padum, tutas viris murisq. vrbes, e quibus nullam hoſti ceſſuram, Placentiæ defenſione exploratum: proinde duceret bellum. Paucis diebus quartam decimam legionem; magna ipſam fama, cum Moeſiacis copijs affore. Tum rurſus deliberaturũ, & ſi prælium placuiſſet, auctis viribus certaturos. Accedebat ſententiæ Paulini Marius Celſus. Idem placere Annio Gallo, paucos ante dies lapſu equi afflicto, miſſi qui conſilium eius ſciſcitarentur, retulerant. Otho pronus ad decertandum. Frater eius Titianus & præfectus prætorij Proculus imperitia properantes.

EX imperitia, properatio gignitur in conſilijs, & actionibus.

fortunam & deos & numen Othonis adeſſe conſilijs, affore conatibus teſtabantur: neu quis obuiam ire ſententiæ auderet, in adulationem conceſſerant. Poſtquam pugnari placitum, intereſſe pugnæ imperatorem, an ſeponi melius foret, dubitauere: Paulino & Celſo iam non aduerſantibus, ne principem obiectare periculis viderentur, ijdem illi deterioris conſilij auctores perpulere, vt Brixellum concederet. ac dubijs præliorum exemptus, ſummæ rerum & imperij ſe ipſum reſeruaret. Is primus dies Othonianas partes afflixit.

EX malis conſilijs, ſequuntur mali euentus, & ſemper res illius Principis ſe male habebunt, vbi viri prudentes parum auctoritatis habebunt; contra, imperiti & ignari præpotentes erunt, & in exiſtimatione.

Namque & cum ipſo prætoriarum cohortium, & ſpeculatorum, equitumq. valida manus diſceſſit; & remanentium fractus animus, quando ſuſpecti duces, & Otho, cui vni apud militem fides, dum & ipſe non niſi militibus credit, imperia ducum in incerto reliquerat.

QVAE poteſt eſſe victoria ſpes in illo exercitu, qui a pluribus ducibus regitur, quorum imperia ſunt in incerto?

Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris vt in ciuili bello transfugijs, & exploratores cura diuerſa ſciſcitandi, ſua non occultabant.

IN ciuili bello crebra ſolent eſſe transfugia: & exploratores cura ſciſcitandi diuerſa, ſua non occultant.

Quieti intentiq. Cæcinna ac Valens, quando hoſtis imprudentia rueret, quod loco ſapientiæ eſt, alienam ſtultitiam operiebantur.

LOCO ſapientia eſt, alienam ſtultitiam operiri. Sæpe enim hinc occaſio rei bene gerendæ patefit, quæ nulla alia ratione inuenitur. Hinc prouerbium Italicum, Temporeggiare.

inchoato

inchoato ponte, tranſitum Padi ſimulantes, aduerſus oppoſitam gladiatorum manum, ac ne ipſorum miles ſegne otium tereret,

CVRET ſemper dux ne miles terat ſegne otium, ſed illum in opere aliquo ſemper occupet: vt ſupra in Corbulone obſeruauimus.

naues pari inter ſe ſpatio, validis vtrimque trabibus connexæ, aduerſum in flumen dirigebantur, iactis inſuper anchoris, quæ firmitatem pontis continerent. ſed ancorarum funes non extenti fluitabant, vt augeſcente flumine, inoffenſus ordo nauium attolleretur. Claudebat pontem impoſita turris, & in extremam nauem educta: vnde tormentis & machinis hoſtes propulſarentur. Othoniani in ripa turrim ſtruxerant, ſaxaq. & faces iaculabantur. Et erat inſula amne medio, in quam gladiatores nauibus molientes, Germani nando prælabebantur. Ac forte plures tranſgreſſos, completis liburnicis, per promptiſſimos gladiatorum, Macer aggreditur. Sed neque ea conſtantia gladiatoribus ad prælia, quæ militibus,

HINC elicitur ratio dicti illius ſuperioris: Deforme auxilium gladiatores et c. nam ad prælia eadem illis non eſt conſtantia, quæ militibus.

nec perinde nutantes e nauibus, quàm ſtabili gradu e ripa vulnera dirigebant. & cum varijs trepidantium inclinationibus, immixti remiges propugnatoresq. turbarentur, deſilire in vada vltro Germani, retentare puppes, ſcandere foros, aut cominus mergere. quæ cuncta in oculis vtriuſque exercitus quanto lætiora Vitellianis, tanto acrius Othoniani cauſſam auctoremq. cladis deteſtabantur. Et prælium quidem, abruptis quæ ſuperfuerant nauibus, fuga diremptum: Macer ad exitium poſcebatur. Iamq. vulneratum eminus lancea, ſtrictis gladijs inuaſerat, cum intercurſu tribunorum centurionumq. protegitur. Nec multo poſt, Veſtricius Spurinna, iuſſu Othonis, relicto Placentiæ modico præſidio, cum cohortibus ſubuenit. Dein Flauium Sabinum conſulem deſignatum Otho rectorem copijs miſit, quibus Macer præfuerat, læto milite, ad mutationem ducum,

GAVDET miles ad mutationem ducum, & ratio eſt, quia maiori licentia vti poteſt. Sed hoc de corrupto milite intelligendum eſt.

& ducibus ob crebras ſeditiones, tam infeſtam militiam aſpernantibus.

MAXIMAM cauſſam habent duces aſpernandi militiam illam, in qua crebra oriuntur ſeditiones. Semper enim illis eſt infeſta.

Inuenio apud quoſdam auctores, pauore belli, ſeu faſtidio vtriuſque principis, quorum flagitia ac dedecus apertiore in dies fama noſcebantur,

PRINCIPVM flagitia & dedecora occultari diu nequeunt: ſed in dies apertiore fama noſcuntur, ob loci ſublimitatem, quæ illos latere non ſinit: vt alibi obſeruauimus.

dubitaſſe exercitus, num poſito certamine, vel ipſi in medium conſultarent, vel ſenatui permitterent legere imperatorem. Atque eo duces Othonianos ſpatium ac moras ſuaſiſſe, præcipue Paulinum: quod vetuſtiſſimus conſularium, & militia clarus, gloriam nomenq. Britannicis expeditionibus meruiſſet. Ego vt conceſſerim apud paucos, tacito voto, quietem pro diſcordia, bonum & innocentem principem, pro peſſimis ac flagitioſiſſimis expetitum:

TACITO voto apud paucos quies expetitur ſemper pro diſcordia: bonus & innocens Princeps, pro peſſimo ac flagitioſiſſimo. Sed tamen qualeſcumque tolerandi, vt infra dicet.

ita neque Paulinum, qua prudentia fuit, ſperaſſe, corruptiſſimo ſęculo, tantam vulgi moderationem reor, vt qui pacem belli amore turbauerant, bellum pacis charitate deponerent.

IMPRVDENTIS eſt, ſperare corruptiſſimo ſæculo, tantam vulgi moderationem, vt qui pacem belli amore turbauerint, bellum pacis charitate deponant. Immo qui eam introducere conatur, ſibi ipſi perniciem accelerat, & nihil agit. Ideo prudentis eſt, multa diſſimulare, & paulatim

prout offert ſe occaſio, bonos ordines inſerere: qui proceſſu temporis agunt id, quod ex abrupto, ab initio impoſſibile fuiſſet. Ab extremo enim ad extremum periculoſus eſt repentinus tranſitus.

neque aut exercitus linguis, moribus diſſonos, in hunc conſenſum potuiſſe coaleſcere.

VERISIMILE non eſt, quòd exercitus linguis moribusq. diſſoni, in vnum conſenſum poſſint coaleſcere. Hinc fluxit laus illa præcipua, quæ Annibali datur, qui exercitum ſuum ex diuerſarum gentium colluuie conflatum, in concordia & diſciplina vſque ad belli finem retinuit. Cuius laudis falſò rationem alij aſſignant ſummæ Annibalis ſæuitiæ: nam illa potius animos eorum a ſe abalienaſſet.

aut legatos ac duces, magna ex parte luxus, egeſtatis ſcelerum ſibi conſcios, niſi pollutum obſtrictumq. meritis ſuis principem paſſuros.

QVI magna ex parte, luxus, egeſtatis ac ſcelerum ſunt ſibi conſcij homines; hi numquam alium Principem, dummodo in eorum manu ſit poſitum, niſi pollutum, obſtrictumq. meritis ſuis patientur.

Vetus ac iam pridem inſita mortalibus potentiæ cupido, cum imperij magnitudine adoleuit, erupitq.

VETVS, ac iam pridem inſita mortalibus potentia cupido, cum imperij magnitudine adoleſcit. Hinc Horatius:

Creſcentem ſequitur cura pecuniam.

& quo quis plus habet, plus habere cupit, ob vaſtitatem animorum, quibus nullum finem circumſcripſit natura. Inde lacrymæ Alexandri, & gemitus, audientis multos eſſe mundos; quòd ipſe nondum vnum ſubegiſſet. Plutar. in eius vita.

Nam rebus modicis, æqualitas facile habebatur.

REBVS modicis æqualitas facile habetur. Hac ratione Reſpublicæ, quæ æqualitati ſtudent, & hanc pro fine habent, permagna imperia, & bella gerere fugiunt, & potius conſeruandis veteribus, quàm nouis parandis ſtudent: vt in Venetis videre licet. Romanis alius finis fuit; nam Regum in principio erat, quo extincto, Monarchiam agitare cœperunt animo, ea demum obtenta, cum nihil, quod vincerent, ſupereſſet; ſe ipſos vicerunt, ac vitijs mancipauerunt. Vnde Iuuenalis: Gula & luxuria incubuit, victumq. vlciſcitur orbem. Pertinent pulchre ad hanc ſententiam, illa Horatiana carmina:

Rectius ages, Licini, neque altum,
Semper vrgendo: *& quæ ſequuntur.*

ſed vbi ſubacto orbe, & æmulis vrbibus regibusq. excitis, ſecuras opes concupiſcere vacuum fuit, prima inter patres plebemq. certamina exarſere. Modo turbulenti tribuni, modo conſules præualidi, & in vrbe ac foro tentamenta ciuilium bellorum. Mox e plebe infima, C. Marius, & nobilium ſæuiſſimus L. Sulla, victam armis libertatem in dominationem verterunt. Poſt quos Gn. Pompeius occultior, non melior.

INTER mortales, & inter Aulicos multi reperiuntur quidem occultiores prauis aliquibus notis, ſed non meliores. Ab his maxime cauendum.

Et numquam poſtea, niſi de principatu quæſitum. Non diſceſſere ab armis in Pharſalia ac Philippis ciuium legiones, nedum Othonis ac Vitellij exercitus ſponte poſituri bellum fuerint. Eadem ſcelerum ira, eadem hominum rabies, eædem ſcelerum cauſſæ in diſcordiam egere. Quòd ſingulis velut ictibus tranſacta ſunt bella, ignauia principum, factum eſt.

QVOD bella multum non durent, in cauſſa ſolet eſſe ſæpiſſime ducum ignauia: vt ſupra annotauimus.

Sed me veterum nouorumq. morum reputatio longius tulit. Nunc ad rerum ordinem venio. Profectò Brixellum Othone, honor imperij penes Titianum fratrem, vis ac poteſtas penes Proculum præfectum.

IN multis Aulis hoc reperitur, vt honor imperij tantum penes Principem ſit, vis vero ac poteſtas penes miniſtrum aliquem. Sic ſupra lib. xij. Annal. Nomen regis apud Tiridaten, vim in Abdegeris domo, inquit Auctor.

Celſus & Paulinus, cum prudentia eorum nemo vteretur, inani nomine ducum, alienæ culpæ prætendebantur.

EVENIRE hoc ferme ſemper ſolet, vt cum prudentes viri auctoritate careant, nomina tamen eorum aliena culpa prætendantur.

Tribuni centurionesq. ambigui, quòd ſpretis melioribus, deterrimi valebant.

CORRVPTISSIMVS eſt ille exercitus & principatus, in quo, ſpretis melioribus, deterrimi valent.

Miles alacer, tamen iuſſa ducum interpretari, quàm exequi mallet.

MALE habet ſe militaris diſciplina in exercitu, cum miles mauult interpretari, quàm exequi iuſſa ducum. Signum enim eſt, quòd obſequium & obedientiam exuit.

Promoueri ad quartum a Bedriaco caſtra placuit, adeo imperite, vt quamquam verno tempore anni, & tot circum amnibus, penuria aquæ fatigarentur.

IMPERITIAE nullo modo excuſari poteſt ille Dux, qui exercitum verno tempore anni, per loca amnibus plena ducendo, prohibere neſcit, ne ille aquæ penuria fatigetur.

Ibi de prælio dubitatum, Othone per litteras flagitante, vt maturarent: militibus, vt imperaror pugnæ adeſſet, poſcentibus: plerique copias trans Padum agentes acciri poſtulabant. Nec perinde dijudicari poteſt, quid optimum factu fuerit, quàm peſſimum fuiſſe, quod factum eſt.

SIC in caſibus infelicibus euenire ſolet. Et ſupra lib. i. Hiſt. haud abſimile inquit auctor de Galba: Et optima erant conſilia, quorum iam tempus effugerat.

Non vt ad pugnam, ſed ad bellandum profecti,

ALIVD eſt ire exercitum ad pugnam, aliud ire ad bellandum. Illud enim deſignat diſciplinam, & occaſionis praſtolationem, & conſily rationem: Hoc vero præcipitem deliberationem, quoquo modo manus cum hoſte conferendi; ſeu æquis, ſeu iniquis condicionibus, loci, & temporis.

Confluentis Padi, Adduæ fluminum xvj. inde millium ſpatio diſtantes petebant. Celſo & Paulino abnuentibus, militem itinere feſſum, ſarcinis grauem, obijcere hoſti, non admiſſuro quo minus expeditus & vix quatuor millia paſſuum progreſſus, aut incompoſitos in agmine, aut diſperſos, & vallum molientes aggrederetur. Titianus & Proculus, vbi conſilijs vincerentur, ad ius imperij tranſibant.

POTENTIVM & imperitorum virorum hæc eſt natura, vt vbi conſilijs prudentum vincuntur, ad ius imperij & poteſtatis tranſeant.

Aderat ſane citus equo Numida, cum atrocibus mandatis, quibus Otho, increpita ducum ſegnitia, rem in diſcrimen mitti iubebat: æger mora & ſpei impatiens.

CAVEAT prudens Aulicus, qui Romæ progreſſus facere nititur, ne in moram ægritudinem, & ſpei impatientiam delabatur. Prudentiæ enim in totum aduerſantur.

Eadem die, ad Cæcinnam operi pontis intentum, duo prætoriarum cohortium tribuni, colloquium eius poſtulantes, venerunt. Audire condiciones ac reddere parabat, cum præcipites exploratores adeſſe hoſtem nunciauere. Interruptus tribunorum ſermo, eoq. incertum fuit, inſidias, an proditionem, vel aliquod honeſtum conſilium cœptauerint.

Cæcinna

Cæcinna, demiſſis tribunis, reuectus in caſtra, datum iuſſu Fabij Valentis pugnæ ſignum, & militem in armis inuenit. Dum legiones de ordine agminis ſortiuntur, equites prorupere, & mirum dictu, a paucioribus Othonianis, quo minus in vallum impingerentur, Italicæ legionis virtute territi ſunt. ea ſtrictis mucronibus, redire pulſos, & pugnam reſumere coegit. Diſpoſita Vitellianarum legionum acies, ſine trepidatione, & enim, quamquam vicino hoſte, aſpectus armorum denſis arbuſtis prohibebatur: apud Othonianos pauidi duces, miles ducibus infenſus, mixta vehicula & lixæ, & præruptis vtrimque foſſis, via quieto quoque agmini anguſta. Circumſiſtere alij ſigna ſua, quærere alij; incertus vndique clamor accurrentium, clamantium: & vt cuique audacia vel formido, in primam poſtremamve aciem prorumpebant, vel reuehebantur. Attonitas ſubito terrore mentes, falſum gaudium in languorem vertit,

M*ENS, quæ ſubito terrore attonita fuit, ſi falſum gaudium ei ſuperuenit, in languorem vertitur. Relaxantur enim ſpiritus omnes.*

repertis qui deſciuiſſe a Vitellio exercitum ementirentur. Is rumor ab exploratoribus Vitellij diſperſus, an ipſa Othonis parte, ſeu dolo, ſeu forte ſurrexerit, parum compertum.

S*IC ſupra lib. i. Hiſtor. de illis, qui a ſe occiſum Othonem falſo Galbæ iactabant, tradidit Auctor.*

Omiſſo pugnæ ardore, Othoniani vltro ſalutauere. & hoſtili murmure excepti, pleriſque ſuorum ignaris, quæ cauſſa ſalutandi, metum proditionis fecere. Tum incubuit hoſtium acies, integris ordinibus, robore & numero præſtantior. Othoniani quamquam diſperſi, pauciores feſſi, prælium tamen acriter ſumpſere. Et per locos arboribus ac vineis impeditos, non vna pugnæ facies. cominus eminusq. cateruis & cuneis, concurrebant: in aggere viæ, collato gradu corporibus & vmbonibus niri, omiſſo pilorum iactu, gladijs & ſecuribus galeas loricasq. perrumpere, noſcentes inter ſe, ceteris conſpicui, in euentum totius belli certabant. Forte inter Padum viamq. patenti campo duæ legiones congreſſæ ſunt: pro Vitellio Vnaetuiceſima, cui cognomen Rapaci, vetere gloria inſignis: e parte Othonis, prima Adiutrix, non ante in aciem deducta, ſed ferox, & noui decoris auida.

F*EROCES ſemper ſunt noui decoris auidi: gloriam enim ſolam præ oculis habent.*

Primani, ſtratis Vnaetuiceſimanorum principijs, aquilam abſtulere. quo dolore accenſa legio, & impulit rurſus primanos, interfecto Orphidio Benigno legato, & plurima ſigna vexillaq. ex hoſtibus rapuit. A parte alia propulſa Quintanorum impetu tertiadecima legio: circumuenti plurium accurſu quartadecimani. Et ducibus Othonis iam pridem profugis, Cæcinna ac Valens ſubſidijs ſuis firmabant. Acceſſit recens auxilium Varus Alphenus cum Batauis, fuſa gladiatorum manu, quam nauibus tranſuectam, oppoſitæ cohortes in ipſo flumine trucidauerant. ita victores latus hoſtium inuecti. Et media acie perrupta, fugere paſſim Othoniani Bedriacum petentes. Immenſum id ſpatium. obſtructæ ſtrage corporum viæ. quo plus cædis fuit. neque enim ciuilibus prælijs cepti, in prædam vertuntur.

C*IVILIBVS prælijs ſemper plus cædis committitur; quia capti in prædam non vertuntur. Ita quem auaritia locum habere nequit, poſſidet ſæuitia.*

Suetonius Paulinus, & Licinius Proculus, diuerſis itineribus, caſtra vitauere. Vedium Aquilam tertiædecimæ legionis legatum, iræ militum inconſultus pauor obtulit.

P*AVOR ſemper eſt inconſultus: vnde qui ab illo occupabitur, recte numquam deliberare poterit.*

Multo adhuc die. vallum ingreſſus, clamore ſeditioſorum & fugacium circumſtrepitur. Non probris, non manibus abſtinent, deſertorem proditoremq. increpant,

nullo proprio crimine eius, ſed, more vulgi, ſuum quiſque flagitium alijs obiectantes.

MOS vulgi eſt, ſuum flagitium alijs obiectare. Mire in varijs locis vitia vulgi recenſet Tacitus: & hoc procedit, vt ſupra diximus, quòd vulgus ex hominum genere peſſimo, nullis artibus bonis inſtituto conſtatur. Vnde credibile eſt omnia mala ab ipſo perpetrari poſſe, & nullum bonum.

Titianum & Celſum nox iuuit, diſpoſitis iam excubijs, compreſſisq. militibus, quos Annius Gallus precibus, conſilio, auctoritate flexerat, ne ſuper cladem aduerſæ pugnæ, ſuiſmet ipſi cædibus ſæuirent. ſiue finis bello veniſſet, ſeu reſumere arma mallent, vnicum victis in conſenſu leuamentum.

VNICVM eſt victis in conſenſu leuamentum. Quod tanti eſt, vt ſæpe eripiat victoriam e victoris manibus, & ipſis largiatur. Exemplorum ſunt plenæ omnes veteres & nouæ hiſtoriæ.

Ceteris fractus animus. Prætorianus miles non virtute ſe, ſed proditione victum fremebat.

CVM fortis vincitur non aduerſarij virtute, ſed ſuorum proditione; tunc magnam habet cauſſam, vnde fremat & indignetur.

Ne Vitellianis quidem incruentam fuiſſe victoriam, pulſo equite, rapta legionis aquila: Supereſſe eum ipſo Othone militum quod trans Padum fuerit: venire Mœſicas legiones: magnam exercitus partem Bedriaci remanſiſſe, hos certe nondum victos, & ſi ita ferret, honeſtius in acie perituros.

HONESTIVS cadit miles in acie, quàm ſuiſmet ipſe cædibus ſe conficiat.

His cogitationibus truces aut pauidi, extrema deſperatione ad iram ſæpius, quàm in formidinem ſtimulabantur. At Vitellianus exercitus, ad quintum a Bedriaco lapidem conſedit, non auſis ducibus eodem die oppugnationem caſtrorum. Simul voluntaria deditio ſperabatur. Sed expeditis & tantum ad prælium egreſſis, munimentum fuere arma & victoria.

MAXIMI momenti eſt ſemper victoria, de qua ſupra lib. i. Annal. Auctor: Cuncta in victoria habuere.

Poſtera die, haud ambigua Othoniani exercitus voluntate, & qui ferociores fuerant ad pœnitentiam inclinantibus, miſſa legatione, apud duces Vitellianos dubitatum, quo minus pacem concederent. Legati paulisper retenti. ea res hæſitationem attulit, ignaris adhuc an impetraſſent. Mox remiſſa relatione, patuit vallum. Tum victi, victoresq. in lacrymas effuſi, ſortem ciuilium armorum miſera lætitia deteſtantes. Iiſdem tentorijs, alij fratrum alij propinquorum vulnera fouebant.

MISERA eſt ſemper lætitia victoris in bello ciuili: nam iiſdem in tentorijs, victor fouet fratris & propinqui vulnera & mortem deflet.

Spes & præmia in ambiguo: certa, funera & luctus.

IN bellis omnibus & præſertim ciuilibus, ſpes & præmia ſunt in ambiguo; certa, funera & luctus. Reddit rationem huius rei Cæſar Commentariorum lib. ij. Cum ait, fortunam maxime in bellis dominari; vnde rerum omnium incertitudo, prout eleganter Tacitus noſter hic ait.

Nec quiſquam adeo mali expers, vt non aliquam mortem mæreret.

HINC videri poteſt infelicitas ciuilium bellorum: cum etiam victorum ipſorum nemo eſt adeo mali expers, vt non aliquam mortem lugeat.

Requiſitum Orphidij legati corpus, honore ſolito crematur. Paucos neceſſarij ipſorum ſepeliuere. Ceterum vulgus, ſuper humum relictum. Opperiebatur Otho nuncium pugnæ nequaquam trepidus, & conſilij certus.

IN hoc verſatur ſapientia propoſitum: vt numquam ſint homines trepidi, ſed conſilij certi.

Mæſta

Mæſtâ primum fama, dein profugi e prælio perditas res patefaciunr. Non expectauit militum ardor vocem imperatoris. bonum habere animum iubebant: ſupereſſe adhuc nouas vires, & ipſos extrema paſſuros, auſurosq. neque erat adulario.

CREDENDVM eſt, quòd qui tibi in tuæ calamitatis tempore ſe adiungunt, tibi non adulentur. Res aduerſas enim ſemper fugit adulator, & auram proſperæ fortunæ ſolum comitatur.

Ire in aciem, excitare partium fortunam furore quodam & inſtinctu flagrabanr. qui procul aſtiterant, tendere manus, & proximi prehenſare genua, promptiſſimo Plotio Firmo. Is prætorij præfectus, identidem orabat, ne fidiſſimum exercitum, ne optime meritos milites deſereret:

DVX numquam debet deſerere exercitum ſibi fidum, & milites optime de ſe meritos. Abſque enim duce illi omnibus ſunt expoſiti calamitatibus & iniurijs.

maiore animo tolerari aduerſa quàm relinqui.

MAIORE animo tolerantur aduerſa quàm relinquuntur. Illud eſt conſtantis proprium, hoc abiecti & fracti.

Fortes & ſtrenuos, etiam contra fortunam, inſiſtere ſpei,

FORTES viri & ſtrenui, etiam contra fortunam, inſiſtunt ſpei: Sic apud Virgilium pulchra adhortatio Sybillæ ad Aeneam:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Sic ſeipſum affatur Homericus Vliſſes:

Hoc patere o cor, namque grauiora tuliſti:

& illi fuere fortes, qui terga fortunæ non dederunt: vnde ea inuita, ſæpiſſime res ſuas lætas reddiderunt. Argumentum clariſſimum, nihil in ea reperiri potentiæ.

timidos ac ignauos ad deſperationem formidine properare.

SEMPER formidine properant ad deſperationem timidi & ignaui. Nullam enim rationem conſilij recti habere poſſunt, ob metus prædominium in ipſorum animis.

Quas inter voces, vt flexerat vultum, aut indurauerat Otho, clamor & gemitus. Nec prætoriani tantum, propius Othonis miles, ſed præmiſſi Mœſia, eandem obſtinationem aduentantis exercitus, legiones Aquileiam ingreſſas nunciabant. vt nemo dubitet potuiſſe renouari bellum atrox, lugubre, incertum victis & victoribus. Ipſe verſus a conſilijs belli:

ETSI rari, nonnulli tamen reperiuntur, qui tempus aliquod vitæ ſuæ penitus praue vixerunt: dein repente animis mutati, in totum boni effecti ſunt. Et hæc Othonis oratio eſt affectuum plena: & e firmo & obdurato exiens corde.

Hunc, inquit, animum, hanc virtutem veſtram vltra periculis obijcere, nimis grande vitæ meæ pretium puto.

GRANDE certe eſt pretium vitæ illius vnius, quæ in plurimorum periculo fundatur.

Quanto plus ſpei oſtenditis, ſi viuere placeret, pulchrior mors erit. Experti inuicem ſumus, ego ac fortuna.

SAEPE tædium vitæ oritur in illo, qui diuerſis fortunæ caſibus huc illuc iactatus fuit.

ne tempus computaueritis, difficilius eſt temperare felicitati, qua te non putes diu vſurum.

DIFFICILIVS eſt temperare felicitati, qua te non putes diu vſurum. More famelici cuiuſdam & egeni, qui auidius ſumit, quàm opus ſit, timens ne ſibi in futurum deſit.

Ciuile bellum a Vitellio cœpit, & vt de principatu certaremus armis, initium illic fuit. ne pluſquam ſemel certemus, penes me exemplum erit. Hinc Othonem poſteritas æſtimet.

Ex actionibus eorum poſteritas omnes homines, ſed præcipue Principes æſtimare ſolet: & vnicuique decus ſuum rependere. Vt ſupra vidimus in oratione Cremutii Cordi lib. iiij. Annal.

Fruetur Virellius fratre, coniuge, liberis. mihi non vltione, neque ſolatijs opus eſt.

Composito certe eſt ille animo, cui opus non eſt in ſuis malis, nec vltione nec ſolatio.

Alij diutius imperium tenuerunt; nemo tam fortiter reliquerit.

Maxima laus eſt in Principe, fortiter relinquere imperium & voluntarie.

An ego tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus, ſterni rurſus, & Reip. eripi patiar?

Vt multi pro vno pereant, malum eſt & deteſtandum: cum contra melius ſit & expediat, quòd vnus pro multis moriatur.

Eat hic mecum animus, tamquam perituri pro me fueritis. Sed eſte ſuperſtites, nec diu moremur, ego incolumitatem veſtram, vos conſtantiam meam. Plura de extremis loqui, pars ignauiæ eſt.

Superflue loqui de extremis multa, eſt pars ignauia.

præcipuum deſtinationis meæ documentum habete, quòd de nemine queror.

De nemine queri, in illo, qui ærumnis conflictatur & miſerijs, præcipuum eſt ſignum conſtantiæ, & firmitatis.

Nam incuſare deos vel homines, eius eſt, qui viuere velit.

Incusare deos vel homines, eius eſt, qui viuere velit: & ideo affectibus non temperat, & nondum ad compoſitionem rationis peruenit.

Talia locutus, vt cuique ætas aut dignitas, comiter appellatos, irent propere, neu remorando iram victoris aſperarent,

Victi eum remorantur, victoris iram aſperare ſolent.

iuuenes auctoritate, ſenes precibus monebat:

Auctoritate iuuenes, precibus ſenes ſunt monendi.

placidus ore, intrepidus verbis, intempeſtiuas ſuorum lacrymas coercens.

Fortitudinis ſignum eſt in illo Principe a fortuna afflicto, placiditatem oris ſeruare, verbis eſſe intrepidum, & ſuorum intempeſtiuas lacrymas coercere.

Dari naues, ac vehicula abeuntibus iubet. libellos epiſtolaſq. ſtudio erga ſe, aut Vitellium contumelijs, inſignes abolet.

Idem fecit Narciſſus, cum iuſſu Agrippinæ in Campania interfectus fuit. Dio. lib.

Pecunias diſtribuit parce, nec vt periturus. Mox Saluium Cocceianum fratris filium, prima iuuenta trepidum, & mærentem, vltro ſolatus eſt, laudando pietatem eius, caſtigando formidinem.

In iuuene laudanda eſt pietas, ſed formido caſtiganda.

An Vitellium tam immitis animi fore, vt pro incolumi tota domo, ne hanc quidem ſibi gratiam redderet? Merere ſe feſtinato exitu clementiam victoris.

Victus Princeps ab altero Principe ſi exitum ſuum feſtinat: hoc actu, quia illum tutum reddit in principatu, meretur clementiam ipſius erga ſuos proximos, quos relinquit ſuperſtites.

Non

Non enim vltima deſperatione, ſed poſcente prælium exercitu, remiſiſſe Reipub. nouiſſimum caſum.

Q *VI ciuis, non vltima deſperatione, ſed poſcente prælium exercitu ſuo, remittit Reipublicæ nouiſſimum caſum, hic magnam laudem meretur. Non ſic Cæſar & Pompeius, Sylla & Marius.*

Satis ſibi nominis, ſatis poſteris ſuis nobilitatis quæſitum: Poſt Iulios, Claudios, Seruios, ſe primum in familiam nouam imperium intuliſſe.

C *ONSOLATVS e vita hac migrare poteſt ille, qui dum vixit, ſatis nominis ſibi virtute & geſtis quæſiuit. Et ſatis etiam nobilitatis ſuis comparauit: principatum inferendo in familiam nouam poſt clariſſimas proſapias Principum præceſſorum.*

Proinde erecto animo capeſſeret viam, neu patruum ſibi Othonem fuiſſe, aut obliuiſceretur vmquam, aut nimium meminiſſet.

M *AIORVM noſtrorum, qui clari in Republica, ſed infelices fuerunt; nec obliuiſci vmquam debemus, nec nimium meminiſſe. Primum, vt fortiter agamus, & ab illis non degeneremus: ſecundum, ne nouas res tentemus, ſed parere Principibus diſcamus.*

Poſt quæ, dimotis omnibus, paulum requieuit: atque illum iam ſupremas curas agentem repens tumultus auertit, nunciara conſternatione ac licentia militum: namque abeuntibus exitium minitabantur, atrociſſima in Verginium vi, quem clauſa domo obſidebant. increpitis ſeditionis auctoribus regreſſus, vacauit abeuntium alloquijs, donec omnes inuiolati digrederentur. Veſperaſcente die, ſitim hauſtu gelidæ aquæ ſedauit. Tum allatis pugionibus, cum vtrumque tentaſſet, alterum capiti ſubdit. Et explorato iam profectos amicos, noctem quietam, vtq. affirmatur, non inſomnem egit.

C *LAVSVLA neceſſaria erat hæc, ad fugiendum reprehenſionem, quæ Plutarcho datur in ſimili caſu, dum mortem Catonis Vticenſis narrat, in eius vita. Et formidinis ſignum eſt hoc, potuiſſe in hoc vltimo vitæ ſuæ diſcrimine ſomnum capere Othonem.*

Luce prima, in ferrum pectore incubuit. Ad gemitum morientis, ingreſſi liberti, ſeruiq. & Plotius Firmus prætorij præfectus, vnum vulnus inuenere. Funus maturatum ambitioſis id precibus petierat, ne amputaretur caput, ludibrio futurum.

A *MBITIOSA cura eſt, quæ de corpore noſtro habetur poſt eius ab anima diſſociationem. Inde illud Theodori Philoſophi: Quid mihi refert, humi ne, an ſublimius putreſcam?*

Tulere corpus prætoriæ cohortes, cum laudibus & lacrymis, vulnus manusq. eius exoſculantes. Quidam militum, iuxta rogum interfecere ſe, non noxa, neque ob metum, ſed æmulatione decoris, & charitate principis. Ac poſtea, promiſcue Bedriaci, Placentiæ, alijs in caſtris, celebratum id genus mortis.

M *AGNVM ſignum charitatis in Principem eſt, interficere ſeipſum in eius funere: ſed deteſtabile eſt, & noſtra religioni aduerſum.*

Othoni ſepulchrum extructum eſt, modicum & manſurum.

R *ES modicæ fere ſemper diu manere ſolent.*

Hunc vitæ finem habuit ſeptimo & triceſimo ætatis anno. Origo illi e municipio Ferentino. Pater conſularis, auus prætorius, maternum genus impar, nec tamen indecorum, pueritia ac iuuenta qualem monſtrauimus. duobus facinoribus, altero flagitioſiſſimo, altero egregio, tantumdem apud poſteros meruit bonæ famæ, quantum malæ.

Q *VAE in vita noſtra flagitioſa gerimus, tantumdem apud poſteros merent malæ famæ, quàm bonæ, quæ egregia conficimus. Primum facinus Othonis flagitioſum fuit, cædes Galbæ. Secun-*

dum egregium, mors ſibi allata. Vt enim primo facinore patriam bellis ciuilibus implicuit: ſic ſecundo illam ab illis liberauit.

Vt conquirere fabuloſa, & fictis oblectare legentium animos, procul grauitate cœpti operis crediderim: ita vulgatis traditisq. demere fidem, non auſim.

H*ISTORICVM vt dedecet conquirere fabuloſa, & fictis oblectare legentium animos, cum hoc ſit procul grauitate operis; ita vulgatis traditisq. demere fidem illum non conuenit.*

Die, quo Bedriaci certabatur, auem inuſitata ſpecie, apud Regium Lepidum celebri luco, conſediſſe, incolæ memorant, nec deinde cætu hominum, aut circumuolitantium alitum, territam pulſamve, donec Otho ſe ipſe interficeret: tum ablatam ex oculis: & tempora reputantibus, initium finemq. miraculi, cum Othonis exitu competiſſe. In funere eius, nouata luctu ac dolore militum ſeditio. nec erat, qui coerceret.

P*ERICVLOSA eſt illa ſeditio, quæ renouatur in exercitu: nec adeſt qui illam coercere poſſit.*

Ad Verginium verſi, modo vt reciperet imperium, nunc vt legatione apud Cæcinam ac Valentem fungeretur minitantes orabant.

M*VLTI ſæpe minitantes orant; potentiores enim orando, imperant & minantur.*

Verginius per auerſam domus portam furtim digreſſus, irrumpentes fruſtratus eſt. Earum, quæ Brixelli egerant, cohortium, preces, Rubrius Gallus tulit. Et venia ſtatim impetrata, concedentibus ad victorem, per Flauium Sabinum, ijs copijs, quibus præfuerat. Poſito vbique bello, magna pars ſenatus extremum diſcrimen adijt, profecta cum Othone ab vrbe, dein Mutinæ relicta. illuc de aduerſo prælio allatum. Sed milites, vt falſum rumorem aſpernantes, quòd infenſum Othoni ſenatum arbitrabantur, cuſtodire ſermones, vultum habitumq. trahere in deterius: conuicijs poſtremo ac probris cauſſam, & initium cædis quærebant.

Q*VI aliquibus ſunt infenſi, ſic ſecum agere ſolent: ſermones eorum cuſtodiunt, vultum habitumq. trahunt in deterius: & poſtremo conuicijs & probris cauſſam, & initium cædis in eos quærunt.*

cum alius inſuper metus ſenatoribus inſtaret, ne præualidis iam Vitellij partibus, cunctanter excepiſſe victoriam crederentur. Ita trepidi & vtrimque anxij coeunt, nemo priuatim expedito conſilio inter multos ſocietate culpæ tutior.

I*N vniuerſitatibus, cum res ſunt dubia, ſæpe euenit; vt nemo priuatim ſit expedito conſilio; ſed quiſque inter multos ſocietate culpæ tutior.*

Onerabat pauentium curas ordo Mutinenſis, arma & pecuniam offerendo, appellabatq. Patres Conſcriptos, intempeſtiuo honore.

O*NERA ſunt intempeſtiui honores delati.*

Notabile iurgium inde fuit, quo Licinius Cæcinna Marcellum Eprium, vt ambigua diſſerentem, inuaſit. Nec cæteri ſententias aperiebant.

I*N cauſſa communi, non decet Senatorem in ſenatu ambigua diſſerere; ſed ſententiam aperire conuenit. Aulici callidi ſemper illud agunt, hoc fugiunt.*

Sed inuiſum memoria delationum, expoſitumq. ad inuidiam Marcelli nomen, irritauerat Cæcinnam, vt nouus adhuc, & in ſenatum nuper adſcitus, magnis inimicitijs clareſceret.

C*LARESCVNT homines magnis inimicitijs: & hæc eſt via, qua plerumque vtitur temporum condicio, ad extollendum aliquem: offerre ſcilicet illi magnas inimicitias, vt illas ſuperando, glorioſus euadat.*

Mode-

Moderatione meliorum dirempti.

IN multorum cætu, prauorum certamina & contentiones dirimuntur meliorum moderatione.

Et redicre omnes Bononiam, rurſus conſiliaturi. Simul, medio temporis, plures nuncij ſperabantur. Bononiæ, diuiſis per itinera qui recentiſſimum quemque percontarentur, interrogatus Othonis libertus cauſſam digreſſus, habere ſe ſuprema eius mandara reſpondit. Ipſum viuentem quidem relictum, ſed ſola poſteritatis cura, & abruptis vitæ blandimentis.

QVI viuit ſola poſteritatis cura, & abruptis omnibus vitæ blandimentis: hunc tamquam non viuentem habere poſſumus.

Hinc admiratio, & plura interrogandi pudor. Atque omnium animi in Vitellium inclinauere. Intererat conſilijs frater eius L. Vitellius, ſeq. iam adulantibus offerebat.

ADVLANTIBVS ne offerat ſe prudens Aulicus, qui magnam aliquam dignitatem ſperat a Principe, niſi ſecurus adeo ſit, vt illa labi e manibus non poſsit. Alioquin res ſuas præcipites dabit.

cum repente Cenus libertus Neronis atroci mendacio vniuerſos perculit, affirmans ſuperuentu xiiij. legionis, iunctis a Brixello viribus, cæſos victores, verſam partium fortunam. Cauſſa fingendi fuit, vt diplomata Othonis, quæ negligebantur, lætiore nuncio reualeſcerent. Et Cenus quidem rapidus in vrbem vectus, paucos poſt dies, iuſſu Vitellij pœnas luit. Senatorum periculum auctum, credentibus Othonianis militibus vera eſſe, quæ afferebantur. Intendebat formidinem, quod publici conſilij facie, diſceſſum Mutina, deſertæq. partes forent. Nec vltra in commune congreſſi, ſibi quiſque conſuluere.

IN rebus dubijs, parum agitur in commune, ſed quiſque ſibi conſulere ſolet.

donec miſſæ a Fabio Valente epiſtolæ, demerent metum. Et mors Othonis, quo laudabilior, eò velocius audita.

SEMPER, quo res ſunt laudabiliores, eo velocius audiuntur.

At Romæ nihil trepidationis: Cereales ludi ex more ſpectabantur: vt ceſſiſſe vita Othonem, & a Flauio Sabino præfecto Vrbis, quod erat in vrbe militum ſacramento Vitellij adactum, certi auctores in theatrum attulerunt, Vitellio plauſere: populus, cum lauro in floribus, Galbæ imagines circum templa tulit, congeſtis in modum tumuli coronis, iuxta lacum Curtij, quem locum Galba moriens ſanguine infecerat. In ſenatu, cuncta longis aliorum principatibus compoſita, ſtatim decernuntur. Additæ erga Germanicos exercitus laudes, grateſq. & miſſa legatio, quæ gaudio fungeretur. Recitatæ Fabij Valentis epiſtolæ ad conſules ſcriptę haud immoderatæ. Gratior Cæcinnæ modeſtia fuit, quòd non ſcripſiſſet. Ceterum Italia grauius atque atrocius, quàm bello afflictabatur. Diſperſi per municipia & colonias Vitelliani, ſpoliare, rapere, vi & ſtupris polluere, in omne fas nefasq. auidi, aut venales, non ſacro, non profano abſtinebant.

POST bellorum ciuilium finem, prouinciæ afflictantur grauius & atrocius, quàm in ipſis bellis. Nam Victores ipſi diſperſi per ciuitates, ſpoliant, rapiunt, vi ac ſtupris polluunt, in omne fas ac nefas auidi aut venales, non ſacro, aut profano abſtinent.

Et fuere qui inimicos ſuos ſpecie militum interficerent. Ipſiq. milites regionum gnari, refertos agros, dites dominos in prædam, aut ſi repugnatum foret, ad excidium deſtinabant: obnoxijs ducibus, & prohibere non auſis.

OBNOXII ſunt duces militibus, quorum ope victoriam belli ciuilis aſſecuti ſunt: nec illos prohibere audent. De hac materia vide apud Appianum lib. ciuilium bellorum 4. & 5.

Minus auaritiæ in Cæcinna plus ambitionis. Valens, ob lucra & quæſtus infamis, eoq. alienæ etiam culpæ diſſimulator.

DVCES, qui ſunt ob lucra & quæſtus infames; eo etiam aliena culpa ſunt diſſimulatores: & hi ſunt magis timendi, & plus damni afferunt ob auaritiam, quàm alij, quibus ambitio dominetur.

Iam pridem attritis Italiæ rebus, tantum peditum equitumq. vis, damnaq. & iniuriæ, ægre tolerabantur. Interim Vitellius victoriæ ſuæ neſcius, vt ad integrum bellum, reliquas Germanici exercitus vires trahebat. Pauci veterum militum in hibernis relicti, feſtinatis per Gallias delectibus, vt remanentium legionum nomina ſupplerentur. Cura belli Hordeonio Flacco permiſſa. Ipſe e Britannico delectu octo millia ſibi adiunxit. Et paucorum dierum iter progreſſus, proſperas apud Bedriacum res, ac morte Othonis concidiſſe bellum accepit. Vocata concione, virtutem militum laudibus cumulat. Poſtulante exercitu, vt libertum ſuum Aſiaticum equeſtri dignitate donaret, inhoneſtam adulationem compeſcuit.

DEBET ſemper compeſcere Princeps inhoneſtas adulationes: vt toties ſuperius diximus.

Dein, mobilitate ingenij, quod palam abnuerat, inter ſecreta conuiuij largitur.

MAGNA mobilitas ingenij eſt in illo, qui quod palam abnuit, inter ſecreta poſtea largitur.

honorauitq. Aſiaticum anulis, fœdum mancipium, & malis artibus ambitioſum.

DVPLEX genus ambitioſorum Aulicorum inueniuntur. Primum ambitionem malis artibus exercet: & hoc eſt malum, & pœna dignum. Secundum bonis artibus ſibi aditum ad honores, & dignitates quærit. Et hoc non eſt malum, & excuſatione dignum.

Iiſdem diebus, acceſſiſſe partibus vtramque Mauretaniam, interfecto procuratore Albino, nuncij venere. Luceius Albinus, a Nerone Mauretaniæ Cæſarienſi præpoſitus, addita per Galbam Tingitanæ prouinciæ adminiſtratione, haud ſpernendis viribus agebat. XVIII. cohortes, quinque alæ, ingens Maurorum numerus aderat, per latrocinia & raptus apta bello manus. cæſo Galba, in Othonem pronus, nec Africa contentus, Hiſpaniæ anguſto freto diremptæ imminebat. Inde Cluuio Rufo metus, & decimam legionem propinquare litori, vt tranſmiſſurus iuſſit. Præmiſſi centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent. Neque arduum fuit, magna per prouincias Germanici exercitus fama. Spargebatur inſuper ſpreto procuratoris vocabulo, Albinum inſigna regis, & Iubæ nomen vſurpare. Ita mutatis animis, Aſinius Pollio alæ præfectus, e fidiſſimis Albino, & Feſtus ac Scipio cohortium præfecti opprimuntur. Ipſe Albinus, dum e Tingitana prouincia Cæſarienſem Mauretaniam petit, appulſus litori trucidatur. Vxor eius, cum ſe percuſſoribus obtuliſſet, ſimul interfecta eſt: nihil eorum, quæ fierent, Vitellio anquirente. Breui auditu, quamuis magna, tranſibat, impar curis grauioribus.

PRINCIPES, qui ſunt impares curis grauioribus, breui auditu tranſeunt quamuis magna. Sic ſupra de Claudio idem.

Exercitum itinere terreſtri pergere iubet. Ipſe Arare flumine deuehitur, nullo principali paratu, ſed egeſtate conſpicuus: donec Iunius Blæſus, Lugdunenſis Galliæ rector, generi inluſtri, largus animo, & par opibus, circumdaret principi miniſteria, comitaretur liberaliter,

OMNIA munificentiæ & magnificentiæ munia explere poſſunt viri, qui ſunt largi animo, & pares opibus.

eo ipſo ingratus,

PLERVMQVE qui aliquem in miſeria iuuant, illi ſunt ingrati, præſertim ſi eum pare agunt. Videntur enim illi exprobrare egeſtatem, & propriam oſtentare munificentiam.

quamuis

quamuis odium Vitellius humilibus blanditijs velaret.

AVLICORVM, Romæ præſertim, proprium hoc eſt: velare odium humilibus blanditijs. Sic ſupra idem de Nerone cum Seneca. lib. xiij. Annal.

Præſto fuere Lugduni, victricium victarumq. partium, duces. Valentem & Cæcinnam pro concione laudatos, curuli ſuæ circumpoſuit. Mox vniuerſum exercitum occurrere infanti filio iubet. Perlatum, & paludamento opertum, ſinu retinens, Germanicum appellauit, cinxitq. cunctis fortunæ Principalis inſignibus. Nimius honos inter ſecunda, rebus aduerſis in ſolatium ceſſit.

NIMIVS honor inter ſecunda, rebus aduerſis, in ſolatium cedit. Huc pertinet illud Ciceronis: Bonorum præteritorum recordatio, præſentia mala ſubleuat. Et tale remedium docet Plutarchus ad componendos affectus, in commentario, De tranquillitate animi, quem vide.

Tum interfecti centuriones promptiſſimi Othonianorum: vnde præcipua in Vitellium alienatio, per Illyricos exercitus. Simul ceteræ legiones contactu & aduerſus Germanicos milites inuidia, bellum meditabantur. Suetonium Paulinum, ac Licinium Proculum, triſti mora ſqualidos tenuit: donec auditi, neceſſarijs magis defenſionibus, quàm honeſtis vterentur. Proditionem vltro imputabant: ſpatium longi ante prælium itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum vehiculis agmen, ac pleraque fortuita, fraudi ſuę aſſignantes.

TVRPIS eſt defenſio & claro viro indigna, qua apud hoſtem victorem vtitur aliquis: imputando vltro proditionem, & aſſignando pleraque fortuita ſua fraudi.

Et Vitellius credidit de perfidia, & fidem abſoluit. Saluius Titianus, Othonis frater, nullum diſcimen adijt, pietate & ignauia excuſatus.

VARIIS de cauſſis apud hoſtem excuſant pietas & ignauia. Prima veniam meretur: ſecunda ſecurum hoſtem de ſe reddit.

Mario Celſo conſulatus ſeruatur. Sed creditum fama obiectumq. mox in ſenatu Cæcilio Simplici quòd, eum honorem pecunia mercari nec ſine exitio Celſi voluiſſer. Reſtitit Vitellius, deditq. poſtea conſulatum Simplici, innoxium & inemptum. Trachalum, aduerſus criminantes, Galeria Vxor Vitellij protexit.

QVOD ſupra non ſemel obſeruauimus, hic repetimus: Mulieres Principis propinquas, vt vxores, ſorores & matres, plurimam vim in interceſſionibus apud ipſum habere.

Inter magnorum virorum diſcrimina, pudendum dictu, Maricus quidam, e plebe Boiorum, inſerere ſeſe fortunæ, & prouocare arma Romana, ſimulatione numinum auſus eſt.

SAEPE inter magnorum virorum diſcrimina inueniuntur audaces aliqui e plebe, qui ſeſe inſerere fortunæ, & arma potentium prouocare non timent.

Iamq. aſſertor Galliarum, & deus, nomen id ſibi indiderat, concitis octo millibus hominum, proximos Æduorum pagos trahebat: cum grauiſſima ciuitas, electa iuuentute, adiectis a Vitellio, cohortibus, fanaticam multitudinem diſiecit. Captus in eo prælio Maricus, ac mox feris obiectus, quia non laniebatur, ſtolidum vulgus inuiolabilem credebat, donec, ſpectante Vitellio, interfectus eſt. Nec vltra in defectores, aut bona cuiuſquam, ſæuitum. Rata fuere eorum, qui acie Othoniana ceciderant, teſtamenta, aut lex inteſtatis. Prorſus, ſi luxuriam temperaret, auaritiam non timeres. Epularum fœda & inexplebilis libido.

TVRPISSIMA eſt in Principe; epularum fœda ac inexplebilis libido.

Ex vrbe atque Italia, irritamenta gulæ geſtabantur, ſtrepentibus ab vtroque mari itineribus. exhauſti conuiuiorum apparatibus principes ciuitatum. vaſtabantur ipſæ

ciui-

ciuitates. degenerabat ac labore ac virtute miles, aſſuetudine voluptatum & contemptu ducis.

OB hæc duo degenerat, a labore ac virtute miles; ob aſſuetudinem voluptatum, & ob ducis contemptum.

Præmiſit in vrbem edictum, quo Vocabulum Auguſti differret, Cæſaris non reciperet, cum de poteſtate nihil derraheret.

NOVI Principes renuunt titulos odioſos & ſpecioſos. Sed de poteſtate nihil detrahunt: & hoc ex diſciplina Auguſti, vt obſeruauimus in lib. 1. Annal. initio.

Pulſi Italia mathematici. Caurum ſeuere, ne equites Rom. ludo & arena polluerentur. Priores id principes, pecunia & ſæpius vi, perpulerant. Ac pleraque municipia, & coloniæ, æmulabantur corrupriſſimum quemque adoleſcentium prerio illicere. Sed Vitellius aduentu fratris, & inrepenribus dominarionis magiſtris, ſuperbior & atrocior,

FERE ſemper Principes in peius mutantur: niſi optima inſtitutione & natura bonitate praditi fuerint. Nam inrepunt ſenſim magiſtri dominationis, vnde fiunt ſuperbiores & atrociores.

occidi Dolabellam iuſſit, quem in coloniam Aquinatem ſepoſitum ab Othone retulimus.

HAEC ſunt prima Tyrannorum in tyrannidis ingreſſu facinora. Cædes, exilia, & omnia ſimilia mala. Sic ſupra lib. 1. Annal. Primum principatus noui facinus fuit Poſthumi Agrippa cædes. Sic etiam lib. xiij. Annal. Prima nouo principatu cædes fuit Sillani proconſulis. &c.

Dolabella, audita morte Orhonis, vrbem introierar. Id ei Plautius Varus, prætura functus, ex intimis Dolabellæ amicis, apud Flauium Sabinum præfectum vrbis obiecit, tamquam rupra cuſtodia, ducem ſe victis partibus oſtentaſſet. Addidit tentaram cohortem, quę Hoſtiæ ageret. nec vllis tantorum criminum probationibus, in pœnirenriam verſus, ſecundam veniam poſt ſcelus quærebat. Contantem ſuper tanta re Flauium Sabinum, Triaria L. Vitellij vxor, vltra feminam ferox, terruit e periculo principis famam clementiæ affectare.

INTVTVM eſt ſubdito e periculo Principis famam clementiā affectare.

Sabinus ſuopte ingenio miris, vbi formido inceſſiſſet, facilis mutatu, & in alieno diſcrimine ſibi pauens, ne alleuaſſe videretur, impulit ruentem.

TALES viri inueniuntur, qui ſuopte ingenio ſunt mites: ſed vbi formido inceſſit, faciles ſunt mutatu, & in alieno diſcrimine ſibi pauent Ex frigiditate & remiſſione ſpirituum hoc procedit.

Igitur Vitellius metu & odio, quod Petroniam vxorem eius mox Dolabella in matrimonium accepiſſet,

EADEM fuit cauſa odij Tiberij in Aſinium. Gallum: ſupra lib. 1. Annal. ratione hac: timebat, ne plusquam ciuilia tali matrimonio agitaret.

vocatum per epiſtolas, vitata Flaminiæ viæ celebritare, diuertere Interamnam, arque ibi interfici iuſſit.

CAEDES a Tyranno patrantur ſemper occulte, & vitata locorum & temporum celebritate.

Longum interfectori viſum: ni itinere ac raberna proiectum humi iugulauit: magna cum inuidia noui principatus, cuius hoc primum ſpecimen noſcebatur.

NOVVM Principatum ferme ſemper magna comitatur inuidia. Et prima eius ſpecimina ſunt cædes, exilia, vincula, & ſimilia, vt proxime diximus. Hinc ſcite Dido apud Virgilium.

Res dura & regni nouitas me talia cogunt
Moliri, & late fines cuſtode tueri.

Et Triariæ licentiam, modeſtum e proximo exemplum onerabat, Galeria imperatoris vxor.

LICENTIA vnius, oneratur modeſto exemplo alterius paris e proximo.

non

non minax triſtibus:

IMPIUM & nefandum eſt, minacem ſe præbere triſtibus; quos immo omni ope alleuare par eſſet. Quis enim ſecurus eſt, ne tale quid ſibi contingat? Certe qui rerum humanarum varietatem, & inconſtantiam experti ſunt, ab hoc abhorere debent. Vnde grauiſſime & prudentiſſime Maro noſter in perſona Didonis, inquit,

Haud ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco,

& pari probitate, mater Vitelliorum Sextilia antiqui moris. Dixiſſe quin etiam, ad primas filij ſui epiſtolas, ferebatur, non Germanicum a ſe, ſed Vitellium genitum. Nec vllis poſtea fortunæ illecebris, aut ambitu ciuitatis in gaudium euicta, domus ſuæ tantum aduerſa ſenſit.

GRAVITATIS & ſapientiæ maximum eſt indicium, nullis fortunæ illecebris, aut ambitu ciuitatis in gaudium euinci. Qui enim contra agunt, toti a fortuna pendere profitentur. Contra, Sapiens in ſe ipſo omnia poſita habet bona, & totus a ſe pendet, & a ſuo iudicio.

Digreſſum a Lugduno Vitellium M. Cluuius Rufus aſſequitur, omiſſa Hiſpania: lætitiam & gratulationem vultu ferens, animo anxius, & petitum ſe criminationibus gnarus.

POTENS Aulicus apud Principem, etſi lætitiam, & gratulationem vultu fert; animo tamen eſt ſemper anxius, cum petitum ſe criminationibus ab æmulis non ignorat.

Hilarius Cæſaris libertus detulerat, tamquam audito Vitellij & Othonis principatu, propriam ipſe potentiam, & poſſeſſionem Hiſpaniarum tentaſſet: eoq. diplomatibus nullum principem præſcripſiſſet. Interpretabatur quædam ex orationibus eius contumelioſa in Vitellium, & pro ſe ipſo popularia.

VERE res nouas molitur miniſter ille, qui in orationibus & ſermonibus ſuis profert verba & ſententias in Principem contumelioſas, & pro ſe ipſo populares.

Auctoritas Cluuij præualuit, vt puniri vltro libertum ſuum Vitellius iuberet.

MAGNAM eſſe fatendum eſt auctoritatem miniſtri illius apud Principem, cum vltró eius accuſatores Princeps punire iubet: nedum audire non vult.

Cluuius comitatu principis adiectus, non adempta Hiſpania, quam rexit abſens, exemplo L. Arruntij, quem Tiberius Cæſar ob metum, Vitellius Cluuium nulla formidine retinebat. Non idem Trebellio Maximo honos. Profugerat Britannia, ob iracundiam militum. Miſſus eſt in locum eius Vectius Bolanus. E præſentibus, angebat Vitellium victarum legionum haud quaquam fractus animus. Sparſæ per Italiam & Victoribus permixtæ, hoſtilia loquebantur: præcipua quartadecimanorum ferocia, qui ſe victos abnuebant. quippe Bedriacenſi acie, vexillarijs tantum pulſis, vires legionis non affuiſſe. Remitti eos in Britanniam, vnde a Nerone exciti erant, placuit, atque interim Batauorum cohortes vna tendere, ob veterem aduerſus quartadecimanos diſcordiam. Nec diu in tantis armatorum odijs, quies fuit.

DIU quies eſſe non poteſt in multis & magnis armatorum odijs. Adeſt ob odium voluntas, & ob arma, facultas ſibi inuicem nocendi. Vnde nihil mirum, ſi cito vtrumque affectum explere volunt.

Auguſtæ Taurinorum, dum opificem quendam Batauus vt fraudatorem inſectatur, legionarius vt hoſpitem tuetur, ſui cuique commilitones aggregati, a conuicijs ad cædem tranſiere. & prælium atrox arſiſſet, ni duæ prætoriæ cohortes, cauſſam quartadecimanorum ſecutæ, his fiduciam, & metum Batauis feciſſet. quos Vitellius agmini ſuo iungi, vt fidos, legionem, Graijs alpibus traductam eo flexu itineris ire iuber, quo Viennam vitarent. Namque & Viennenſes timebantur. Nocte, qua proficiſcebatur legio,

gio, relictis paſſim ignibus, pars Taurinæ coloniæ ambuſta: quod damnum, vt pleraque belli mala, maioribus aliarum vrbium cladibus oblireratum.

IN magnis bellis, pleraque mala, etſi per ſe ampla, obliterantur tamen maioribus alijs cladibus. Vbi enim maior, Adagium eſt vulgatum, minor ceſſat.

Quartadecimani poſtquam alpibus digreſſi ſunt, ſeditioſiſſimus quiſque ſigna Viennam ferebant. conſenſu meliorum compreſſi.

AD comprimendas ſeditiones in exercitibus & in ciuitatibus, oportet, vt meliores conſentiant: & hoc eſt vnicum & optimum remedium.

& legio in Britanniam tranſuecta. Proximus Vitellio e prætorijs cohortibus metus erat. Separati primum, deinde, addito honeſtæ miſſionis lenimento, arma ad tribunos ſuos ferebant: donec motum a Veſpaſiano bellum crebreſceret. Tum reſumpta militia, robur Flauianarum partium fuere. Prima claſſicorum legio in Hiſpaniam miſſa, vt pace & otio miteſceret.

FEROCES militum animi, pace atque otio miteſcunt. Immo non ſolum miteſcunt, ſed ſæpe etiam effeminantur, ac corrumpuntur. Teſtis Annibalis exercitus apud Capuam. Liuius & ceteri Hiſtorici.

Vndecima ac ſeptima ſuis hibernis redditæ: tertiadecimani ſtruere amphitheatra iuſſi. Nam Cæcinna Cremonæ, Valens Bononiæ ſpectaculum gladiatorum edere parabant: numquam ita ad curas intento Vitellio, vt voluptates obliuiſceretur.

IN Principe turpe eſt, numquam eſſe ita intentum ad curas, vt voluptatum obliuiſcatur. Nam contra magis conueniret dici de illo, quod numquam ita ad voluptates intentus ſit, vt curarum obliuiſcatur. Multi certe alioquin laudabiliſſimi Principes, ob hoc ab Hiſtoricis reprehenſi fuerunt, & notati, quòd nimis voluptatibus dediti fuerunt: quorum nomina hic libens ſubſcribere omitto. Non ſic, Non ſic SIX. V. P. M. qui ita ſemper ad curas intentus eſt, vt neque cibi neque ſomni capiendi, neque naturæ neceſſitatibus ſatisfaciendi, & nihil vero addo, reminiſcatur: nedum voluptatum memoriam habeat & de experientia, & rei veritate loquor.

Et quidem partes modeſte diſtinxerat. ✶ Apud victores orta ſeditio ludicro initio, niſi numerus cæſorum inuidiam bello auxiſſet. Diſcubuerat Vitellius Ticini, adhibito ad epulas Verginio. Legati tribuniq. ex moribus imperatorum. ſeueritatem æmulantur, vel tempeſtiuis conuiuijs gaudent. perinde miles intentus, aut licentior.

EX moribus Principum & Imperatorum Aulici & miniſtri æmulantur ſeueritatem, vel tempeſtiuis conuiuijs gaudent. Perinde ſubditus & miles intentus, aut licentior. Sic de Veſpaſiano: Et æmulandi amor: cum his quæ ſequuntur. Huc pertinet aureum illud Platonis: Quales in Republica Principes, tales & reliqui ſolent eſſe ciues.

Apud Vitellium omnia indiſpoſita, temulenta, peruigilijs ac Bacchanalibus, quàm diſciplinæ & caſtris propriora.

NIHIL vmquam apud Principem debet eſſe indiſpoſitum, & temulentum: ſed omnia diſciplinæ, ac caſtris propriora, quàm peruigilijs ac Bacchanalibus; Caſus enim ſubiti ac inopinati ſæpe oriuntur.

Igitur duobus militibus, altero legionis quintæ, altero e Gallis auxiliaribus, per laſciuiam & certamen luctandi accenſis, poſtquam legionarius prociderat, inſultante Gallo, & ijs, qui ad ſpectandum conuenerant, in ſtudia diductis;

NVMQVAM non accidit, vt ij, qui ad ſpectandum certamen aliquod inter alios conueniunt, non deducantur in ſtudia.

erupere legionarij in perniciem auxiliorum, ac duæ cohortes interfectæ. Remedium tumultus fuit alius tumultus.

ET hoc in rebus humanis plerumque euenit, vt tumultus alicuius remedium ſit alius tumultus. Huc pertinet ſcitum illud Themiſtoclis: Perieram niſi periſſem. Hiſtoria eſt nota, Plutarchus & alij.

Puluis

Puluis procul & arma aſpiciebantur. Conclamatum repente xiiij. legionem, verſo itinere, ad prælium venire. Sed erant agminis coactores. Agniti dempſere ſolicitudinem. Interim Verginij ſeruus forte obuius, vt percuſſor Vitellij inſimulatur. & ruebat ad conuiuium miles, mortem Verginij expoſcens. Ne Vitellius quidem, quamquam ad omnes ſuſpiciones pauidus, de innocentia eius dubitauit. ægre tamen cohibiti, qui exitium viri conſularis, & quondam ducis ſui flagitabant. Nec quemquam ſæpius, quàm Verginium, omnis ſeditio infeſtauit. Manebat admiratio viri, & fama: ſed oderant vt faſtiditi.

SAEPE apud gentes manet alicuius viri admiratio & fama: ſed eam oderunt vt faſtiditi. Et quid erit de vitio, cum nimis excreſcet, ſi virtus nimia faſtidium parit? Intelligendum eſt hoc euenire in prauorum & ſceleſtorum mentibus: apud bonos enim tantum abeſt, vt nimia poſſit eſſe virtus, aut vt faſtidium mouere poſſit: quod potius exigua, & deficiens videatur: & ſui deſiderium ſemper relinquat. Quod contingere in Concionibus Euangelicis Reuerendi Patris Toleti e Societate IESV vſu didicimus: quæ etſi longa ſunt, tamen ob ipſarum miram doctrinam, & eloquentiam adeo omnium doctorum animis arrident: vt breuiſſima videantur & iudicentur; nedum faſtidium concire valeant. Vnde de illis dici poteſt, quod de Demoſthenis orationibus interrogatus dicebat Cicero: Pulcherrimam earum ſibi videri, quæ longiſſima eſſet. Iure merito ergo de tali ac tanto alumno gloriari poteſt Hiſpaniæ prouincia vniuerſa.

Poſtero die, Vitellius, Senatus legatione, quam ibi opperiri iuſſerat, audita, tranſgreſſus in caſtro, vltro pietatem militum collaudauit: frementibus auxilijs, tantum impunitatis atque arrogantiæ legionarijs acceſſiſſe.

NIHIL non audebunt ſeditioſi milites in exercitu, cum illorum arrogantiæ accedit impunitas.

Cohortes Batauorum, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remiſſæ, principium interno ſimul externoq. bello parantibus fatis. Reddita ciuitatibus Gallorum auxilia. ingens numerus, & prima ſtatim defectione inter inania belli aſſumptus. Ceterum, vt largitionibus affectæ tamen imperij opes ſufficerent, amputari legionum auxiliorumq. numeros iubet, vetitis ſupplementis. Et promiſcuæ miſſiones offerebantur. Exitiale id Reip. ingratum militi, cui eadem munia inter paucos, periculaq. ac labor crebrius redibant, & vires luxu corrumpebantur: contra veterem diſciplinam & inſtituta maiorum, apud quos virtute quàm pecunia res Romana melius ſtetit.

VIRTVTE ſemper ſtant melius publicæ res, quàm pecunia. Et id in Romanorum Republica apparuit primis illis temporibus: quando a raſtris & arandi officio auocabantur viri ſtrenui & fortiſſimi ad regimen ſuſtinendum imperij. Vt præter alia exempla. L. Quintius Cincinnatus docuit. Cuius cum Liuius. lib. iij Decad. 1. mentionem facit: addit pulcherrimam illam ſententiam, & dignam quæ ab omnibus huiuſce temporis Principibus memoriæ mandaretur. Operæpretium, inquit Liuius, eſt audire qui omnia præ diuitijs humana ſpernunt, neque honori magno locum, neque virtuti putant eſſe, niſi vbi effuſæ affluant opes. Spes vnica Imperij Populi Romani L. Quintius tranſ Tyberim contra eum ipſum locum, vbi nunc naualia ſunt, quatuor iugerum colebat agrum, quæ nunc prata Quintia vocantur, ibi ab legatis, ſeu foſſam fodiens, bipalio innixus, ſeu cum araret, operi certe, id quod conſtat agreſti intentus: & quæ ſequuntur ibidem.

Inde Vitellius Cremonam flexit, & ſpectato munere Cæcinnæ, inſiſtere Bedriacenſibus campis ac veſtigia recentis victoriæ luſtrare oculis concupiuit. Fœdum atque atrox ſpectaculum intra xl. pugnæ diem, lacera corpora, trunci, artus, putres virorum equorumq. formæ, infecta tabo humus, protritis arboribus atque frugibus, dira vaſtitas.

NON ſolum fœdum & atrox ſpectaculum, ſed etiam duce & Principe indignum eſt, luſtrare oculis veſtigia recentis victoriæ ciuilis partæ, viſendo lacera corpora, truncos, artus, putres virorum equorumq. formas, infectam tabo humum, & protritis arboribus ac frugibus diram vaſtitatem. Et quo fuit hæc Vitellij curioſitas deteſtanda, ita laudabilis fuit illa Germanici ad ſepeliendа & humanda ſuorum corpora: quam ſupra lib. j. Annal. vidimus.

Vu nec

nec minus inhumana pars viæ, quàm Cremonenſes lauro roſisq. conſtrauerant, extructis altaribus, cæſisq. victimis, regium in morem. quæ læta in præſens, mox perniciem ipſis fecere.

E*A eſt humanæ inconſtantia condicio, vt ſæpe quæ aliquibus læta in præſens ſunt, mox perniciem ipſis faciant. Grauiſſime & eleganter hac de re Maro noſter in perſonam Turni:*

Turno tempus erit, magno cum optauerit emptum
Intactum Pallanta: *& quæ ſequuntur.*

Aderant Valens & Cæcinna, monſtrabantq. pugnæ locos: hinc erupiſſe legionum agmen, hinc equites coortos: inde circumfuſas auxiliorum manus. Iam tribuni præfectiq. ſua quiſque facta extollentes, falſo vera, aut maiora vero miſcebant.

A*PVD Principem leuem, miniſtrorum eſt conſuetudo, vt ſua quiſque facta extollat, falſo vera, aut maiora vero miſceat.*

Vulgus quoque militum, clamore & gaudio, deflectere via, ſpatia certaminum recognoſcere, aggerem armorum, ſtrues corporum intueri, mirariq. & erant quos varia fors rerum, lacrymæq. & miſericotdia ſubiret.

S*I ſapiens non eſt, certe a ſapientia non multum abeſt ille, quem in aliorum miſerijs, varia fors rerum, & lacryma & miſericordia ſubit.*

At non Vitellius flexit oculos, nec tot millia inſepultorum ciuium exhorruit. lætus vltro, & tam propinquæ ſortis ignarus, inſtaurabat ſacrum dijs loci. Exin Bononiæ a Fabio Valente gladiatorum ſpectaculum editur, aduecto ex vrbe cultu. Quantoq. magis propinquabat, tanto corruptius iter, immixtis hiſtrionibus, & ſpadonum gregibus, & cetero Neronianæ Aulę ingenio. Namque & Neronem ipſum Vitellius admiratione celebrabat, ſectari cantantem ſolitus, non neceſſitate qua honeſtiſſimus quiſque, ſed luxu, & ſaginæ mancipatus emptusq.

T*YRANNVM ſequuntur probi & ſtrenui ciues neceſſitate: flagitioſi vero & luxurioſi, ob luxum & ſaginam, cui ſunt mancipati & empti.*

vt Valenti & Cæcinnæ vacuos honoris menſes aperiret, coartati aliorum conſulatus, diſſimulatus M. Macri, tamquam Othonianarum partium ducis: & Valerium Marinum, deſtinatum a Galba conſulem, diſtulit, nulla offenſa, ſed mitem & iniuriam ſegniter laturum.

M*ITES iniuriam ſegniter ferre ſolent. Et ideo cum his liberius agit Princeps, differendo illorum honores, vel omittendo. Proinde Aulicus prudens, etſi impudentiam fugere ſemper debet & immodeſtiam; tamen numquam ſic ſegniter mitem ſi oſtendat, vt Princeps cum illo hoc modo agere in animum inducat. Sed occaſione commoda ſe aperiente, animi vigorem oſtendat, & acrem ſe ſpirituum & ingenij exhibeat.*

Pedanius Coſta omittitur, ingratus principi vt aduerſus Neronem auſus, & Verginij extimulator. Sed alias protulit cauſſas.

Q*VOS Princeps aliqua de cauſſa occulta, vel plectit, vel ignominia afficit; alias huic rei ſolet ſemper prætendere cauſſas, ne interna ſui animi voluntas appareat.*

actæq. inſuper Vitellio gratiæ, conſuetudine ſeruitij.

C*ONSVETVDO ſeruitij cum Principe poſtulat, vt etiam de iniurijs agantur inſuper illi gratiæ. Et hic eſt omnium finis cum dominante. Vt ſupra idem in perſona Senecæ erga Neronem dixit.*

Non vltra paucos dies, quamquam acribus initijs cæptum, mendacium valuit.

M*ENDACIA, quæ acribus initijs incipiuntur, diu valere non ſolent. Trahunt enim ad veritatem detegendam omnium mentes & curas, & ſtatim vaneſcunt.*

Extiterat quidam, Scribonianum ſe Camerinum ferens, Neronianorum temporum metu in Hiſtoria occultatum, quod illic clientelæ & agri veterum Craſſorum, ac nominis

nominis fauor manebat. Igitur deterrimo quoque, in argumentum fabulæ aſſumpto, vulgus credulum, & quidam militum errore veri, ſeu turbarum ſtudio, certatim aggregabantur.

TRIBVS his de cauſſis potiſſimum certatim aggregatur vulgus innouatoribus rerum, & auctoribus mendaciorum: Nimia credulitate, veri errore, & ſtudio turbarum.

eum pertractus ad Vitellium, interrogatusq. quiſnam mortalium eſſet, poſtquam nulla dictis fides, & a domino noſcebatur, condicione fugitiuus, nomine Geta, ſumptum de eo ſupplicium in ſeruilem modum.

STATIM debet a Principe ſumi ſupplicium de temerarijs illis, qui audent mendacia confingere, ad excitandos tumultus in prouincijs.

Vix credibile memoratu eſt, quantum ſuperbiæ ſecordiæq. Vitellio adoleuerit, poſtquam ſpeculatores Syria Iudæaq. adactum in verba eius Orientem nunciauere. Nam & ſi vagis adhuc & incertis auctoribus, erat tamen in ore famaq. Veſpaſianus, ac plerumque ad nomen eius Vitellius excitabatur.

VIRI clari & virtutum eminentia inſignes, ſemper ſunt in ore & fama gentium, & numquam non ad nomen eorum etiam abſentium, æmuli excitantur.

Tum ipſe exercitusq. vt nullo æmulo, ſæuitia, libidine, raptu, in externos mores proruperant.

MAGNAS nobis æmulos, & inimicos afferre vtilitates, nemo eſt aut in litteris mediocriter adeo verſatus, aut rerum experientia tam leui exercitus, qui neſciat. Quas hic referre ſuperſedebo cum elegantiſſimus & copioſiſſimus a Plutarcho ſit editus tractatus, de capienda ex hoſtibus vtilitate: ad quem lectorem remitto. Hac de cauſa conſulebat Naſica, e Republica ſibi non videri Carthaginem deleri: ne ſcilicet hoſte illo amoto, in ſeipſum Pop. Rom. vires proprias converteret, & ſeipſum deſtrueret.

At Veſpaſianus bellum armaq. procul vel iuxta ſitas vires, circumſpectabat.

IN magna aliqua re aggredienda, prudens debet circumſpectare vires ſuas procul vel iuxta ſitas antequam rem inchoet. Hinc recte Cicero 1. officiorum inquit: Ad rem gerendam qui accedit, caueat, ne id modo conſideret, quàm illa res honeſta ſit, ſed etiam vt habeat efficiendi facultatem: & quæ ſequuntur ibidem.

Miles ipſi adeo paratus, vt præeuntem, ſacramentum & fauſta Vitellio omnia precantem per ſilentium auderint. Muciani animus, nec Veſpaſiano alienus, & in Titum pronior præfectus Ægypti Alexander, conſilia ſociauerat. Tertiam legionem, quod e Syria in Moeſiam tranſiſſet, ſuam numerabat. ceteræ Illyrici legiones, ſecuturæ ſperabantur. Namque omnes exercitus flammauerat arrogantia venientium a Vitellio militum, quod truces corpore, horridi ſermone, ceteros vt impares inridebant.

ETSI Aulicus virtute, ingenio, & gratia multis alijs apud Principem præſtet, numquam tamen irrideat ceteros, aut deſpiciat vt impares. Flammantur enim omnium mortalium animi, ex arrogantia ſuorum parium, & ſimilium.

Sed inerat a mole belli plerumque contatio, & Veſpaſianus modo in ſpem erectus aliquando aduerſa reputabat. Quis ille dies foret, quo LX. ætatis annos, & duos filios iuuenes bello permitteret? eſſe priuatis cogitationibus progreſſum: & prout velint, plus minuſue ſumi ex fortuna. Imperium cupientibus, nihil medium inter ſumma aut præcipitia.

EST priuatis cogitationibus progreſſus, & prout velint, plus minuſue ſumitur ex fortuna. Imperium cupientibus, nihil eſt medium inter ſumma ac præcipitia. Si enim recte non ſuccedunt auſa, extinguitur qui concupiuerat & tentauerat, vltione eorum, qui rerum potiuntur. Io. Aloiſii Fliſci dictum celebre ad vxorem, pridie quam moreretur, huc pertinet: Hodie te aut feliciſſimam, aut infeliciſſimam omnium mulierum reddam. Sic de Cæſare, cum Pontificatum peteret, refert Plutarchus, eum dixiſſe Matri: Hodie me aut Pontificem, aut exulem videbis.

Verſabatur ante oculos Germanici exercitus robur, notum viro militari. Suas legiones, ciuili bello inexpertas, Vitellij victrices.

VIRO militari robur exercitus alterius ducis notum eſt. Ob peritiam enim recte iudicare de illo poteſt: ſicut etiam ſuorum militum qualitatem probe nouit, & in neutro decipitur.

& apud victos, plus querimoniarum, quàm virium.

APVD victos plus eſt querimoniarum, quàm virium: has victores abſtulerunt; illas reliquerunt.

Fluxam per diſcordias militum fidem, & periculum ex ſingulis.

EST fluxa per diſcordias militum fides, & periculum ex ſingulis. Aurantius Princeps documentum dedit noſtris temporibus, a ſuis hoſtibus incolumis, deinde ſingularis militis audacia peremptus: & hic caſus vix euitari poteſt. Dummodo enim quis in animum inducat ſe velle non viuere, poteſt quemuis magnum Monarcham interficere. Sed rariſſima ſunt exempla. Tale Pauſania erga Philippum: Cimeriotti cuiuſdã erga Solimanum: Timariotti erga Mahemetem Primũ Viſirem: & nonnulla alia, quæ in multis ſæculis euenerunt.

Quid enim profuturas cohortes, alasq. ſi vnus alterq. præſenti facinore paratum ex diuerſo præmium petat?

PARVM proficiunt cohortes, alæ, & exercitus illi Principi & duci; ſi vnus alterq. præſenti facinore paratum ex diuerſo præmium petat.

Sic Scribonianum ſub Claudio interfectum;

MAGNA exempla in magnis deliberationibus multum ponderis habere ſolent, ad impellendos vel refrænandos animorum noſtrorum motus.

ſic percuſſorem eius Volaginium, e gregario ad ſumma militiæ prouectum.

MIRVM non eſt, quòd Volaginius ob interfectum Scribonianum e gregario milite ad ſumma militiæ prouectus ſit. Nam, vt idem Auctor ſupra lib. xij. Annal. dixit, ſumma ſcelera incipiuntur cum periculo, peraguntur cum præmio.

Facilius vniuerſos impelli, quàm ſingulos vitari.

VNIVERSI facilius impelluntur, quàm ſinguli vitantur. Primum quaſi in manu noſtra eſt, noſtris enim artibus poſſumus homines impellere quo volumus: ſecundum in aliena manu: & ideo nullam ſecuritatem nobis de ea re polliceri poſſumus; cum vt ſupra dixi, quilibet vitam ſuam poſſit effundere, cum periculo magnorum Regum.

His pauoribus nutantem,

VIR fortis poteſt quidem pauere. Sed hoc intereſt inter pauorem fortis & timidi: quòd hic conſternatur, & penitus animum diſpondet, & conſilium amittit. Ille vero ſolum nutat, ſed ratione prauia ſe explicare nouit e periculo.

& alij legati amiciq. firmabant, & Mucianus eſt, poſt multos ſecretosq. ſermones, iam & coram ita locutus:

Omnes, qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent, an quod inchoatur, Reip. vtile, ipſis glorioſum, aut promptum effectu, aut certe non arduum ſit. Simul ipſe, qui ſuadet, conſiderandus eſt, adijciat ne conſilio periculum ſuum: & ſi fortuna cœptis affuerit, cui ſummum decus acquiratur.

VERE omnes, qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent, an quod inchoatur, Reipublicæ vtile, ipſis glorioſum, aut promptum effectu, aut certe arduum non ſit. Simul ipſe, qui ſuadet, conſiderandus eſt, adijciat ne conſilio periculum ſuum, & ſi fortuna cœptis affuerit, cui decus acquiratur. Et eſt pulchra hæc Muciani inſinuatio, vt fidem ſibi acquirat. Nam certiſſimum eſt, plus in omnibus rebus arduis poſſe homines ſibi polliceri de eo, qui habet periculum commune, & eſt obſtrictus cum damno ſuo, quàm de quouis alio maximis beneficijs affecto. Ingratorum enim maxima copia eſt. Sed qui habet rem ſuam tecum coniunctam, is nunquam te deſerit. Inde callidi ducẽs & Principes, qui ſe voluerunt ad aliquod magnum facinus accingere, quod haberet opus mul-

titudine

titudine hominum, eos primum varijs artibus ſibi obſtriuxerunt, & eo adduxerunt, vt commune ipſis, quod etiam eorum intereſt, faciant. Sic Ciuilis, vt infra videbimus, populos in partem ſuam traxit. Sic noſtris temporibus Aurantius Princeps Belgas decepit vſque adeo, vt per duodecim & amplius annos, dum vixit, bellum cum ipſis aduerſus potentiſſimum Monarcham PHILIPPVM geſſerit.

Ego te Veſpaſiane ad imperium voco, tam ſalutare Reipublicæ, quàm tibi magnificum.

L*IBENTER ſuſcipere vir fortis debet illam prouinciam, quæ & ipſi ſit magnifica, & Reipub. ſalutaris.*

Iuxta deos in tua manu poſitum eſt.

D*E omnibus prudentibus poteſt dici, quòd iuxta Deum, in eorum manu poſitus eſt cuiuſque negotij felix exitus.*

Nec ſpeciem adulantis expaueris, a contumelia quàm laude propius fuerit, poſt Vitellium eligi.

E*LIGERE virum excellentis virtutis in Principem, poſt flagitioſiſſimum & nequam Tyrannum, propius eſt illi a contumelia, quàm a laude.*

Non aduerſus diui Auguſti acerrimam mentem, nec aduerſus cautiſſimam Tiberij ſenectutem, nec contra Cai quidem, aut Claudij, vel Neronis fundatam longo imperio domum exurgimus.

H*AEC ſunt quæ coniurantem in Principem magnopere deterrere poſſunt, & a propoſito coniurandi remouere: Principis, in quem coniurat, mens acerrima: ſenectus cautiſſima: & domus longo imperio fundata. Primæ enim duæ circumſtantiæ poſſunt detegere ante executionem factum: Tertia vero illis nullum relinquit poſt facinus patratum, refugium.*

Ceſſiſti etiam Galbę imaginibus. Torpore vltra, & polluendam perdendamq. Rempub. relinquere, ſopor & ignauia videretur. etiam ſi tibi, quàm inhoneſta, tam tuta ſeruitus eſſet.

S*VB Tyranno fere omnibus illis, quibus eſt inhoneſta ſeruitus, illa etiam eſt intuta. Cum tales viri ſemper ob claritudinem virtutis & famæ, ſint ſemper Tyranno ſuſpecti.*

Abijt iam & tranſuectum eſt tempus, quo poſſes videri concupiſſe.

I*LLAE ſunt glorioſæ & pulchræ dignitates, quas qui aſſequitur, non ſolum non ambiuit, nec quæſiuit, immo nec concupiuit. Et in qua Aula hodierni ſæculi tales viros, immo Heroas conſpiciemus?*

Confugiendum eſt ad imperium. An excidit trucidatus Corbulo? ſplendidior origine quàm nos ſumus, fateor. Sed & Nero nobilitate natalium, Vitellium anteibat. Satis clarus eſt apud timentem quiſquis timetur.

S*ATIS clarus eſt apud timentem quiſquis timetur. Qui timeantur, & timeant, & quales ſint, abunde recenſet Ariſt. in 2. Rethor. Apud Tyrannum, clari & illuſtres natalibus præcipue, formidabiles ſunt. Sed præter hos etiam, ſtrenui, bellicoſi, & qui factionibus pollent, timorem non paruum incutiunt. Cum ergo Veſpaſianus, & Mucianus, etſi non ſplendidiſſimis familijs, attamen ingentium exercituum duces eſſent, tantumdem erat, quantum ad timorem incutiendum Vitellio; ac ſi e primoribus ſenatoribus fuiſſent. Et hic eſt ſenſus ſententiæ huius.*

& poſſe ab exercitu principem fieri, ſibi ipſe Vitellius documento eſt, nullis ſtipendijs, nulla militari fama, Galbæ odio prouectus.

M*VLTI ſæpe proueuntur ad dignitates nullis ſuiſmet meritis, ſed odiò alicuius æmuli prouehentibus inuiſi.*

Ne Othonem quidem, ducis arte, aut exercitus vi, ſed præpropera ipſa ipſius deſperatione victum, iam deſiderabilem & magnum principem fecit.

S*I ignauo Principi ignauior ſuccedit; hic ſucceſſor ſua ignauia, absque vllo alio argumento, facit magnum & deſiderabilem Principem præceſſorem ſuum, etſi ignauum.*

Cum interim ſpargit legiones exarmat cohortes, noua quotidie bello ſemina miniſtrat. ſi quid ardoris ac ferociæ miles habuit, popinis, & commeſſationibus, & principis imiratione deteritur.

VERE ſi quid ardoris ac ferociæ miles habet, id popinis, commeſſationibus, ac luxu deteritur. Peſtes enim ſunt exercituum.

Tibi e Iudæa & Syria & Ægypto nouem legiones integræ, nulla acie exauſtæ, non diſcordia corruptæ. Sed firmatus vſu miles, & belli domitor externi. Claſſium, alarum, cohortium robora, & fidiſſimi reges; & tua ante omnes experientia.

MAGNA cum victoria fiducia, poteſt bellum ſuſcipere dux ille, qui ingenti ipſe ſit præditus belli experientia: exercitum habeat integrum, nulla acie exhauſtum, non diſcordia corruptum, ſed vſu firmatum & bellorum externorum domitorem: ſemper inſtructus ſit claſſe valida, & fidiſſimis & potentiſſimis ſocijs. Huc adijce e conuerſo, eum hoſte belligeret inexperto, corrupto, nullius experientiæ ducem habente, & illi inuiſum.

Nobis nihil vltra arrogabo, quàm ne poſt Valentem ac Cæcinnam numeremur. Ne tamen Mucianum ſocium ſpreueris, quia æmulum non experiris: me Vitellio antepono, te mihi.

DEGENERES numquam æmulantur: vnde ſemper ſpernendi conſpiciuntur. Et de æmulatione loquor, quæ virtutes reſpicit, & facta illuſtria. Ideo prudenter Mucianus, ſicut a ſe arrogantiæ vitium reijcit, cedendo Veſpaſiano in æmulatione imperij: ſic & puſillanimitatis ſuſpicionem ex illius animo euellit:

Tuæ domui triumphale nomen, duo iuuenes, capax iam imperij alter, & primis militiæ annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. Abſurdum fuerit, non cedere imperio ei, cuius filium adoptaturus eſſem, ſi ipſe imperarem.

QVASI dicat: Etiamſi inter nos cetera ſint paria; tamen tu es ſenior, ego iunior. Porro ceteris paribus, iuniorem concedere debere ſeniori dubium non eſt: & immo nos id ſupra lib. ij. Annal. obſeruauimus in Sentio & Marſo Germanici legatis: vbi lectorem remittimus.

Ceterum inter nos non idem proſperarum aduerſarumq. rerum ordo erit. Nam ſi vincimus, honorem, quem dederis habebo, diſcrimen ac periculum, ex æquo partiemur. immo vt melius eſt, tu hos exercitus rege, mihi bellum & præliorum incerta trade.

ILLIVS conſilio vt fido aures adhibere potes, qui in re dubia diſcrimen quidem ac periculum tecum partitur, ſed ſi res proſpere cedunt, omnia tua erunt, & ille ſolum habebit quæ tu dederis, & nihil amplius. Et qui in re dubia, tibi honorem & ſuperioritatem, vt ita loquar, relinquit, ipſe vero ſolum pericula & labore depoſcit.

Acriore hodie diſciplina, victi, quàm victores agunt.

SAEPE victi agunt acriore diſciplina, quàm victores.

Hos ira, odium, vltionis cupiditas ad virtutem accendit:

QVOD ira ad virtutem accendat, mirum nobis eſſe non debet: cum teſte Philoſopho in 2. Rhet. ſit ira acerrima virtutis miniſtra. Et ſupra obſeruauimus, quod ars prudentis ducis eſt aliqua ratione, iram in militibus ſuis incendere, quo fortius & audentius in hoſtes ferantur, & de illis victoriam referant.

Illi per faſtidium & contumaciam hebeſcunt.

VT per iram animi militares ad virtutem accenduntur, ſic e conuerſo per faſtidium & contumaciam eos hebeſcere dubium non eſt.

Aperiet & recludet, contecta victricium partium, & tumuſcentiæ vulnera, bellū ipſum.

BELLVM ipſum aperire ſolet & recludere contecta victricium partium vulnera.

Nec mihi maior in tua vigilantia, parſimonia, ſapientia, fiducia eſt, quàm in Vitellij torpore, inſcitia, ſæuitia.

FERE tantumdem poteſt dux in adipiſcenda victoria de hoſte, confidere in torpore, inſcitia, & ſæuitia hoſtis ſui, quàm in ſua vigilantia, parſimonia & ſapientia.

Sed

Sed & meliorem in bello cauſſam, quàm in pace habemus. Nam qui deliberant deſciuerunt.

QVI deliberant deſciuerunt. Fides enim erga Principem, res eſt adeo candida, & ſordium abnuens, vt minima macula, vel naeuus eam corrumpere, atque inficere queat. Ideo etſi non ſemper ad exitus perducuntur rebelliones, coniurationes & machinamenta; ſufficit ad eam frangendam, cogitationes de ijs rebus habuiſſe. Quæ etiam ſecundum leges puniuntur atrociſſime aque ac facta ipſa. Hinc concludit aptiſſime Mucianus, neceſſe eſſe bellum ſuſcipere, poſtquam idem exitus, bellent, aut non bellent, eos manet iam pridem a fide Vitellij diſceſſos, ex quo agitare de hac re cœperunt. Vnde ſequitur quòd meliorem etiam in bello, quàm in pace cauſſam habeant.

Poſt Muciani orationem ceteri audentius circumſiſtere, hortari, reſponſa vatum, & ſiderum motus referre. Nec erat intactus tali ſuperſtitione, vt qui mox rerum dominus, Seleucum quendam mathematicum, rectorem & præſcium palam habuerit.

TVRPE eſt in Principe præſertim ſapienti, & magna experientia, Aſtrologis & Mathematicis non ſolum fidem adhibere, ſed etiam rectores & præſcios palam habere: cum ſicut totties obſeruauimus; vana & impia ſit talis ſuperſtitio, & modis omnibus punienda, ne dum euitanda & abhorrenda.

Recurſabant animo vetera omnia. Cupreſſus arbor in agris eius, conſpicua altitudine, repente prociderat, ac poſtera die, eodem veſtigio reſurgens, procera & latior virebat, grande id proſperumq. conſenſu haruſpicum, & ſumma claritudo iuueni admodum Veſpaſiano promiſſa. ſed primo triumphalia, & conſulatus, & Iudaicæ victoriæ decus, impleſſe fidem ominis videbantur. Vt hæc adeptus eſt, portendi ſibi imperium credebat.

CVM priuatus aliquis ad ſummam dignitatem peruenit, illius animo recurſare ſolent vetera omnia. Vt etiam, ſi talia comparare licet, in Pontificibus Maximis, poſt eorum creationem, auguria, ſomnia, & haruſpicia referuntur. Sed falſa equidem omnia, & indigna, quibus fides adhibeatur.

Eſt Iudæam inter Syriamq. Carmelus, ita vocant montem, deumq. nec ſimulacrum deo, aut templum, ſic tradidere maiores, aram tantum, & reuerentiam. Illic ſacrificanti Veſpaſiano, cum ſpes occultas verſaret animo. Baſilides ſacerdos inſpectis identidem extis: Quidquid eſt, inquit, Veſpaſiane quod paras, ſeu domum extruere, ſeu prolatare agros, ſiue ampliare ſeruitia, datur tibi magna ſedes, ingentes termini multum hominum. Has ambages & ſtatim exceperat fama, & tunc aperiebat, nec quidquam magis in ore vulgi: crebriores apud ipſum ſermones, quanto ſperantibus plura dicuntur.

SPERANTIBVS plura dicuntur. Affectus enim nimius facit, vt omnes rerum euentus ad ſenſum deſiderij ſui inclinent. Certe hic eſt mos familiarium Cardinalium Papabilium, qui de ſuis dominis omnia auguria, omnes prophetias ad futuram ſui Principis dominationem interpretantur.

Haud dubia deſtinatione diſceſſere Mucianus Antiochiam, Veſpaſianus Cæſaream. Illa Syriæ, hæc Iudeæ caput eſt. Initium ferendi ad Veſpaſianum imperij Alexandriæ, cœptum, feſtinante Tiberio Alexandro, qui Kal. Iul. ſacramento eius legiones adegit. Isq. primus principatus dies in poſterum celebratus, quamuis Iudaicus exercitus .V. nonas Iul. apud ipſum iuraſſet eo ardore, vt ne Titus quidem filius expectaretur, Syria remeans, & conſiliorum inter Mucianum ac patrem nuncius. cuncta impetu militum acta: non parata cognitione, non coniunctis legionibus, dum quæritur tempus locusq. quodque in re tali difficillimum eſt, prima vox, dum animo ſpes, timor, ratio, caſus obuerſantur.

IN diligendo Principe aliquo, omnium rerum difficillimum eſt prima vox diligentis. Hæc enim ceteras omnes ſecum trahit. Raro enim fit, vt aliquis primus eſſe velit, qui tintinnabulum feli, vt eſt in adagio, appendat. Nam ſpes, timor, ratio, caſus animis omnium obuerſantur. Nacto vero auctore, facile multi ſequuntur.

Egreſſum

Egreſſum cubiculo Veſpaſianum pauci milites ſolito aſſiſtunt ordine, vt legatum ſalutatuti: Imperatorem ſalutauerunt. Tum ceteri accurrere, Cæſarem & Auguſtum, & omnia principatus vocabula cumulare. Mens a metu ad fortunam transferat. In ipſo nihil tumidum, arrogans, aut in rebus nouis nouum fuit.

MAXIMVM eſt magnanimi & ſapientis viri ſignum, cum priuatus ad ſummum faſtigium euehitur, etſi meus eius a metu ad fortunam tranſierit, nihil tumidum, arrogans, nihil in rebus nouum efferre. Sic ſupra idem de Piſone lib. i. Hiſtor.

Vt primum tantæ multitudinis offuſam oculis caliginem diſiecit, militariter locutus, læta omnia, & affluentia excepit. Iam id ipſum opperiens Mucianus, alacrem militem in verba Veſpaſiani adegit. Tum Antiochenſium theatrum ingreſſus, vbi illis conſultare mos eſt, concurrentes & in adulationem effuſos alloquitur ſatis decorus, etiam græca facundia, omniumq. quæ diceret atque ageret, arte quadam oſtentator.

PRVDENTIS eſt, etiam inania in ſui vtilitatem vertere & de paruis rebus honorem ſibi parare; & omnium dictorum & factorum arte quadam in ſui gloriam eſſe ſcitum oſtentatorem.

Nihil æque prouinciam exercitumq. accendit, quàm quod aſſeuerabat Mucianus ſtatuiſſe Vitellium, vt Germanicas legiones in Syriam, ad militiam opulentam quietamq. transferret. Contra, Syriacis legionibus Germanica hiberna, cælo ac laboribus dura mutarentur. Quippe & prouinciales, ſueto militum contubernio gaudebant, plerique neceſſitudinibus, & propinquitatibus mixti: & militibus vetuſtate ſtipendiorum, nota & familiaria caſtra, in modum penatium diligebantur.

ASTVS eximius eſt hic ad concitandum odium vniuerſitatis vel collegij alicuius in aliquem, qui maxime vi illi præmineat; aſſeuerare nempe, & ſerere de illo rumorem talem; qui in damnum ipſius collegij vel vniuerſitatis directe tendat. Statim enim animi omnium ab illo alienabuntur.

Ante Idus Iul: Syria omnis in eodem ſacramento fuit. Acceſſere cum regno, Sohemus, haud ſpernendis viribus, Antiochus vetuſtis opibus ingens, & inſeruientium regum ditiſſimus. Mox, per occultos ſuorum nuncios, exercitus ab vrbe Agrippa, ignaro adhuc Vitellio, celeri nauigatione properauerat. Nec minore animo, Regina Berenicæ partes iuuabat, florens ætate formaq. & ſeni quoque Veſpaſiano magnificentia munerum grata.

QVAM recte dixit ille:

Munera, crede mihi, placant hominesq. deosq.:

Nam magnificentia munerum omni in Aula, omnem apud Principem ſibi aditum patefacit, & eam exercentes gratiſſimos reddit.

Quidquid prouinciarum alluitur mari, Aſia atque Achaia tenus, quantumq. introrſus Pontum, & Armenios pateſcit, iurauere. Sed inermes legati regebant, nondum additis Cappadociæ legionibus. Conſilium de ſumma rerum, Beryti habitum. Illuc Mucianus, cum legatis tribuniſq. & ſplendidiſſimo quoque centurionum ac militum, venit. Er e Iudaico exercitu, lecta decora. tantum ſimul peditum equitum, æmulantium inter ſe regum paratus, ſpeciem fortunæ principalis effecerant. Prima belli cura, agere dilectus, reuocare veteranos. deſtinantur validæ ciuitates, exercendis armorum officinis. apud Antiochenſes, aurum argentumq. ſignatur. eaq. cuncta per idoneos miniſtros, ſuis quæque locis, feſtinabantur.

PRINCIPIBVS, & ducibus, qui magnum aliquod bellum ſuſcipiunt, prima debet eſſe cura, agere dilectus militum, reuocare veteranos, deſtinare validas ciuitates exercendis armorum officinis, aurum & argentum ſignare ad perſoluenda ſtipendia, eaq. cuncta idoneos per miniſtros ſuis locis feſtinare.

Ipſe Veſpaſianus, adire, hortari; bonos laude, ſegnes exemplo incitare ſæpius, quàm coercere; vitia magis amicorum, quàm virtutes diſſimulans. Multos, præfecturis, & procurationibus, plerosque ſenatorij ordinis honore percoluit, egregios viros, & mox ſumma adeptos.

REGVLA hæc eſt clariſſima & veriſſima, pro Principe, qui ſuos bonos & efficere, & conſeruare velit: nempe, vt viros bonos laude, ſegnes exemplo, incitet ſæpius, quàm coerceat; vitia magis amicorum, quàm virtutes diſſimulet. Multos honoribus & dignitatibus varie extollat: dummodo ſint egregij viri, & qui ſumma adipiſci etiam virtute valeant.

Quibuſdam fortuna pro virtutibus fuit.

FATEMVR equidem Fortunam inane nomen eſſe, nec eam momenti aliquid in res humanas habere, quæ ſolum nutu prouidentiæ diuinæ reguntur: imperitis tamen quibuſdam hominibus pro virtutibus fortuna adeſſe videtur, Romæ præſertim, in adipiſcendis ſummis honoribus virtuti ſolum debitis.

Donatiua militi, neque Mucianus prima concione, niſi modice oſtenderat. ne Veſpaſianus quidem, plus ciuili bello obtulit, quàm alij in pace, egregie firmus aduerſus militarem largitionem, eoq. exercitu meliore.

DVX ille, qui eſt egregie firmus aduerſus militarem largitionem, eo eſt exercitu meliore.

Miſſi ad Parthum, Armeniumq. legati, prouiſumq. ne verſis ad ciuile bellum legionibus, terga nudarentur. Titum inſtare Iudææ, Veſpaſianum obtinere clauſtra Ægypti placuit. Sufficere videbantur aduerſus Vitellium, pars copiarum & dux Mucianus, & Veſpaſiani nomen, ac nihil arduum fatis.

SENTENTIA hæc eſt nullo modo retinenda, quòd: Nihil ſit arduum fatis. Inclinant enim, non vi afficiunt humanas mentes; quæ cum a DEO OPT. MAX. liberi arbitrij beneficio fruantur, poſſunt, ſi velint, eorum malitiam declinare.

Ad omnes exercitus legatosq. ſcriptæ epiſtolæ, præceptumq. vt prætorianos Vitellio infenſos, reciperandæ militiæ præmio inuitarent. Mucianus cum expedita manu, ſocium magis imperij, quàm miniſtrum agens,

DVRA eſt res Principi nouo, cum ope alicuius ſocij magis imperij, quàm miniſtri, ad id culmen euectus eſt: intantum illi ſatisfacere, vt intra priuatæ fortunæ terminos continere ſe velit: & non potius ad eripiendum illi Principatum, cui acquiſiuit, animum intendat. Princeps ergo aduerſus virorum talium immoderatam ambitionem, alia ſibi comparare ſubſidia ſtudeat: vt populi amorem, æmulorum illius ſtudia, & voluntates, vt quoquo modo ſe ab illo tutum reddat. Sicut etiam idem ſupra in 1. Annal. docuimus.

non lento itinere, ne contari videretur, neque tamen properans, gliſcere famam ipſo ſpatio ſinebat: gnarus modicas vires ſibi, & maiora credi de abſentibus.

CREDVNTVR maiora de abſentibus. Abſentia enim nituntur fama, quæ ſemper res auget, & ipſo ſpatio gliſcit. Sed ſæpe minuitur a præſentia, vt dixit ille.

Sed legio ſexta, & tredecim vexillariorum millia, ingenti agmine ſequebantur. Claſſem e Ponto, Byzantium adigi iuſſerat: ambiguus conſilij, num omiſſa Mœſia, Dyrachium pedite atque equite peteret: ſimul longis nauibus verſum in Italiam mare clauderet; tuta pone tergum Achaia Aſiaq. quas inermes exponi Vitellio, ni præſidijs firmarentur: atque ipſum Vitellium in incerto fore, quam partem Italiæ protegeret, ſi ſimul Brundiſium Tarentumq. & Lucaniæ, Calabriæq. litora infeſtis claſſibus peterentur. Igitur nauium militum, armorum, paratu ſtrepere prouinciæ. Sed nihil æque fatigabat, quàm pecuniarum conquiſitio: eos eſſe belli ciuilis neruos dictitans Mucianus.

PECVNIAE ſunt nerui belli ciuilis. Quare potius ciuilis, quàm externi? Ideo forſan quia parcitur agris, vrbibus & templis; quæ cum in bellis externis in prædam cedant, occaſionem pecuniæ conflandæ miniſtrant. Parcitur autem in ciuili bello illis: quia nemo ſua libenter vaſtat. Sed

circa hoc quòd pecunia ſint nerui bellorum, aliqui auſi fuerunt aſſerere contrarium, quod immo ſint milites; & a pecunijs ſæpius damna, quàm vtilitates proueniant: allegando aliorum exempla eorum, qui ob pecuniam, exercitus, & vitam amiſerunt. Quorum opinio refellenda eſt. Sine enim proprio milite bella geras, pecuniæ illos alunt: ſine auxiliario, cum pecunijs illos gratitudine proſequeris: ſine mercenario, illis pecuniam erogando, mercedem ac ſtipendium impartiris. Proinde prudentiſſimi Principes ante omnia ſtudeant, ærarium ſemper plenum & refertum pecunia habere: exiſtimatio enim, ac fundamentum præcipuum principatuum hinc oritur. Et hac de cauſſa, SIXTVS V. Pontifex ſapientiſſimus ad retinendam in maiori dignitate Sedem Apoſtolicam, & Reges & Principes ſubditos in officio ſeruandos, ſummam diligentiam adhibuit, ex quo creatus fuit Pontifex, vt copia maxima pecuniæ in Caſtro S. Angeli reponeretur: adeo vt, anno nondum reuoluto, mirum auditu, decies centena millia aureorum ibi contulerit. Cleomenes Spartanorum rex, pecunias identidem dicebat rerum agendarum neruos eſſe.

non ius aut verum in cognitionibus, ſed ſolam magnitudinem opum ſpectabat.

ETSI Princeps in bellis conficiendis ſummopere pecunia indiget, tamen eam iniuſte, & in damnum ſubditorum corrogare non debet. Immo potius, a ſemetipſo & ſuis incipiendo, illam citra inuidiã & iniuſtitiam ſubditorũ parare. Et hoc in loco reticenda non eſt magnanima PII V. actio. Qui cum ob fœdus inter ſe, Regem HISPANIARVM, & Remp. VENETAM contra Turcas communes hoſtes ictum; magnam pecuniæ vim ſibi neceſſariam eſſe conſpiceret, ad contribuendam portionem ſuam in illo bello conuentam; & ob multas alias impenſas in Sanctæ Sedis beneficium confectas, exhauſtum haberet ærarium: vocato ad ſe Michaële Bonello Cardinale Alexandrino, ſuo ex ſorore nepote: Opus erit, dixit, nobis Camerariatu tibi a nobis pridem donato, hoc eſt, ſummum in Romana Aula officium, & Cardinalibus Pontificum nepotibus concedi ferme ſemper ſolitum, vt ex eius venditione pecuniam in huius tam pij belli neceſſitatem ac vſum comparemus. Quo audito, Cardinalis lætiſsimo animo reſpondit: Se maiores gratias habere Sanctitati ſuæ, quod a ſe pro tali occaſione nunc id munus repeteret, quàm cum illi dono dederat. Quod circiter xviij. menſes euenerat. Et id quaſi renitente Cardinali, nedum cupiente. Nam niſi Seraphinus Caballus Dominicanæ Religionis Miniſter Generalis, atque eius confeſſor conſcientiæ ſcrupulum illi iniecisſet, ſi Pontificis voluntati, amplius reſtitiſſet: ipſe recuſare deſtinauerat. PIVS V. ergo ex hoc ampliſſimo officio, e ſinu & manibus dilectiſſimi nepotis erepto ſeptuaginta mille aureorum ſummam conflauit, & rem Chriſtianam maxima in neceſſitate, iuncta alia pecunia, adiuuit. Hanc rem copioſius enarrare voluimus, ne debito laudis præconio magnanimitatem, tam Pontificis, quàm Cardinalis nepotis fraudaremus. Et quidquid alij de hac re dixerint, aut ſenſerint, a vero aberraſſe certum eſt.

Paſſim delationes, & locupletiſſimus quiſque in prædam correpti,

SVB Tyranno locupletiſſimus quiſque ſemper in prædam corripitur.

quæ grauia atque intolerãda, ſed neceſſitate armorum excuſata, etiam in pace manſere.

SVNT multa grauia, atque per ſe intoleranda, quæ tamen neceſſitate armorũ in bello tolerantur. Sed cum in pace manent, malũ eſt. Hinc reuolutiones Regnorum, & Prouinciarum exoriuntur.

ipſo Veſpaſiano, inter initia imperij, ad obtinendas iniquitates haud perinde obſtinato: donec, indulgentia fortunæ, & prauis magiſtris, didicit, auſuſq. eſt.

PRINCIPES inter initia imperij ad obtinendas iniquitates, haud perinde ſunt obſtinati. Sed poſtea indulgentia fortunæ, & prauis magiſtris diſcunt, audentq.

Proprijs quoque opibus Mucianus bellum iuuit, largitus priuatim, quod auidius de Repub. ſumeret.

EA non eſt liberalitas, immo fœdiſſima auaritia; cum quis publica aliqua occaſione largitur priuatim, quod auidius e Republica ſumat.

Ceteri conferendarum pecuniarum exemplum ſecuti: rariſſimus quiſque eandem in reciperando licentiam habuerunt.

ETSI multi in iuuando Principe, vel Rep. propria pecunia tempore difficili, ſequuntur exemplum potentum & gratioſorum virorum: tamen rariſſimus quiſque eandem licentiam in recuperando habet, ac illi habent.

Accele-

Accelerata interim Veſpaſiani cœpta, Illyrici exercitus ſtudio in partes. Tertia legio exemplum ceteris Mœſiæ legionibus præbuit. Octaua erat ac ſeptima Claudiana, imbutæ fauore Othonis, quamuis prælio non interfuiſſent: Aquileiam iam progreſſæ, * proturbatis qui de Othone nunciabant, laceratisq. vexillis nomen Vitellij præferentibus, rapta poſtremo pecunia, & inter ſe diuiſa, hoſtiliter egerant. Vnde metus & ex metu conſilium, poſſe imputari Veſpaſiano, quæ apud Vitellium excuſanda erant.

SAEPE ex aliqua re oritur metus, & ex eo metu conſilium manat. Et hoc eſt, quod paſſim dicitur; Rem ex re naſci.. Et hæc tota narratio eſt mendoſa, & mutila. Adi Lipſium in Commentarijs.

Ita tres Mœſicæ legiones per epiſtolas alliciebāt Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant. In eo metu Aponius Saturninus Mœſiæ rector, peſſimum facinus audet, miſſo centurione ad interficiendum Tertium Iulianum, ſeptimæ legionis legatum; ob ſimultantes, quibus cauſſam partium prætendebat.

SAEPE ſimultatibus priuatis cauſſa publica prætenduntur. Sic ſupra de indicio in morte Augusti lib. i. Annal.

Iulianus, comperto diſcrimine, & gnaris locorum adſcitis, per auia Mœſiæ vltra montem Hemum profugit; nec deinde ciuili bello interfuit, per varias moras ſuſceptum ad Veſpaſianum iter trahens, & ex nuncijs contabundus, aut properans.

HAVD ab re dictum fuit: Patere, & vinces. Nam qui in aduerſa fortuna tempus trahere poteſt, & ex varietate nunciorum & rerum contari, aut properare; is proculdubio ſe meliori tempori reſeruabit, & victor fortunæ euadet.

At in Pannonia xiij. legio, ac vij. Galbiana dolorem, iramq. Bedriacenſis pugnæ retinentes haud cȯntanter Veſpaſiano acceſſere, vi præcipua Primi Antonij. Is legibus nocens, & tempore Neronis falſi damnatus, inter alia belli mala, ſenatorium ordinem reciperauerat, præpoſitus à Galba ſeptimæ legioni. ſcriptitaſſe Othoni credebatur, ducem ſe partibus offerens:

VERE vt pelagus, eſt bellum. Nam quemadmodum in illo omnium generum piſces & belluæ aluntur, & inueniuntur: ſic hoc neminem excludit, ſed tam probos, quàm improbos viros, tam nocentes, quàm innocentes admittit. Immo ſæpe inueniuntur multi ſceleſti in pace & improbi homines, qui cum ad bellum profecti fuerint, ſe in totum a vitijs purgarunt, & clariſsimi duces euaſerunt. Inter quos præclarum exemplum eſt, hic, de quo loquitur Auctor, Primus Antonius.

a quo neglectus, in nullo Othoniani belli vſu fuit. Labantibus Vitellij rebus Veſpaſianum ſequutus, grande momentum addidit.

AVLICVS prudens hinc diſcat numquam animum deſpondere; etſi a Principe regnante negligetur. Nam ſub ſucceſſore forſan meliorem habebit fortunam & in maximo pretio erit. Sicut nos Romæ multa huius rei exempla vidimus.

ſtrenuus manu, ſermone promptus, ſerendæ in alios inuidiæ artifex, diſcordijs & ſeditionibus potens, raptor, largitor, pace peſſimus, bello non ſpernendus.

QVALIS plerumque ſoleat eſſe miles, hic pulchre effingitur ab Auctore in perſona Antonij Primi. Nempe ſtrenuus manu, ſermone promptus, ſerendæ in alios inuidiæ artifex, diſcordijs & ſeditionibus potens, raptor, largitor, pace peſſimus, bello non ſpernendus. Immo miles cum Aulico mixtus hic deſcribitur.

Iuncti inde Mœſici ac Pannonici exercitus, Dalmaticum militem traxere, quamquam conſularibus legatis nihil turbantibus. Titus Flauianus Pannoniam, Pompeius Sullanus Dalmatiam tenebant, diuites ſenes. Sed procurator aderat Cornelius Fuſcus, vigens ætate, claris natalibus. prima iuuenta, quietis cupidine, ſenatorium ordinem exuerat. Idem pro Galba dux coloniæ ſuæ, eaq. opera procurationem adeptus, ſuſceptis Veſpaſiani partibus, acerrimam bello facem prætulit. non tam præmijs periculorum,

rum, quàm ipſis periculis lætus, pro certis & olim partis, noua, ambigua, ancipitia malebat.

TVRBIDORVM ingeniorum hac eſt natura, vt non tam præmijs periculorum, quàm ipſis periculis læti, pro certis & olim partis, noua, ambigua, & ancipitia malint.

Igitur mouere & quatere quidquid vſquam ægrum foret, aggreditur. Scriptæ in Britanniam ad quartadecimanos, in Hiſpaniam ad primanos epiſtolæ: quod vtraque legio pro Othone, aduerſa Vitellio fuerat. Sparguntur per Gallias litteræ, momentoq. temporis flagrabat ingens bellum, Illyricis exercitibus palam deſciſcentibus: ceteris fortunam ſecuturis.

IN ſtatus alicuius magni mutatione & belli ſuſceptione pauci primo deſciſcunt, & horum motu, velut face quadam accenditur bellum. Id paulatim ſerpit, & in dies flagrat: & niſi reſtinguatur, ceteri omnes poſtea illorum paucorum fortunam ſequuntur. Ideo illi, quorum intereſt, ne res turbentur, initio prævideant motuum, & illis prouideant, & habeant ſemper in ore illud celebre: Qui ſtat, videat ne cadat.

Dum hæc per prouincias, a Veſpaſiano, ducibusq. partium geruntur: Vitellius contemptior in dies ſegniorq. ad omnis municipiorum villarumq. amœnitates reſiſtens, graui vrbem agmine petebat. Sexaginta millia armatorum ſequebantur licentia corrupta. Calonum numerus amplior, procaciſſimis etiam inter ſeruos lixarum ingenijs. tot legatorum amicorumq. comitatus inhabilis ad parendum, etiam ſi ſumma modeſtia regeretur.

NIMIS numeroſa exercitus multitudo, non ſolum vtilis non eſt, etſi multi ſecus credunt; immo obedientiam impedit, & confuſionem gignit: & difficultatem & penuriam commeatuum breui inducit, & inhabilis eſt ad parendum, etiamſi ſummma modeſtia regitur. Hinc prudentiſſime CAROLVS V. Auguſtiſſimus Imperator, in commentarijs quibuſdam ad PHILIPPVM Regem filium, illum admonet, vt tam oneroſam militum multitudinem ſemper euitet, ob incommoda, quæ inde ſequuntur: præſcribendo illi certum exercitus numerum, & ad obeunda bella ſufficiens, & non difficile contractu, nec retentu. Videndi iſti Commentarij, ad quos me remitto.

Onerabant multitudinem, obuij ex vrbe ſenatores, equitesq. quidam metu, multi per adulationem, ceteri ac paulatim omnes, ne alijs proficiſcentibus, ipſi remanerent.

MVLTI ſæpe comitantur Principem, non ex animo obſequium ei impendentes: ſed quidam metu, multi per adulationem, ac paulatim omnes pudore, ne alijs proficiſcentibus, ipſi remanere notentur.

Aggregabantur e plebe, flagitioſa per obſequia Vitellio cogniti, ſcurræ, hiſtriones, aurigæ, quibus ille amicitiarum dehoneſtamentis mire gaudebat.

VERE ſcurræ, hiſtriones, aurigæ, & ſimilia hominum genera, ſunt dehoneſtamenta amicitiarum Principis. Quiſi mire gaudebit flagitioſis his hominibus, concludi poteſt, quòd indignus ſit Principatu.

Nec coloniæ modo, aut municipia, congeſtu copiarum; ſed ipſi cultores, aruaq. maturis iam frugibus, vt hoſtile ſolum vaſtabantur. Multæ & atroces inter ſe militum cædes, poſt ſeditionem Ticini cœptam; manente legionum auxiliorumq. diſcordia, vbi aduerſus paganos certandum foret, conſenſu.

MILITVM eſt hæc natura, vt cum inter ſe ſint diſcordes, ſi aduerſus paganos certandum ſit, conſentiant.

Sed plurima ſtrages ad ſeptimum ab vrbe lapidem. Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, vt gladiatoriam ſaginam diuidebat. Et effuſa plebs, totis ſe caſtris miſcuerat. Incurioſos milites vernacula vrbanitate quidam ſpoliauere, abſciſſis furtim balteis, an accincti forent rogitantes. Non tulit ludibrium inſolens contumeliæ animus.

ANIMVS contumeliæ inſolens ferre ludibrium non poteſt: ſed tales natura virorum in Aulis magnos progreſſus non faciunt; vbi ſæpe opus eſt de iniurijs grates agere.

Inermem

Inermem populum gladijs inuaſere. Cæſus inter alios pater militis, cum filium comitaretur, deinde agnitus. & vulgata cæde, temperatum ab innoxijs. In vrbe tamen trepidatum, præcurrentibus paſſim militibus. Forum maxime petebant, cupidine viſendi locum, in quo Galba iacuiſſet. Nec minus ſæuum ſpectaculum erant ipſi, tergis ferarum & ingentibus telis horrentes, cum turbam populi per inſcitiam parum vitarent, aut vbi lubrico viæ, vel occurſu alicuius procidiſſent, ad iurgium, mox ad manus & ferrum tranſirent.

F*ACILLIME miles præſertim corruptus ad iurgium, mox ad manus & ferrum tranſit.*

Quin & tribuni præfectiq. cum terrore & armatorum cateruis volitabat. Ipſe Vitellius, a ponte Miluio, inſigni equo, paludatus accinctuſq. ſenatum & populum ante ſe agens, quo minus vt captam vrbem ingrederetur, amicorum conſilio deterritus, ſumpta prætexta, & compoſito agmine inceſſit.

P*RINCEPS in habitu & veſtitu corporis debet eſſe cautus & circumſpectus, ſecundum loci & temporis circumſtantiam.*

Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemq. circa e legionibus vexilla: mox xij. alarum ſigna, & poſt peditum ordines, eques: dein quatuor & xxx. cohortes, vt nomina gentium, aut ſpecies armorum forent, diſcretæ. Ante aquilam præfecti caſtrorum tribuniq. & primi centurionum candida veſte: ceteri, iuxta ſuam quiſque centuriam, armis doniſq. fulgentes. Et militum phaleræ, torqueſq. ſplendebant: decora facies, & non Vitellio principe dignus exercitus. Sic Capitolium ingreſſus, atque ibi matrem compleſſus, Auguſtæ nomine honorauit. Poſtera die, tamquam apud alterius ciuitatis ſenatum populumq. magnificam orationem de ſemetipſo prompſit, induſtriam temperantiamq. ſuam laudibus attollens: conſcijs flagitiorum ipſis, qui aderant, omniq. Italia, per quam ſomno & luxu pudendus inceſſerat.

E*TSI ſemper laus in ore proprio ſordeſcit, exceptis aliquibus caſibus, quibus grauis & prudens vir ſeipſum laudare poteſt, quos enumerat accurate Plutarchus in tractatu, De ſui ipſius laude: tamen mira eſt illius impudentia, qui actiones proprias falſis laudibus attollere oratione de ſe magnifica audet: conſcijs flagitiorum ipſis, qui adſunt, & eum audiunt.*

Vulgus tamen vacuum curis, & ſine falſi veriq. diſcrimine ſolitas adulationes edoctum, clamore & vocibus adſtrepebat: abnuentiq. nomen Auguſti, expreſſere vt aſſumeret, tam fruſtra, quàm recuſauerat.

M*IRE exprimit mille in locis vulgi naturam Auctor noſter, vt ſupra adnotauimus. Et nunc etiam addimus, ſolere vulgus vacuum eſſe curis: & ſine veri falſiq. diſcrimine adulationes conſuetas edoctum, clamore & vocibus Principi adſtrepere, & illi certatim honores & titulos offerre.*

Apud ciuitatem cuncta interpretantem;

O*MNIA vult interpretari ciuitas: & eo cum ſermonibus progreditur, vt diſcurrendi vice, tranſcurrat, & a recto deuiet.*

Funeſti ominis loco acceptum eſt, quod maximum Pontificatum adeptus Vitellius, de cęrimonijs publicis xv. Kalend. Aug. edixiſſet, antiquitus infauſto die Cremetenſi Alienſiq. cladibus. adeo omnis humani diuiniq. iuris expers, pari libertorum amicorumq. ſecordia, velut inter temulentos agebat.

Q*VID turpius & fœdius poteſt dici de Principe, quàm omnis diuini & humani iuris eſſe expertem? & pari amicorum & ſeruorum ſecordia velut inter temulentos agere? Non ſic Tiberius, qui Deum precabatur, vt illi mentem intelligentem diuini & humani iuris daret: vt ſupra vidimus lib. ıj. Annal. Certe Princeps etiam ſupremus Chriſtianorum ROMANVS PONTIFEX cenſetur habere omnia iura in ſcrinio pectoris ſui: vt ſacri canones teſtantur.*

Sed comitia conſulum cum candidatis ciuiliter celebrans, omnem infimæ plebis tumorem, in theatro vt ſpectator, in circo vt fautor affectauit. quæ grata ſane & popu-

laria, ſi a virtutibus proficiſcerentur; memoria vitæ prioris, indecora & vilia accipiebantur.

MVLTVM refert, a quo quid agatur: nam res eadem, ſi a virtutibus proficiſcentur, erunt in aliquo laudabilia: quæ in alio, memoria flagitiorum ſuorum, erunt indecora, & vilia.

Ventitabat in ſenatum, etiam cum paruis de rebus patres conſulerentur. Ac forte Priſcus Heluidius, prætor deſignatus, contra ſtudium eius cenſuerat. Commotus primo Vitellius, non tamen vltra quàm Tribunos plebis in auxilium ſpretæ poteſtatis aduocauit. Mox mitigantibus amicis, qui altiorem iracundiam eius verebantur, nihil noui accidiſſe reſpondit, quòd duo ſenatores in Rep. diſſentirent: ſolitum ſe etiam Thraſeæ contradicere. Inriſere plerique impudentiam æmulationis.

CAVERE maxime debet Aulicus ab æmulando aliquem multo ſe ipſo ſuperiorem & digniorem: nam ob impudentiam æmulationis irridebitur.

alijs id ipſum placebat, quod non ex præpotentibus, ſed Thraſeam ad exemplar veræ gloriæ legiſſet.

QVI vult legere aliquem ſibi imitandum ad exemplar veræ gloriæ: hunc non refert eligere ex præpotentium, ſed ex proborum & fortium numero.

Præpoſuerat prætorianis P. Sabinum, ac * præfecturæ cohortis Iulium Priſcum, dum centurio eſſet. Priſcus Valentis, Sabinus Cæcinnæ gratia pollebant. Inter diſcordes, Vitellio nihil auctoritatis.

MALE ſe habent res publicæ, quando apud miniſtros, inter ſe diſcordes nihil habet Princeps auctoritatis. Rapiunt enim illi, & in proprium vſum omnia conuertunt. Odium vero erga Principem reſultat: & illi omnia miniſtrorum flagitia imputantur. Simile eſt quod Plutarchus in Cæſaris vita inquit: quod ipſi Cæſari imputabantur Antonij ebrietates & luxus, Dolabellæ extorſiones, Amintij expilationes: & omnium ſuorum amicorum malefacta illi odium acquirebant. Ipſe vero, etſi ſciret, & ægre ferret omnia hæc, ob recentia opera eorum beneficium, qui ipſum ad monarchiam euexerant, non poterat eos coercere, & intra debitos modeſtiæ fines continere.

munia imperij Cæcinna ac Valens obibant, olim anxij odijs, quæ bello & caſtris male diſſimulata,

ODIA in bello & caſtris male diſſimulantur. Nam ibi aperte viui ſolet, Secus in Aulis euenit, vbi omnia ſimulationum plerumque ſunt plena: & pauca non ficta reperiri conſueuerunt.

prauitas amicorum, & fecunda gignendis inimicitijs ciuitas auxerat, dum ambitu comitatu, & immenſis ſalutantium agminibus contendunt, comparanturq. varijs in hunc aut illum Vitellij inclinationibus.

HOC ferme ſemper inter duos præpotentes apud Principem accidit: vt odia eorum a prauitatibus amicorum, & fecunda gignendis inimicitijs ciuitate augeantur: dum ambitu, comitatu, & immenſis ſalutantium agminibus contendunt, comparanturq. varijs in hunc aut illum Principis inclinationibus.

Nec vnquam ſatis fida potentia, vbi nimia eſt.

NVMQVAM eſt ſatis fida potentia, vbi eſt nimia. Et oraculi vicem habet hæc ſententia; quam ſi Principes recte intelligerent, ſemper a nimis extollendo ſuos amicos cauerent. Certe nulla alia ratione Seianus in Tiberium, Perennius in Commodum, Plautianus in Seuerum, machinati ſunt, niſi quod nimia erat eorum potentia: & nihil illis deerat, præterquam nomen, & inſigne Regium. Cui etiam cum inhiarent, ingenij humani more, quod nullum ſcit ponere cupiditatibus terminum, coniurationes, & Principum ſuorum cædem moliti ſunt: vt ex Tacito, Dione, Herodiano, & alijs videre poſſumus. Quod remedium igitur adhibebit cautus Princeps? Eos numquam tam alte euehet, vt iſtarum ipſorum proximus ſit Principatus ſplendor: ſed ſemper inter hunc, & gradum illum, quem tenebunt, locum aliquem & faſtigium relinquet optandum: quòd illos ancre

tat a

tas a cogitatione aſpirandi ad imperium. Hoc modo ſe tutum reddet prudens Princeps, & ſemper illis melioribus vtetur; dum conabuntur in dies, melius & fidius ſe gerendo, ad dignitates illas Principatus proximas promoueri.

Simul ipſum Vitellium, ſubitis offenſis, aut intempeſtiuis blanditijs mutabilem contemnebant, metuebantq.

P*RINCEPS, qui ſubitis offenſis, aut intempeſtiuis blanditijs eſt mutabilis, contemnitur iuxta ac metuitur. Et hoc euenire ſolet ob varia ſtudia & factiones, quæ in ciuitate, ipſius negligentia vigent. Nam ſi indiſtinctam iuſtitiam grauiter ſeruaret, & cum omnibus æque ſe Principem gereret, ſublatis diſcordijs ciuilibus, ipſe ab omnibus & coleretur, & diligeretur.*

Nec eo ſegnius inuaſerant domos, hortos, opesq. imperij.

N*VMQVAM ſunt ſegnes miniſtri & familiares Principum recenter electorum ad inuadendum domos, hortos, opesq. ciuitatis.*

cum flebilis & egens nobilium turba, quos ipſos liberosq. patriæ Galba reddiderat, nulla principis miſericordia iuuarentur. Gratum primoribus ciuitatis, etiam plebs approbauit, quod reuerſis ab exilio iura libertorum conceſſiſſet: quamquam id omnino ſeruilia ingenia corrumpebant, abditis pecunijs per occultos aut ambitioſos ſinus. Et quidam in domum Cæſaris trangreſſi, atque ipſis dominis potentiores.

N*IHIL nouum eſt, in principatus mutatione, aliquos, qui nihil habebant, multa poſſidere, & dominis ſuis prioribus potentiores euadere. Roma ſemper huius rei præbuit plurima exempla.*

Sed miles, plenis caſtris, & redundante multitudine, in porticibus aut delubris, & vrbe tota vagus, non principia noſcere, non ſeruare vigilias, neque labore firmari:

P*VLCHERRIMA eſt hæc hypotipoſis corrupti exercitus: & allegatur a Petro Victorio in Commentarijs in ij. Rhet. Ariſt.*

per illecebras vrbis, & inhoneſta dictu, corpus vitio, animum libidinibus imminuebat.

C*ERTE corpus otio, animo libidinibus imminuitur. Et ſæpe, immo fere ſemper, otium corporis, libidines animus infundit & accendit: Adeo vt & corpori, & animo ſolum otium afferat perniciem. Curent ideo prudentes Principes, primum ne ipſi ſe huic viliſſimo domino mancipent: deinde ne miniſtri, & illi, quorum ſtrenua opera præcipue vtuntur, id arripiant; alioquin regnum amittent cum dedecore & vitam. Sciuit hoc optime Cyrus ille maximus Perſarum Imperator, qui poſt Medos, Bactrianos, Phryges, Lydos victos, & ſubditos, capta demum Babilone, cum finem bellorum adeſſe cerneret, ſuos amicos pulcherrima oratione adhortatus eſt in hanc ſententiam, vt otium fugerent, & ſemper ad arma prompti degerent. Vide Xenoph. lib. vij. de Pædia Cyri in fine.*

Poſtremo ne ſalutis quidem cura, infamibus Vaticani locis magna pars tetendit.

N*VMQVAM iudicari a mortalibus poteſt, qualis debeat eſſe futurorum euentus. Multa enim hodie in honore ſunt, quæ poſthac neglecta conſpicientur. Contra aliqua omni honore nunc carent, quæ breui maximam dignationem conſequentur. Vt ecce Vaticana vallis, pro infami loco, Imperatorum temporibus, accipiebatur, & infamibus miniſterijs inſeruiebat: Hodie vero hoc in loco auguſtiſſimam Sedem tenent Sanctiſſimi Pontifices: hincq. dant iura orbi terrarum vniuerſo: clauduntq. & reſerant Cæli poſtes.*

Vnde crebræ in vulgus mortes. Et adiacentia Tiberi, Germanorum, Gallorumq. obnoxia morbis corpora, fluminis auiditas, & æſtus impatientia labefecit. Inſuper confuſus, prauitate vel ambitu, ordo militiæ.

C*ONFVNDVNT hæc duo ordinem militiæ: prauitas & ambitus. Hinc prudentes exercituum duces, mala hæc a caſtris arcere ſemper ſtudeant.*

Sedecim prætoriæ, quatuor vrbanæ cohortes ſcribebantur, quis ſingula millia ineſſent. Plus in eo dilectu Valens audebat, tamquam ipſum Cæcinnam periculo exemiſſet. ſane aduentu eius partes conualuerant, & ſiniſtrum lenti itineris rumorem proſpero prælio verterat, omniſq. inferioris Germaniæ miles Valentem affectabatur, vnde primum creditur Cæcinnæ fides fluitaſſe. Ceterum non ita ducibus indulſit Vitellius, vt non plus militi liceret. Sibi quiſque militiam ſumpſere. quamuis indignus, ſi ita maluerat, vrbanæ militiæ aſcribebatur: rurſus bonis remanere inter legionarios aut alares volentibus, permiſſum:

NON bene ſe habet diſciplina exercitus illius, in cuius dilectu agendo, militi licet quidquid velit, ſibi quiſque militiam ſumit: indignus, ſi ita manult, ex vno in alterum ordinem tranſit, & omnia confunduntur.

Nec deerant qui vellent, feſſi morbis, & intemperiem cæli incuſantes. Robora tamen legionibus aliſq. ſubtracta, conuulſum caſtrorum decus, xx. millibus e toto exercitu permixtis, magis quàm electis. Concionante Vitellio, poſtulantur ad ſupplicium Aſiaticus, & Flauius, & Rufinus duces Galliarum, quòd pro Vindice bellaſſent. Nec coercebat eiuſmodi voces Vitellius, ſuper inſitam animo ignauiam, conſcius ſibi inſtare donatiuum & deeſſe pecuniam.

MALE agitur in ciuitate, vbi pœnæ præmijs, & præmia pœnis compenſantur. Et euidentiſſimum eſt hoc indicium corruptæ Reipublicæ, & Principatus. Nam in bene inſtituta dominatione, ſtatuuntur & ſtatim tribuuntur præmia meritis: & delictis pœna irrogantur. Caſus Horatij, qui Curiatios deuicit, & ſororem interfecit huc quadrat. Nam pœna parridij compenſata fuit, cum præmio liberata patria ab Albanorum ſeruitute. Et hoc euenit, quia in naſcentis tum Reipub. Romanæ primordijs, nondum erant certis legibus, & præmia virtutibus, & pœna delictis impoſita: vt poſtea patuit in Manlij Capitolini exemplo: qui ob liberatam a Gallis vrbem præmium ſtatim, prout populi Romani tenuis condicio ferebat, ſatis dignum retulit. Poſtquàm vero in affectata tyrannidis ſuſpicionem incidit, pœnam condignam reportauit; e ſaxo vnde Gallos deiecerat, ipſe deiectus. Et ſic præmia pœnis compenſata non fuerunt: Totius hiſtoriæ ſeriem elegantiſſime habes apud Dionyſium & Liuium.

✶ omnia alia militi largiebatur, Liberti principum, conferre pro numero mancipiorum, vt tributum iuſſi. Ipſe ſola perdendi cura, ſtabula aurigis extruere. Circum gladiatorum ferarumq. ſpectaculis opplere: tamquam in ſumma abundantia, pecuniæ illudere.

PRVDENTIS & œconomi & Principis eſt, nunquam, etſi in ſumma abundantia degat, pecuniæ illudere. Oriuntur enim ſæpe occaſiones, quibus maius decus tibi comparant decem aurei, quos habes, quàm mille, quos erogaſti. Et hic in textu deeſt neſcio quid, vide Lipſium in Commentarijs.

Quin & natalem Vitellij diem, Cæcinna ac Valens, editis tota vrbe vicatim gladiatoribus, celebrauere: ingenti paratu & ante illum diem inſolito. lætum fœdiſſimo cuique, apud bonos inuidia fuit, quod extructis in campo Martio aris, inferias Neroni feciſſet. Cæſæ publicæ victimæ, cremataq. faces Auguſtales ſubdidere: quod ſacerdotium vt Romulus Tatio regi, ita Cæſar Tiberius Iuliæ genti ſacrauit. Nondum quartus a victoria menſis, & libertus Vitellij Aſiaticus, Polycletos Patrobios, & vetera odiorum nomina æquabat. Nemo in illa aula, probitate aut induſtria certauit: vnum ad potentiam iter, prodigis epulis, & ſumptu Caianæ ✶ aquæ ſatiare inexplebiles Vitellij libidines.

O PERDITAE vere Aulæ Principum, in quibus nemo probitate & induſtria certare conſpicitur, ſed ad potentiam eſt iter. ſolum per malas artes: nec vllus eſt virtutibus locus.

Ipſe abunde ratus, ſi præſentibus frueretur nec in longius conſultans, nouies millies ſeſtertium pauciſſimis menſibus interuertiſſe creditur.

IMPRVDENTIS eſt, abunde ſibi eſſe exiſtimare, ſi præſentibus fruatur: nec in longius conſultare. Nam contra prudens, ſemper omnia tempora reſpicit, præteritum, vt illius experientia,

ad præ-

ad præſens ſe diſponat, & componat. Præſenti vero ſic vtitur, vt futuri rationem prauidendo, illi ſe accommodet.

Magna & miſera ciuitas, eodem anno Othonem Vitelliumq. paſſa, inter Vinios, Fabios, Icelos, Aſiaticos, varia & pudenda ſorte agebat; donec ſucceſſere Mucianus, & Marcellus, & magis alij homines, quàm alij mores.

H*OC certe poteſt dici de omnibus temporibus, & regionibus: quòd in his magis ſuccedunt alij homines, quàm alij mores. Hinc vtiliſſimam eſſe hiſtoriæ lectionem concluditur: vt quæ nobis ante oculos omnes vitæ humanæ caſus ponendo, ſpeculi inſtar nobis ſit; & lumen temporum appareat. Sunt enim eadem fere ſemper tempora: etſi hominum nomina, & facies varientur, mores tamen ferme ijdem ſemper ſunt, eodemq. modo, quo priſcis temporibus, præſentibus etiam voluitur orbis vniuerſus.*

Prima Vitellio tertiæ legionis defectio nunciatur, miſſis ab Aponio Saturnino epiſtolis, antequam is quoque Veſpaſiani partibus aggregaretur. Sed neque Aponius cuncta, vt trepidans re ſubita, perſcripſerat: & amici adulantes, mollius interpretantur.

H*AEC eſt miniſtrorum & amicorum Principum ferme ſemper natura, vt in rebus aduerſis & ſubitis illi cuncta non patefaciant, vt trepidantes, & hi adulantes mollius ſemper interpretentur. Ideo Princeps ſtudere debet omnia ad amuſſim ſcire, tamquam ipſe omnibus in locis, vbi res ſuæ aguntur, intereſſet. Etſi enim legati, & internuncij ſui oculi eius vocentur, ſatius eſt tamen, ipſum oculis proprijs cuncta cernere.*

Vnius legionis eam ſeditionem: ceteris exercitibus conſtare fidem. In hunc modum etiam Vitellius apud milites diſſeruit, prætorianos nuper exauctoratos inſectatus, a quibus falſos rumores diſpergi. nec vllum ciuilis belli metum aſſeuerabat, ſuppreſſo Veſpaſiani nomine, & vagis per vrbem militibus, qui ſermones populi coercerent. Id præcipuum alimentum famæ erat.

V*ANVM eſt Principis remedium, ad ſupprimendam famam alicuius rei, conari coercere illam vi: nam immo hoc modo præcipuum illi præbet alimentum. Nam, vt ille ait:*

Nitimur in vetitum ſemper, cupimusq. negata.

Auxilia tamen e Germania Britanniaq. & Hiſpanijs exciuit: ſegniter, & neceſſitatem diſſimulans. Perinde legati prouinciæ contabantur.

C*ENTRI inſtar erga ſubditos eſt Princeps: ab illo enim exempla ad eos tamquam lineæ ad ſuperficiem ducuntur. Proinde ſi ipſe ſegniter, & ignaue res ſuas tractabit: miniſtri etiam, ac ſubditi perinde contabuntur.*

Hordeonius Flaccus, ſuſpectis iam Batauis, anxius proprio bello. Vectius Bolanus, numquam ſatis quieta Britannia, & vterque ambigui. neque ex Hiſpanijs properabatur, nullo tum ibi conſulari. Trium legionum legati, pares iure, & proſperis Vitellij rebus, certaturi ad obſequium: aduerſum eius fortunam, ex æquo detrectabant.

N*VLLO modo aptius exprimi poſſet fallacia hodiernarum amicitiarum, quæ in Aulis conſpiciuntur: quàm his verbis, nempe quòd tales amici ſicut proſperis noſtris rebus ſemper certabunt ad obſequium; ſic aduerſam noſtram fortunam ex æquo detrectabunt.*

In Africa, legio cohorteſq. delectæ a Clodio Macro, mox a Galba dimiſſæ; rurſus iuſſu Vitellij militiam cœpere. ſimul cetera iuuentus dabat impigre nomina. quippe integrum illic ac fauorabilem proconſulatum Vitellius, famoſum inuiſumq. Veſpaſianus egerat: perinde ſocij de imperio vtriuſque coniectabant. Sed experimentum contra fuit.

S*OLENT fieri ſemper coniecturæ de hominum inclinationibus & ſtudijs, ab anteacta vita, ad ſequentem. Quod etſi ſæpe verificatur, tamen aliquando experimentum contra eſt, & fallit regula.*

Ac primo Valerius Feſtus legatus, ſtudia prouincialium cum fide iuuit. mox nutabat, palam epiſtolis edictiſq. Vitellium, occultis nuncijs Veſpaſianum fouens, & hæc, illa ve defenſurus, prout inualuiſſent.

FRAVDVLENTORVM hominum hac eſt natura: Palam vnius nomen fouere, occulte alterum amplecti; & hac vel illa defendere prout inualeſcunt.

Deprehenſi cum litteris edictiſq. Veſpaſiani, per Rhetiam & Gallias militum & centurionum quidam ad Vitellium miſſi, necantur. plures feſellere, fide amicorum, aut ſuomet aſtu occultati. Ita Vitellij paratus noſcebantur: Veſpaſiani conſiliorum pleraque ignota.

MAGNAM curam adhibere debet Princeps, cum bellum gerit, vt paratus inimicorum noſcat: & ſua conſilia illis ſint ignota: plurima enim commoda inde ſibi reſultabunt.

Primum ſecordia Vitellij.

SECORDIA eſt magna in duce vel in Principe, non adhibere diligentiam, vt paratus inimicorum, cum quibus de ſumma rerum bellum gerit, noſcat & praſentiat.

deinde Pannonicæ alpes præſidijs inſeſſæ nuncios retinebant. Mare quoque Eteſiæ flabant. harum flatu in orientem nauigantibus ſecundum, inde aduerſum erat. Tandem irruptione hoſtium, atrocibus vndique nuncijs exterritus, Cæcinnam & Valentem expediri ad bellum iubet. Præmiſſus Cæcinna. Valentem e graui corporis morbo tum primum aſſurgentem infirmitas tardabat. Longe alia proficiſcentis ex vrbe Germanici exercitus ſpecies. Non vigor corporibus, non ardor animis. lentum & rarum agmen, & fluxa arma, ſegnes equi, impatiens ſolis, pulueris, tempeſtatum: quantumq. hebes ad ſuſtinendum laborem miles, tanto ad diſcordias promptior.

QVANTVM eſt hebes ad ſuſtinendum laborem miles, tanto ad diſcordias eſt promptior. Et vulgo dicitur: Currus rotam peiorem magis ſtrepere. Annotatur non ſolum in militibus, ſed in Aulicis, quòd qui eſt ignauior, hebetior, & minus bonus; magis eſt ſeditioſus, contumax, inobediens, & calumniator. Vnde hac forſan ratio e priore dicto elicienda eſt: quòd homines tales plerumque otio dediti ſunt, vnde omnia fluunt mala.

Accedebat huc Cæcinnæ ambitio vetus, torpor recens, nimia fortunæ indulgentia ſoluti in luxum:

VERISSIMVM eſt, nimia fortuna indulgentia ſolui in luxum hominum mentes & corpora.

ſeu perfidiam meditanti, infringere exercitus virtutem, inter artes erat.

INSIGNIS equidem ars viri perfidi eſt hac, qui exercitum Principis ſui nomine regat, infringere ſcilicet militum virtutem, vt facilius Principem euertat, & ſubſidio ſpoliet.

Credidere plerique Flauij Sabini conſilijs concuſſam Cæcinnæ mentem, miniſtro ſermonum Rubrio Gallo, rata apud Veſpaſianum fore pacta tranſitionis. ſimul odiorum inuidiæq. erga Fabium Valentem admonebatur, vt impar ad Vitellium, gratiam viresq. apud nouum principem pararet.

SAEPE ob inuidiam amulorum apud Principem potentiorum, ſolent miniſtri fidem frangere, & gratiam ac vires apud nouum Principem parare. Quod ne accidat, debent prudentes Principes aqualiter ſemper, dummodo merita eorum paria ſint, ſtrenuos miniſtros diligere, ac fouere: ne illorum alter indignatione & inuidia accenſus, illum deſerat.

Cæcinna complexu Vitellij multo cum honore digreſſus, partem equitum ad occupandam Cremonam præmiſit. Mox vexillarij quartædecimæ & ſextædecimæ legionum, dein quinta & duodeuiceſima ſequutæ: poſtremo agmine vnaetuiceſima Rapax & prima Italica inceſſere, cum vexillarijs trium Britannicarum legionum, & electis auxilijs. Profecto Cæcinna, ſcripſit Fabius Valens exercitui, quem ipſe ductauerat, vt in itinere opperire-

opperiretur; ſic ſibi cum Cæcinna conueniſſe. qui præſens, eoq. validior, immutatum id conſilium finxit, vt ingruenti bello, tota mole occurreretur.

R*ECTE dictum fuit:*

Vrget præſentia Turni.

Nam ſemper, qui ſunt præſentes, ſunt validiores: & vt inquiunt leges: Abſentes pro mortuis habentur. Hic prudens Aulicus, qui à Principe prouehi deſiderat, & ſe ab illo exerceri in negotijs illius, ſemper ſtudeat ante illius oculos eſſe, & ab illo conſpici. Sæpe enim repentinæ ingruunt negotiorum occaſiones, quas Principes, cum cogitandi tempus illis non detur, comittunt illis, qui prius ipſorum conſpectui offeruntur.

Ita accelerare legiones Cremonam, pars Hoſtiliam petere iuſſæ. Ipſe Rauennam diuertit, prætexto claſſem alloquendi. Mox Patauij ſecretum componendæ proditionis quæſitum. namque Lucilius Baſſus poſt præfecturam alæ, Rauennati ſimul ac Miſenenſi claſſibus a Vitellio præpoſitus, quòd non ſtatim præfecturam prætorij adeptus foret, iniquam iracundiam flagitioſa perfidia vlciſcebatur.

G*RAVISSIME ſcripſit Tucydides: Ambitionem, vbi ſemel in hominis animo radices fixerit, ſemper vireſcere: & numquam interire, nec areſcere. Plerumque enim ob hanc praui miniſtri indignantes, quòd non ſtatim immoderatæ ſuæ cupiditates à Principe expleantur, iniquam iracundiam perfidia flagitioſa vlciſcuntur.*

Nec ſciri poteſt, tranxerit ne Cæcinnam, an, quod euenit inter malos, vt & ſimiles ſint, eadem illos prauitas impulerit.

I*NTER malos hoc euenit, vt etiam ſimiles ſint, & eadem prauitas illos impellat.*

Scriptores temporum, qui, potiente rerum Flauia domo, monumenta huiuſce belli compoſuerunt, curam pacis & amorem Reipub. corruptas in adulationem cauſſas tradidere.

F*ERME ſemper hiſtoria de factis alicuius Principis, illo viuente, ſcripta, ſunt adulatione referta. Ex qua ſequitur, quòd cauſſæ rerum, in eis recenſendis corrumpantur ac vitientur.*

Nobis, ſuper inſitam leuitatem, & prodito Galba, mox vilem fidem, emulatione inuidiaq. ne ab alijs apud Vitellium anteirentur, peruertiſſe ipſum Vitellium videntur.

F*ACILE eſt, quòd Princeps nouus, & ignarus prodatur à miniſtris, qui ſuper inſitam leuitatem, & vilem fidem, æmulatione & inuidia impelluntur, & timent, ne ab alijs apud ipſum anteeantur.*

Cæcinna legiones aſſequutus, centurionum militumq. animos obſtinatos pro Vitellio, varijs artibus ſubruebat. Baſſo eadem molienti minor difficultas erat, lubrica ad mutandum fidem claſſe, ob memoriam recentis pro Othone militiæ.

M*AIOREM difficultatem alienandi populos ſiue exercitus à Principe habet ille proditor, qui illos beneficijs affectos à Principe ipſo inuenit: & variæ artes in eo requiruntur, vt eorum animos ſubruat. Sed qui cum gente lubrica ad mutandam fidem agit, huic minor difficultas ineſt. Vnde concludi poteſt, quòd plus meruit proditione ſua cum Veſpaſiano Cæcinna, quàm Baſſus.*

Commentariorum in Librum II. Hiſtoriarum P. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI
IN P. CORNELII TACITI
Hiſtor. Commentarij.

Ex Lib. III. Hiſtor. P. Cornelij Taciti.

MELIORE fato fideq. Flauianarum partium duces conſilia belli tractabant.

IN tractandis belli conſilijs, ante omnia fides ducum erga ſuum Principem requiritur.

Petouionem in hiberna tertiædecimæ legionis conuenerant. illic agitauere, placeret obſtrui Pannoniæ alpes, donec a tergo vires vniuerſæ conſurgerent, an ire cominus, & certare pro Italia conſtantius foret. Quibus opperiri auxilia, & trahere bellum videbatur, Germanicarum legionum vim famamq. extollebant, & aduenisſe mox cum Vitellio Britannici exercitus robora: ipſis nec numerum parem pulſarum nuper legionum, & quamquam atrociter loquerentur, minorem eſſe apud victos animum.

APVD victos eſt ſemper minor animus. Nam ſicut victoria augentur ſpiritus, teſte Liuio, ſic e contra amittendo pugnam, minuuntur.

Sed inceſſis interim alpibus, venturum cum copijs Orientis Mucianum. Supereſſe Veſpaſiano mare, claſſes, ſtudia prouinciarum, per quas velut alterius belli molem cieret. Ita ſalubri mora, nouas vires affore, & præſentibus nihil periturum.

EST ſalubris exercitui mora illa, ob quam nihil viribus ſuis præſentibus perit, & noua adijciuntur.

Ad ea Antonius Primus, is acerrimus belli concitator, feſtinationem ipſis vtilem, Vitellio exitioſam diſſeruit. plus ſecordiæ, quàm fiduciæ acceſſiſſe victoribus.

PLERVMQVE plus ſecordia, quàm fiducia accidit victoribus: & hoc cum nimia rerum proſperitate in luxum ſoluuntur: & quanto ferocius ante victoriam ſe egerunt, tanto cupidius inſolitas voluptates hauriunt. Et eſt notabilis hic Antonij Primi ſermo, plenus eloquentia militaris, efficaciſſime ſpiritus exprimentis.

Neque enim in procinctu & caſtris habitos: per omnia Italiæ municipia deſides, tantum hoſpitibus metuendos; quanto ferocius ante ſe egerint, tanto cupidius inſolitas voluptates hauſiſſe. Circo quoque, ac theatris, & amœnitate vrbis emollitos, aut valetudinibus feſſos, ſed addito ſpatio, rediturum & his robur meditatione belli.

MEDITATIONIS ingens eſt vis: quæ quanto magis in negotijs & rebus gerendis adhibetur, tanto melius & res geruntur, & negotia diriguntur ad finem optatum. Et ſæpe etiam in meditatione belli, redit robur, & animus his, qui prius illa amiſerant.

Nec procul Germaniam, vnde vires; Britanniam peto dirimi, iuxta Gallias, Hiſpaniasq. vtrimque viros, equos, tributa. ipſamq. Italiam & opes Vrbis. Ac ſi inferre arma vl-

ma vltro velint ; duas claſſes, vacuumq. Illyricum mare. Quid tum clauſtra montium profutura? quid tractum in æſtatem aliam bellum? vnde interim pecuniam & commeatus? Quin potius eo ipſo vterentur, quòd Pannonicæ legiones deceptę magis, quàm victæ, reſurgere in vltionem properent:

FORTES viri & ſtrenui, cum decepti ſunt ab hoſte magis, quàm victi; reſurgere in vltionem properant.

Mœſici exercitus integras vires attulerint, ſi numerus militum potius, quàm legionum putetur: plus hinc roboris, nihil libidinum, & profuiſſe diſciplinæ ipſum pudorem.

QVID ſit pudor, ex quibus rebus gignetur, augeatur, & in quibus maxime locum habeat; ſuperfluum eſt hic recenſere: cum abunde apud Ariſtotelem, in 2. Rhet. de his omnibus tractetur, ad quem locum me remitto. Hic ſolum annotare volui, prodeſſe militari diſciplinæ pudorem ſolere, qui cum milites erroris prioris admoneat, illos obſequentiores ducum imperijs reddit. Exemplum clariſſimum fuit de hac re Minutius Magiſter Equitum Fabij Maximi Dictatoris: De quo vide apud Liuium.

Equites vero, ne tum quidem victos; ſed quamquam rebus aduerſis, diſiectam Vitellij aciem. Duæ tunc Pannonicæ ac Mœſicæ alę perrupere hoſtem. Nunc xvj. alarum coniuncta ſigna, pulſu ſonituq. & nube ipſa operient ac ſuperfundent oblitos præliorum equites, equosq. Niſi quis retinet, idem ſuaſor auctorq. conſilij ero.

ILLIVS verbis credi poteſt, nec de illius fide dubitandum, qui aliqua in re ardua & difficili idem eſt ſuaſor & actor conſilij. Sic ſupra lib. ij. Hiſtor. in perſona Mutiani idem.

Vos, quibus fortuna in integro eſt, legiones continete, mihi expeditæ cohortes ſufficient. Iam, reſerata militia, impulſas Vitellij res audietis: iuuabit ſequi, & veſtigijs vincentis inſiſtere.

SEMPER hoc in mundo, iuuat ſequi vincentem, & illius veſtigijs inſiſtere. Et ſtultitia eſt, parti illi adhærere, quæ ſucumbit.

Hæc atque talia, flagrans oculis, truci voce, quo latius audiretur, & enim ſe centuriones & quidam militum conſilio miſcuerant, ita effudit, vt cautos quoque ac prouidos permoueret: vulgus, & ceteri, vnum virum ducemq. ſpreta aliorum ſegnitia, laudibus ferrent.

ELOQVENTIAE ea eſt vis, vt omnes flectat, etiam cautos & prouidos permoueat; denique auctoritatem maximam illi, qui eam recte exercet, pariat & acquirat.

Hanc ſui famam ea ſtatim concione commouerat, qua recitatis Veſpaſiani epiſtolis, non, vt plerique, incerta diſſeruit, huc illuc tracturus interpretationem, prout conduxiſſet.

SIMPLICIS & aperti eſt, aperte in cauſſas deſcendere, & animi ſui inclinationem oſtendere: vt e conuerſo callidi, incerta differere, huc illuc trahendo interpretationem, prout conducit.

Aperte deſcendiſſe in cauſſam videbatur: eoq. gratior militibus erat, culpæ vel gloriæ ſocius.

MILITIBVS ſemper ſunt gratiores duces, qui ſunt ipſis culpa vel gloria ſocij, & aperte in cauſſam deſcendunt.

Proxima Cornelij Fuſci procuratoris auctoritas. Is quoque inclementer in Vitellium inuehi ſolitus, nihil ſpei ſibi inter aduerſa reliquerat.

PRVDENTES numquam adeo abrupte etiam erga hoſtes, vel æmulos ſe gerunt, vt nihil ſpei ſibi inter aduerſa relinquant.

Titus Ampius Flauianus, natura ac ſenecta contator,

SENES natura ſunt contatores: & ratio aſſignatur a Philoſopho in 2. Reth. Frigeſcit enim ſanguis, & ſpiritus pigriores gignit. Hinc Entellus apud Virgilium v. Aeneid.

Non laudis amor, nec gloria ceſſit
Pulſa metu: ſed enim gelidus, tardante ſenecta,
Sanguis hebet, fringentq. effetæ in corpore vires. *& quæ ſequuntur*.

& P. Licinius apud Liuium lib. v. Dec. I. Me iam non eundem inquit in oratione ad populum, ſed umbram nomenq. P. Licinij relictum videtis, vires corporis affecta: ſenſus oculorum atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtuſus. Et quæ ſequuntur ibidem.

ſuſpiciones militum inritabat, tamquam affinitatis cum Vitellio meminiſſet. Idemq. quod cæptante legionum motu profugus, dein ſponte remeauerat, perfidiæ locum quæſiſſe credebatur. Nam Flauianum, omiſſa Pannonia, ingreſſum Italiam, & diſcrimini exemptum, rerum nouarum cupido legati nomen reſumere, & miſceri ciuilibus armis impulerat, ſuadente Cornelio Fuſco, non quia induſtria Flauiani egebat, ſed vt conſulare nomen, ſurgentibus tum maxime partibus, honeſta ſpecie prætenderetur.

SAEPE quæritur auxilium ab aliquibus, non quia induſtria eorum indigeamus, ſed gratia addendi auctoritatem rebus noſtris ex nomine & titulo perſona. Et hoc maxime fieri ſolet, cum partes aliquæ ſurgere incipiunt: tunc enim alicuius dignitas, nobis alioquin inutilis, honeſta ſpecie prætenditur rebus noſtris. Temporibus noſtris magnum quendam virum vidimus e longinqua regione hac tantum de cauſſa vocatum fuiſſe & tractum in partes ab aliquibus ſeditioſis, & nouarum rerum cupidis.

Ceterum vt tranſmitteret in Italiam, in primis ex vſu adfore, ſcriptum Aponio, & vna cum Mœſico exercitu celeraret. Ac ne inermes prouinciæ barbaris nationibus exponerentur,

CVRAM magnam adhibeant ſemper nouorum bellorum concitores, ne inermes prouincia ſociorum ſuorum barbaris nationibus exponantur, nam multum exiſtimationis partibus ſuis indemetur.

Principes Sarmatarum Iazygum in commilitium adſciti, plebem quoque & vim equitum, qua ſola valent, efferebant. remiſſum id munus ne inter diſcordias externa molirentur, ac maiore ex diuerſo mercede ius faſq. exuerent.

BARBARI potentes militia, qui in commilitium belli aſciſcuntur; ſolent inter diſcordias externa moliri, & maiore ex diuerſo mercede ius faſq. exuere. Bocchus cum Iugurtha, Pruſias cum Annibale ſic egerunt, Salluſtius & Liuius. Proinde tutius eſt, ab his auxilijs abſtinere.

Trahuntur in partes Sido atque Italicus reges Sueuorum, quibus vetus obſequium erga Rom. & gens fidei commiſſæ patientior. oppoſita in latus auxilia infeſta Rætia, cui Portius Septimius procurator erat incorruptæ erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix cum ala Tauriana & viij. cohortibus ac Noricorum iuuentute ad occupandam ripam Æni fluminis, quod Rætos Noricos interfluit, miſſus, nec illis aut his prælium tentantibus fortuna partium alibi tranſacta Antonio vexillarios e cohortibus & partem equitum rapienti comes fuit Arrius Varus ſtrenuis bello, quam gloriam & dux Corbulo, & proſperæ in Armenia res addiderant.

MAGNAM gloriam addunt ſtrenuo militi, ducis, ſub quo militauit, præſtantia, & proſperæ alicubi geſtæ ab eo res.

Idem ſecretis apud Neronem ſermonibus ferebatur Corbulonis virtutes criminatus, Vnde infami gratia primumpilum adepto, læta ad præſens male parta, mox in perniciem vertere.

STVDERE debet ſemper Aulicus, per bonas artes res ſuas augere. Nam plerumque illis, qui infami gratia aliquid apud Principem adipiſcuntur; læta ad præſent male parta, mox in perniciem vertunt. Et hæc Aula talium exemplorum eſt fecundiſſimum ſeminarium.

Sed Primus ac Varus occupantes Aquileiæ proxima quæque & Opitergij & Altini lætis animis accipiuntur. Relictum Altini præſidium aduerſus claſſem Rauennatem, nondum defectione eius audita. Inde Patauium & Ateſte partibus adiunxere. Illic cognitum

tris

tris Vitellianas cohortes, & alam cui Scribonianę nomen, ad Forum Alieni, ponte iuncto, conſediſſe. Placuit occaſio inuadendi incurioſos,

M*AGNAM prabent occaſionem inimicis incurioſi, vt inuadantur, ac vincantur.*

nam id quoque nunciabatur. Luce prima inermes pleroſq. oppreſſere. Prædictum vt paucis interfectis, ceteros pauore ad mutandam fidem cogerent. Et fuere qui ſe ſtatim dederent. plures, abrupto ponte, inſtanti hoſti viam abſtulerunt. Vulgata victoria poſt principia belli ſecundum Flauianos, duæ legiones ſeptima Galbiana, Tertiadecima gemina cum Vedio Aquila legato Patauium alacres veniunt. Ibi pauci dies ad requiem ſumpti, & Minutius Iuſtus præfectus caſtrorum legionis vij. quia audacius, quàm ciuili bello imperitabat, ſubtractus militum iræ, ad Veſpaſianum miſſus eſt.

Q Vidquid agas, prudenter agas: *recte dictum fuit. Et illud:*

Nequid nimis. *Hinc diſcant omnes, qui ceteris imperant, diſcrete ſe gerere; nam ſæpe ſummum ius eſt ſumma iniuria; Et id omne quod libet efficere non debet, cui etiam quod libet licet.*

Deſiderata diu res interpretatione gloriæ in maius accipitur, poſtquam Galbæ imagines diſcordia temporum ſubuerſas in omnibus municipijs recoli iuſſit Antonius, decorum pro cauſſa ratus ſi placere Galbæ principatum partes præſumerent. Quæſitum inde quæ ſedes bello legeretur. Verona potior viſa patentibus circumcampis ad pugnam equeſtrem, qua præualebant: ſimul coloniam copijs validam auferre Vitellio in rem famamq. videbatur. Poſſeſſa ipſo tranſitu Vicentia; quod per ſe parum, etenim modicæ municipio vires, magni momenti locum obtinuit, reputantibus illic Cæcinnam genitum, & patriam hoſtium duci ereptam. In Veronenſibus pretium fuit: exemplo opibusq. partes iuuere. Et interſeptus exercitus per Rætiam Iuliasq. Alpes, ac ne peruium illa Germanicis exercitibus foret, obſepſerat. Quæ ignara Veſpaſiano aut vetita. quippe Aquileiæ ſiſti bellum, expectariq. Mucianum iubebat. Adijciebatq. imperio conſilium, quando Ægyptus, clauſtra annonæ, vectigalia opulentiſſimarum prouinciarum obtinerentur, poſſe Vitellij exercitum egeſtate ſtipendij frumentiq. ad deditionem ſubigi. Eadem Mucianus crebris epiſtolis monebat, incruentam & ſine luctu victoriam,

P*ROCVLDVBIO ſemper incruenta & ſine luctu victoria, cruenta & luctuoſa anteponi debet; nam cum multum ſanguinis effunditur, ducum gloria in parte aliqua imminuitur.*

& alia huiuſmodi prætexendo,

C*ALLIDI & experti viri, ſua arcana obtegendo, ſemper prætexunt illis ſpecioſa aliqua & noua.*

Sed gloriæ auidus atque omne belli decus ſibi retinens.

D*VCES omnes gloria ſunt auidi, atque omne decus belli retinere ſibi cupiunt.*

Ceterum ex diſtantibus terrarum ſpatijs conſilia poſt res afferebantur.

V*ERISSIMVM eſt, ex diſtantibus terrarum ſpatijs conſilia poſt res afferri: Vnde Saguntinorum excidium deriuauit. Et illinc emanauit ſcitum illud: Dum Romæ conſulitur, Saguntum expugnatur. Temporibus noſtris ob hanc rem vidimus amitti arcem inſignem, & multum magno Principi conducentem.*

Igitur repentino incurſu Antonius ſtationes hoſtium irrupit, tentatiſq. leui prælio animis, ex æquo diſceſſum. Mox Cæcinna inter Hoſtiliam vicum Veronenſium & paludes Tartari fluminis caſtra permunijt, tutus loco cum terga flumine, latera obiectu paludis tegerentur: Quod ſi affuiſſet fides, aut opprimi vniuerſis Vitellianorum viribus duæ legiones nondum coiuncto Mœſico exercitu potuere, aut retroactæ deſerta Italia turpem fugam conſciuiſſent. Sed Cæcinna per varias moras prima hoſtibus vendidit tempora belli, dum quos armis pellere promptum erat, epiſtolis increparet,

R*IDICVLVM equidem eſt in duce alicuius exercitus, hoſtes, quos armis pellere poteſt, epiſtolis increpare.*

donec

donec per nuncios pacta perfidiæ firmaret. Interim Aponius Saturninus cum legione vij. Claudiana aduenit Legioni tribunus Vipſanius Meſſalla præerat claris maioribus, egtegius ipſe & qui ad id bellum ſolus artes bonas attuliſſet.

ET ad bellum, & ad Aulam pauci eunt, qui artes bonas tantum afferrant. Et neſcio quo in loco ex his duobus plures vigeant.

Has ad copias nequaquam Vitellianis pares, quippe tres adhuc legiones erant, miſit epiſtolas Cæcinna, temeritatem victa arma tractantium incuſans. Simul virtus Germanici exercitus laudibus attolebatur, Vitellij modica & vulgari mentione, nulla in Veſpaſianum contumelia. Nihil prorſus quod aut corrumperet hoſtem, aut terreret.

EXIGVOS ſemper faciet progreſſus dux ille, qui nihil habebit prorſus, quod hoſtem aut corrumpat, aut terreat.

Flauianarum partiũ duces, omiſſa prioris fortunæ defenſione, pro Veſpaſiano magnifice, pro cauſſa fidenter, de exitu ſecuri, in Vitellium vt inimici. Facta tribunis & centuronibus retinendi quæ Vitellius indulſiſſet, ſpes, atque ipſum Cæcinnam non obſcure ad tranſitionem hortabantur. Recitatæ pro concione epiſtolæ addidere fiduciam, quòd ſubmiſſe Cæcinna velut offendere Veſpaſianum timens, ipſorum duces contemtim, tamquam inſultantes Vitellio ſcripſiſſent. Aduentu deinde duarum legionum, e quibus tertiam Dillius Aponianus, octauam Numiſius Lupus ducebant, oſtentare vires, & militari vallo Veronam circumdare placuit. Forte Galbianæ legioni, in aduerſa fronte valli opus ceſſerat, & viſi procul ſociorum equites, vanam formidinem vt hoſtes fecere. Rapiuntur arma, & vt proditionis ira militum in T. Ampium Flauianum incubuit, nullo criminis argumento. Sed iam pridem inuiſus, turbine quodam ad exitium poſcebatur:

EST dictum ſapientis: Occaſionem quærere ſolere, qui diſcedere vult ab amico. Ideo qui iam pridem nobis eſt inuiſus, quaqua de cauſſa, etiam leuiſſima, eius exitium cupere ſolemus.

Propinquum Vitellij, proditorem Othonis, interceptorem donatiui clamitabant.

TRES hæ cauſſæ ſunt potiſſimæ ad accendendum iram militum in aliquem: Inimici propinquitas: Amici, aut Imperatoris proditio: & donatiui interceptio.

Nec defenſioni locus, quamquam ſupplices manus tenderet, humi plerumque ſtratus; lacera veſte, pectus atque ora ſingulru quatiens. Id ipſum apud infenſos incitamentum erat, tamquam nimius pauor conſcientiam argueret.

NIMIVS pauor conſcientiam arguit. Sicut e conuerſo, ſecuritas rei & vultus intrepidus innocentiam indicat.

Obturbabatur militum vocibus Aponius, cum loqui cœptaret. fremitu & clamore ceteros aſpernantur, vni Antonio apertę militum aures. Nam & facundia aderat mulcendiq. vulgum artes, & auctoritas.

ADSIT facundia oportet, atque mulcendi vulgum artes & auctoritas duci illi, cui militum aures ſemper apertæ eſſe debeant.

Vbi crudeſcere ſeditio, & a conuicijs & probris, ad tela & manus tranſibant, inijci catenas Flauiano iubet. Senſit ludibrium miles, diſiectisq. qui tribunal tuebantur, extrema vis parabatur. Oppoſuit ſinum Antonius ſtricto ferro, aut militum ſe manibus, aut ſuis moriturum obteſtans: vt quemque notum, & aliquo militari honore inſignem aſpexerat, ad ferendum opem nomine ciens. Mox conuerſus ad ſigna & bellorum deos, hoſtium potius exercitibus illum fauorem, illam diſcordiam inijcerent, orabar, donec fatiſceret ſedirio, & extremo iam die, ſua quiſque in tentoria dilaberetur. Profectus eadem nocte Flauianus, obuijs Veſpaſiani litteris, diſcrimini exemptus eſt. Legiones, veluti tabe infectæ, Aponium Saturninum Mœſici exercitus legatum, eo atrocius aggrediuntur, quod non, vt prius, labore & opere feſſæ, ſed medio diei exarſerant, vulgatis epiſtolis, quas Saturninus ad Vitellium ſcripſiſſe credebatur: vt olim virtutis modeſtiæq. tunc procacitatis & petulantiæ certamen erat.

VT inter bonos ſolet eſſe certamen virtutis ac modeſtiæ; ſic inter prauos eſt procacitatis, ac petulantiæ.

ne mi-

ne minus violenter Aponium, quàm Flauianum, ad ſupplicium depoſcerent. Quippe Mœſici adiuram a ſe Pannoniorum vltionem, referentes, & Pannonici, velut abſoluerentur aliorum ſeditione, iterare culpam gaudebant. In hortos, in quibus diuertebatur Saturninus, pergunt. Nec tam Primus, Aponianus & Meſſalla, quamquam omni modo niſi, eripuere Saturninum, quàm obſcuritas latebrarum quibus occulebatur, vacantium forte Balnearum fornacibus abditus. Mox, omiſſis lictoribus, Patauium conceſſit. Digreſſu conſularium, vni Antonio vis ac poteſtas in vtrumque exercitum fuit, cedentibus collegis, & obuerſis militum ſtudijs. Nec deerant qui crederent, vtramque ſeditionem fraude Antonij cœptam, vt ſolus bello frueretur.

SIMILIS fraus ſupra habetur de Auguſto lib. i. Annal. erga Hirtium ac Panſam, vt ſolus eorum exercitibus frueretur. Ab Antonij Primi tamen natura hac ſuſpicio abhorrere mihi videtur, qui potius aperte, immo incaute ſe gerebat, quàm ſimulate & dupliciter.

Ne in Vitellij quidem partibus quietæ mentes. exitioſiore diſcordia non ſuſpicionibus vulgi, ſed perfidia ducum turbabantur.

EXITIOSIOR eſt diſcordia in exercitu illo, qui turbatur perfidia ducum, quàm in illo, qui ſuſpicionibus vulgi turbatur.

Lucilius Baſſus, claſſis Rauennatis præfectus, ambiguos militum animos, quod magna pars Dalmatæ Pannonijq. erant, quæ prouinciæ. Veſpaſiano tenebantur, partibus eius aggregauerat. Nox proditioni electa, vt ceteris ignaris, ſoli in principia defectores coirent. Baſſus, pudore ſeu metu quis nam exitus foret, intrà domum opperiebatur. Trierarchi, magno tumultu Vitellij imagines inuadunt, & paucis reſiſtentium obtruncatis, ceterum vulgus rerum nouarum ſtudio, in Veſpaſianum inclinabat. Tum progreſſus Lucilius auctorem ſe palam præbet, claſſis Cornelium Fuſcum præfectum ſibi deſtinat, qui propere accurrit. Baſſus, honorata cuſtodia liburnicis nauibus Hadriam prouectus, a præfecto alæ Mennio Rufino, præſidium illic agitante, vincitur. Sed exoluta ſtatim vincula, interuentu Hormi Cæſaris liberti, is quoque inter duces habebatur.

IN bellis ciuilibus contingit, vt etiam viliſſima perſona ducis nomen & munia ſuſtineant.

At Cæcinna, defectione claſſis vulgata, primores centurionum, & paucos militum, ceteris per militiæ munera diſperſis, ſecreta caſtrorum affectans, in principia vocat. Ibi Veſpaſiani virtutem, viresq. partium extollit: tranſfugiſſe claſſem, arcem commeatuum, aduerſas Gallias Hiſpaniasq. nihil in vrbe fidum, atque omnia de Vitellio in deterius.

SIC ſe gerunt proditores, vt multos in ſuam ſententiam trahant: Virtutem & vires illius, ad quē deſciſcunt, mire extollunt, contra illius, a quo deſciſcunt, omnia extenuant & in deterius vulgant.

Mox incipientibus qui conſcij aderant, ceteros re noua attonitos, in verba Veſpaſiani adigit. Simul Vitellij imagines dereptæ, & miſſi qui Antonio nunciarent. Sed vbi totis caſtris in fama proditio, recurrens in principia miles, præſcriptum Veſpaſiani nomen, proiectas Vitellij effigies aſpexit: vaſtum primo ſilentium, mox cuncta ſimul erumpunt.

FERME ſemper flagitiorum comes eſt pœnitentia ac dolor.

huc cecidiſſe Germanici exercitus gloriam, vt ſine prælio, ſine vulnere, vinctas manus, & capta traderent arma? Quas enim ex diuerſo legiones? nempe victas. & abeſſe vnicum Othoniani exercitus robur, primanos, quartadecimanosq. quos tamen iiſdem campis illis fuderint ſtrauerintq. vt tot armatorum millia velut grex venalium exuli Antonio donum darentur. Octo nimirum legiones vnius claſſis acceſſionem fore. Id Baſſo, id Cæcinnæ viſum, poſtquam domos, hortos, opes principi abſtulerint, etiam milites auferre, licet integros incruentosq. Flauianis quoque partibus viles,

INSIGNIS proditor eſt ille equidem, qui poſt ablatas domos, hortos, opes Principi ſuo, etiam milites aufert, licet integros & incruentos aduerſarij etiam partibus viles.

quid dicturos repoſcētibus aut proſpera, aut aduerſa? Hęc ſinguli, hæc vniuerſi, vt quęque dolor impulerat, vociferantes, initio a quinta legione orto, repoſitis Vitellij imaginibus, vincla Cęcinnę iniciunt. Fabiū Fabulum quintæ legionis legatum, & Caſſiū longum præ-

 fectum

fectum caſtrorum, duces diligunt. Forte oblatos, trium liburnicarum milites ignaros & inſontes trucidant.

CAECVS eſt furor exercitus à ſeditione agitati, & ideo in priores, qui ſibi offeruntur, etſi ignaros, & inſontes, crudelitatem explet & ſaeuitiam, nec vllam perſonarum diſtinctionem accipit.

Relictis caſtris, abrupto ponte, Hoſtiliam rurſus, inde Cremonam pergunt, vt legionibus primæ Italicæ, & vnietuicеſimæ Rapaci iungerentur: quas Cæcinna ad obtinendam Cremonam cum parte equitum præmiſerat. vbi hec comperta Antonio,

HINC incipiunt victoria Antonij, quas annotare operæpretium eſt. Nam ob eius maximam celeritatem, & inſignem fortitudinem, cauſſa præcipua fuit imperij Veſpaſiano acquirendi. Etſi poſtea ſemetipſum in pace peſſundauit: iuxta Auctoris dictum in illo effingendo: Vir pace peſſimus, bello non ſpernendus.

diſcordes animis, diſcretos viribus hoſtium exercitus aggredi ſtatuit, antequam ducibus auctoritas, militi obſequium, & iunctis legionibus fiducia rediret.

DVCVM propria eſt auctoritas, vt militum obſequium. Et diſcant hinc e Primo duces, quod tunc aduerſus hoſtes bene gerendæ rei ſe offert occaſio, dum illi diſcordes animis, & diſcreti viribus; nec ducibus adeſt auctoritas, nec militi obſequium.

namq. Fabium Valentem profectum ab vrbe, acceleraturumq. cognita Cæcinnæ proditione, coniectabat. Et fidus Vitellio Fabius, nec militiæ ignarus. Simul ingens Germanorum vis, per Rhetiam timebatur: & Britannia, Galliaq; & Hiſpania auxilia Vitellius acciuerat, immenſam belli luem; ni Antonius id ipſum metuens, feſtinato prælio victoriam præcepiſſet.

LAVDANDVS eſt ille dux, qui celeritate ſua victoriam ex hoſte præcipit, antequam ille viribus augeatur.

Vniuerſo cum exercitu, ſecundis a Verona caſtris Bedriacum venit poſtero die legionibus ad muniendum retentis, auxiliares cohortes in Cremonenſem agrum miſſæ, vt ſpecie parandarum copiarum, ciuili præda miles imbueretur. Ipſe cum quatuor millibus equitum, ad octauum a Bedriaco progreſſus, quo licentius popularentur. Exploratores, vt mos eſt, longius curabant.

EXPLORATORVM mos eſt in exercitu longius curare.

Quinta ferme hora diei erat, cum citus eques, aduentare hoſtes, prægredi paucos, motum, fremitumq. late audire nunciauit. Dum Antonius, quidnam agendum, conſultat, auiditate nauandæ operæ Arrius Varus cum promptiſſimis equitum prorupit, impulitq. Vitellianos modica cæde. nam plurimum accurſu, verſa fortuna, & acerrimus quiſque ſequentium, fugæ vltimus erat nec ſponte Antonij properatum, fore quæ acciderant rebatur. Hortatus ſuos, vt magno animo capeſſerent pugnam, diductis in latera turmis, vacuum in medio reliquit iter, quo Varum equitesq. eius reciperet.

HOC ex diſciplina militari, ne forte oriretur confuſio, & ordines turbarentur.

Iuſſæ armari legiones, datum per agros ſignum, vt qua cuique proximum, omiſſa præda, prælio occurrerent.

CVM hoſtis inſtat, debet miles omittere prædam, & occurrere prælio.

Pauidus interim Varus, turbæ ſuorum miſcetur, intulitq. formidinem. Pulſi cum ſaucijs integri, ſuometipſi metu, & anguſtijs viarum conflictabantur. Nullum in illa trepidatione Antonius conſtantis ducis, aut fortiſſimi militis officium omiſit. occurſat pauentibus, retinet cedentes. vbi plurimus labor, vnde aliqua ſpes, conſilio, manu, voce inſignis hoſti, conſpicuus ſuis.

TALES debent eſſe, qui ducum inſignium nomen habere volunt. Nempe, in pugna trepidatione, nullum conſtantis ducis aut fortiſſimi militis officium omittere, occurſare pauentibus, retinere cedentes. Vbi plurimus labor, vnde aliqua ſpes, conſilio, manu, voce, eſſe inſignes hoſti, & conſpicuos ſuis. Sic Cæſar apud Neruios antiquitus ſe præſtitit. Sic ALEXANDER FARNESIVS Placentiæ ac Parmæ Dux aduerſus Belgas non ſemel egit noſtris temporibus.

Eo po-

Eo poſtremo ardoris prouectus eſt, vt vexillarum fugientem haſta tranſuerberaret. mox raptum vexillum in hoſtem vertit. quo pudore, haud plures quam centum equites reſtitere. Iuuit locus, artiore illic via, & fracto interfluentis riui ponte, qui incerto alueo, & præcipitibus ripis, fugam impediebat. Ea neceſſitas ſeu fortuna, lapſas iam partes reſtituit:

E Neceſſitate ſæpe victis fortitudo acquiritur, & victoria. Vnde Temiſtoclis ſcitum illud: Inimicis pontes aurei ſternendi ſunt ad fugam.

Firmati inter ſe, denſis ordinibus, excipiunt Vitellianos temere effuſos: atque illi conſternantur. Antonius inſtare perculſis, ſternere obuios. Simul ceteri, vt cuique ingenium, ſpoliare, capere, arma, equos abripere. Exciti proſpero clamore, qui modo per agros fuga parabantur, victoriæ ſe miſcebant. Ad quartum a Cremona lapidem, fulſere legionum ſigna, Rapacis atque Italicę, læto inter initia equitum ſuorum prælio, illuc vſque prouecta. Sed vbi fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obuiam ire, vltroq. aggredi hoſtem, tantum per ſpatium curſu & pugnando feſſum, forte victi, haud perinde rebus proſperis ducem deſiderauerant, atque in aduerſis deeſſe intelligebant.

SOLEMVS rebus proſperis parum ea, quæ deberemus, conſiderare: ſed cum aduerſa res poſtea ſuccedunt, ea deeſſe conſpicimus abſque aliquo fructu.

Nutantem aciem, victor equitatus incurſat. Et Vipſanius Meſſalla tribunus, cum Mœſicis auxilaribus aſſequitur, quos militiæ gloria legionarijs quamquam raptim ductos, æquabat. Ita mixtus pedes equesq. rupere legionum agmen. Et propinqua Cremonenſium mœnia, quanto plus ſpei ad effugium, minorem ad reſiſtendum animum dabant.

MILITIBVS quod dat plus ſpei ad effugium, id minorem animum ad reſiſtendum etiam præbet. Hinc ſæpe conſueuerunt prudentes duces & imperatores, & naues incendere, & pontes fluminum abſcindere, cum in hoſtilem terram cum exercitu appulerint: vt ſpe effugij militibus ablata, maiori & fortioris animo ad dimicandum & vincendum parati eſſent.

Nec Antonius vltra inſtitit, memor laboris ac vulnerum, quibus tam anceps prælij fortuna quamuis proſpero fine, equites equoſq. afflictauerat. Inumbrante veſpera, vniuerſum Flauiani exercitus robur aduenit, vtq. cumulos ſuper, & recentia cæde veſtigia inceſſere. quaſi debellatum foret, pergere Cremonam, & victos in deditionem accipere, aut expugnare depoſcunt. Hæc in medio, pulchra dictu.

MVLTA ſæpe in medio conſpiciuntur pulchra dictu, quæ poſtea effectu difficillima, & pene impoſſibilia euadunt.

Illa ſibi quiſque poſſe coloniam plano ſitam impetu capi. Idem audaciæ per tenebras inrumpentibus, & maiorem rapiendi licentiam. Quòd ſi lucem opperiantur, iam preces, & pro labore ac vulneribus, clementiam & gloriam inania laturos. Sed opes Cremonenſium, in ſinu præfectorum legatorumq. fore expugnatæ vrbis prædam, ad militem; deditæ, ad duces pertinere.

VRBIVM expugnatarum ferme ſemper præda ad milites pertinet: cuncta enim rapinis, cæde, & confuſione aguntur. Contra deditarum ad duces: a quibus ſæpiſſime venduntur conditiones pacis victis. Sic ſupra lib. ij. Hiſt. de Fabio: Porro milites omnia habent, præ amore prædæ, inania; & clementiam & gloriam nihili ducunt.

Spernuntur centuriones tribuniq. ac ne vox cuiuſquam audiatur, quatiunt arma rapturi imperiū, ni ducantur. Tū Antonius inſerens ſe manipulis, vbi aſpectu, & auctoritate ſilentium fecerat, non ſe decus neque pretium eripere tam bene meritis affirmabat. Sed diuiſa inter exercitum duceſq. munia: militibus cupidinem pugnandi conuenire, duces prouidendo, conſultando, contatione ſæpius, quàm temeritate prodeſſe.

SIC ſunt diuiſa inter exercitum, ac duces munia: vt militibus pugnandi cupido conueniat, duces vero prouidendo, conſultando, contatione ſæpius, quam temeritate proſint. Sic ſupra Otho ad milites lib. j. Hiſtoriarum. Et fere ſemper magis laudantur Imperatores cauti, & quaſi timidi, quàm fortes & audaces. Vnde diſputatio illa inter Cononem, & Timotheum; qu

Cononi glorianti ſe primum aſcendiſſe murum in quadam expeditione: Ego vero, reſpondit, adhuc erubeſco, cum memini, quòd in quodam prælio telum prope me deciderit. Plutarc. in Timoleone.

Vt pro virili portione, armis ac manu victoriam iuuerit, ratione & conſilio, proprijs ducis artibus, profuturum.

RATIO & conſilium ſunt propria ducum artes: nec ſine illis vere dux dici poteſt: & præſtat, male rem gerere, dummodo optimum conſilium præceſſerit, quàm vincere temeritate. Victoria enim hac nullam gloriam duci acquirit, & prior euentus triſti rerum condicioni imputatur.

Neque enim ambigua eſſe quæ occurrant, noctē, & ignotæ ſitum vrbis, intus hoſtes, & cuncta inſidijs opportuna. non ſi pateant portę, niſi explorato, niſi die, intrandū. An oppugnationem inchoaturos. adempto omni proſpectu, quis ęquus locus, quanta altitudo mœnium? tormentis ne, & felis, an operibus, & vineis aggredienda vrbs foret? Mox conuerſus ad ſingulos, num ſecures, dolabras, & cetera expugnandis vrbibus, ſecum attuliſſent, rogitabat. Et cum abnuerent, gladijs ne, inquit & pilis, perfringere ac ſubruere muros vllæ manus poſſunt? ſi aggerem ſtruere, ſi pluteis cratibusue protegi neceſſe fuerit, vt vulgus improuidum inriti ſtabimus, altitudinem turrium, & aliena munimenta mirantes? quin potius mora noctis vnius, aduectis tormentis machinisq. vim victoriamq. nobiſcum ferimus.

HAEC eſt natura multitudinis, vt in genere multum hallucinetur de rerum eſſentia, & male iudicium ferat. Sed cum ad particularia deuenitur, tunc erroris ſui capax redditur, & melioribus paret. Eſt ergo prudentis officium tali in re, patienter cum illa ſe gerere: donec languescente primo illo impetu; quo magnæ pila vento plena inſtar extollitur, paulatim obſtructas aures melioribus conſilijs aperiat, & ſuperioribus obediat.

Simul lixas calonesq. cum recentiſſimis equitum, Bedriacum mittit, copias ceteraq. vſui allaturos. Id vero ægre tolerante milite, prope ſeditionem ventum progreſſi equites ſub ipſa mœnia, vagos ex Cremonenſibus corripiunt, quorum indicio noſcitur, ſex Vitellianas legiones, omnemq. exercitum, qui Hoſtilię egerat, eo ipſo die triginta millia paſſuum emenſum, comperta ſuorum clade, in prælium accingi, ac iam affore. Is terror obſtructas mentes conſilijs ducis aperuit.

SAEPE ex malis cauſſis prouenire ſolent boni effectus. Sic ſupra lib. iiij. Annal. de Origine legum differens, Auctor docuit.

Siſtere tertiam legionem, in ipſo viæ Poſthumię aggere iubet, cui iuncta a læuo ſeptima Galbiana, patenti campo ſtetit: dein ſeptima Claudiana, agreſti foſſa, ita locus erat, præmunita, dexrro, octaua per apertum limitem; mox tertiadecima, denſis arbuſtis interſepta. Hic aquilarum ſignorumq. ordo. Milites mixti per tenebras, vt fors tulerat. prætorianum vexillum, proximum tertianis. cohortes auxiliorum, in cornibus. latera ac terga, equite circumdata. Sido atque Italicus Sueui, cum dilectis popularium primori in acie verſabantur. At Vitellianus exercitus, cui acquieſcere Cremonæ, & reciperatis cibo ſomnoq. viribus, confectum algore & inedia hoſtem, poſtera die profligare ac proruere, ratio fuit: indigus rectoris, vacuus conſilij, tertia ferme noctis hora, paratis, iamq. diſpoſitis Flauianis impingitur.

NIL mirum, profligari exercitum illum, qui indigus ſit rectoris, & vacuus conſilij. Quæ duo omnium exercituum ſunt anima.

Ordinem agminis diſiecti per iram ac tenebras, aſſeuerare non auſim: quamquam alijs tradiderint, quartam Macedonicam, dextro ſuorum cornu, quintam, & quintamdecimam, cum vexillis nonę, ſecundæq. & vicesimæ, Britannicarum legionum, mediam aciem, ſextadecimanos, duoetuiceſimanoſq. & primanos, læuum cornu compleſſe. Rapaces atque Italici omnibus ſe manipulis miſcuerant. Equites, auxiliaq. ſibi

ſibi ipſi locum legere. Prælium tota nocte varium, anceps, atrox, his, rurſus illis exitiabile.

TALE fuit prælium, quod FRANCISCVS PRIMVS GALLIAE REX cum Helvetijs ad Sanctum Donatum in Italia geſſit: nempe tota nocte varium, anceps, atrox, his, rurſus illis exitiabile: etſi tandem victoria a parte Franciſci Regis ſteterit. Guic.

Nihil animus, aut manus, ne oculi quidem prouiſu iuuabant. Eademq. vtraque acie, arma crebris interrogationibus, notum pugnæ ſignum: permixta vexilla vt quiſque globus, capta ex hoſtibus, huc vel illuc raptabat. Vrgebatur maxime ſeptima legio nuper a Galba conſcripta. Occiſi ſex primorum ordinum centuriones. abrepta quædam ſigna. Ipſam Aquilam, Atilius Verus primipili centurio, multa cum hoſtium ſtrage, & ad extremum moriens, ſeruauerat. Suſtinuit labentem aciem Antonius, accitis prætorianis, qui vbi excepere pugnam, pellunt hoſtem, dein pelluntur. Namque Vitelliani, tormenta in aggerem viæ contulerant, vt tela vacuo atque aperto excuterentur, diſperſa primo & arbuſtis ſine hoſtium noxa illiſa. Magnitudine eximia, quartadecimæ legionis baliſta, ingentibus ſaxis hoſtilem aciem proruebat: lateq. cladem intuliſſet, niſi duo milites præclarum facinus auſi, arreptis e ſtrage ſcutis, ignorari vincula ac libramenta tormentorum abſcidiſſent. Statim confoſſi ſunt eoq. intercidere nomina, de facto haud ambigitur.

MISERANDA eſt equidem ſors illorum virorum, quibus, cum egregium aliquod & memoria dignum facinus geſſerint, tempus cum nominibus gloriam ſimul apud poſteros eripuit. Fructus enim eſt laborũ, quos in vita magnos pro virtute ſuſcipimus, rei apud futurũ æuum memoria.

Neutro inclinauerat fortuna, donec adulta nocte, luna ſurgens oſtenderet acies falleretq. Sed Flauianis æquior a tergo hinc maiores equorum virorumq. vmbræ, & falſo, vt corpora, ictu tela hoſtium citra cadebant. Vitelliani aduerſo lumine collucentes, velut ex occulto iaculantibus, incauti offerebantur.

VT hic Vitellianis aduerſum luna lumen nocuit, & Flauianis victoriam acquiſiuit: ſic apud Echinadas noſtris temporibus ventus propitius Chriſtianorum claſſi, ita DEO diſponente, repente ſurgens, Turcis excidij cauſſa fuit.

Igitur Antonius, vbi noſcere ſuos, noſciq. poterat, alios pudore & probris, multos laude & hortatu, omnes ſpe promiſſiſq. accendens,

CVM eloquentia in duce exercitus pernecceſſaria ſit, vt ſupra non ſemel annotauimus: eam debet dux varie ſecundum perſonarum & rerum occaſionem exercere. Nam in ſuo exercitu, alios pudore & probris, multos laude & hortatu, omnes ſpe & promiſſis, & vnumquemque, prout merita illius requirunt, inflammare, & excitare debet. Quod obſeruauit mirifice hic Antonius Primus. Simile exemplum habetur apud Xenophontem in aliquibus locis Padia, in perſona Cyri.

curraret reſumpſiſſent arma Pannonicas legiones interrogabat. Illos eſſe cãpos, in quibus abolere labem prioris ignominiæ, vbi reciperare gloriam poſſent. Tum ad Mœſicos conuerſus, principes auctoresq. belli ciebat. Fruſtra minis & verbis prouocatos Vitellianos, eorum oculosq. non tolerent. Hæc vt quosq. acceſſerat. Plura ad Tertianos, veterum recentiumq. admonens: vt ſub M. Antonio Parthos, ſub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepuliſſent. Mox infenſus prætorianis: vos, inquit, niſi vincitis pagani, quis alius imperator, quæ caſtra alia excipient? illic ſigna armaq. veſtra ſunt, & mors victis. Nam ignominiam conſumpſiſtis. Vndique clamor & orientem ſolem, ita in Syria mos eſt, Tertiani ſalutauere. Vagus inde, conſilio ducis, ſubditus rumor, aduenisse Mucianum, exercitus inuicem ſalutaſſe.

STRATAGEMATA in tempore facta ſæpe ducibus victoriam peperere, quam alioquin non reportaſſent. De quibus vide apud Sex: Frontinum in tractatu, de Stratagematibus.

gradum inferunt, quaſi recentibus auxilijs aucti, rariore iam Vitellianorum acie, vt quos nullo rectore, ſuus quemque impetus vel pauor contraheret, diduceretue. Poſtquam

pulſos ſenſit Antonius, denſo agmine obturbat, laxati ordines abrumpuntur. nec reſtitui quiuere, impedientibus vehiculis, tormentisq. Per limitem viæ ſparguntur, confectandi feſtinatione victores, eo notabilior cædes fuit, quia filius patrem interfecit.

ET quis non deteſtabitur ciuilia bella, cum in illis tam atrocia & ſaua facta eueniant: vt præter cætera, etiam filij parentes interficiant? Certe impium & miſerabile accidens eſt hoc, quod hic ab Auctore narratur: & vix abſque lacrymis legi poteſt.

Rem nominaq. auctore Vipſanio Meſſalla, tradam. Iulius Manſuetus ex Hiſpania, Rapaci legioni additus, impuberem filium domi liquerat. Is mox adultus, inter Septimanos a Galba conſcriptus, oblatum forte patrem & vulnere ſtratum, dū ſemianimem ſcrutatur, agnitus, agnoſcensq. & exanguem amplexus, voce flebili precabatur piaros patres manes, neue ſe vt parricidam aduerſarentur: publicum id facinus. & vnum militē quotam ciuilium armorum partem? Simul attollere corpus, aperire humum, ſupremo erga parentem officio fungi. Aduertere proximi, deinde plures. hinc per omnem aciem miraculum, & queſtus, & ſæuiſſimi belli execratio. Nec eo ſegnius propinquos, affines, fratres trucidatos ſpoliant. Factum eſſe ſcelus loquuntur, faciuntq.

NON in bellis ſolum, ſed ſæpe in pace euenire ſolet, vt multi loquantur factum eſſe ſcelus, illud deteſtantes palam, & tamen occulte idem faciant.

Vt Cremonam venere, nouum, immenſumq. opus occurrit Othoniano bello. Germanicus miles mœnibus Cremonenſium caſtra ſua, caſtris vallum circumiecerat. eaq. munimenta rurſus auxerat. Quorum aſpectu hæſere victores, incertis ducibus, quid iuberent. Incipere oppugnationem, feſſo per diem noctemq. exercitu arduum & nullo iuxta ſubſidio, anceps. Sin Bedriacum redirent; intolerandus tam longi itineris labor, & victoria ad inritum reuoluebatur. Munire caſtra, id quoque propinquis hoſtibus formidoloſum, ne diſperſos & opus molientes ſubita eruptione turbarent: Quæ ſuper cuncta, terrebat ipſorum miles, periculi quàm moræ patientior. Quippe ingrata quæ tuta, & ex temeritate ſpes.

FEROCIUM & audacium hominum hac eſt natura, vt ingrata illis ſint, quæ tuta: & ex temeritate veniat illis ſpes.

omnisq. cædes, & vulnera, & ſanguis, auiditate prædæ penſabantur.

EA eſt præda apud milites dulcedo, vt ipſius auiditate penſare ſoleant omnem cædem, vulnera, & ſanguinem.

Huc inclinauit Antonius, cingiq. vallum corona iuſſit. Primo ſagittis ſaxisq. eminus certabant, maiore Flauianorum pernicie. in quos tela deſuper librabantur. Mox vallum portasq. legionibus attribuit, vt diſcretus labor fortes ignauosq. diſtinguiret, atque ipſa contentione decoris accenderentur.

SIC debet ſe gerere prudens dux in prælijs, & præcipue in vrbium oppugnationibus: attribuere cuique militum generi, loca & mænia diſtincta, prout conueniunt illis. Sic enim diſcretus labor fortes, ignauosq. diſtinguit, atque ipſa decoris contentione omnes accenduntur.

Proxima Betriacenſi viæ, Tertiani, Septimaniq. ſumpſere, dexteriora valli, octaua ac ſeptima Claudiana, tertiadecimanos, & Brixianam portam impetus tulit. Paulum inde moræ, dum e proximis agris ligones, dolabras, & alij falces, ſcalasq. conuectant. Tum, elatis ſuper capita ſcutis denſa teſtudine ſuccedunt. Romanæ vtrimque artes.

IN bellis ciuilibus hoc contingit, vt vtrimque inter duos exercitus, eadem exerceantur artes: cum vtrique eadem diſciplina exerciti fuerint.

pondere ſaxorum Vitelliani prouoluut, diſiectam fluitantemq. teſtudinem lanceis contisq. ſcrutantur, donec ſoluta compage ſcutorum, exangues aut laceros proſternerent.

Multa

Multa cum ſtrage inceſſerat contatio, ni duces feſſo militi, & velut irritas exhortationes abnuenti, Cremonam monſtraſſent. Hormi ne id ingenium, vt Meſſalla tradit, an potior auctor ſit C. Plinius, qui Antonium incuſat, haud facile diſcreuerim: niſi quòd neque Antonius, neque Hormus, a fama vitaq. ſua, quamuis peſſimo flagitio, degenerauere. Non iam ſanguis, neque vulnera morabantur, quin ſubruerent vallum, quaterentq. portas, innixi humeris, & ſuper iteratam teſtudinem ſcandentes, prehenſarent hoſtium tela brachiaq. integri cum ſaucijs, ſemineces cum exſpirantibus voluuntur, varia pereuntium forma, & omni imagine mortium.

*M*IRE *exprimit expugnatæ vrbis faciem horribilem hic Auctor noſter: vbi ferme ſemper, in murorum aſcenſione integri cum ſaucijs, ſemineces cum expirantibus voluuntur, varia pereuntium forma, & omni imagine mortium.*

Acerrimum, ſeptimæ, tertiæq. legionum certamen. Et dux Antonius, cum dilectis auxiliaribus, eodem incubuerat. Obſtinatos inter ſe, cum ſuſtinere Vitelliani nequirent, & ſuperiecta tela teſtudine laberentur, ipſam poſtremo baliſtam in ſubeuntes propulere: quæ vt ad præſens diſiecit obruitq. quos inciderat, ita pinnas ac ſumma valli ruina ſua traxit. Simul iuncta turris, ictibus ſaxorum ceſſit. qua Septimani dum nituntur cuneis, Tertianus ſecuribus gladijsq. portam perfregit. Primum irrupiſſe C. Voluſium tertiæ legionis militem, inter omnes auctores conſtat. Is in vallum egreſſus, deturbatis qui reſiſterent, conſpicuus manu ac voce, capta caſtra conclamauit. Ceteri, trepidis iam Vitellianis, ſeq. a vallo præcipitantibus, perrupere, completur cæde quantum inter caſtra muroſq. vacui fuit. Ac rurſus noua laborum facies, ardua vrbis mœnia, ſaxeæ turres, ferrati portarum obijces, vibrans tela miles, frequens obſtrictuſq. Vitellianis partibus Cremonenſis populus, magna pars Italiæ ſtatu in eoſdem dies mercatu congregata. quòd defenſoribus auxilium ob multitudinem, oppugnantibus incitamentum ob prædam erat.

*I*N *oppugnatione vrbis magnæ alicuius, multitudo, quæ intus eſt, aduenarum & mercatorum, eſt quidem auxilium defenſoribus ob multitudinem, ſed oppugnantibus incitamentum ob prædam. Et ſic ex eodem fonte bonum & malum oppugnatis deſcendit.*

Rapi ignes Antonius, inferriq. amœniſſimis extra vrbem ædificijs iubet: ſi damno rerum ſuarum Cremonenſes ad mutandam fidem traherentur. propinqua muris tecta, & altitudinem mœnium egreſſa, fortiſſimo quoque militum complet. Illi trabibus, tegulisq. & facibus, propugnatores deturbant. Iam legiones in teſtudinem glomerantur, & alij tela ſaxaq. incutiebant, cum languere paulatim Vitellianorum animi, & vt quiſque ordine anteibat, cedere fortunæ: ne Cremona quoque exciſa, nulla vltra venia, omniſq. ira victoris non in vulgus inops, ſed in tribunos, centurioneſq. vbi pretium cædis erat, reuerteretur. Gregarius miles, futuri ſecors, & ignobilitate tutior, perſtabat.

*I*N *bellis ciuilibus victoris ira, non reuertitur in vulgus inops, ſed in tribunos, & centuriones, vbi pretium cædis eſt. Gregarius vero miles, futuri vt eſt ſecors, ita ignobilitate eſt tutior.*

Vagi per vias, in domibus abditi, pacem ne tum quidem orabant, cum bellum poſuiſſent. Primores caſtrorum, nomen atque imagines Vitellij amoliuntur. Catenas Cæcinnæ, nam etiam tum vinctus erat, exoluunt, orantq. vt cauſſæ ſuæ deprecator aſſiſtat. Aſpernantem tumentemq.

*P*RODITORES *ferme ſunt ſuperbi, & tumentes. Sic ſupra lib. ij. Hiſt. de Valente cum Batauis: Ex petulantia perfidiam ſuſpectabat.*

lacrymis fatigant extremum malorum: ac fortiſſimi viri proditoris opem inuocantes.

*P*VDENDVM *eſt & malorum extremum, fortiſſimos viros, proditoris opem erga victores inuocare.*

mox velamenta & infulas pro muris oſtentant. Cum Antonius inhiberi tela iuſſiſſet, ſigna aquilaſq. extulere. Mæſtum inermium agmen, deiectis in terram oculis, ſequebatur.

tur. Circumſtiterant victores, & primo ingerebant probra, intentabant ictus. Mox vt præberi ora contumelijs, & poſita omni ferocia, cuncta victi patiebantur, ſcribit recordatio, illos eſſe, qui nuper Bedriaci victoriæ temperaſſent.

HOC iræ eſſe proprium docet Ariſtoteles in ij. Rhetorices; vt erga illos qui ſe humiliant, deferueat & extinguatur.

Sed vbi Cæcinna, prætexta lictoribusq. inſignis, dimota turba, conſul inceſſit: exarſere victores, ſuperbiam, ſæuitiamq. adeo inuiſa ſcelera ſunt, etiam perfidiam, obiectabant.

SICVT virtus adeo eſt amabilis, vt ſi eam oculorum ſenſu, qui eſt in nobis acerrimus, cernere poſſemus, ardentiſſimo eius ſtudio flagraremus: ſic contra ſcelera adeo inuiſa ſunt, vt ſi illorum deformitas conſpici vere poſſet, nemo non eſſet mortalium, qui ea non abhorreret, & execraretur.

Obſtitit Antonius, datisq. defenſoribus ad Veſpaſianum dimiſit. Plebs interim Cremonenſium, inter armatos conflictabatur. nec procul cæde aberant, cum precibus ducum mitigatus eſt miles. Et vocatos ad concionem Antonius alloquitur, magnifice victores, victos clementer.

SIC debei ſe gerere diſcretus & prudens dux, erga victores ſuos milites, & hoſtes victos. Illos alloqui magnifice, hos clementer.

de Cremona in neutrum. Exercitus præter inſitam prædandi cupidinem,

SEMPER eſt inſita militibus prædandi cupido.

vetere odio ad excidium Cremonenſium incubuit. iuuiſſe partes Vitellianas, Othonis quoque bello, credebantur. Mox tertiadecimanos ad extruendum amphitheatrum relictos, vt ſunt procacia vrbanæ plebis ingenia, petulantibus iurgijs illuſerant.

VRBANAE plebis procacia ſunt ingenia. Quod malum ab otio in illis deſcendit.

Auxit inuidiam editum illuc a Cæcinna gladiatorum ſpectaculum, eadem rurſus belli ſedes, & præbiti in acie Vitellianis cibi, cæſæ quædam feminæ, ſtudio partium ad prælium progreſſæ. Tempus quoque mercatus, ditem alioquin coloniam, maiorum opum ſpecie complebat. Ceteri duces in obſcuro, Antonium fortuna famaq. omnium oculis expoſuerat.

DE his, quæ inter homines geruntur, multi rerum turpium auctores in obſcuro quidem eſſe poſſunt, ob nominis ignobilitatem: Principes vero non ſic. Nam eos fortuna, ac fama omnium oculis expoſuit. Et hoc illis ſemper debet eſſe acerrimum calcar, probe & glorioſe agendi.

Is balneas, abluendo cruori, propere petit. Excepta vox eſt, cum tepotem incuſaret, ſtatim futurum vt incaleſcerent. Vernile dictum omnem inuidiam in eum vertit, tamquam ſignum incendendæ Cremonæ dediſſet, quæ iam flagrabat.

QVIDQVID dicat Princeps, ſtatim vox eius excipitur. Et ſuper illius interpretatione mille ſermones, & commentarij ab hominibus componi ſolent.

Quadraginta armatorum millia inrupere, calonum lixarumq. amplior numerus, & in libidinem ac ſæuitiam corruptior. Non dignitas, non ætas protegebat, quo minus ſtupra cædibus, cædes ſtupris miſcerentur. Grandæuos ſenes, exacta ætate feminas, viles ad prædam, in ludibrium trahebant. Vbi adulta virgo, aut quis forma conſpicuus incidiſſet, vi manibusq. rapientium diuulſus, ipſos poſtremo direptores in mutuam perniciem agebat. Dum pecuniam, vel grauia auro templorum dona, ſibi quiſque trahunt, maiore aliorum vi rruncabantur. Quidam obuia aſpernati, verberibus tormentisq. dominorum abdita ſcrutari, defoſſa eruere. Faces in manibus: quas, vbi prædam egeſſerant, in vacuas domos, & inania templa, per laſciuiam iaculabantur. Vtq. exercitu

vario

vario linguis, moribus, cui ciues ſocij, externi intereſſent, diuerſæ cupidines, & aliud cuique fas, nec quidquam illicitum.

DIGNVM eſt annotare hanc Cremonæ direptionem. Nam in ea deſcribenda, Auctor mirifice omnia facinora, mala, ac ſcelera, quæ tali in caſu accidere ſolent, ſub aſpectum ponit.

Per quatriduum Cremona ſuffecit. cum omnia ſacra profanaq. in igne conſiderent, ſolum Mephitis templum ſtetit ante mœnia, loco, ſeu numine, defenſum. Hic exitus Cremonam habuit, anno CCLXXXVI. a primordio ſui. Condita erat T. Sempronio & P. Cornelio Conſulibus, ingruente in Italiam Annibale, propugnaculum aduerſus Gallos trans Padum agentes, & ſi qua alia vis per alpes rueret. Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, vbere agri annexu, connubijsq. gentium adoleuit floruitq. bellis externis intacta, ciuilibus infelix.

HAE ſunt condiciones, ob quas ciuitas aliqua maxime adoleſcit, ac floret; numerus colonorũ, opportunitas fluminum, vbertas agri, connubia gentium, & pax a bellis externis.

Antonius pudore flagitij, crebreſcente inuidia, edixit, ne quis Cremonenſes captiuos detineret. Irritamq. prædam militibus effecerat conſenſus Italiæ, emptionem talium mancipiorum aſpernantis.

O GENEROSVM Italiæ conſenſum: quæ emptionem Italicorum mancipiorum aſpernando, irritam effecit prædam militum Primanorum. Vtinam talis conſenſus ad noſtra vſque tempora perduraſſet. Certe numquam in Barbarorum manus nobiliſſima hæc Prouincia veniſſet: ſed in priſtina libertate adhuc maneret. Cuius nullum hodie veſtigium ferme, quod antiquam illam maieſtatem redoleat, inuenitur, niſi apud VENETOS: qui feliciſſime, & maximo Italici cum nominis decore, ſuam Rempublicam in libertate incorruptam & florentem conſeruant;

Occidi cœpere, quod vbi enotuit, a propinquis affinibusq. occulte redimebantur. mox redijt Cremonam reliquus populus. repoſita fora, templaq. magnificentia municipum, & Veſpaſianus hortabatur. Ceterum aſſidere ſepulræ vrbis ruinis, noxia tabo humus, haud diu permiſit. Ad tertium lapidem progreſſi, vagos, pauentesq. Vitellianos, ſua quemque apud ſigna componunt. Et victæ legiones, nec manente adhuc ciuili bello, ambigue agerent, per Illyricum diſperſæ.

TVTVS eſt Princeps, cum inimicos ſuos pauperes reddit & eos diſpergit. Diuitijs enim ac numero virium orbati, quid officere illi amplius poterunt?

In Britanniam inde, & Hiſpanias, nuncios famamq. in Galliam, Iulium Calenum tribunum; in Germaniam, Alpinum Montanum præfectum cohortis, quod hic Treuir, Calenus Æduus, vterque Vitelliani fuerant, oſtentui miſere. Simul tranſitus Alpium, præſidijs occupati: ſuſpecta Germania, tamquam in auxilium Vitellij accingeretur. At Vitellius, profecto Cæcinna, cum Fabium Valentem paucis poſt diebus ad bellum impuliſſet, curis luxum obtendebat: non parare arma, non alloquio exercitioq. militem firmare, non in ore vulgi agere, ſed vmbraculis hortorum abditus, vt ignaua animalia; quibus ſi cibum ſuggeras, iacent, torpentq. præterita, inſtantia, futura, pari obliuione dimiſerat.

INFAMIS eſt illius Principis ignauia, qui cum ab hoſtibus maxime vrgetur, curis luxum obtendit: non parat arma, non firmat alloquio exercitioq. militem, non in ore vulgi agit: ſed vmbraculis hortorum abditus, vt ignaua animalia, quibus ſi cibum ſuggeras, iacent torpentq. præterita, inſtantia, & futura pari obliuione tranſmittit.

Atque illum, in nemore Aricino, deſidem & marcentem, proditio Lucilij Baſſi, ac defectio claſſis Rauennatis perculit. Nec multo poſt de Cæcinna affertur mixtus gaudio dolor, & deſciuiſſe, & ab exercitu vinctum. plus apud ſecordem animum lætitia, quàm cura valuit.

APVD ſecordem animum, cum mixtus gaudio dolor affertur, plus valet lætitia quàm cura. Illa enim labores, cui deſidia aduerſatur, leuare ſolet, hæc augere.

Multa

Multa cum exultatione in vrbem reuectus, frequenti concione, pietatem militum laudibus cumulat. P. Sabinum prætorij præfectum, ob amicitiam Cæcinnæ vinciri iubet, ſubſtituto in locum eius Alpheno Varo. Mox ſenatum, compoſita in magnificentiam oratione, allocutus, exquiſitis patrum adulationibus attollitur. Initium atrocis in Cæcinnam ſententiæ, a L. Vitellio factum. Dein ceteri, compoſita indignatione, quòd conſul rempublicam, dux imperatorem, tantis opibus, tot honoribus cumulatus, amicum prodidiſſet, velut pro Vitellio conquerentes, ſuum dolorem proferebant.

OB diuerſa munia, quæ vir vnus ſuſtinet, poteſt in vno errore tantum, varios lædere, & multipliciter peccare. Vt ecce Cacinna proditionis ſua ſcelere, tripliciter deliquit: vt conſul, Rempublicam: vt dux Imperatorem Vitellium: vt multis opibus ac honoribus cumulatus ab amico Principe, amicum prodidit. Vnde ſcelus in tres perſonas, Reipub. Imperatoris, & amici, admiſit facto vno tantum.

nulla, in oratione cuiuſquam, erga Flauianos duces obtrectatio. errorem imprudentiamq. exercituum culpantes, Veſpaſiani nomen ſuſpenſi & vitabundi circumibant. Nec defuit, qui vnum conſulatus diem, is enim in locum Cæcinnæ ſupererat, magno cum irriſu accipientis, tribuentisq. eblandiretur. Pridie cal. Nouemb. Roſſius Regulus inijt, eiurauitq. Annotabant periti, numquam antea, non abrogato magiſtratu, neque lege lata, alium ſuffectum. Nam conſul vno die, & ante fuerat Caninius Rebilus, C. Cæſare Dictatore, cum belli ciuilis præmia feſtinarentur. Nota per eos dies Iunij Blæſi mors, & famoſa fuit; de qua ſic accepimus. Graui corporis morbo æger Vitellius, Seruilianis hortis, turrim vicino ſitam collucere per noctem crebris luminibus animaduertit. Sciſcitanti cauſſam, apud Cæcinnam Tuſcum epulari multos, præcipuum honore Iunium Blæſum nunciatur. Cetera in maius, de apparatu; & ſolutis in laſciuiam animis. Nec defuere, qui ipſum Tuſcum & alios, ſed crimino ſius Blæſum incuſarent, quòd ægro principe, lætos dies ageret.

IMPRVDENTER agit primarius vir in vrbe, cum æger eſt Princeps, lætos dies agere. Nam contra, prudentes Aulici debent voluptates proprias & curas, ex ſanitate, vel ægritudine Principis, vel remittere, vel intendere.

Vbi aſperatum Vitellium, & poſſe Blæſum peruerti, ſatis patuit ijs, qui principum offenſas acriter ſpeculantur,

NVMQVAM deſunt in Aulis viri, qui Principum offenſas acriter ſpeculari ſolent. Et eſt hoc Aulici verſati, & experientia multa præditi officium.

datæ L. Vitellio delationis partes. Ille infenſus Blæſo, æmulatione praua, quòd eum omni dedecore maculoſum, egregia fama anteibat,

SEMPER praui odio proſequuntur probos. Exoritur enim inter eos æmulatio mala a ſceleſtorum parte: qui cum ſint dedecore vitiorum maculoſi, ægre ferunt ſe egregia fama a bonis anteiri.

cubiculum imperatoris reſerat: filium eius ſinu complexus, & genibus accidens, cauſſam cōfuſionis quęrenti: Non ſe proprio metu, nec ſui anxium, ſed pro fratre, pro liberis fratris, preces lacrymasq attuliſſe. Fruſtra Veſpaſianum timeri, quem tot Germanicæ legiones, tot prouinciæ virtute ac fide, tantum denique terrarum ac maris immenſis ſpatijs arceat. In vrbe ac ſinu cauendum hoſtem, Iunios Antoniosq. auos iactantem, qui ſe ſtirpe imperatoria comem ac magnificum militibus oſtentet. Verſas illuc omnium mentes, dum Vitellius amicorum inimicorumq. negligens,

NIHIL peius & contemptibilius de Principe dici poteſt, quàm eſſe amicorum inimicorumq. negligentem.

fouet æmulum principis labores e conuiuio proſpectanrem. Reddendam pro intempeſtiua lætitia, mæſtam & funebrem noctem, qua ſciat, & ſentiat viuere Vitellium, & imperare, & ſi quid fato accidat, filium habere. Trepidanti inter ſcelus metumq. ne dilata

dilata Blæſi mors maturam perniciem, palam iuſſa atrocem inuidiam ferret: placuit veneno graſſari:

CONSVETVDO eſt hæc Tyrannorum omnium, cùm ab aliquo inſigni, & claro viro ſibi timent, trepidare inter ſcelus ac metum, ne dilata illius mors, maturam ſibi perniciem, palam iuſſa atrocem inuidiam ferat: & ideo ſcelestum quoddam medium adhibent: veneno ſcilicet in perſonam ſuſpectam graſſando.

Addidit facinori fidem, nobili gaudio, Blæſum viſendo, quin & audita eſt ſæuiſſima Vitellij vox, qua, ipſa enim verba referam; ſe pauiſſe oculos, ſpectata inimici morte, iactauit. Blæſo ſuper claritatem natalium, & elegantiam morum, fidei obſtinatio fuit. Integris quoque rebus, a Cæcinna, & primoribus, partium iam Vitellium aſpernantibus, ambitus, abnuere perſeuerauit; ſanctus, inturbidus, nullius repentini honoris, adeo non principatus appetens, vt parum effugeret, ne dignus crederetur:

AMBITIO equidem eſt fugienda, vt mala ſemper, & claro viro indecora. Sed adeo non appetentem honorum te exhibere, vt parum effugias, ne dignus credaris; hoc eſt malum & a virtute alienum. Cum deſiderium honoris inter virtutes cenſeatur. Et magnanimi proprium ſit: teſte Ariſtotele in v. Ethico. magnos honores appetere, atque ijs ſe dignum cognoſcere & æſtimare.

Fabius interim Valens, multo ac molli concubinarum ſpadonumq. agmine, ſegnius quàm ad bellum incedens, proditam a Lucilio Baſſo Rauennatem claſſem pernicibus nuncijs accepit. Et ſi cœptum iter properaſſet, nutantem Cæcinnam præuenire, aut ante diſcrimen pugnæ, aſſequi legiones potuiſſet. Nec deerant qui monerent, vt cum fidiſſimis per occultos tramites, vitata Rauenna Hoſtiliam, Cremonamve pergeret. Alijs placebat, accitis ex vrbe prætorijs cohortibus, valida manu perrumpere. Ipſe, inutili contatione, agendi tempora conſultando, conſumpſit:

CONSVLTO opus eſt, antequam incipias, & vbi recte conſulueris, mature facto vti conuenit. Contra imprudentis eſt, agendi tempora conſultando conſumere.

Mox vtrumque conſilium aſpernatus, quod inter ancipitia deterrimum eſt, dum media ſequitur, nec auſus eſt ſatis, nec prouidit.

DETERRIMVM eſt inter ancipitia, dum media ſequeris, nec ſatis audere, nec ſatis prouidere. Et raro ſciunt homines alterutram partem exacte exercere.

Miſſis ad Vitellium litteris, auxilium poſtulat. Venere tres cohortes, cum ala Britannica, neque ad fallendum aptus numerus neque ad penetrandum. Sed Valens, ne in tanto diſcrimine quidem, infamia caruit, quo minus illicitas rapere voluptates, adulterijsq. ac ſtupris polluere hoſpitum domus crederetur. Aderant vis & pecunia, & ruentis fortunæ nouiſſima libido.

ET quod ſcelus non committet ſcelestus ille, cui adſint, pecunia, vis & ruentis fortuna nouiſſima libido?

Aduentu demum peditum, equitumq. prauitas conſilij patuit, quia nec vadere per hoſtes tam parua manu poterat, etiam ſi fidiſſima foret, nec integram fidem attulerant. Pudor tamen, & præſentis ducis reuerentia morabatur, haud diuturna vincula apud auidos periculorum, & decoris ſecuros.

APVD auidos periculorum, & decoris ſecuros, pudor, & præſentis ducis reuerentia, haud ſunt diuturna vincula.

Et metu, & paucis, quos aduerſa non mutauerant, comitantibus,

DVBIVM non eſt, quòd noſtra aduerſa ſolent mutare amicorum animos.

cohortes Ariminum præmittit. Alam tueri terga iubet. Ipſe flexit in Vmbriam, atque inde in Hetruriam: vbi cognito pugnæ Cremonenſis euentu, non ignauum, & ſi proueniſſet, atrox conſilium iniit, vt arreptis nauibus, in quamcumque partem Narbonenſis prouinciæ egreſſus, Gallias, & Germaniæ gentes, nouumq. bellum cieret. Digreſſo

Valente,

Valente, trepidos, qui Ariminum tenebant, Cornelius Fuſcus, admoto exercitu, & miſſis per proxima litorum liburnicis, terra mariq. circumuenit. Occupantur plana Vmbriæ, & qua Picenus ager Hadria alluitur. omniſq. Italia, inter Veſpaſianum, ac Vitellium, Apennini iugis diuidebatur. Fabius Valens e ſinu Piſano, ſæuitia maris, aut aduerſante vento, Portum Herculis Monœci depellitur. haud procul inde agebat Marius Maturus, alpium maritimarum procurator fidus Vitellio, cuius ſacramentum, cunctis circa hoſtilibus, non exuerat.

FIDVS hercle eſt ſuo Principi miniſter ille: qui cunctis circa hoſtilibus iuramentum eius non exuit.

Is Valentem comiter exceptum, ne Galliam Narbonenſem temere ingrederetur monendo terruit, ſimul ceterorum fides metu intacta. Nam circumiectas ciuitates procurator Valerius Paulinus, ſtrenuus militiæ, & Veſpaſiano ante fortunam amicus, in verba eius adegerat.

HI ſunt boni amici, & digni qui a Principe extollantur: qui ante illius fortunam ſui erant amici. Romæ multum hoc perpenditur. Et ſupra idem in Plotio Firmo annotauimus. lib. 1. Hiſt.

Concitiſq. omnibus, qui exauctorati a Vitellio bellum ſponte ſumebant, Foroiulienſem coloniam, clauſtraq. maris præſidio tuebatur: eo grauior auctor, quod Paulino patria Forum Iulij, & honos apud prætorianos, quorum quondam tribunus fuerat, Ipſiq. pagani, fauore municipali, & futuræ potentiæ ſpe iuuare partes annitebantur.

SPES futuræ potentiæ ſemper Romæ gentes irretiuit in principum virorum obſequijs: & hodie, ſi vnquam aliàs, illas retinet.

quæ vbi paratu firma, & aucta rumore, apud varios Vitellianorum animos increbuere; Fabius Valens cum quatuor ſpeculatoribus, & tribus amicis, totidem centurionibus ad naues regreditur mature: ceteriſq. remanere, & in verba Veſpaſiani adigi volentibus fuit. Ceterum vt mare tutius Valenti, quàm litora aut vrbes; ita futuri ambiguus, & magis quid vitaret, quàm cui fideret certus, aduerſa tempeſtate Stæchadas Maſſilienſium inſulas affertur.

MAGNA ſolet eſſe inopia conſilij in illis, qui proſperis rebus ſuis, totos ſe luxui & voluptatibus dediderunt, numquam aduerſa animo reuoluentes: quæ cum ingruunt poſtea, ambigui ſunt futuri; & magis quid vitent, quàm cui fidant certi, ad omnes caſus expoſiti fluctuant.

Ibi eum miſſæ a Paulino liburnicæ oppreſſere. Capto Valente, cuncta ad victoris opes conuerſa, initio per Hiſpaniam a prima Adiutrice legione orto, quæ memoria Othonis infenſa Vitellio, decimam quoque ac ſextam traxit. Nec Galliæ cunctabantur. Et Britanniam, inclytus erga Veſpaſianum fauor, quod illic ſecundæ legioni a Claudio præpoſitus, bello clarus egerat non ſine motu adiunxit ceterarum: in quibus plerique centuriones ac milites a Vitellio prouecti, expertum iam principem anxij mutabant.

QVI prouecti ab aliquo duce vel Principe fuerunt: expertum iam Principem vel ducem anxij mutare ſolent.

Ea diſcordia, & crebris belli ciuilis rumoribus, Britanni ſuſtulere animos, auctore Venuſio:

TOLLVNT animos æmuli noſtri, ob diſcordias noſtras inteſtinas.

qui ſuper inſitam ferociam, & Romani nominis odium, proprijs in Carthiſmanduam reginam ſtimulis accendebatur. Carthiſmandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate: & auxerat potentia, poſtquam capto per dolum rege Carataco, inſtruxiſſe triumphum Claudij Cæſaris videbatur. Inde opes, & rerum ſecundarum luxus.

EX opibus & rebus ſecundis, gigni ſolet luxus.

ſpreto

ſpreto Venuſio, is fuit maritus, armigerum eius Vellocatum in matrimonium regnumq. accepit. concuſſa ſtatim flagitio domus.

SEMPER magnæ domus, ac familiæ flagitijs concutiuntur. Vt e conuerſo glorioſis & præclaris actionibus, firmantur, ac roborantur.

Pro marito, ſtudia ciuitatis: pro adultero, libido reginæ, & ſæuitia. Igitur Venuſius, accitis auxilijs, ſimul ipſorum Briganrum defectione, in extremum diſcrimen Carthiſmanduam adduxit. Tum petita a Romanis præſidia. & cohortes, alæq. noſtræ, varijs prælijs, exemere tamen periculo reginam Regnum Venuſio, bellum nobis relictum. Turbata per eoſdem dies Germania, & ſecordia ducum, & ſeditione legionum.

TVRBANTVR prouinciæ his duabus de cauſſis præcipue: Secordia ducum, qui illis præpoſiti ſunt, & ſeditione exercituum.

Externa vi, & perfidia ſociali, prope afflicta Romana res. Id bellum. cum cauſſis & euentibus, etenim longius prouectum eſt, mox memorabimus. Mota & Dacorum gens, numquam fida, tunc ſine metu, abducto e Mœſia exercitu, ſed prima rerum quieti ſpeculabantur: vbi flagrare Italiam bello, cuncta inuicem hoſtilia, accepere, expugnatis cohortium alarumq. hibernis, vtraque Danubij ripa potiebantur.

HOC modo agere ſoleut illi, qui numquam fidi ſocij ſunt: quieti ſpeculantur prima rerum ſociorum, quæ poſtquam ancipitia cernunt, tunc ſine metu hoſtilem animum nudant.

Iamq. caſtra legionum excindere parabant, ni Mucianus ſextam legionem oppoſuiſſet, Cremonenſis victoriæ gnarus, ac ne externa moles vtrinque ingrueret, ſi Dacus, Germanusq. diuerſi inrupiſſent. Affuit, vt ſępe alias, fortuna Populi Rom. quæ Mucianum viresq. Orientis illuc tulit: & quod Cremonę interim tranſegimus. Fonreius Agrippa ex Aſia, proconſul eam prouinciam annuo imperio tenuerat, Mœſiæ præpoſitus eſt: additis copijs e Vitelliano exercitu, quem ſpargi per prouincias, & externo bello illigari, pars conſilij, pacisq. erat.

DISPERGI per prouincias illos, a quibus ſeditionis metus adeſt, pars eſt conſilij, & pacis.

Nec ceteræ nationes ſilebant.

VETVS eſt dictum: Cum caput dolet, cetera membra langueut. Sic cum ciuitas quæ eſt caput imperij, bello flagrat, nec cetera nationes imperio ſubditæ ſilent, ſed eodem motu agitantur.

Subita per Pontum arma, Barbarum mancipium, regię quondam claſſis præfectus, mouerat. Is fuit Anicetus Polemonis libertus, præpotens olim, & poſtquam regnum in formam prouinciæ verterat, mutationis impatiens.

DIFFICVLTER ſunt patientes mutationis ſtatus illi, qui antequam illa ſuccederet, præpotentes in ciuitate vel prouincia illa, in qua mutatio ſecuta eſt, fuerunt & hi ſemper tumultus nouos concitabunt, donec nouus dominus aliquo modo tutum ſe ab illis reddat.

Igitur Vitellij nomine, adſcitis gentibus, quæ Pontum accolunt, corrupto in ſpem rapinarum egentiſſimo quoque,

EGENTISSIMVS quiſque in rapinarum ſpem facillime corrumpi poteſt a nouarum rerum auctoribus, vt ſupra non ſemel obſeruauimus.

haud temnendę manus ductor, Trapezuntem, vetuſtam admodum ciuitatem, a Græcis in extremo Ponticę oræ conditam ſubditus, inrupit. Cæſa ibi cohors, regium auxilium olim. mox donati ciuitate Romana, ſigna armaq. in noſtrum modum, deſidiam licentiamq. Græcorum retinebant.

GRAECORVM eſt peculiaris licentia & deſidia.

Claſſi quoque faces intulit, vacuo mari eludens, quia lectiſſimas liburnicarum, omnemq. militē Mucianus Byzantium adegerat. Quin & barbari contemptius vagabantur,

fabricatis repente nauibus, quas cameras vocant, artis lateribus, lata aluo, ſine vinculo æris aut ferri connexa. & tumido mari, prout fluctus attollitur, ſumma nauium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur. Sic inter vndas voluuntur, pari vtrimque prora, & mutabili remigio, quando hinc vel illinc appellere indiſcretum & innoxium eſt. Aduertit ea res Veſpaſiani animum, vt vexillarios e legionibus, ducemq. Virdium Geminum, ſpectatę militiæ, diligeret.

AD facinora ardua in bellis obeunda, debent a Principe dilegi duces ſpectata militia.

Ille incompoſitum, & prædæ cupidine vagum hoſtem adortus, cogit in naues;

HAVD magna difficultate funditur hoſtis incompoſitus, & præda cupidine vagus.

effectisq. raptim liburnicis, aſſequitur Anicetum in oſtio fluminis Cohibi, tutum ſub Sedochezorum regis auxilio, quem pecunia donisq. ad ſocietatem perpulerat.

PECVNIA & donis perpelluntur ad ſocietatem Barbarorum animi. Sic Bocchus a Iugurtha illectus aduerſus Romanos fuit. Salluſt. in bello Iugurth.

Ac primo rex minis armisq. ſupplicem tueri. Poſtquam merces proditionis, aut bellum oſtendebatur, fluxa, vt eſt Barbaris, fide, pactus Aniceti exitium, perfugas tradidit, belloq. ſeruili finis impoſitus.

BARBARIS fluxa eſt fides. Et cum merces proditionis aut bellum oſtenditur, hoc fugiunt & illam amplectuntur: nihil iura amicitiæ, aut ſocietatis æſtimando.

Lętum ea victoria Veſpaſianum, cunctis ſuper vota fluentibus, Cremonenſis prælij nuncius in Ægypto aſſequitur.

CVI læta & proſpera incipiunt aliquo in negotio eſſe res: huic cũcta ſuper vota fluunt: ſicut contra miſeria geminata veniunt illi, quem aduerſa comitatur ſors.

Eo properantius Alexandriam pergit, vt fracto Vitellij exercitu, vrbem quoque externæ opis indigam fame vrgeret. Namque & Africam eodem latere ſitam, terra mariq. inuadere parabat, clauſis annonę ſubſidijs, inopiam atque diſcordiam hoſti facturus.

PVLCHRAM & incruentam de hoſte adipiſcitur victoriam dux ille, qui clauſis hoſti annonæ ſubſidys, inopiam ac diſcordiam illi facit.

Dum hac totius orbis mutatione, fortuna imperij tranſit: Primus Antonius nequaquam pari innocentia, poſt Cremonam agebat:

HIC incipit ſe ipſum perdere Antonius Primus, & nec ſatis auſus eſt, nec ſatis prouidit: mediumq. ſequendo, ſe ſuſpectum Veſpaſiano effecit, & in Muciani amuli poteſtatem incautus ac inermis poſtea deſcendit. Et huic facto Antonij conſonat mire, quod ſupra in illius deſcriptione dixit Auctor: Vir pace peſſimus, bello non ſpernendus.

ſatisfactum bello ratus, & cetera ex facili: ſeu felicitas in tali ingenio, auaritiam, ſuperbiam, ceteraq. occulta mala patefecit.

IN prauis ingenijs felicitas patefacit auaritiam, ſuperbiam, ac omnia occulta vitia.

vt captam Italiam perſultare, vt ſuas legiones colere, omnibus dictis factisq. viam ſibi ad potentiam ſtruere, vtq. licentia militem imbueret, interfectorum centurionum ordines, legionibus offerebat eo ſuffragio turbidiſſimus quiſque dilecti, nec miles in arbitrio ducum, ſed duces militari violentia trahebantur, quę ſeditioſa, & corrumpendæ diſciplinæ, mox in prædam vertebat,

SEDITIOSVM eſt & ad corrumpendum diſciplinam militarem breuiſſimum iter: militem in exercitu non eſſe in arbitrio ducum, ſed duces militari violentia trahi: idq. poſtea in prædam vertitur ab ipſo imperatore.

nihil

nihil aduentantem Mucianum veritus, quod exitioſius erat, quàm Veſpaſianum ſpreuiſſe.

SAEPE eſt exitioſius miniſtrum Principis gratioſum ac potentem habere inimicum, quàm Principem ipſum. Notent hoc diligenter Aulici omnes: & tales viros ſemper vereantur.

Ceterum propinqua hieme, & humentibus Pado campis, expeditum agmen incedere. Signa aquilæq. victricium legionum, milites vulneribus aut ætate graues, plerique etiam integri, Veronæ relicti. ſufficere cohortes alæq. & e legionibus lecti, profligato iam bello, videbantur. Vndecima legio ſeſe adiunxerat, initio contata, ſed proſperis rebus, anxia quòd defuiſſet.

INITIO ſæpe aliqui contantur in ſtudijs ſuis tibi, & ad tui fauorem adiungendis: cum vero proſpere res tua ceſſerunt, anxij ſunt, quòd defuerint, & maiore obſequio reſarcire præteritam haſitationem ſtudent. Res non eget exemplo, cum quilibet Aulicus id multifariam accidere diuerſis hominum generibus conſpiciat.

Sex millia Dalmatarum recens delectus comitabantur. Ducebat Poppæus Siluanus conſularis, vis conſiliorum penes Annium Baſſum, legionis legatum. Is Siluanum ſecordem bello, & dies rerum, verbis terentem.

GARRVLITAS in omnibus hominibus peſſima eſt: præſertim in Principe & magiſtratu: cum dies rerum verbis terere conſpicitur. Plura de hoc vitio vide apud Plutarchum in tractatu pulcherrimo, de Garrulitate.

ſpecie obſequij regebat,

SAEPE callidi Aulici ſolent ſpecie obſequij regere Principem: præſertim ſi Princeps ſecordis & ignaua natura oſtenditur.

ad omniaq. quę agenda forent, quieta cum induſtria aderat.

ELEGANTER admodum & breuiter exprimit hic Auctor, qualis debeat eſſe prudens Principis miniſter: Nempe ad omnia, quæ agenda ſunt, quieta cum induſtria illi adeſſe. Non enim ſuffiett induſtria ſola in miniſtro, ſed oportet vt ſit quieta.

Ad has copias, e claſſicis Rauennatibus legionariam militiam poſcentibus, optimus quiſque adſciti Claſſem, Dalmatæ ſuppleuere. Exercitus ducesq. ad Fanum fortunæ iter ſiſtunt, de ſumma rerum conrantes, quòd motas ex vrbe prętorias cohortes audierant, & teneri præſidijs Apenninum rebantur, & ipſos in regione bello attrita, inopia & ſeditioſæ militum voces terrebant, Clauarium, donatiui nomen eſt, flagitantium. nec pecuniam aut frumentum prouiderant: & feſtinatio atque auiditas præpediebant, dum quæ accipi poterant, rapiuntur.

FESTINATIO atque auiditas adeo in bellis, præſertim ciuilibus, res præpediunt, vt ſæpe quæ accipi poſſent, rapiantur.

celeberrimos auctores habeo, tantum victoribus aduerſus fas nefasq. inreuerentiam fuiſſe, vt gregarius eques, occiſum a ſe proxima acie fratrem profeſſus, præmium a ducibus petierit. Nec illis aut honorare eam cædem ius hominum, aut vlciſci ratio belli permittebat.

ET hoc inter cetera ſcelera bellorum ciuilium annotandum eſt, inueniri qui a ſe fratrem occiſum profiteatur, & præmium a ducibus petat. Quibus poſtea eam cædem honorare ius hominum non permittit, nec eam vlciſci ratio belli concedit.

Diſtulerant tamquam maiora meritum, quam quę ſtatim exoluerent.

NON ideo ſe animo dimittat, & ſpem abijciat inſignis Aulicus, ſi ſtatim Princeps cui inſeruit, illum beneficio non proſequitur. Nam ſæpe differtur tamquam maiora meritus, quàm quæ ſtatim exoluere poſſit.

nec quidquam vltra traditur. Ceterum, & prioribus ciuium bellis, per ſcelus incideret. Nã prælio, quo apud Ianiculum aduerſum Cinnam pugnatum eſt, Pompeianus miles fratrem ſuum, dein, cognito facinore, ſeipſum interfecit, vt Siſenna memorat tanto acrior apud maiores, ſicut virtutibus gloria, ita flagitijs pęnitentia fuit.

SAECVLA in dies fieri deteriora, veriſſimum eſt: nam apud maiores quanto acrior virtutibus gloria, ita flagitijs pœnitentia fuit.

Sed hæc aliaq. ex veteri memoria repetita, quotiens res locusq. exempla recti, aut ſolatia mali poſcent, haud abſurde memorabimus.

DEBET hiſtoricus grauis, quoties res & locus poſcunt, exempla recti, aut ſolatia mali, haud abſurde memorare priſca facta, & ex veteri memoria repetita.

Antonio, ducibusq. partium pręmitti equites omnemq. Vmbriam explorari placuit, ſi qua Apennini iuga clementius adirentur: acciri aquilas ſignaq. & quidquid Veronæ militum foret: Padumq. & mare commeatibus compleri. Erant inter duces qui necterent moras. quippe nimius iam Antonius.

NIMIETAS ſemper in ſocio ac collega diſplicet. Ideo Aulicus, qui ad eam peruenit, vel propinquat, cauere diligenter inſidias æmulorum debet, & nemini fidere.

& certiora de Muciano ſperabantur. Namque Mucianus tam celeri victoria anxius, & ni præſens vrbe potiretur, expertem ſe belli gloriæq. ratus ad Primum & Varum media ſcriptitabat, inſtandum cœptis, aut rurſus contandi vtilitates ediſſerens.

IN Muciano exprimitur a Tacito prudens Aulicus & Politicus: & ideo omnia eius geſta diligenter obſeruanda ſunt.

atque ita compoſitus, vt ex euentu rerum aduerſa abnueret, vel proſpera agnoſceret.

SIC ſolent ſe gerere hodie callidi Aulici: In ſermone, ac in vita ſua ita compoſitos eſſe, vt ex euentu rerum aduerſa abnuant, vel proſpera agnoſcant. Dixi callidi: nam contra prudentes vere, ſolam rationem prauiam & honeſtatem in conſilijs habere debent: ſequatur qualis qualis exitus, nihili ducentes.

Plotium Griphum, nuper ab Veſpaſiano in ſenatorum ordinem additum ac legioni prępoſitum, ceterosq. ſibi fidos, apertius monuit.

SOLERTIA prudentis Aulici ea eſſe ſolet, vt cum varijs hominum generibus tractaturus, varie etiam ſe gerat. Si enim cum ſuſpectis aget, ſuſpenſus ſemper erit in verbis & oculatus: Si vero cum fidis & ſuis beneuolis agendum illi erit, apertius erit tractandum. Et ſic de hominum alijs generibus dici poteſt. Cum vnoquoque, prout eius natura requiret, ſe aptando, atque accommodando. Idq. facillimum illi factu erit, ſi naturam & mores hominum, quibus cum agendum illi erit, callere ſtudebit.

Iiq. omnes, de feſtinatione Primi ac Vari ſiniſtre, & Muciano volentia ſcripſere. Quibus epiſtolis Veſpaſiano miſſis effecerat, vt non pro ſpe Antonij, conſilia factaq. eius ęſtimarentur.

MVLTVM refert quod æmulus potens te per tuos intimos prius a ſe corruptos, apud Principem incuſet. Sequetur enim ſemper, vt omnia tua dicta ac facta, etſi recte directa, tamen non pro ſpe tua in tui fauorem a Principe æſtimabuntur.

Ægre id pati Antonius, & culpam in Mucianum conferre, cuius criminationibus coaluiſſent pericula ſua, nec ſermonibus temperabat, immodicus linguæ, & obſequij inſolens.

CONTRA regulam Aulici eſt, Immodicum lingua eſſe, & obſequij inſolentem. Cum e conuerſo taciturnitas & humilitas magnam nobis apud Principes conciliare ſoleant gratiam.

litte-

litteras ad Veſpaſianum compoſuit, iactantiusquam ad principem, nec ſine occulta in Mucianum inſectatione.

ALIO modo cũ Principe loquendũ, alio cũ priuato. Sic in litteris ſcribẽdis eadẽ debet adhiberi diſtinctio. Et prorſus omni ſtudio euitanda eſt iactantia apud ipſum, & inſectatio aperta æmuli.

Se Pannonicas legiones in arma egiſſe, ſuis ſtimulis excitos Mœſiæ duces, ſua conſtantia perruptas alpes, occupatam Italiam, interſepta Germanorum Rhætorumq. auxilia, quod diſcordes, diſperſasq. Vitellij legiones, equeſtri procella, mox peditum vi, per diem noctemq. fudiſſet, id pulcherrimum, & ſui operis. Caſum Cremonæ, bello imputandum, maiore damno, plurimum vrbiũ excidijs, veterum ciuium diſcordias reipublicę ſtetiſſe. non ſe nuncijs, neque epiſtolis, ſed manu & armis imperatori ſuo militare.

ETSI manu & armis bella præcipue geruntur: tamen & nunciorum & epiſtolarum vſus, & miniſterium aliquando illis præualet in victoria acquirenda. Conſilij enim adminiſtra ſunt, quod quantum polleat in bellis nemo ignorat. Et ſæpe nuncij & epiſtolæ plus poſſunt, quàm arma & manus, vt dicebat de ſeipſo Ludouicus Sfortia cognomine Morus: & de Matthæo Sedunenſi, qui poſtea fuit Cardinalis, ſolebat aſſerere LVDOVICVS XII. Galliarum Rex.

neque officere gloriæ eorum, qui Aſiam interim compoſuerint: illis Mœſiæ pacem, ſibi ſalutem ſecuritatemq. Italiæ, cordi fuiſſe. ſuis exhortationibus Gallias Hiſpaniasq. validiſſimam terrarum partem, ad Veſpaſianum conuerſas. ſed cecidiſſe in irritum labores, ſi præmia periculorum ſoli aſſequantur, qui periculis non affuerint.

INDIGNVM eſt, & nemeſim concitare ſolet, cum conſpicitur præmia periculorum ab ijs ſolis obtineri, qui periculis non interfuerint.

Nec fefellere ea Mucianum.

ET hoc ex ſolertia Aulici, quem nunquam fallere ſolent, calumniæ, quibus apud Principem impetitur: vt illas in tempore diſcutere & ſe purgare poſſit,

Inde graues ſimultates, quas Antonius ſimplicius, Mucianus càllide, eoq. implacabilius nutriebat.

ALITER gerit ſimultates miles, aliter Aulicus. Miles aperte ac ſimpliciter eas exercet: idem habet in ore, diem in corde: Contra Aulicus fingit, diſſimulat, decipit etiam, ſi occaſio ſui commodi id poſtulat. Vnde concludi poteſt, quòd quoties pacis tempore in ciuitate exorietur ſimultas aliqua inter Aulicum, & militem: Aulicus peruertet ſemper militem, vt euenit Antonio Primo cum Muciano.

At Vitellius, fractis apud Cremonam rebus, nuncios cladis occultans, ſtulta diſſimulatione, remedia potius malorum quàm mala differebat.

STVLTI inepte clades ſuas diſſimulando, differunt potius remedia malorum, quàm mala. Contra prudentes, hoc omiſſo, adhibere in tempore remedium ſolent. Sed Vitellius vt in ceteris, ſic hac in re natura ſua reſpondebat.

Quippe confitenti conſultantiq. ſupererant ſpes vireſq. Cum e contrario læta omnia fingeret, falſis ingrauaſcebat.

FINGERE, vt decipias hoſtem, laus militaris haberi ſolet. Sed ad te ipſum decipiendum, ſtultitia maxima eſt. Nullus enim poſtea locus eſt remedio, ſi teipſum tu te perdis.

Mirum apud ipſum de bello ſilentium prohibiti per ciuitatem ſermones, eoq. plures, ac ſi liceret, vera narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgauerant.

SVPPRIMERE famam, eſt ipſam augere, & quando vetantur narrari vera, atrociora & falſa vulgantur.

Nec duces hoſtium, augendæ famæ deerant.

AVGERE quoquo modo debet famam ſui victor: ſic enim victoria maius addit decus, & ornamentum.

captos, Vitellij exploratores, circumductosq. vt robora victoris exercitus noſcerent, remittendo: quos omnes Vitellius ſecreto percontatus, interfici iuſſit. Notabili conſtantia, centurio Iulius Agreſtis, poſt multos ſermones quibus Vitellium ad virtutem fruſtra accendebat, perpulit ad vires hoſtium ſpectandas, quæque apud Cremonam acta forent, ipſe mitteretur. Nec exploratione occulta fallere Antonium tentauit, ſed mandata Imperatoris ſuumq; animum profeſſus, vt cuncta viſeret, poſtulat. Miſſi qui locum prælij, Cremonæ veſtigia, captas legiones oſtenderent. Agreſtis ad Vitellium remeauit abnuentiq. vera eſſe quæ referret, atque vltro corruptum arguenti: quandoquidem, inquit, magno documento opus eſt, nec alius iam tibi aut vitæ, aut mortis meæ vſus, dabo cui credas. atque ita digreſſus, voluntaria morte dicta firmauit. Quidam iuſſu Vitellij interfectum de fide conſtantiaq. eadem tradidere.

CONSTANTIA in milite virtus eſt maxime peculiaris, & neceſſaria: & hoc Iulij Agreſtis exemplum notabile eſt. Dignus certe fuit hic centurio alio Imperatore, quàm Vitellio.

Vitellius vt e ſomno excitus, Iulium Priſcum, & Alphenum Varum, cum xiiij prætorijs cohortibus, & omnibus equitum alis obſidere Apenninum iubet. Secuta e Claſſicis legio tot millia armatorum, lecta equis viriſq. ſi alius dux foret, inferendo quoque bello ſatis pollebant. Ceteræ cohortes, ad tuendam Vrbem, L. Vitellio fratri datæ. Ipſe nihil e ſoliro luxu remittens, & differentia properus, feſtinare comitia, quibus conſules in multos annos deſtinabat:

SICVT e confidentia propria virtutis tarditas, & grauitas oritur, teſte Ariſtotele in 2. Rhet. ita ex diffidentia feſtinatio & properantia.

fœdera ſocijs, Larium externis dilargiri: his tributa dimittere, alios immunitatibus iuuare, denique nulla in poſterum cura, lacerare imperium.

MIRVM non erat, ſi Vitellius nulla in poſterum cura lacerabat, imperium: nam cernebat ſe non diu illo frui poſſe.

Sed vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat,

SEMPER adeſt Principi ad magnitudinem beneficiorum vulgus: & tunc pro eo ſanguinem, & vitam effundere vult, optat, iactatq. Adueniente vero periculo, illum deſerit, nec amplius beneficiorum reminiſcitur. Hoc debet præ oculis eſſe omnium Principum recentium, non quod occaſionem benefaciendi vulgo ob hanc rem amitant: ſed vt ſciant, quantam ſpem in illo reponere debeant: nec ſeipſos in indicando de illo vſque ad periculi tempus decipiant magno cum damno, & irreparabili.

ſtultiſſimus quiſque pecunijs mercabatur. Apud ſapientes caſſa habebantur, quę neque dari, neque accipi, ſalua republica poterant.

VT in ceteris vitæ actionibus magna eſt differentia, inter ſtultum & ſapientem: ſic & hac inuenitur in accipiendis beneficijs. Stultus enim quiſque pecunia mercatur, nec diſcernit, quis det, quid det, & an dare poſſit: contra ſapiens has circumſtantias conſiderando caſſa habet, quæ neque dari, neque accipi, ſalua Republica, poſſunt.

Tandem, flagitante exercitu, qui Meuaniam inſederat, magno ſenatorum agmine, quorum multos ambitione, plures formidine trahebat,

AVLAM Principis non omnes vna eademq. de cauſſa ſequuntur. Nam alij officij neceſſitate, ambitione alij, alij formidine, alij alia de cauſſa ſe illi adiungunt,

in caſtra venit incertus animi, & infidis conſilijs obnoxius.

CONSILIVM quid ſit, quantum Principi conducat, & neceſſarium ſit, qualis debeat eſſe qui illud prabet, & qui illud accipit, cum ceteris omnibus ad hanc materiam pertinentibus, hic explanare omitto. Cum præter multos alios auctores & philoſophos, qui ſparſim hac de re præcepta reliquerunt, nuper in lucem prodierit tractatus de conſilio a Petro Magno, viro multa eruditionis ac experientia compoſitus. In quo nihil, quod deſideret lector, habet: adeo plene & radicitus omnia enucleauit

eleauit, ac diſcuſſit. Illud tantum in præſens addo, quòd Princeps, qui fida ab infidis conſilijs diſcernere nequibit, numquam longo potietur imperio. In electione enim, & vſu optimorum Conſiliariorum, tota verſatur Principis incolumitas & dignitas: præſertim ſi Princeps nouus dominatur. Porro in diſcernendo fida ab infidis conſilia, hanc adhibere rationem poterit: aduertere ſcilicet, propriam ne magis Conſiliarius vtilitatem, an Principis in conſilio dando ſpectet. Si propriam, numquam pro fido conſilio illud accipere debet princeps: immo ab illo cauere. Sin autem ſolam Principis vtilitatem, vt par eſt, præ oculis habebit Conſiliarius, tunc eum Princeps ſibi fidiſſimum cenſeat: aures ei adhibeat: ipſumq. omnibus modis augeat, & remuneret: vt magis ipſe Principem diligat, & pro eius dignitate inuigilet.

Concionanti, prodigioſum dictu, tantum fœdarum volucrum ſuperuolitauit, vt nube atra diem obtenderent. Acceſſit dirum omen, profugus altaribus taurus, diſiecto ſacrificij apparatu, longe, nec vbi feriri hoſtias mos eſt, confoſſus. Sed præcipuum ipſe Vitellius oſtentum erat, ignarus militiæ, improuidus conſilij.

VERISSIMA eſt ſententia: quòd Principes ignari militiæ, & improuidi conſilij, ſunt præcipua oſtenta. Hæc enim duo ſunt fundamenta, quibus tota Principum exiſtimatio ſuperſtruitur ac nititur.

quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus vrgendo trahendoue bello modus, alios rogitans,

A Se ſolo, & ſuo iudicio pendere debet Princeps, qui dignitatem Principis ſeruare velit, & ſecurus eſſe. Et quamuis miniſtrorum opera egeat, tamen ipſe per ſe omnia diſpicere ſemper debet. Hinc ſcitum illud FERDINANDI. Hiſp. Regis Catholici delegatis & internuncijs Principum apophtegma: Legatos quidem & internuncios inſtar oculorum Principum eſſe: ſed væ illi Principi, qui oculis proprijs non cernat, aliorum viſu indigendo.

& ad omnes nuncios, vultu quoque & inceſſu trepidus, dein temulentus.

HOC ſequi ſemper ſolet ignaros, & conſilij inopes, vt ad omnes nuncios in rebus aduerſis, ſint vultu quoque & inceſſu trepidi: ſed Vitellio inſuper aderat temulentia.

Poſtremo tædio caſtrorum,

NEC mirum ſi tædio caſtrorum ducebatur Vitellius. Illorum enim nec formam, nec ordinem nec diſciplinam nouerat.

& audita defectione Miſenenſis claſſis, Romam reuertit, recentiſſimum quodque vulnus pauens, ſummi diſcriminis incurioſus. Nam cum tranſgredi Apenninum, integro exercitus ſui robore, & feſſos hieme atque inopia hoſtes aggredi, in aperto foret, dum diſpergit vires acerrimum militem & vſque in extrema obſtinatum, trucidandum, capiendumq. tradidit.

DISPERGERE vires validi exercitus, eſt tradere trucidandum, capiendumq. hoſtibus militem: qui alias eſſet acerrimus, & vſque in extrema obſtinatus.

peritiſſimis centurionum diſſentientibus, & ſi conſulerentur, vera dicturis. Arcuere eos intimi amicorum Vitellij, ita formatis principis auribus, vt aſpera, quæ vtilia, nec quidquam niſi iucundum & læſurum acciperet.

MALE ſe habent res Principis, cum illius aures ita ſunt formatæ, vt aſpera videantur, quæ illi vtilia ſunt: nec quidquam niſi iucundum & læſurum accipere velit. Et comparari ægro poteſt, qui remedia ſalutaria ob amaritudinem reſpicit, & palato iucunda auide ſumit, etſi ipſi lethalia.

Sed claſſem Miſenenſem, tantum ciuilibus diſcordijs etiam ſingulorum audacia valet, Claudius Fauentinus centurio, per ignominiam a Galba dimiſſus, ad defectionem traxit, fictis Veſpaſiani epiſtolis pretium proditionis oſtentans.

CIVILIBVS diſcordijs multum ſingulorum audacia valet. Silent enim leges, quæ pacis tempore, & concordia eam coercent: & proletarius quiſque & egens rapinas, & cædes impune agitat, dummodo rerum conditio illi faueat. Exempla Hiſtoriarum abundant.

præ-

præerat claſſi Claudius Apollinaris, neque fidei conſtans, neque ſtrenuus in perfidia,

HOC eſt genus hominum peſſimum, & vndique contemnendum, qui nec prodeſſe, nec obeſſe ſciunt: nec ſunt fides conſtantes, neque ſtrenui in perfidia, amicis prodeſſe, inimicis obeſſe nequeunt: & vt vno vero dicam; nec boni nec mali eſſe ſciunt.

& Apinius Tiro prætura functus, ac tum forte Minturnis agens, ducem ſe defectoribus obtulit a quibus municipia coloniæq. impulſę, præcipuo Puteolanorum in Veſpaſianum ſtudio, contra Capua Vitellio fida, municipalem æmulationẽ bellis ciuilibus miſcebant.

IN bello ciuili, quod vniuerſum imperium corripiat, ciuitates & municipia ſolent ſemper miſcere illis municipalem amulationem; exemplum enim ſequuntur prima vrbis illorum capitis.

Vitellius Claudium Iulianum, is nuper claſſem Miſenenſem molli imperio rexerat, permulcendis militum animis dilegit. data in auxilium vrbana cohors, & gladiatores, quibus Iulianus præerat. Vt collocata vtrimq. caſtra, haud magna contatione Iuliano in parte Veſpaſiani tranſgreſſo, Tarracinam occupauere, mœnibus ſituq. magis, quàm ipſorum ingenio tutam. Quæ vbi Vitellio cognita, parte copiarum Narniæ cum præfectis prætorij relicta, L. Vitellium fratrem cum ſex cohortibus & quingentis equitibus, ingruenti per Campaniam bello oppoſuit. Ipſe æger animi, ſtudijs militum & clamoribus populi arma poſcentis refouebatur: dum vulgus ignauum, & nihil vltra verba auſurum, falſa ſpecie, exercitus & legiones appellat.

ETSI mille in locis vulgi naturam & mores deſcribat Auctor noſter proprijs & ſignificantibus epithetis; tamen non ommittemus locum aliquem, quo hanc vulgi naturam exprimat vt hic, cum ait: vulgus ignauum, & nihil vltra verba auſurum.

Hortantibus libertis, nam amicorum eius quanto quis clarior, minus fidus,

HAC peſte ſemper laborant Tyranni: vt amicorum ſuorum quanto quis eſt clarior, minus ſit eis fidus. Suſpicio enim inter eos hinc inde viget, qua omnem amoris radicem tollit.

vocari tribus iubet, dantes nomina ſacramento adigit. Superfluente multitudine, curam dilectus in conſules partitur. Seruorum numerum, & pondus argenti ſenatoribus indicit, equites Romani obtulere operam pecuniasq. etiam libertinis idem munus vltro flagitantibus. Ea ſimulatio, officia metu profecta, verterat in fauorem.

INCONSTANTIA rerum humanarum hoc fert, vt ſæpe quod ab initio ab aliqua cauſſa mala profectum eſt, optimum ſortiatur finem: & e conuerſo bonam cauſſam ſæpe ſequatur prauus exitus.

Et plerique haud perinde Vitellium, quàm caſum locumq. principatus miſerabantur.

CONSENTANEVM Chriſtiana legi hoc eſt: In miſerijs homini alicui euenientibus, non tam illum miſerari, cui contingunt, quàm caſum locumq. humana condicionis.

nec deerat ipſe vultu, voce, lacrymis miſercordiam elicere,

DEGENERIS animi, & Principe indigni eſt indicium, in rebus aduerſis vultu, voce, lacrymis miſericordiam elicere. Cum contra robuſtus & excelſus animus omnia, qua in hominem cadere poſſint, nihil aſtimare ſoleat, nec aliquid pro intolerando in hac vita reputare. Et ſemper ita res aduerſas, & ſecundas excipit, vt numquam a ſtatu natura diſcedat. Plura de his vide apud Ciceronem in Philoſophicis per totum.

largus promiſſis, & quæ natura trepidantium eſt, immodicus.

TREPIDANTIVM hac eſt natura, vt ſint non ſolum largi, ſed etiam immodici promiſſis.

Quin & Cæſarem ſe dici voluit, aſpernatus antea. Sed tunc ſuperſtitionis nominis, & quia in metu conſilia prudentium, & vulgi rumor iuxta audiuntur.

IN metu conſilia prudentium, & vulgi rumor iuxta audiuntur. Vir boni ingenij & prudens, diſtinguit conſilia prudentium a conſilys vulgi: hac vitat, illa ſequitur: & iudicium adhibet. Quod

cum

rum metus auferat, teſte Ariſt. 2. Rhet. non eſt mirum, ſi is, qui hoc affectu nimis agitatur, neſcit diſtinguere inter vtraque conſilia.

Ceterum vt omnia inconſulti impetus cœpta, initijs valida, ſpatio langueſcunt.

OMNIA inconſulti impetus cœpta, initijs valida, ſpatio langueſcunt. Res enim omnes, quæ parum validum fundamentum habent, parum etiam durant. Ignis, ſi eſca deficiat, ſtatim extinguitur. Idem in actionibus hominum euenit, quæ ſi prudenti conſilio maturata anteà fuerint, vſque ad finem perdurabunt. Sed ſi cæco & iuuenili impetu inchoantur, initio quidem videntur valida, ſed ſpatio langueſcunt: nam negotijs dat ſpiritum, & vigorem prudentia, quæ cum impetibus deſit, vtpote ſibi ipſi aduerſis, ſtatim illi langueſcunt. Hinc de aliquibus populis dicitur, illos ab initio, plus quàm viros eſſe; poſtea minus quàm feminas euadere. Impetu enim tantum valent, quem ſi effugeris, paruo negotio poſtea eos ſubigis: vt ſunt plena omnium hiſtoricorum cartæ, & Liuij præſertim.

dilabi paulatim ſenatores, equitesq. primo cunctantes, & vbi ipſe non aderat, mox conterriti, mæſtiue diſcrimine, donec Vitellius pudore inriti conatus, quæ non dabantur omiſit.

SEMPER irritos conatus ſequitur pudor. Inde illud ſcitum Tiberij: Quàm indecorum attrectare id, quod conſequi nequeas.

Vt terrorem Italiæ poſſeſſa Meuania, ac velut renatum ex integro bellum intulerat, ita haud dubium erga Flauianas partes ſtudium, tam pauidus Vitellij diſceſſus addidit erectus Samnis, Pelignusq. & Marſi, æmulatione, quòd Campania præueniſſet, vt in nouo obſequio ad cuncta belli munia acres erant.

IN nouo Principis recentis obſequio ad cuncta munia ſemper ſunt acriores homines. Vt clare in Pontificum nuper creatorum exemplum Roma conſpicitur. Et ratio eſt, quia quiſque ſibi proficere magis ſperat: cum noui Principes ſoleant eſſe in beneficijs conferendis largiores.

Sed fœda hieme per tranſitum Apennini conflictatus exercitus: & vix quieto agmine niues eluctantibus, patuit quantum diſcriminis adeundum foret, ni Vitellium retro fortuna vertiſſet. quæ Flauianis ducibus non minus ſæpe quam ratio affuit.

VVLGARE eſt dictum: Virtute duce, comite fortuna. Nam cum hæc duo concurrunt, omnia rectè ſuccedent. Et hoc nomen fortunæ pro diuina prouidentia nos gubernante, & pro quadam temporum benignitate accipere debemus.

Obuium illic Petilium Cerialem habuere, agreſti cultu, & notitia locorum, cuſtodias Vitellij elapſum.

DVOBVS his præcipue modis elabi poſſumus ex inſidijs & manibus hoſtium, habitus mutatione, & locorum notitia.

Propinqua affinitas Cereali cum Veſpaſiano, nec ipſe inglorius militiæ, eoq. inter duces aſſumptus eſt. Flauio quoque Sabino, ac Domitiano patuiſſe effugium, multi tradidère. Et miſſi ab Antonio nuncij, per varias fallendi artes penetrabant, locum ac præſidium monſtrantes. Sabinus inhabilem labori & audaciæ valetudinem cauſſabatur.

MALAM valetudinem hæc infelicitas comitatur: vt ſit inhabilis labori & audaciæ.

Domitiano aderat animus. ſed cuſtodes a Vitellio additi, quamquam ſe ſocios fugæ promitterent, tamquam inſidiantes timebantur.

AB illis quandoque maxime eſt cauendum, qui ſe nobis fingunt velle ſocios eſſe periculorum. Species enim eſt occultarum inſidiarum, quo fortius ſuos decipiant. Et Romæ à prauis Aulicis factitari ſolet.

Atque ipſe Vitellius, reſpectu ſuarum neceſſitudinum, nihil in Domitianum atrox parabat. duces partium, vt Carſulas venere, paucos ad requiem dies ſumunt: donec aquilæ, ſignaq. legionum aſſequerentur. Et locus ipſe caſtrorum placebat, late proſpectans, tuto copiarum aggeſtu, florentiſſimis pone tergum municipijs. Simul colloquia

cum Vitellianis decem millium ſpatio diſtantibus, & proditio ſperabatur. Ægre id pati miles, & victoriam malle quàm pacem, nec ſuas quidem legiones opperiebantur, vt prædæ quàm periculorum ſocias.

MILITVM hæc eſt natura, vt victoriam malint quàm pacem. Ab hac enim præda ſolent fraudari: in qua præda nullum amant ſocium.

Vocatos ad concionem Antonius docuit, eſſe adhuc Vitellio vires ambiguas, ſi deliberarent acres, ſi deſperaſſent.

DESPERATIONEM in hominibus reddere animos acres, & fortes, nemo ignorat, & exẽplorum hiſtoriæ ſunt plena. Hinc tritum Adagium: Ab homine deſperato liberet me Deus.

Initia bellorum ciuilium fortunæ permittenda, victoriam conſilijs & ratione perfici.

BELLORVM ciuilium initia ſunt fortunæ permitenda: victoria conſilijs & ratione perficitur. Ideo fortunæ permittuntur initia, quia qualibet occaſio, quam illa offerat, arripienda. Sed in bello gerendo adhibenda eſt ratio & conſilia, vt hoſtem ſuperes. Sic Cæſar, ſic Sylla, ſic Marius & omnes ſe geſſerunt. Sic temporibus noſtris Belgæ rebelles, & Galliæ.

Iam Miſenenſem claſſem & pulcherrimam Campaniæ oram deſciuiſſe, nec plus e toto terrarum orbe reliquum Vitellio, quàm quod inter Tarracinam Narniamq. iaceat. Satis gloriæ prælio Cremonenſi partum, & exitio Cremonę, nimium inuidiæ, ne concupiſcerent Romam capere potius quàm ſeruare. Maiora illis præmia, & multo maximum decus, ſi incolumitatem Senatui Populóq. Romano ſine ſanguine quęſiſſent,

MAXIMVM decus acquirit exercitus ille, qui Principi vel Reipub. ſuæ quærit incolumitatem ſine ſanguine.

His & talibus mitigati animi. Nec multo poſt legiones venere. Et terrore famaq. aucti exercitus, Vitellianæ cohortes nutabant, nullo in bellum adhortante, multis ad tranſitionem, qui ſuas centurias turmasq. tradere donum victori, & ſibi in poſterum gratiam certabant.

PRO lucro habetur apud mortales, præuenire gratiam dominantis & Principis proxime deſignati. Et quo quis Aulicus in hoc eſt alijs prior, prudentior habetur.

Per eos cognitum eſt, Interamnam proximis campis præſidio quadrigentorum equitum teneri. Miſſus extemplo Varus cum expedita manu, paucos repugnantium interfecit. plures, abiectis armis, veniam petiuere. quidam in caſtra refugi cuncta formidine implebant, augendo rumoribus virtutem copiasq. hoſtium, quo amiſſi præſidij dedecus lenirent.

VICTI dedecus minuitur ex victoris virtute. Et hinc ab illo augeri ſolet in ſuo ſermone.

Nec vlla apud Vitellianos flagitij pœna. & præmijs defectorum, vera fides; ac reliquum perfidiæ certamen, crebra transfugia tribunorum centurionumq. Nam gregarius miles induruerat pro Vitellio, donec Priſcus & Alphenus, deſertis caſtris, ad Vitellium regreſſi, pudore proditionis cunctos exoluerent.

PENDENT a duce omnes milites, & acta eius quiſque æmulatur. Porro ſi dux eſt primus, qui ad hoſtes deficiat, nihil eſt ſperandum de exercitus fide. Nam eo exemplo cuncti milites pudore proditionis exoluuntur. Ego quidem experientia cognoui quendam ducem vrbanorum militum, qui quoad in fide & conſtantia erga Principem ſuum, vt debuit, permanſit: omnes milites dicto audientes habuit, & inimicis ſui Principis magno terrori erat. Simulac vero ipſe vano timore impulſus, locum & munus ſuum deſeruit, ceteri omnes milites fracti animo, & ipſi conceſſerunt aduerſarijs: quaſi ducis exemplum cunctos proditionis pudore exoluiſſet.

Iiſdem diebus, Fabius Valens Vrbini, in cuſtodia interficitur. Caput eius Vitellianis cohortibus oſtentatum, ne quam vltro ſpem fouerent. nam perſuaſiſſe in Germa-

nias

nias Valentem, & veteres illic nouosq. exercitus ciere credebant. Viſa cæde, in deſperationem verſi, & Flauianus exercitus, immane quantum animo exitium Valentis, vt finem belli accepit.

DVX hoſtium interfectus ſolet ſæpiſſime finem bello imponere.

Natus erat Vales Anagniæ, equeſtri familia, procax moribus, neque abſurdus ingenio, famam vrbanitatis per laſciuam petere ludicro Iuuenalium ſub Nerone, velut ex neceſſitate, mox ſponte mimos actitauit ſcite magis quam probe. Legatus legionis & fouit Verginium, & infamauit. Fonteium Capitonem in proditionem corruptum, ſeu quia corrumpere nequiuerat, interfecit. Galbæ proditor, Vitellio fidus, & aliorum perfidia illuſtratus.

ELOGIVM hoc eſt Valentis, ex cuius prauis & ſceleſtis moribus, concludere poſſumus, quòd raro ſceleſti, & Principum ſuorum proditores latum & proſperum aſſequuntur vitæ finem, & ſi aliquibus bonis aliquando gaudeant.

Abrupta vndique ſpe, Vitellianus miles tranſiturus in partes, id quoque non ſine dedecore, ſed ſub ſignis vexillisq. in ſubiectos Narniæ campos deſcendere Flauianus exercitus, vt ad prælium intentus armatusq. denſis circa viam ordinibus, adſtiterat. Accepti in medium Vitelliani, & circumdatos, Primus Antonius clementer alloquitur. Pars Narninæ, pars Interamnæ ſubſiſtere iuſſi. relictæ ſimul e victricibus legiones, neque quieſcentibus graues, & aduerſus contumaciam validæ.

HAEC eſt laudabilis moderatio in duce exercitus, erga illos, qui ſe nuper dediderunt, relinquere in locis ipſorum præſidium militum numero tali, vt quieſcentibus non ſit grauis, & aduerſus contumaciam ſit validus.

Non omiſere per eos dies Primus ac Varus crebris nuncijs ſalutem, & pecuniam, & ſecreta Campaniæ, offerre Vitellio, ſi poſitis armis, ſeq. ac liberos ſuos Veſpaſiano permiſiſſet. In eundem & Mucianus compoſuit epiſtolas: quibus plerumque fidere Vitellius, ac de numero ſeruorum, electione lictorum loqui. Tanta torpedo inuaſerat animum, vt ſi principem eum fuiſſe, ceteri non meminiſſent, ipſe obliuiſceretur.

INDIGNVS equidem eſt non ſolum nomine & gradu principatus ille Princeps, ſed vita etiam, & hominum aſpectu, qui in rebus aduerſis adeo ſe deijcit animo, & tanta torpedine corripitur, vt ſi ceteri non meminerint eum eſſe Principem, ipſe obliuiſcatur. Contrarium huic exemplo Vitelly illudfuit FERDINANDI Aragonij Secundi Neapolitanorum Regis: qui numquam ex afflictis ſuis & pene deſperatis rebus, ne minimum fractus eſt: vt ad honeſtiſſimas pacis condiciones deſcenderet, quæ illi a CAROLO VIII. Francorum Rege offerebantur, dummodo Regis nomine ſe ſpoliare vellet, & iuribus ſuis renunciare. Sed fortiter omnia tolerando, vſque eo durauit, donec conuerſo rerum ſtatu, Regnum auitum ingenti cum gloria, armis recuperauit Guicciard. 2. & 3. Hiſtor.

At primores ciuitatis, Flauium Sabinum præfectum vrbis, ſecretis ſermonibus incitabant, victoriæ famæq. partem capeſſeret. Eſſe illi proprium militem cohortium vrbanarum, nec defuturas vigilum cohortes, ſeruitia ipſorum, fortunam partium, & omnia prona victoribus:

OMNIA ſunt prona victoribus. Fortuna enim eſt torrentis inſtar, omnia ſecum trahit, nihil ei obſtare videtur: & cum in bello alicui arridet, tantam exiſtimationem victori affert, vt vere omnia illi ſint prona.

ne Antonio Varoq. de gloria concederet. Paucas Vitellio cohortes, & mæſtis vndique nuncijs trepidas, populi mobilem animum: & ſi ſe ducem præbuiſſet, eaſdem illas adulationes pro Veſpaſiano fore.

POPVLI eſt mobilis animus, & cum res turbantur, eaſdem illas adulationes confert cuicumque ſe ducem illi præbet.

Ipſum

Ipſum Vitellium ne proſperis quidem parem, adeo ruentibus debilitatum.

VERE eſt ruentibus debilitatus qui ne proſperis quidem par eſſe poteſt. Vt euenit alicui, qui diu multumq. in tenebris permanſerit, ſi repente ad ſolis lucem egrediatur, lumen oculorum ob longæ cæcitatis ſpatium debilitatum, nihil conſpicere poteſt.

gratia patrati belli penes eum, qui vrbem occupaſſet.

PATRATI belli gratia eſt penes illum, qui vltimum & præſtantius facinus abſoluit.

Id Sabino conuenire, vt imperiũ fratris reſeruaret: id Veſpaſiano, vt ceteri poſt Sabinum haberentur. Haud quaquam erecto animo, eas voces accipiebat, inualidus ſenecta. Erant qui occultis ſuſpicionibus inceſſerent, tamquam inuidia & æmulatione fortunam fratris moraretur.

QVID non poteſt in mortalium animis hæc exitioſa inuidia lues? cum etiam artiſſima vincula naturæ rumpere ſoleat, adeo vt frater ſæpe moretur, & impediat res fratris proſperas ob æmulationem.

Namque Flauius Sabinus ætate prior priuatis vtriuſque rebus, auctoritate pecuniaq. Veſpaſianum anteibat. Et credebatur affectam eius fidem præiuuiſſe, domo agriſq. pignori acceptis. Vnde quamquam manente in ſpeciem concordia, offenſarum operta metuebantur.

ETSI ſæpe in ſpeciem inter aliquos manet concordia: tamen offenſarum operta non ſunt extincta. Nec inter fratres hæ obliterantur. Prudens Aulicus ergo caute ſe gerat, tam circa offenſas, quas accepit, quàm quas intulit: illas diſſimulet, has leniet, & ab vtroque genere hominum ſe tectum ſeruet: Romæ præſertim, vbi loco & tempore, minima cuiuſque offenſiunculæ ratio habetur, & vltionis occaſio ſe offert, & auide arripitur.

Melior interpretatio, mitem virum abhorrere a ſanguine & cædibus: eoq. crebris cum Vitellio ſermonibus de pace, ponendiſq. per condicionem armis agitare.

VIRI mites abhorrent a ſanguine & cædibus. Eoq. libenter de pace, ponendiſq. per condicionem armis agitant, potius quàm de bello: hi ſunt, quos beatos inquit Saluator noſter Matthæi cap. 5.

Sæpe domi congreſſi. poſtremo in æde Apollinis, vt fama fuit, pepigere. Verba voceſq. duos reſtes habebant, Cluuium Rufum, & Silium Italicum. Vultus procul viſentibus notabantur, Vitellij proiectus & degener, Sabinus non inſultans, & miſeranti proprior.

NOTARI ſolent a prudentibus & expertis Aulicis vultus hominum, cum quibus negotium habere illis conuenit, & præſertim Principum. Et ex illorum habitibus magna ſolent deduci conſequentia. Quas vt auertat Princeps, debet ſemper ita eſſe ore & aſpectu compoſitus, vt nulla in eo varietas, ex negotiorum diuerſitate appareat: & ſic eius animi recondita ſit voluntas.

Quod ſi tam facile ſuorum mentes flexiſſet Vitellius, quàm ipſe ceſſerat: incruentam vrbem Veſpaſiani exercitus intraſſet. Ceterum vt quiſque Vitellio fidus, ita pacem & condiciones abnuebant, diſcrimen ac dedecus oſtentantes, & fidem in libidine victoris.

SEMPER eſt fides in libidine victoris: & ſæpe ea ſeruari non ſolet, præſertim cum Barbari victoriam adipiſcuntur. Sic Turcæ egerunt Famaguſta, erga Bragadinũ, & Balioneum: & Tuneti aduerſus Gabrium Sorbellonum, & ceteros. Impium tamen hoc eſt, & ab ipſo iure belli alienum. Nam vt eſt vetus ſententia, & hoſti debet ſeruari fides.

Nec tantum Veſpaſiano ſuperbiam, vt priuatum Vitellium pateretur, ne victos quidem laturos. Ita periculum ex miſericordia.

PERDITAE ſunt equidem funditus res illius, cui etiam ex miſericordia aliena eſt periculum. Quæ ſæpe ſola valet, ad medendum mortalibus in calamitatibus.

Ipſum ſane ſenem, & proſperis aduerſiſq. ſatiatum.

VERE ſenes ob vitæ, quam egerunt, longitudinem, deberent eſſe proſperis aduerſiſq. ſatiati. Sed tamen plerumque contingit vt in illa ætate cupiditates ardentius ferueant, quàm in adoleſcentia: præſertim circa pecuniam corrogandam. Ratio hæc eſt forſan, quia quo magis homo viuit, plus aſſueſcit rebus, quæ in hac vita iucunda habentur: & ex longa aſſuetudine augetur amor & cupiditas.

Sed quod nomen, quem ſtatum filio eius Germanico fore? Nunc pecuniam, & familiam, & beatos Campaniæ ſinus promitti. Sed vbi imperium Veſpaſianus inuaſerit, non ipſi, non amicis eius, nõ denique exercitibus ſecuritatẽ, niſi exſtincto æmulatu, redituram.

REGVLA eſt, quæ ab omnibus Tyrannis exercetur, & in vſum quotidianũ deducitur: Numquam ipſis ſecuritatem in dominatione fore, niſi extincto æmulatu. In Othommanuorum Principũ animis adeo valida eſt hæc ſententia, vt etiã frater fratri proprio non parcat. Sed ſtatim ab ipſa noui Principis electione, primũ facinus Principis ſecuritatis gratia, ſit fratrũ cædes, ſi aliquos habet.

Fabium illis Valentem, captiuum & caſibus dubijs reſeruatum, prægrauem fuiſſe: nedum Primus ac Fuſcus, & ſpecimen partium Mucianus, vllam in Vitellium niſi occidendi licentiam habeant. Non a Cęſare Pompeium, non ab Auguſto Antonium incolumes relictos. Niſi forte Veſpaſianus altiores ſpiritus gerat, Vitellij cliens, cum Vitellius collega Claudio foret.

PROPRIVM eſt nobilium, ſpiritus gerere altiores, quàm ceteri ſoleant. Sæpe tamen regula hæc exceptiones patitur.

Quin vt cenſuram patris, vt tres conſulatus, vt tot egregiæ domus honores deceret, deſperatione ſaltem in audaciam accingeretur.

DESPERATIONE ſolere homines in audaciam accingi: iam pluries obſeruauimus.

perſtare militem, ſupereſſe ſtudia populi. Denique nihil atrocius euenturum, quàm in quod ſponte ruant, moriendum victis, moriendum deditis. id ſolum referre, nouiſſimum ſpiritum per ludibrium & contumelias effundant, an per virtutem.

CVM tam victis, quàm deditis moriendum ſit, & nihil poteſt atrocius euenire, quàm in quod ſponte victus ruat: glorioſius eſt illi effundere vltimum ſpiritum per virtutem, quàm per ludibrium, & contumelias.

Surdæ ad fortia conſilia Vitellio aures.

HABET equidem ſurdas ad fortia conſilia aures ille, qui mauult effundere vltimum ſpiritũ per ludibrium, & contumelias, quàm per virtutes. Cum pulchra mors, totam anteactam vitam decorare ſoleat.

Obruebatur animus miſeratione curaq. ne pertinacibus armis minus placabilem victorem relinqueret coniugi ac liberis. Erat illi & feſſa ætate parens, quæ tamen paucis ante diebus opportuna morte excidium domus pręuenit:

ILLA eſt mors opportuna, qua aliquis excidium domus ſuæ præuenit. Certe ſi Pompeius aut Cæſar paucos ille ante bella ciuilia annos, hic vero ſtatim poſt adeptam Dictaturam, obijſſent: opportunam mortem occubuiſſent, cum poſtea infeliciſsimo exitu ambo perierint.

nihil principatu filij aſſecuta, niſi luctum & bonam famam. XV. Kalen. Ianu. audita defectione legionis cohortiumq. quæ ſe Narniæ dediderant, pullo amictu palatio digreditur, mæſta circum familia. Simul ferebatur lecticula paruulus filius, velut in funebrem pompam. Voces populi blandæ, & intempeſtiuæ. miles minaci ſilentio. Nec quiſquam adeo rerum humanarum immemor, quem non commoueret illa facies, Romanum Principem, & generis humani paulo ante dominum, relicta fortunæ ſuæ ſede, per populum, per Vrbem, exire de imperio.

AD magna exempla fragilitatis rerum humanarum, nemo eſt adeo illarum immemor, qui non commoueatur. Romæ, ſi alicubi, hæc magna exempla ſæpiſſime conſpiciuntur, tam eorum, qui deprimuntur, quàm illorum, qui eriguntur.

Nihil tale viderant, nihil audierant. Repentina vis Dictatorem Cæſarem oppreſſerat, occultæ Caium inſidiæ, nox & ignotum rus, fugam Neronis abſconderant. Piſo & Galba, tamquam in acie cecidere: in ſua concione Vitellius, inter ſuos milites, proſpectantibus etiam feminis, pauca & præſenti mæſtitiæ congruentia locutus: Cedere ſe pacis & Reip. cauſſa: retinerent tantum memoriam ſui, fratremq. & coniugem, & innoxiam liberorum ętatem miſerarentur.

EXEMPLVM ſimile, quoad ceſſionem ex imperio, pacis & Reipub. cauſſa, habemus apud Guicciardinum lib. ij. Hiſtoriarum in FERDINANDO ARAGONIO II. Neapolitanorum Rege. Etſi ille non ſocordia, vt Vitellius, ſed charitate, erga ſuos motus, id fecit. Nam paulo poſt, rerum facie conuerſa, reuertens, quod armis amiſerat, armis repetiuit.

Simul filium protendens, modo ſingulis, modo vniuerſis commendans, poſtremo, fletu præpediente, aſſiſtenti conſuli, Cæcilius ſimplex erat, exolutum a latere pugionem, velut ius necis vitæq. ciuium, reddebat. Aſpernante conſule, reclamantibus qui in concione aſtiterant, vt in æde Concordię poſiturus inſignia imperij, domumq. fratris petiturus diſceſſit. Maior hic clamor obſiſtentium penatibus priuatis, in palatium vocantium interclusum alterum iter, idq. ſolum quod in ſacram viam pergeret, patebat. Tam conſilij inops in palatium redijt.

NIHIL peius poteſt dici de homine, & præſertim de Principe, quàm quòd inops ſit conſilij. Cuius tanta vis eſt, vt nemo abſque eo recte res ſuas gerere poſſit: & ſi ad alios recurrit eius gratia, magnum periculum ſubit, ne conſiliarius magis paruum quodque ſuum commodum, quàm vtilitatem magnam illius, cui conſulit, reſpiciat. Vnde dicendum eſt, quòd niſi prudens per ſe ſit homo, periculũ habet tã in petendo conſilio, quàm in non petendo. Sed ſupra proxime plura de hac re diximus.

Præuenerat rumor, eiurari ab eo imperium. Scripſeratq. Flauius Sabinus cohortium tribunis, vt militem cohiberent. Igitur tamquam omnis Reſp. in Veſpaſiani ſinum ceſſiſſet, primores ſenatu, & plerique equeſtris ordinis, omnisq. miles vrbanus, & vigiles domum Flauij Sabini compleuere. Illuc de ſtudijs vulgi, & minis Germanicarum cohortium affertur. Longius iã progreſſus erat, quàm vt regredi poſſet:

EX hoc Sabini exemplo confirmatur regula a nobis ſupra tradita, quòd prudentis eſt, non ſtatim credere primis rerum nuncijs, & ſuper illis deliberationes capere. Nam ſæpe veniunt falſi, ſemper acriores, & turbidiores, quàm re ipſa inueniantur. Qui poteſt igitur, & ſecundos & tertios expectet. Et reminiſcatur dicti illius præfecti ad quoſdam ſuos milites, qui audita Regis cuiuſdam ſubitanea morte, ſtatim ſe in libertatem vindicare volebant: Moremini, inquit ille, commilitones mei, & parumper expectemus: nam ſi hodie Rex erit mortuus, cras etiam, & poſt hac ſemper erit mortuus.

& ſuo quiſque metu, ne diſiectos, eoq. minus validos, Vitelliani conſectarentur, cunctantem in arma impellebant. Sed quod in eiuſmodi rebus accidit, conſilium ab omnibus datum eſt, periculum pauci ſumpſere.

IN rebus humanis, vt eſt rara fides; ſic etiam euenit, vt quando res noſtræ ſunt ancipites, multi quidem dent nobis conſilium, periculum autem pauci ſumant. Aulice hoc obſerua, & caue, ne in ancipitia incidas: hanc enim regulam magno tuo cum damno experieris.

Circa lacum Fundani, deſcendentibus qui Sabinum comitabantur armatis, occurrunt promptiſſimi Vitellianorum. Modicum ibi prælium, improuiſo tumultu, ſed proſperum Vitellianis fuit. Sabinus, re trepida, quod tutiſſimum e præſentibus, arcem Capitolij inſedit milite, & quibuſdam ſenatorum equitumq.

CVM res noſtræ ſunt trepidæ, tunc expedit nos cito aggredi id, quod eſt tutiſſimum ex præſentibus.

quorum nomina tradere haud promptum eſt, quoniam, victore Veſpaſiano, multi id meritum erga partes ſimulauere.

MVLTI poſt periculum inueniuntur, qui Principi victori ſimulant merita erga illum de rebus, quas numquam geſſerunt.

Subie-

Subierunt obſidium etiam feminæ: inter quas maxime inſignis, Verulana Gracilia, neque liberos, neque propinquos, ſed bellum ſecuta. Vitellianus miles, cuſtodia ſecordi clauſos circumdedit. eoq. concubia nocte, ſuos liberos Sabinus, & Domitianum fratris filium, in Capitolium acciuit. At Sabinus, miſſo per neglecta ad Flauianos duces nuncio, qui circumſederi ipſos, niſi ſubueniretur, artas res nunciaret; noctem adeo quietam egit, vt digredi ſine noxa potuerit.

SVNT nonnulli adeo ſecordes, atque ignaui, vt etſi grauia mala ob id perpetiantur, tamen multo maioribus digni iudicari debeant. Nam qui, cum ſtare poteſt, in via cadit; meretur hoc, vt ſemper iaceat, & a nemine ſubleuetur.

Quippe miles Vitellij aduerſus pericula ferox, laboribus & vigilijs parum intentus erat.

HAVD in totum laudandus ille miles, qui aduerſus pericula eſt ferox laboribus: vigilijs vero parum intentus.

Et hibernus imber repente fuſus, oculos aureſq. impediebat. Luce prima Sabinus, antequam inuicem hoſtilia cæptarent, Cornelium Martialem e primipilaribus, ad Vitellium miſit, cum mandatis & queſtu, quod pacta turbarentur. Simulationem prorſus, & imaginem deponendi imperij fuiſſe, ad decipiendos tot inluſtres viros. Cur enim e roſtris, fratris domum imminentem foro, & inritandis hominum oculis, quàm Auentinum & penates vxoris petiſſet? ita priuato, & omnem principatus ſpeciem vitanti, conueniſſe. Contra Vitellium in palatium, in ipſam imperij arcem regreſſum. Inde armatum agmen emiſſum, ſtratam innocentium cædibus celeberrimam Vrbis partem, ne Capitolio quidem abſtineri. Togatum nempe ſe, & vnum e ſenatoribus, dum inter Veſpaſianum ac Vitellium prælijs legionum, captiuitatibus vrbium, deditionibus cohortium iudicatur. Iam Hiſpanijs, Germanijſq. & Britannia, deſciſcentibus, fratrem Veſpaſiani manſiſſe in fide, donec vltro ad condiciones vocaretur. Pacem & concordiam victis vtilia, victoribus tantum pulchra eſſe.

PAX & concordia, victis ſunt vtilia, victoribus pulchra tantum. Nam victi conſeruant præter ſe, res ſuas etiam, quas ſine pace perderentur. Contra victores fruſtantur præda, & ſpolijs hoſtium: & remanent ſolum cum ſpecioſo & infructuoſo nomine victoriæ. Inde quaſi ſemper milites fremunt, ſi de condicionibus pacis inter duces agitetur. Exempla plura huius rei in ſuperioribus libris vidimus.

Si conuentionis pœniteat; non ſe, quem perfidia deceperit, ferro peteret, non filium Veſpaſiani vix puberem. quantum occiſis vno ſene, & vno iuuene profici? Iret obuiam legionibus, de ſumma rerum illic certaret. cetera ſecundum euentum prælij ceſſura.

SECVNDVM euentum prælij, in quo inter duos Principes de ſumma rerum certatur, cetera omnia cedere ſolent. Sic Pharſalia prælium omnia Cæſari in prædam dedit. Sic Philippi acies Antonio & Auguſto.

Trepidus ad hæc Vitellius, pauca purgandi ſui cauſſa reſpondit, culpam in militem conferens, cuius nimio ardori iuparem eſſe modeſtiam ſuam.

TVRPIS eſt & flagitioſa ducis illius excuſatio, qui maleſactorum ſuorum culpam in militem confert: nam non militis, ſed ducis culpa eſt, ſi miles in aliquo excedit. Nec vmquam debet eſſe impar ducis auctoritas, licentia militum, quin eam regat & cohibeat.

Et monuit Martialem, vt per ſecretam ædium partem occulte abiret, ne a militibus internuncius inuiſæ pacis interficeretur.

INVISAE pacis internuncij Principum euitare ſtudeant milites, nam ab illis ſine vlla pietate trucidabuntur.

Ipſe neque iubendi, neque vetandi potens, non iam imperator, ſed tantum belli cauſſa erat.

VERE contemnendus euaſit Princeps ille, qui amplius nec iubendi, nec vetandi eſt potens: nec iam imperator amplius dici poteſt.

Vix dum regreſſo in Capitolium Martiale, furens miles aderat, nullo duce, ſibi quiſque auctor;

FVRENS miles nullum agnoſcit ducem, ſed quiſque ſibi eſt auctor.

cito agmine, forum & imminentia foro templa prętervecti, erigunt aciem per aduerſum collem, vſque ad primas Capitolinę arcis fores. Erant antiquitus porticus in latere cliui dextræ ſubeuntibus. In quarum tectum egreſſi, ſaxis tegulisq. Vitellianos deturbabant. neque illis manus, niſi gladijs armatę, & arceſſere tormenta, aut miſſilia tela, longum videbatur. Faces in prominentem porticum iecere, & ſequebantur ignem. ambuſtasq. Capitolij fores penetraſſent, ni Sabinus reuulſas vndique ſtatuas, decora maiorum, in ipſo aditu vice muri obieciſſet. Tum diuerſos Capitolij aditus inuadunt, iuxta locum aſyli, & qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur. Improuiſa vtraque vis:

AB Improuiſa vi militum furentium, difficillimum eſt ſe tutari.

proprior atque acrior per aſylum ingruebat. Nec ſiſti poterant, ſcandentes per coniuncta ædificia: quæ vt in multa pace, in altum edita, ſolum Capitolij æquabant. Hic ambigitur, ignem tectis oppugnatores iniecerint, an obſeſſi, quæ crebrior fama eſt, quo nitentes ac progreſſos depellerent. Inde lapſus ignis in porticus, appoſitas ædibus, mox ſuſtinentes faſtigium Aquilę, vetere ligno, traxere flammam, aluerunrq. Sic Capitolium, clauſis foribus indefenſum & indireptum, conflagrauit. Id facinus poſt conditam Vrbem luctuoſiſſimum fœdiſſimumq. Populo Rom. accidit, nullo externo hoſte, propitijs, ſi per mores noſtros liceret, deis. Sedem Iouis optimi maximi auſpicato a maioribus pignus imperij conditam, quam non Porſenna dedita vrbe, neque Galli capta, temerare potuiſſent, furore principum exſcindi?

HAEC pulcherrima Auctoris digreſſio, qua Capitolij incendium deplorat, eſt digniſſima quæ legatur, cum ob multas alias rationes, tum ob hanc; vt conſideremus nos Chriſtiani, quantum cultum & reuerentiam adhibere debeamus templis noſtris, quæ vere ſunt Domus DEI, & domus ſanctificationis, & orationis: cum videamus quanta pietate Ethnici ac Gentiles illi falſorum ſuorum deorum templa ac ſedes colerent.

Arſerat & ante Capitolium ciuili bello, ſed fraude priuata. Nunc palam obſeſſum, palam incenſum. quibus armorum cauſſis, quo tantæ cladis pretio pro patria bellauimus? Vouerat Tarquinius Priſcus rex bello Sabino, ieceratq. fundamenta, ſpe magis futuræ magnitudinis, quàm quo modicæ adhuc Pop. Rom. res ſufficerent. Mox Seruius Tullius ſociorum ſtudio, deinde Tarquinius Superbus, capta Sueſſa Pometia, hoſtium ſpolijs extruxere. Sed gloria operis, libertati reſeruata. Pulſis regibus, Horatius Puluillus iterum conſul dedicauit, ea magnificentia, quam immenſæ poſtea Pop. Rom. opes ornarent potius, quàm augerent. Iiſdem rurſus veſtigijs ſitum eſt, poſtquam interiecto CCCCXV. annorum ſpatio, L. Scipione, C. Norbano Coſs. flagrauerat. Curam victor Sulla ſuſcepit, neque tamen dedicauit. hoc ſolum felicitati eius negatum. Lutatij Catuli nomen, inter tanta Cæſarum opera, vſque ad Vitellium manſit. Ea tunc ædes cremabatur. Sed plus pauoris obſeſſis, quàm obſeſſoribus intulit. Quippe Vitellianus miles, neque aſtu, neque conſtantia, inter dubia indigebat.

HI ſunt veri Aulici, & homines experti, qui inter dubia, neque aſtu, neque conſtantia indigent: & tales viri ſunt, quos ceteri omnes ſequuntur, & auſcultant.

Ex

Ex diuerſo, trepidus miles, dux ſegnis, & veluti captus animi non lingua non auribus competere. neque alienis conſilijs regi, neque ſua expedire, huc illuc clamoribus hoſtium circumagi. quæ iuſſerat vetare, quę vetuerat iubere.

CERTE nec Apelles nec Phidias tam pulchre viri alicuius effigiem are, aut coloribus exprimerent, quàm belle effingat hic Auctor in perſona Sabini ducis fatui, penitus mores, & naturam. Qui ſegnis & veluti captus animi non lingua, non auribus cōpetebat; neque alienis conſilijs regebatur, neque ſua expediebat. Huc illuc clamoribus hoſtium circumagebatur: quæ iuſſerat, vetabat; quæ vetuerat, iubebat.

Mox quod in perditis rebus accidit, omnes præcipere, nemo exequi.

IN perditis rebus hoc accidit, vt omnes præcipiant, nemo exequatur. Hinc ſequitur, quod remedium nullum adhibetur, & res de malo in peius vadunt, & confuſione pereunt.

poſtremo abiectis armis, fugam & fallendi artes circumſpectabant..... Inrumpunt Vitelliani, & cuncta ſanguine, ferro, flammiſq. miſcent. Pauci militarium virorum, inter quos maxime inſignes, Cornelius Martialis, Aemilius Pacenſis, Caſperius Niger, Didius Sceua, pugnam auſi obtruncantur. Flauium Sabinum inermem, neque fugam cęptantem circumſiſtunt, & Quinctium Atticum conſulem, vmbra honoris.

EST ea honoris vere vmbra, quæ non a virtute proficiſcitur, ſed vulgi fauore, aut quauis alia de indecora cauſſa a nobis acquiritur. Gloria enim a virtute manat, vt a Sole lux. Et quæ non eſt virtutis filia, non eſt optabilis gloria.

& ſuamet vanitate monſtratum, quòd edicta in populum pro Veſpaſianum magnifica, probroſa aduerſus Vitellium iecerat.

MAGNA eſt vanitas & leuitas probra & conuicia in abſentes, præſertim Principes, iacere. Et hoc inter præcipua prudentis inditia eſt; loqui de abſentibus ſemper, tamquam præſentes eſſent. Et id Romæ a cauto Aulico obſeruari debet, vbi ſæpe æmuli ſermones artificioſe inducunt de aliquibus Principibus, & præbent occaſionem obloquendi Aulico, & niſi moderari, & frænum linguæ imponere ſciat; odium illorum incurret.

Ceteri per varios caſus elapſi, quidam ſeruili habitu, alij fide clientium contecti, & inter ſarcinas abditi. Fuere qui, excepto Vitellianorum ſigno, quo inter ſe noſcebantur, vltro rogitantes, reſpondenreſue, audaciam pro latebra haberenr.

IN bellis multi caſus ſæpe accidunt, in quibus vir fortis audaciam pro latebra habet. Sic ſupra inquit Auctor: Præſidium ab audacia mutuatur.

Domitianus, prima inrumptione apud ædituum occultatus, ſolertia liberti, lineo amictu turbę ſacricolarum immixtus ignaruſq. apud Cornelium Primum paternum clientem, iuxta Velabrum, delituit. Ac potiente rerum patre, diſiecto ædirui contubernio, modicum ſacellum IOVI CONSERVATORI, aramq. poſuit, caſuſq. ſuos in marmore expreſſit. Mox imperium adeptus, IOVI CVSTODI templum ingens, ſeq. in ſinu dei ſacrauit.

ET hinc diſcant Chriſtiani cum e magno aliquo periculo euaſerint, debitam præſtare DEO gratitudinem, & gratias ei ingentes reddere: cum Domitianus fide carens, & Idolorum tenebris cæcutiens, ob periculum elapſum, falſo, quem ipſe verum rebatur, deo ſacellum & aram poſuerit: & caſus ſuos in marmore expreſſerit.

Sabinus & Atticus onerati catenis, & ad Vitellium ducti, nequaquam infeſto ſermone vultuq. excipiuntur, frementibus qui ius cædis, & præmia nauatæ operæ, petebant. Clamore a proximis orto, ſordida pars plebis ſupplicium Sabini expoſcit, minas adulationeſq. miſcet. Stantem pro gradibus palatij Vitellium, & preces parantem, peruicere vt abſiſteret. Tū confoſſum conlaceratumq. & abſciſſo capite, truncū corpus Sabini in Gemonias trahunt. Hic exitus viri haud ſane ſpernendi. Quinque & xxx. ſtipendia in Repub. fecerat, domi militięq. clarus. Innocentiam iuſtitiamq. eius non argueres. Sermonis nimius erat.

ET ſeniorum propria eſt garrulitas, teſte Ariſt. in 2. Rhet. tamen non in omnibus hoc verificatur. Certe nimius eſſe ſermonis, Principem maxime dedecet.

 Id vnum

Id vnum ſeptem annis, quibus Moeſiam, duodecim, quibus præfecturam vrbis obtinuit, calumniatus eſt, rumor in fine vitæ, alij ſegnem, multi moderatum, & ciuium ſanguinis parcum credidere. Quod inter omnes conſtiterit, ante principatum Veſpaſiani, decus domus penes Sabinum erat. Cædem eius lætam fuiſſe Muciano accepimus. Ferebant plerique etiam paci conſultum, dirempta æmulatione inter duos, quorum alter ſe fratrem imperatoris, alter conſortem imperij cogitaret.

PAX male ſe habet, cum æmulatio manet inter duos, quorum alter ſe fratrem Principis, alter vero conſortem principatus cogitet. Nam ſemper Reſp. ab his diſtrahetur.

Sed Vitellius conſulis ſupplicium poſcenti populo reſtitit, placatus ac velut vicem reddens, quòd interrogantibus quis Capitolium incendiſſet, ſe reum Atticus obtulerat. Eaq. confeſſione, ſiue aptum tempori mendacium fuit, inuidiam crimenq. agnouiſſe, & a partibus Vitellij amolitus videbatur.

PRVDENTIS eſt tempori ſe aptare, & ſæpe, cũ maior vtilitas inde ſequitur abſque dedecore, opportuno medio, agnoſcendo crimen aliquod, victorem lenire, quàm pernicacia eum in tuam perniciem aſperare. Ira enim teſte Philoſopho in ij. Rhetorices, in eum, qui ſe humiliat, deſinit, & deferueſcit.

Iiſdem diebus, L. Vitellius, poſitis apud Feroniam caſtris, excidio Tarracinæ imminebat: clauſis illic gladiatoribus remigibusque, qui non egredi mœnia, neque periculum in aperto audebat. Præerat vt ſupra memorauimus, Iulianus gladiatoribus, Apollinaris remigibus, laſciuia ſecordiaq. gladiatorum magis, quàm ducum ſimiles. Non vigilias agere, non intuta mœnium firmare, noctu dieq. fluxi, & amœna litorum perſonantes, in miniſterium luxus diſperſis militibus, de bello tantum inter conuiuia loquebātur.

OPERAE PRETIVM eſt obſeruare, qualiter ſe habēt dux & miles laſciuus & ſecors, hic in Iuliani & Apollinaris perſona expreſſus: qui ambo Tarracinæ præſidebant, & a Lucio Vitellio obſidebantur. Vigilias non agebant, intuta mœnium non firmabant, noctu dieq. fluxi, & amœna litorum perſonantes, in miniſterium luxus diſperſis militibus, de bello tantum inter conuiuia loquebantur.

Paucos ante dies, diſceſſerat Apinius Tirodonisq. ac pecunijs acerbe per municipia conquirendis, plus inuidiæ quàm virium partibus addebat.

IN exigendis pecunijs dexteritate magna vtendum eſt, nam ſæpe non tantum re ipſa offenduntur gentes, a quibus exigitur, quàm a modo exigendi. Et ſæpe ſiniſtri exactores acerbitate ſua plus inuidiæ quàm virium Principi addunt.

Interim ad L. Vitellium ſeruus Verginij Capitonis perfugit, pollicitusq. ſi præſidium acciperet, vacuam arcem furtim traditurum, multa nocte cohortes expeditas ſummis montium iugis, ſuper caput hoſtium ſiſtit. Inde miles ad cædem magis, quàm ad pugnā decurrit. ſternunt inermes, aut arma capientes, & quoſdam ſomno excitos, cum tenebris, pauore, ſonitu tubarum, clamore hoſtili turbarentur, pauci gladiatorum reſiſtentes, neque inulti cæcidere. Ceteri ad naues ruebant, vbi cuncta pari formidine implicabantur, permixtis paganis, quos nullo diſcrimine Vitelliani trucidabant. Sex liburnicæ inter primum tumultum euaſere, in quis præfectus claſſis Apollinaris: reliquas in litore captas, aut nimium ruentium onere preſſas, mare hauſit. Iulianus ad L. Vitellium perductus, & verberibus fœdatus, in ore eius iugulatur. Fuere, qui vxorem L. Vitellij Triariam inceſſerint, tamquam gladio militari cincta inter luctum cladeſq. expugnatæ Tarracinæ, ſuperbe ſæueq. egiſſet.

MVLIERES, ſi poteſtas adſit, ſæuas eſſe, & ambitioſas, ſupra obſeruauimus. Hic adijciatur Triariæ exemplum, & petatur etiam ex Appiano illud Fuluiæ Antonij Triumuiri vxoris. lib. 4. bellorum ciuilium.

Ipſe Lauream proſpere geſtæ rei ad fratrem miſit: percontatus ſtatim regredi ſe, an perdomandæ Campaniæ, inſiſtere iuberet. Quod ſalutare non modo partibus Veſpaſiani,

ſiani, ſed Reip. fuit: nam ſi recens victoria miles, & ſuper inſitam peruicaciam ſecundis ferox, Romam contendiſſet, haud parua mole certatum, nec ſine exitio vrbis foret: quippe L. Vitellio, quamuis infami, inierat induſtria: nec virtutibus vt boni, ſed quo modo peſſimus quiſque, vitijs valebat.

ETIAM infamibus adeſſe poteſt induſtria: & vt boni virtute, ſic peſſimi vitijs valere ſolent. Vnde ſæpe ſumma adipiſcuntur honorum ac dignitatum, illi per bonas, hi per malas artes. Et fecundiſſima mater exemplorum vtriuſque euentus eſt Aula Romana.

Dum hæc in partibus Vitellij geruntur, digreſſus Narnia Veſpaſiani exercitus, feſtos Saturni dies Otriculi per otium agitabat. Cauſſa tam prauæ moræ, vt Mucianum operirentur. Nec defuere qui Antonium ſuſpicionibus arguerent, tamquam dolo cunctantem, poſt ſecretas Vitellij epiſtolas, quibus conſulatum & nubilem filiam, & dotales opes, pretium proditionis, offerebat.

INSCITIA magna eſt, cum a te culpa abeſt, ſuſpicionem culpa non auferre. Et vt adagium Italicum habet: Si non habes nuces, non debes velle voces. Certe non ſic Cæſar, qui de repudio vxori ſuæ dicto, interrogatus: Domus, reſpondit Cæſaris, non ſolum culpa, ſed ſuſpicione etiam culpa vacare debet.

Alij ficta hæc, & in gratiam Muciani compoſita.

SAEPE ad peſſundandum magnum aliquem & gratioſum Aulicum, calumniæ aduerſus eum finguntur, & in æmulorum gratiam componuntur. Quibus in audiendis grauem & conſideratum apprime decet eſſe Principem, vt vera a falſis diſtinguere poſſit.

Quidam, omnium id ducum conſilium fuiſſe, oſtentare potius vrbi bellum, quàm inferre: quando validiſſimæ cohortes a Vitellio deſciuiſſent, & abſciſſis omnibus præſidijs, ceſſurus imperio videbatur. Sed cuncta feſtinatione, deinde ignauia Sabini corrupta: qui ne ſumptis temere armis, munitiſſimam Capitolij arcem, & magnis quidem exercitibus expugnabilem, aduerſus tris cohortes tueri nequiſſet. Haud facile quis vni aſſignauerit culpam, quæ omnium fuit.

IN rebus maximi momenti, quæ improſpere cadunt, hoc euenire ſolet; vt haud facile vni poſſit aſſignari culpa, quæ omnium potius eſt.

nam & Mucianus, ambiguis epiſtolis, victores morabatur: & Antonius præpoſtero obſequio, vel dum tegeret inuidiam, crimen meruit.

PRVDENS Aulicus, nec obſequio debet vti præpoſtero, nec adeo tegere inuidiam, vt crimen mereatur. Porro vſque quo debeamus ab inuidia cauere, Seneca in Epiſt. 54. ad Lucilium optime docet.

cæteriq. duces, dum peractum bellum putant, finem eius inſigniuere. Ne Petilius quidem Cerealis, cum mille equitibus præmiſſis, vt tranſuerſis itineribus per agrum Sabinum, Salaria via vrbem introiret, ſatis maturauerat: donec obſeſſi Capitolij fama cunctos ſimul exciret. Antonius per Flaminiam ad Saxa rubra, multo iam noctis, ſerum auxilium venit. Illic interfectum Sabinum, conflagraſſe Capitolium, tremere vrbem, mæſta omnia accepit: plebem quoque & ſeruitia pro Vitellio armari, nunciabatur. Et Petilio Cereali equeſtre prælium aduerſum fuerat. namque incautum, & tamquam ad victos ruentem, Vitelliani interiectus equiti pedes excepere: pugnatum haud procul vrbe, inter ædificia hortosque, & anfractus viarum, quæ gnara Vitellianis, incomperta hoſtibus, metum fecerant.

LOCI ſuperioritas ad victoriam adipiſcendam, multum duci exercitus conducit. Et in hoc, vt locorum cognitionem & peritiam exactam haberent, ſemper laborarunt præſtantiſſimi duces. Et ob hanc cauſſam præcipue venationi ſe dediderunt in pacis tempore: vt melius naturas & ſitus locorum addiſcerent. Et de Philopœmene celeberrimo Achæorum duce traditur: illum ſemper omni tempore, & quocumque iret, ſolitum fuiſſe cum amicis diſſerere ſuper his rebus, quæſtiones

proponere, opiniones aliorum audire, ſuam ipſe in medium afferre. Vnde eueniebat, vt omnia quæ in bellis accidere ſolent, diligenter examinando, & pacis tempore diſcutiendo, nihil poſtea in prælijs inopinatum ei accideret: ſed ad omnes caſus repentinos remedium applicare poterat. Plutar. in eius vita.

Neque omnis eques concors, adiunctis quibuſdam, qui nuper apud Narniam dediti, fortunam partium ſpeculabantur.

S*PECVLARI fortunam partium, & neutralem ſe gerere numquam conducit illi, qui adeo validus ex ſe non ſit, vt ſua vi nitatur, ſed ab alio pendere opus habet. Cedet enim ſemper in vile pretium victoris: quiſquis ille erit. Et contra vni partium adhærendo, aut victoriæ particeps cum illa euadit, aut ſaltem veniam & condiciones pacis honorificas recipit. Quod ſcite Romanorum dux Achaorum legatis declarauit, cum aduerſus Aetolos bellum gererent. Liuius.*

capitur præfectus alę Tullius Flauianus, ceteri fœda fuga conſternantur, non vltra Fidenas ſecutis victoribus. Eo ſucceſſu ſtudia populi aucta.

M*IRVM non eſt, ex proſpero rerum noſtrorum ſucceſſu augeri erga nos populi ſtudia. Cum ſit populi natura: in rebus aduerſis te deſerere, in ſecundis vero adulari, & pro te velle, verbis tamen, occumbere.*

Vulgus vrbanum arma cepit. Paucis ſcuta militaria. plures, raptis quod cuiq. obuium telis, ſignum pugnæ expoſcunt. Agit grates Vitellius, & ad tuendam vrbem prorumpere iubet. Mox vocato Senatu, diliguntur legati ad exercitus, vt prętextu Reipub. concordiam pacemq. ſuaderent. Varia legatorum ſors fuit. Qui Petilio Cereali occurrerunt, extremum diſcrimen adiere, aſpernante milite condiciones pacis.

A*SPERNATVR ſemper miles condiciones pacis: prædam enim ex illius manibus adimit, ob quam nihil æſtimat vulnera, cædes & omnia mala & pericula.*

Vulneratur prætor Arulenus Ruſticus. auxit inuidiam ſuper violatum legati prætoriſq. nomen, propria dignatio viri.

E*X qualitate perſonæ, augetur vel minuitur factum. Et hæc eſt vna e præcipuis circumſtantijs, quæ ante oculos Principis iudicis debet eſſe, tam in irrogandis pœnis, quàm in præmijs conferendis. Vt ecce multatio pecuniaria diuiti & nobili nihil referet, quæ pauperi maxima & impoſſibilis erit. Contra ignominia nota, ſi nobili inuretur, maxima erit, ſin verò plebeio homini, pro leuiſſima ducetur.*

Palantur comites. occiditur proximus lictor, dimouere turbam auſus & ni dato a duce præſidio defenſi forent, ſacrum etiam inter exteras gentes legatorum ius, ante ipſa patriæ mœnia, ciuilis rabies vſque in exitium temeraſſet.

E*TIAM inter exteras gentes ſacrum debet eſſe legatorum ius. Vnde ciuilium bellorum rabies clare colligi poteſt, cum in illis nonnumquam adeantur diſcrimina, in quibus ante ipſa patriæ mœnia, ciuilis rabies vſque in eorum exitium temerari poſſit.*

Æquioribus animis accepti ſunt, qui ad Antonium venerant, non quia modeſtior miles, ſed duci plus auctoritatis.

A*VCTORITAS ducis, & Principis, milites & ſubditos, etſi immodeſtos, & petulantes in officio continet.*

Miſcuerat ſe legatis Muſonius Rufus equeſtris ordinis, ſtudium philoſophiæ & placita Stoicorum æmulatus. Cœptabatq. permixtus manipulis, bona pacis, ac belli diſcrimina differens, armatos monere. Id pleriſque ludibrio, pluribus tædio. nec deerant qui propellerent, proculcarentq. ni admonitu modeſtiſſimi cuiuſque & alijs minitantibus, omiſiſſet intempeſtiuam ſapientiam.

S*TVDIA & diſputationes ſicut pro tempore habita, exiſtimationem, & gratiam acquirere & augere ſolent: ita intempeſtiue exercita, ludibrium ac tædium mouent. Eſt ergo prudentis Aulici, locum & tempus ſemper conſiderare & illorum qualitati & condicioni ſermones ſuos aptare.*

Obuiā

Obuiæ fuere & virgines Veſtales, cum epiſtolis Vitellij ad Antonium ſcriptis. Eximi ſupremo certamini vnum diem poſtulabant. ſi moram interieciſſent, facilius omnia conuentura. Virgines cum honore dimiſſæ.

ETIAM in medio armorum ſtrepitu, virginitati mulierum conſideratio habenda eſt: & virgines cum honore dimittere conuenit. Alexander Magnus erga filias Darij captiuas ſic ſe gerendo, clariſſimum & inſigne omnibus ducibus reliquit exemplum.

Vitellio reſcriptum, Sabini cæde, & incendio Capitolij, dirēpta belli commercia. Tentauit tamen Antonius vocatas ad concionem legiones mitigare, vt caſtris iuxta pontem Miluium poſitis, poſtera die Vrbem ingrederentur. Ratio contandi, ne aſperatus prælio miles, non populo, non ſenatui, ne templis quidem ac delubris deprum conſuleret. Sed omnem ptolatationem, vt inimicam victoriæ, ſuſpectabant.

CVM miles ſuperior hoſtibus in prælio euaſit, & iam iam ad ipſius vrbis mœnia appropinquat: pacis omnem prolatationem prædæ, vt inimicam victoriæ ſuſpectat. Timet enim ne interim tunc condiciones aliquæ in medium producantur, quæ illum omni præda fruſtentur.

Simul fulgentia pet colles vexilla, quamquam, imbellis populus ſequeretur, ſpeciem hoſtilis exercitus fecetant. Tripartito agmine, pars vt aſtiterat Flaminia via, pars iuxta ripam Tiberis inceſſit, tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquabat. plebs, inuectis equitibus, fuſa. Miles Vitellianus, trinis & ipſe præſidijs occurrit. Prælia ante Vrbem multa, & varia: ſed Flauianis conſilio ducum præſtantibus, ſæpius proſpera.

CETERIS inter duos exercitus paribus, ſemper ille erit ſuperior, qui conſilio ducis meliori præſtabit.

Ij tantum conflictati ſunt, qui in partem ſiniſtram Vrbis ad Salluſtianos hortos, per anguſta & lubrica viarum flexērant. Superſtantes macerijs hortorum Vitelliani, ad ſerum vſque diei ſaxis pilisq. ſubeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui porta Collina inruperant, circumuenirentur. Concurrere & in campo Martio infeſtę acies. pro Flauianis fortuna, & parta toties victoria: Vitelliani deſperatione ſola ruebant, & quamquam pulſi, ruſus in Vrbe congregabantur. Aderat pugnantibus ſpectator populus, vtq. in ludicro certamine, hos modo, ruſus illos clamore & plauſu fouebat: quoties pars altera inclinaſſet, abditos in tabernis, aut ſi quam in domum perfugerant, erui iugulariq. poſtulantes, parte maiore ptædę potiebantur. Nam milite ad ſanguinem & cędes obuerſo, ſpolia in vulgus cedebant.

HOC contingit in vrbis alicuius direptione, quòd ſi miles ad cædes & ſanguinem eſt obuerſus, ſpolia in vulgus cedunt.

Sæua ac deformis Vrbe tota facies. alibi prēlia & vulneta, alibi balneæ popinęq. Simul cruor & ſtrues corporum, iuxta ſcorta, & ſcortis ſimiles: quantum in luxurioſo otio libidinum, quidquid in acerbiſſima captiuitate ſcelerum, protſus vt eandem ciuitatem, & furere crederes, & laſciuire.

CERTE ſæua ac deformis neceſſe eſt, vt ſit vrbis illius facies, quæ ab inimicis crudeliſſimis capitur ac diripitur. In qua alibi prælia viſuntur & vulnera, alibi balnea & popina. Simul cruor & ſtrues corporum: iuxta ſcorta & ſcortis ſimiles. Quantum in luxurioſo otio libidinum, quidquid in acerbiſſima captiuitate ſcelerum, prorſus vt eandem ciuitatem, & furere credas, & laſciuire. Et in hac deſcriptione mihi videtur Tacitus ſeipſum ſuperaſſe.

Conflixerant ante armati exercitus in Vrbe; bis L. Sulla, ſemel Cinna victoribus, nec tunc minus crudelitatis. nunc inhumana ſecuritas, & ne minimo quidem temporis voluptates intermiſſæ, velut feſtis diebus id quoque gaudium accederet, exultabant. nulla partium cura, malis publicis lęti. Plurimum molis in oppugnatione caſtrorum fuit, quæ acerrimus quiſque vt nouiſſimam ſpem retinebant. Eo intentius victores, præcipuo veterum cohortium ſtudio, cuncta validiſſimarum vrbium excidijs reperta, ſimul admo-

admouent, teſtudinem, tormenta, aggeres, facesq. quidquid tot prælijs laboris ac periculi hauſiſſent, opere illo conſummari clamitantes. Vrbem ſenatui ac Pop. Rom. templa dijs reddita; proprium eſſe militis decus in caſtris.

SIC propriè ſe habent ſedes cuiuſque & domicilia. Templa dijs: Vrbs Senatui ac Populo: Caſtra, militibus dari debent. Et proprium cuiuſque decus eſt in ſede ſua.

illam patriam, illos penates. ni ſtatim recipiantur, noctem in armis agendam. Contra Vitelliani, quamquam numero fatoq. diſpares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasq. cruore fœdare, ſuprema victis ſolatia complectebantur. Multi ſemianimes, ſuper turres & propugnacula mœnium, expirauere. Conuulſis portis, reliquus globus obtulit ſe victoribus: & cecidere omnes contrarijs vulneribus, verſi in hoſtem:

PVLCHRA eſt mors militis in acie pereuntis, cũ contrarijs vulneribus in hoſtem verſus cadit.

Ea cura etiam morientibus decori exitus fuit.

FORTES & magnanimi viri etiam in ſupremo obitus tempore, curã habent decori exitus. Sic Pompeius moriens terram dentibus momordit, ne gemere audiretur. Sic Cæſar Dictator chlamyde ſe operuit, cum a coniuratis confoderetur. Plutarchus, & Lucanus.

Vitellius capta Vrbe, per auerſam palatij partem, Auentinum in domum vxoris ſellula defertur: vt ſi diem latebra vitauiſſet, Tarracinam ad cohortes fratremq. perfugeret. Dein mobilitate ingenij, & quę natura pauoris eſt, cum omnia metuenti, præſentia maxime diſplicerent,

MAXIMI pauoris natura eſt hæc, vt cum omnia aliquis metuit, ei præſentia maxime diſpliceant. Et hoc naſcitur, quia conſilium eripitur a nimia violentia affectus.

in palatium regreditur, vaſtum deſertumq. dilapſis etiam infirmis ſeruitiorum, aut occurſum eius declinantibus.

PRINCIPEM, quem aduerſæ res perſequuntur, quiſque fere ſemper deſerit: & occurſum eius declinat, etiam infima ſeruitiorum.

Terret ſolitudo, & tacentes loci. tentat clauſa, inhorreſcit vacuis. feſſusq. miſero errore, & pudenda latebra ſemet occultans, ab Iulio Placido tribuno cohortis protrahitur.

QVI maxime timet, hic locum nullum inuenit, in quo animo requieſcere poſſit: nam eum ſolitudo terret, & tacentes loci. Tentat clauſa, inhorreſcit vacuis. Dein feſſus miſero errore, & ſemet pudenda latebra occultans, tandem miſerum conſequitur finem.

Vinctæ pone tergum manus, laniata veſte, fœdum ſpectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo illacrymante, deformiras exitus miſericordiam abſtulerat.

MISEREMVR indigne patientium mala: ſecundum Ariſt. in 2. Reth. ſed improbos, & digne patientes hoc affectu non proſequimur.

Obuius e Germanicis militibus Vitellium infeſto ictu, per iram, vel quo maturius ludibrijs eximeret, an tribunum appetierint, in incerto fuit: aurem tribuni amputauit, ac ſtatim confoſſus eſt. Vitellium infeſtis mucronibus coactum, modo erigere os, & offerre contumelijs, nunc cadentes ſtatuas ſuas, plerumque roſtra, & Galbæ occiſi locum contueri, poſtremo ad Gemonias, vbi corpus Flauij Sabini iacuerat, propulere. Vox vna non degeneris animi excepta, cum tribuno inſultanti, ſe tamen imperatorem eius fuiſſe reſpondit.

SAEPE ex vna voce tantum cognoſcimus, quis ſit animi degeneris, vel elati: voces enim notæ eorum ſunt, quæ in corde gerimus. Et ſæpe prudentes & perſpicaci ingenio præditi viri, non ſolum ex voce, ſed ex ore & aſpectu, hominum qualitates introſpiciunt, & de illis perfecte iudicium ferunt. Hanc virtutem inſignem præter multas alias, habuiſſe PAVLVM III. P. M. accepimus: qui acri, & ſolertiſſimo ingenij acumine in ponderandis & dignoſcendis ſtatim hominibus præditus fuit.

Ac deinde, ingeſtis vulneribus, concidit. Et vulgus eadem prauitate inſectabatur interfectum, qua fouerat viuentem.

CVM vulgus ſit natura mutabile, vt alibi diximus; nil mirum ſi nonnumquam eadem prauitate, qua fouit aliquem viuentem, inſectetur illum mortuum.

Pater illi L. Vitellius. Septimum & quinquageſimum ætatis annum explebat. conſulatum, ſacerdotia, nomen, locumq. inter primores, nulla ſua induſtria, ſed cuncta patris claritudine adeptus.

MVLTI ſæpe conſequuntur magnas dignitates, non induſtria propria, ſed patrum, aut ſuorum propinquorum claritudine. Exempla ſubſcribere odioſum eſſet.

Principatum ei detulere, qui ipſum non nouerant. Studia exrcitus, raro cuiquam bonis artibus quæſita perinde affuere, quàm huic per ignauiam.

RARO ſtudia exercitus, quæ bonis artibus quæruntur, acquiri ſolent: Sic de dignitatibus in multis Aulis maxime cum mœrore poſſunt boni dicere.

Inerat tamen ſimplicitas ac liberalitas, quæ, ni adſit modus, in exitium vertuntur.

SIMPLICITAS & liberalitas, niſi adſit modus, in exitium vertuntur. Illa enim fit fatuitas, hæc in prodigalitatem mutatur. Vnde dedecus & vltima pernicies.

Amicitias dum magnitudine munerum, non conſtantia morum continere putat, meruit magis, quàm habuit.

NON magnitudine munerum, ſed conſtantia morum continentur amicitiæ. Et qui in ipſis parandis, ſolam magnitudinem morum adhibet, illas magis meretur, quam habeat. Et notent Aulici Romani diligenter hoc præceptum: eſt enim oraculi vice certiſſimum.

Reip. haud dubie intererat, Vitellium vinci. Sed imputare perfidiam non poſſunt, qui Vitellium Veſpaſiano prodidere, cum a Galba deſciuiſſent.

QVI a ſuo Principe deſciſcunt, imputare alteri perfidiam non poſſunt. Nam vt ait ille:

Turpe eſt auctori, cum culpa redarguit ipſum.

Præcipiti in occaſum die, ob pauorem magiſtratuum ſenatorumq. qui dilapſi ex vrbe, aut per domos clientium ſemet occultabant, vocari ſenatus non potuit. Domitianum, poſtquam nihil hoſtile metuebatur, ad duces partium progreſſum, & Cæſarem conſalutatum, miles frequens, vtq. erat in armis, in paternos penates deduxit.

SAEPE ex maximo periculo, ad maximam aliquis felicitatem deſcendit. Ideo fortis eſt ſemper durare dubijs in rebus: & vt inquit Maro:

Rebus ſeruate ſecundis.

Non enim ſemper fremit pelagus.

Commentariorum in Librum III. Hiſtoriarum Pub. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI
IN P. CORNELII TACITI
Hiſtor. Commentarij.

Ex Lib. IV. Hiſtor. P. Cornelij Taciti.

INTERFECTO Vitellio, bellum magis deſierat, quàm pax cœperat.

MALVS eſt Ciuitatis ſtatus, cum poſt ſæuum & diuturnum bellum ſic res terminantur, vt illud magis deſinat, quàm pax incipiat. Et hoc in omnibus ciuilibus bellis ſemper ferme accidit: vt fine impoſito, belli tamen damna adhuc perſeuerent.

Armati per vrbem victores, implacabili odio, victos conſectabantur.

TVRPE eſt, victores, poſt victoriam adeptam, conſectari implacabili odio victos. Nam generoſum eſt, finito bello, odium, & iram deponere.

plenæ cædibus viæ, cruenta fora templaq. paſſim trucidatis, vt quemque ſors obtulerat.

IN direptione vrbis ab iratis militibus facta: plenæ ſunt cædibus viæ: & vt quemque ſors offert, ab illis trucidatur.

Ac mox, augeſcente licentia, ſcrutari, ac protrahere abditos: ſi quem procerum habitu & iuuenta, proſpexerant, obtruncare; nullo militum, aut populi diſcrimine. quæ ſæuitia, recentibus odijs, ſanguine explebatur; dein verterat in auaritiam.

PESSIMA illorum natura, qui ſæuitiam recentibus odijs ſanguine explent, deinde vertunt in auaritiam: & ſic de vitio in vitium, de ſcelere in ſcelus tranſiliunt.

Nihil vſquam ſecretum aut clauſum ſinebant, Vitellianos occultari ſimulantes. Initium id perfringendarum domuum, vel ſi reſiſteretur, cauſſa cædis; nec deerat egentiſſimus quiſque ex plebe. & peſſimi ſeruitiorum prodere vltro dites dominos: alij ab amicis monſtrabantur.

ETSI in hoc bello ciuili Veſpaſiani contra Vitellium, multi peſſimi ſeruitiorum, & amicorum, & dominos proprios, & amicos hoſtibus prodiderunt: tamen in prioribus bellis ciuilibus, multa etiam inſignia exempla fidelitatis ſeruorum in dominos, & amicorum in amicos leguntur. Quæ ex Appiano Alexandrino, & Valerio Maximo quiſque habere poteſt.

Vbique lamenta, conclamationes, & fortuna captæ vrbis, adeo vt Othoniani, Vitellianiq. militis inuidioſa antea petulantia deſideraretur. Duces partium accendendo ciuili bello acres, temperandæ victoriæ impares.

NON eſt ſolida ac plena auctoritas ducis illius in militibus ſuis, qui ſolum accendendis eis ad ciuile bellum eſt acer, temperandæ vero victoriæ impar. Hoc enim modo non milites illi, vt par eſſet, obſequuntur; ſed ille militibus.

Quippe

Quippe in turbas, & diſcordias peſſimo cuique plurima vis, pax & quies bonis artibus indigent.

IN turbas, & diſcordias peſſimo cuique plurima eſt vis: pax & quies bonis eſt artibus indigens. Cum diſcordia mouentur, tunc mali plus pollent, quàm boni; qui ſemper paci ſtudent: & ideo peſſimus quiſque plurimum audet. Sed ſi pax redit, tunc ſurgunt boni, & vt eam ſtabiliant, per bonas artes id aggrediuntur, præcipua quarum eſt delicta punire, facinoroſos plectere, & leges obſeruari curare. Videmus hodie tempore Sedis vacantis multa flagitia, multas cædes fieri, quia tunc leges ſilent. Sed creato Pontifice, redit metus malis, & bona artes reualere incipiunt.

Nomen ſedemq. Cæſaris, Domitianus acceperat nondum ad curas intentus, ſed ſtupris & adulterijs filium principis agebat.

PRINCIPIS hoc debet eſſe peculiare munus, vt ad curas intentus ſit. Sed cum ſolum ſtupris, adulterijs, & libidinum expletione ſe Principem agit, tunc & male ſe habent res ciuitatis: & breui extinguetur dominatio.

Præfectura prætorij, penes Arrium Varum. Summa potentiæ, in Primo Antonio. is pecuniam familiamq. e principis domo, quaſi Cremonenſem prædam rapere. Ceteri modeſtia vel ignobilitate, vt in bello obſcuri, ita præmiorum expertes.

OB hæc duo modeſtiam ſcilicet, & ignobilitatem, multi vt in bellis, & in Aulis ſunt obſcuri; ita plerumque ſunt præmiorum expertes. Hinc caueat Aulicus, ne nimia modeſtia, qua vulgo frigiditas appellatur, peccet: quia ſemper vt obſcurus, ſic etiam erit præmiorum expers. Sed in hac re iudicio non leui opus eſt.

Ciuitas pauida, & ſeruitio parata, occupari redeuntem Tarracina L. Vitellium cum cohortibus, exſtinguiq. reliqua belli, poſtulabat. Præmiſſi Ariciam equites. agmen legionum, intra Bouillas ſtetit. Nec cunctatus eſt Vitellius, ſeq. & cohortes arbitrio victoris permittere. Et miles infelicia arma, haud minus ira, quàm metu abiecit.

EX duabus diuerſis cauſſis ſæpe idem effectus conſequi ſolet. vt ſupra non ſemel annotauimus.

Longus deditorum ordo, ſeptus armatis, per vrbem inceſſit. Nemo ſupplici vultu, ſed triſtes & truces & aduerſum plauſus, ac laſciuiam inſultantis vulgi immobiles, paucos erumpere auſos, circumiecti preſſere. ceteri in cuſtodiam conditi. Nihil quiſquam locutus indignum, & quamquam inter aduerſa, ſalua virtutis fama.

MAGNVM eſt, inter aduerſa, ſaluam conſeruare virtutis famam. Fortitudinis enim animi eſt clarum indicium.

Dein L. Vitellius interficitur, par vitijs fratris, in principatu eius vigilantior, nec perinde proſperis ſocius, quàm aduerſis abſtractus. Iiſdem diebus Lucilius Baſſus, cum expedito equite, ad componendam Campaniam mittitur: diſcordibus municipiorum animis, magis inter ſemet, quàm contumacia aduerſus principem. Viſo milite, quies, & minoribus colonijs impunitas. Capuæ legio tertia hiemandi cauſſa locatur: & domus inluſtres afflictæ, cum contra Tarracinenſes nulla ope iuuarentur. Tanto procliuius eſt iniuriæ, quàm beneficio vicem exſoluere: quia gratia oneri, vltio in quæſtu habetur.

PROCLIVIVS eſt iniuriæ, quàm beneficio gratiam exſoluere; quia gratia oneri, vltio in quæſtu habetur. Multa hic eſſent dicenda; ſed quia de hac materia tota extant 7. libri elegantiſſimi a Seneca conditi, De Beneficijs inſcripti, ad eos lectorem remitto.

Solatio fuit ſeruus Verginij Capitonis, quem proditorem Tarracinenſium diximus patibulo affixus, in iiſdem annulis, quos acceptos a Vitellio geſtabat. At Romæ ſenatus cuncta principibus ſolita, Veſpaſiano decernit, lætus & ſpei certus: quippe ſumpta per Gallias Hiſpaniasq. ciuilia arma, motis ad bellum Germanis, mox Illyrico, poſtquam Ægyptum Iudæam, Syriamq. & omnis prouincias exercitusq. luſtrauerant, vel vt expiato terrarum orbe, cepiſſe finem videbantur. Addidere alacritatem Veſpaſiani litteræ,

tamquam manente bello ſcriptæ, ea prima ſpecie, forma. Ceterum vt princeps loquebatur.

DEBET ſemper loqui vt Princeps, is, qui vere eſt Princeps, ne degenerem animum oſtendat: & vt prauis hominibus ſpem illius circumueniendi adimat.

ciuilia de ſe, & Rep. egregia. nec ſenatus obſequium deerat. Ipſi conſulatus cum Tito filio, prætura Domitiano & conſulare imperium decernuntur. Miſerat & Mucianus epiſtolas ad ſenatum, quæ materiam ſermonibus prebuere. ſi priuatus eſſet, cur publice loqueretur?

SERVANDVM cuique ſemper eſt condicionis ſuæ decorum, tam re, quàm verbis. Ideo cum priuatus ſis, non debes publice loqui.

potuiſſe eadem, paucos poſt dies, loco ſententiæ dici. ipſa quoque inſectatio in Vitellianos, ſera & ſine libertate. id vero erga Rempub. ſuperbum, erga principem contumelioſum, quòd in manu ſua fuiſſe imperium, donatumq. Veſpaſiano iactabat.

ABSTINEAT ſemper a nimia iactantia, qui ingens aliquod beneficium in alterum contulit: nam ſemper hac exprobratione, totam vim beneficij in illius animo delebit.

Ceterum inuidia in occulto; adulatio in aperto erant.

IN omnibus aulis, praecipue in Romana, ſtat in occulto inuidia, adulatio vero in aperto. Quæ cum optimum ab aliquibus, immo a pleriſque medium exiſtimetur ad conſequendos honores, hinc fit vt ingenia, in ea quàm maxime exerceantur.

Multo cum honore verborum, Muciano triumphalia de bello ciuili data. Sed in Sarmatas expeditio fingebatur. Adduntur Primo Antonio conſularia, Cornelio Fuſco, & Arrio Varo prætoria inſignia.

HONORIBVS ſemper & præmijs proſequatur Princeps nouus illos, quorum ope principatum adeptus eſt: vt ſupra, lib. 1. Annal. feciſſe Auguſtum obſeruauimus.

Mox deos reſpexere. reſtitui placuit Capitolium.

INTER præcipuas curas, quas habere debet Princeps, qui nuper ad id faſtigium euectus eſt: illa eſt cenſenda, vt reſpiciat DEVM, & Religionem, & illi grates agat, hanc colere ſtudeat, & coli imperet.

Eaq. omnia Valerius Aſiaticus, conſul deſignatus, cenſuit. Ceteri vultu, manuq. pauci quibus conſpicua dignitas, aut ingenium adulatione exercitum, compoſitis orationibus aſſentiebantur. Vbi ad Heluidium Priſcum prætorem deſignatum ventum, prompſit ſententiam, * vt honorificam in bonum principem. Falſa aberant, & ſtudijs ſenatus attollebantur. Isq. præcipuus illi dies, magnæ offenſæ initium, & magnæ gloriæ fuit.

MAGNA gloria plerumque ex magnis offenſis nobis venit.

Res poſcere videtur, quia iterum in mentionem incidimus viri ſæpius memorandi, vt vitam ſtudiaq. eius & quali fortuna ſit vſus, paucis reperam.

VIRORVM clarorum, & memorabilium ſcire acta & vitam, prodeſt multum nobis ad virtutem amplectendam, & ad prudentiam comparandam.

Heluidius Priſcus, regione Italiæ * ſeptima, Tatracinæ municipio, Cluuio patre, qui ordinem primipili duxiſſet, ingenium inluſtre altioribus ſtudijs iuuenis admodum dedit: non vt plerique, vt nomine magnifico ſegne otium velaret, ſed quo firmior aduerſus fortuita, Remp. capeſſeret.

INGENIVM hominis dandum eſt altioribus ſtudijs; non vt magnifico nomine ſegne otium velet, ſed quo firmior aduerſus fortuita, Remp. capeſſat.

doctores

doctores ſapientiæ ſecutus eſt, qui ſola bona, quæ honeſta, mala tantum quæ turpia; potentiam, nobiliratem, ceteraq. extra animum, neque bonis, neque malis annumerant.

STOICORVM ſecta, nimis in hoc forſan ſeuera, & arrogans, ſola bona cenſebat, quæ honeſta: mala tantum, quæ turpia. Potentiam, nobilitatem, ceteraq. extra animum, neque bonis, neque malis annumerabat.

Quæſtorius adhuc, a Pæto Thraſea gener dilectus, e moribus ſoceri nihil æque ac libertatem hauſit. ciuis, ſenator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ officijs æquabilis, opum contemptor, recti peruicax, conſtans aduerſus metus.

MAGNVS certe ſemper erit hic vir, qui cunctis vitæ officijs æquabilem ſe præſtabit, opum contemptorem, recti peruicacem, & conſtantem aduerſus metus.

Erant quibus appetentior famæ videretur: quando etiam ſapientibus, cupido gloriæ, nouiſſima exuitur.

ETIAM ſapientibus cupido gloriæ nouiſſima exuitur. Fructus enim vnicus & verus omnium laborum, quibus conflictantur, qui virtutem & ſtudia ſequuntur, eſt gloria, & immortalitatis cupido. Quæ cum vt cetera, nimia quandoque eſſe poſſit; & ideo reprehenſione digna; ſapiens eam ſicut ceteros affectus, ad moderationem reducere debet, & tandem, ad hoc vt vere ſit ſapiens, ea ſe exuere. Sed quia eſt comes virtutis, vt vmbra corporis: ideo nihil mirum, ſi ea difficulter, & vltimo loco ſapiens exuitur: cum diuitiarum, potentiæ, honorum, & aliarum libidinum facillime iam exutus ſit; hæc vero vix tandem ex eius animo euellatur. Et hic eſt huius ſententiæ ſenſus.

Ruina ſoceri, in exilium pulſus.

TRAHIT ſecum propinquos & amicos ruina propinquorum, & amicorum ſub Tyranno.

Vt Galbæ principatu redijt, Marcellum Eprium delatorem Thraſeæ accuſare aggreditur. Ea vltio incertum maior an iuſtior, ſenatum in ſtudia diduxerat.

SECVNDVM natura, & Imperatorum leges, iuſtum equidem cenſetur, filios vindicare necem parentum. Sed Chriſtiana lex id vetat. Cum Dominus dicat: Mihi vindictam, & ego retribuam.

Nam ſi caderet Marcellus, agmen reorum ſternebatur. Primo minax certamen, & egregijs orationibus vtriuſque teſtatum. Mox dubia voluntate Galbæ, multis ſenatorum deprecantibus, omiſit Priſcus.

PRVDENS Aulicus numquam aliquem accuſet, vel criminetur, cum dubia in hoc eſt voluntas Principis. Fruſtra enim aget, & perniciem ſibi acquiret. Recens exemplum vidimus in Aula maximi Principis cuiuſdam, talis ridiculi conatus, qui in accuſantis dedecus & damnum, & accuſati dignitatem cecidit.

Varijs, vt ſunt hominum ingenia, ſermonibus, moderationem laudantium, aut conſtantiam requirentium.

VARIA ſunt hominum ingenia. Nam diuerſitatem corporum ſequitur diuerſitas animorum, vt habetur in Decretalibus. Hinc fit, vt de alicuius viri magna actione varij ferantur ſermones, tam laudantium, quàm vituperantium. Sic ſupra lib. 1. Annal. idem de ſermonibus prudentum in Auguſti morte.

Ceterum eo ſenatus die, quo de imperio Veſpaſiani cenſebant, placuerat mitti ad principem legatos. Hincinter Heluidium, & Eprium acre iurgium. Priſcus eligi nominatim a magiſtratibus iuratis: Marcellus vrnam poſtulabat, quæ conſulis deſignati ſententia fuerat. Sed Marcelli ſtudium proprius rubor excitabat, ne alijs electis poſthabitus crederetur.

CALLIDE agit ille, qui cum in electione legationis vel dignitatis alicuius inſignis dubitat, ne alijs electis, ille poſthabeatur: ad ſortem rem deducere enititur.

Paulatimq. per altercationem, ad continuas & infeſtas orationes prouecti ſunt. quærente Heluidio, quid ita Marcellus iudicium magiſtratuum paueſceret?

MALA præſumptio debet fieri de illo, qui paueſcit iudicium magiſtratuum.

eſſe illi pecuniam, & eloquentiam, quis multos anteiret; ni memoria flagitiorum vrgeret.

MEMORIA flagitiorum urget adeo, vt etſi adſit pecunia & eloquentia, tamen ob eam pauor adſit.

Sorte & vrna mores non diſcerni: ſuffragia & exiſtimationem ſenatus reperta, vt vniuſcuiuſque vitam famamq. penetrarent.

NON diſcernuntur ſorte & vrna mores hominum: ſed ſuffragia & exiſtimatio ſenatus eſt reperta, vt vniuſcuiuſque vita & fama penetretur. In aliquibus tamen caſibus, ad euitandum periculum, ne potentioribus, & ditioribus in Repub. dentur magiſtratus, ſors & vrna vtilis eſt. Vt in ſpecie prudentiſſime VENETORVM Reſpub. electionem electorum ſorti committere ſolet: qua cum nec præmijs, nec precibus corrumpi queat, remedium optimum huic malo eſſe, procul dubio cenſeri debet.

pertinere ad vtilitatem Reipub. pertinere ad Veſpaſiani honorem, occurrere illi, quos innocentiſſimos ſenatus habeat, qui honeſtis ſermonibus aures imperatoris imbuant.

AD vtilitatem Reip. pertinet & ad honorem Principis noui, qui recens ad ſubditos venit, vt occurrant illi, quos innocentiſſimos ſenatus habeat & probos, qui honeſtis ſermonibus aures Principis imbuant.

Fuiſſe Veſpaſiano amicitia cum Thraſea, Sorano, Senecione: quorum accuſatores, etiamſi puniri non oporteat, oſtentari non debere.

RES odioſa Principi non debent repræſentari. Et in legationibus decernendis ad eum debent eligi, qui ſint grati, apud Principem non qui odioſi.

hoc ſenatus iudicio, velut admoneri principem quos probet, quos reformidet. nullum maius boni imperij inſtrumentum, quàm bonos amicos.

CVM amicitiæ præſidium ſit firmiſſimum, ſecundum M. Tull. Cicer. 1. de Finibus: & rerum omnium nec aptius ſit quidquam ad opes tuendas, ac tenendas, quàm amari & diligi; nec alienius, quàm timeri, teſte eodem 2. Offic. Nec ſine amicorum beneuolentia, neque in aduerſa, neque in ſecunda fortuna quiſquam viuere poſſit: vt eſt apud eundem 4. Famil. Immo nullius opes vmquam tantæ fuerunt, aut eſſe poſſunt, quæ ſine multorum amicorum officijs ſtare poſſint: ſecundum eundem in Orat. pro Planco. Certo concludere poſſumus: Nullum maius boni imperij inſtrumentum inueniri, quàm bonos amicos. Cyrus ille magnus Perſarum Rex apud Xenophontem, hæc aurea documenta Cambyſi filio ſucceſſori reliquit, iam morti vicinus: Quare quod etiam, inquit Cyrus, te Cambyſes minime latet, non eſt aureum hoc ſceptrum, quod regnum ſeruet; ſed amici multi ſceptrum ſunt regibus veriſſimum, ac maxime tutum. Verum ne putes homines naſci natura fidos: omnibus enim ijdem fide apparent, quemadmodum etiam alia, quæ natura gignuntur, omnibus apparent eadem. Sed fidos oportet ſibi vnuſquiſque faciat; quorum comparatio nullo modo fit vi, ſed beneficentia potius. Itaque ſi alios quoſdam tentabis regni cuſtodes efficere, numquam aliunde prius incipe, quàm ab eo, qui ex eodem loco natus eſt. Quare & homines ciues alienis præferendi ſunt, & qui vna ſunt altiti ijs, qui contubernales non ſunt. Et multa alia in hanc ſententiam in viij. Pædiæ apud Xenophontem habentur. Et prudentiſſime omnes principes, qui ſapientia maxime inſignes fuerunt, in amicorum copia magna & ſibi, & poſteris comparanda, diligentiam eximiam adhibuerunt. Duobus exemplis duorum grauiſſimorum Principum, rem expediam: antiqui vnius, & recentis alterius. Pro antiquo, prodeat Auguſtus ille, qui ſex & quinquaginta annos, florentiſſimum in pace vniuerſum Orbem ſeruauit: indeq. nomen accepit. Hic præter multos alios, Mæcenate, & Agrippa fidiſſimis amicis ſemper vſus eſt, eosq. beneficentia, & muneribus ampliſſimis ſibi beneuolos & amantes ad ſummum reddidit, poſtquam vero hi obierunt, & ipſe Iuliam filiam impudicam relegauerat, quadam die ſolus in cubiculo ſtans, ad eorum memoriam illacrymauit, & eos nomine vocauit, ſæpe exclamando: Horum mihi nihil accidiſſet, ſi aut Mæcenas aut Agrippa vixiſſet. vt eſt apud Senecam lib. 6. cap. 32. de beneficijs: Adeo prudens Princeps æſtimauit duos bonos amicos, vt dum illi vixerint, res ſuas in tuto, & cũ decore ſeruare potuiſſe ſperauerit: poſt mortẽ vero, domum ſuã in damna, & dedecora infinita incidiſſe euidenter confeſſus fuerit. Pro recentis Principis exemplo exurgat PAVLVS ille III. prudentiſſimus & ſagaciſſimus Princeps: Qui toto Pontificatus ſui

tempore, quod ſatis diuturnum fuit, nullam maiorem aliquam in re diligentiam adhibuit, quàm in bonis & multis amicis ſibi & nepotibus tunc pene pueris comparandis. Eorum alios honoribus, diuitijs nonnullos, omnes beneficentia ſibi, & poſteris deuinciendo. Vt vere dici poſſit, ex illius ſapientiſſimi ſenis conſilio, tamquam e fecundiſſimo ſeminario, per vniuerſam Chriſtianorum Rempublicam exiſſe innumeros & doctrina, & virtutibus inſignes viros; qui partim in S. R. E. Cardinaliũ numerum aſciti, partim diuerſis eccleſiis ſuffecti, partim etiam ad negotia Sanctæ Sedis cum potentiſſimis Principibus tractanda emiſſi, ſubſequenti tempore omnes ALEXANDRO FARNESIO CARD. ſuo nepoti maximo fuerunt & in aduerſis, & proſperis in rebus, decori, & adiumento. Quorum etiam aliqui hodie in Aula Romana viuunt & vigent: etſi quinquaginta & plures anni elapſi fuerint. Inter quos ſunt Io. Franciſcus Gambara, & Ioannes Antonius Fachinettus S. R. E. Cardinales, qui primum ſub auſpicijs PAVLI III. Pontificis in arenam laborum Aulæ Romanæ deſcendentes, & ſtrenue ſe gerentes, poſtmodum fuerunt illi a PIO IV. ſic a GREG. XIII. purpurei galeri dignitate decorati. Sed quid loquor de Principibus, qui & veri, ac legitimi ac ſapientes Principes fuerunt. Plus eſt quod ſubijciam, nec erit falſum. Tantam eſſe vim aſſero ad firmandum robur dominationum, in amicorum copia; vt etiam Tyrannus etſi ſæuus, & immanis, nullus tamen reperiatur, qui aliquem bonum amicum non habeat. Alioquin ipſe, res ſua, & ſubditorum ſuorum nihil vigerent, & ſtatim interirent, ſi in tanta improborum, quos circa ſe habet, multitudine, bonis aliquibus viris ſuis beneuolis locus non daretur. Immo refert ad ſalutem & vtilitatem publicam multum, quòd optimi & probi ciues apud Tyrannum gratia & fauore polleant. Hoc modo enim, & illum a ſceleribus, occaſionem in congreſſibus arripiendo, auertent: & honeſti pulchritudinem illi oſtendere poterunt, illius deſiderium in tyrannico pectore accendendo. Sicq. ciuibus ſalutem, & Tyranno gloriam & durationem acquirere poterunt. Et væ illi Tyranno, qui ſolum improbos & ſceleſtos apud ſe habet. Breui enim corruat, neceſſe eſt.

Eſſe ſatis Marcello, quòd Neronem in exitium tot innocentium impulerit. Frueretur præmijs & impunitate, Veſpaſianum melioribus relinqueret.

CERTE ſua debet eſſe contentus ſorte, qui in Principis alicuius amicitia malis artibus magna præmia eſt aſſecutus, ſi poſt eius obitum poteſt frui male partis præmijs & impunitate: relinquendo ſucceſſorem melioribus. Sed ſi in omnibus ſibi bene conſulerit, aliquando viderit.

Marcellus non ſuam ſententiam impugnari, ſed conſulem deſignatum cenſuiſſe dicebat, ſecundum vetera exempla, quæ ſortem legationibus poſuiſſent; ne ambitioni aut inimicitijs locus foret.

IN legationibus & aliquibus dignitatibus eligendis, ſors antiquitus in Republica Rom. poſita fuit, ne ambitioni, aut inimicitijs locus foret: ſecundum Marcellum Eprium hic. Sed, pace ſua, nec in Liuio, nec in alio auctore me vidiſſe memini, legationes ſorti vmquam mandatas fuiſſe. Immo ſemper eas eligi ſolitas fuiſſe, & vſitatum & rationi conſonum admodum videtur. In his enim rebus, in quibus ſalus publica prudentia aliorum nititur, ſe ſorti committere, haud rectum mihi videtur conſilium. Sicut & imprudenter ageret, qui in conſtituendo nauis gubernatore, non illum eligeret, qui ſcientia & experientia ceteris inſignior & excellentior eſſet. Sed ſorte duceret, quis huic negotio præficeretur. Multa in hanc ſententiam poſſent dici, quæ omitto. Illud tantum addam, REMPVB. VENETAM, quæ hodie ſola pene in Italia dignitatem, & formam magnæ & bene rectæ Reipub. ſeruat; vt in ceteris rebus optime ſtatus ſui conſeruationi prouidit, ſic & in hac re, eligere ſemper ſolere viros illos, qui legationum munere fungi debeant. Pertinent huc pulcherrimi illi Virgilij verſus in 7. Æneidos:

Tum ſatus Anchiſa, delectos ordine ab omni
Centum oratores Auguſta ad mœnia Regis
Ire iubet: *& quæ ſequuntur.*

Nihil eueniſſe cur antiquitus inſtituta exoleſcerent.

SI fieri poteſt, nec rerum condicio aliter requirat, antiquitus recte inſtituta numquam exoleſcere deberent. Nam vt ſupra in perſona Tiberij dixit idem Auctor: Semel placita & rite reperta mutanda non ſunt. Adde, quòd omnes ordinum & rerum mutationes in dominationibus ſunt periculoſæ, eo modo, quo tempeſtatum variationes etiam in corporibus noſtris formidoloſæ conſpiciuntur, & morbos gignere ſolent.

aut principis honor in cuiuſquam contumeliam verteretur.

PRINCIPIS honos in cuiuſquam contumeliam verti non debet. Id enim non tam inhonorificum priuato eſſet, quàm Principi inuidioſum.

ſufficere omnes obſequio.

DEBENT omnes ſubditi ſufficere obſequio erga Principem: ſed hi magis, quorum claritudo obſequijs protegenda eſt apud ipſum: vt ſupra in ſenatoribus erga Tiberium obſeruauimus. Nam vulgus vt eſt maioribus curis impar, ſic hac in re multum ſtudij adhibere non tenetur.

id magis vitandum, ne peruicacia quorundam inritaretur animus nouo principatu ſuſpenſus, & vultus quoque ac ſermones omnium circumſpectans.

SOLET animus noui Principis eſſe ſuſpenſus, & vultus quoque ac ſermones omnium circumſpectare. Vnde facile accidere poteſt, vt peruicacia aliquorum irritetur. Et quoad diuturnitate imperij non coaleuerit, ſemper erit nutans: vt ſupra lib. i. Annal. de Tiberio dixit. Et ſunt hoc in caſu Principes arboribus ſimiles: quæ dum exiles, & parum validis radicibus nixæ ſunt, facile ad omnes ventorum flatus mouentur, concutiuntur, nutant, & ſæpe conuelluntur. Poſtquam vero altę egerunt radices, & vetuſtate temporis telluri adhæſerunt, immota ac nullis ventorum, ſiue Borea, ſiue Euri minis mouentur. Nam;

> Quantum vertice ad auras
> Æthereas, tantum radice ad Tartara tendit: *vt inquit ille:*

Se meminiſſe temporum, quibus natus ſit, quam ciuitatis formam patres auiq. inſtituerint: vlteriora mirari, præſentia ſequi: bonos imperatores voto expetere, qualeſcumque tolerare.

SEMPER ſunt miranda tempora vlteriora, præſentia ſequenda: boni Imperatores voto expetendi, qualeſcumque tolerandi. Si hanc vere auream ſententiam, quiſque vt par eſt, perpenderet: haud ſcio an vmquam cōiurationes vllæ exiſterent. Quæ nulla alia de re naſcūtur, niſi quod præſentibus Principibus ſæuiunt, vt ſe tutos reddant. At prudentes ſemper aut tolerabunt eos; aut ſi parum ſibi conducere videbitur ibi viuere, vbi Princeps dominatur; voluntarium exilium ſuſcipiet: nec in animum vmquā inducet in illum machinandi: cum e mille, qui coniurationes inierint, ſi exempla repetantur, pauciſſimi incolumes euaſerunt.

Non magis ſua oratione Thraſeam, quàm iudicio ſenatus afflictum. Sæuitiam Neronis, per huiuſmodi imagines illuſiſſe. nec minus ſibi anxiam talem amicitiam, quàm alijs exilium.

TYRANNORVM amicitiæ ſemper ſunt anxiæ illis, qui eis fruuntur. Si nomine amicitiæ debent vocari.

Denique conſtantia fortitudine, Catonibus & Brutis æquaretur Heluidius: ſe vnum eſſe ex illo ſenatu, qui ſimul ſeruierit: ſuadere etiam Priſco, ne ſupra principem ſcanderet, ne Veſpaſianum ſenem triumphalem, iuuenum liberorum patrem præceptis coërceret.

IMPRVDENTIS eſt, ſupra Principem velle ſcandere. Quod facit Aulicus, cum in animum inducit, velle præceptis illum coercere: præſertim ſi ſit ſenex. Proinde cautus Aulicus, caueat ſemper ab hac ſuſpicione apud eum Principem, qui ſemper ferme obſequium amat, libertatem odit: nedum licentiam. Immo ab aliquibus Principibus audiſſe meminimus: ſeipſos viros quidem ſtrenuos optare, vt apud ipſos ſint; ſed callidiores & qui nimis penetrent ſuos ſenſus, eos reſpuere.

Quo modo peſſimis imperatoribus ſine fine dominationem, ita quamuis egregijs modum libertatis placere.

VERISSIMVM eſt, quòd quo modo peſſimis Imperatoribus placet ſine fine dominatio; ita quamuis egregijs modus libertatis. Qui libertatis modum apud Principem egreditur, in petulantiam incidit, cui proxime annexa eſt perfidia: crimen Principibus exitioſum, & deteſtabile. Recte ergo Princeps, quamuis egregius, amabit modum libertatis in ſubditis. Nam velle ex animi ſui ſen-

ſui ſententia omnia dicere, & agere, id non eſt ſeruientis, ſed imperantis: quæ res ſuſpiciones Principis accendit, & odium in ſubditum, qui ſic ſe gerit. Modus ideo ſeruandus. Aurea eſt enim teſte Lyrico, mediocritatis virtus & in rebus humanis omnibus modus eſt, & finis, vltra & citra quos nequit rectum conſiſtere. Certe nullam aliam ob rem primarij apud Principes viri, gratiam amittunt, niſi ob immoderatum libertatis vſum, quo ſe quaſi Principes velle regere præſeferunt. Inde illud ſcitum CLEMENTIS VII. erga Cardinalem Columnam, qui cum quereretur, ſe ipſi Pontificatum detuliſſe; & tamen nihil apud ipſum gratia valere: Verum eſt, reſpondit Clemens, mihi Pontificatum dedit: ſed, ſi dedit, iuſtum eſt, vt ſinat me illum exercere, nec ipſe gerere velit.

Hæc magnis vtrimque contentionibus iactata, diuerſis ſtudijs accipiebantur. Vicit pars, quæ ſortiri legatos malebat, etiam medijs patrum annitentibus retinere morem. Et ſplendidiſſimus quiſque eodem inclinabat, metu inuidiæ, ſi ipſi eligerentur.

QVID non poteſt hæc peſtifera, & communis Aularum peſtis, inuidia? cum ob eam declinandam, multi, & prudenter quidem, honores reſpuant, diuitias abijciant, & ſolitariam vitam eligant? Multa equidem alibi diximus circa hanc materiam: hic tamen hæc pauca adgerere non pigebit. Illam tantam vim habere, vt nec iura ſanguinis, nec naturæ coniunctionis, nec amicitiæ fœdera reſpiciat. Ab hac maledicta lue ſtimulatus Cain, Abel fratrem occidit, quando vidit munera eius acceptari a DEO, & non ſua. Geneſ. 4. Ob hanc Rachel ſterilis, ſorori fecundæ inuidit. Geneſ. 30. Hinc furore agitati fratres Ioſeph, eo quòd ipſe Ioſeph a patre plus diligeretur, & ob ſomnia, quæ narrabat, illum impie & crudeliter uendiderunt, & prodiderunt. Geneſ. 37. Sed quid de effectibus inuidiæ, quos gignit in propinquos, & amicos, loquor, cum etiam inuidum in ſeipſum inuidias armet, & efferet? Ecce enim, ut a ſacris literis non diſcedam, Achitophel videns quòd non fuerat factum ſecundum conſilium ſuum, ſed magis ſecundum Chuſai, abiens in domum ſuam, ſe ſuſpendio occidit. 2. Reg. 17. Tantum potuit in illo rabies cæca inuidiæ. Porrò, ut Aulico, breue & ſcitum præceptum hanc peſtem effugiendi demus; illi in mentem reducemus auream illam Catonis ſenioris ſententiam. Qui dicebat: Eos, qui fortuna moderate, & ſobrie uterentur, minime peti inuidia. Non enim nobis, ſed bonis, quæ nos circumſtant, inuident homines. Externa bona extra hominem ſunt: at inſolenter utendi uitium intra hominem eſt. Qui ergo eo ſibi conſlant inuidiam, uere ſunt inuidioſi. Vnde elicitur, humanitatem, & affabilitatem Aulico multum ad minuendam inuidiam prodeſſe.

Secutum aliud certamen. Prętores ærarij, nam tum a prętoribus tractabatur ærarium, publicam paupertatem queſti, modum impenſis poſtulauerant.

IN bene inſtituta Republica, numquam paupertas debet eſſe in illa, & diuitiæ in priuatis. Immo res priuatorum anguſtias eſſe conuenit; publicas uero, diuites & abundantes. Cum teſte Salluſtio, Hoc deterius habeat Reſpublica, quo magis res priuatæ florent. Si uero aderit publica paupertas, tunc eſt ſtatuendus modus impenſis. Nam Oeconomi ad res ſuas augendas, præcipua eſt ars: Sumptus ſuperfluos reſecari.

Eam curam conſul deſignatus, ob magnitudinem oneris, & remedij difficultatem, principi reſeruabat.

CVM res ſic ſe habent, ut in illis ſit oneris magnitudo, remedij autem magna difficultas: tunc debent reſeruari Principi, ut ipſe ſtatuat, quod ſatius illi uidebitur.

Heluidius arbitrio ſenatus agendum cenſuit. Cum perrogarent ſententias conſules, Vulcatius Tertullinus tribunus plebis interceſſit, ne quid ſuper tanta re, principe abſente, ſtatueretur. cenſuerat Heluidius, vt Capitolium publice reſtitueretur, adiuuaret Veſpaſianus. Eam ſententiā modeſtiſſimus quiſque ſilentio, deinde obliuio tranſmiſit.

IN rebus, quæ contra Principis reuerentiam, ſi ſententiam proferas, directo cadunt; conuenit ſilentium ſeruare. Quod eſt proprium modeſtiſsimi cuiuſque. Et ſub Principe multum conducit illum ſeruare. Vnde legitur de Hieremia: qui etſi in utero ſanctificatus, & a Domino Propheta erat datus; tamen excuſabat ſe dicens: Ah ah, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia ego puer ſum. Hier. 1. Sanctus ille, & patientiſsimus Iob ſimiliter legitur, quòd magis ſeipſum reprehendebat de actu loquendi, quàm de quocumque alio: unde dicit: Qui leniter loquuntur, cum reſpondere non poſſum: vnum locutus ſum, quod vtinam non dixiſſem. Iob. 2. & cap. 42. Quia inſipienter locutus ſum, & quæ ultra modum excederent ſcientiam meam: &c. Conſonat hoc præcepto, quod tradidit

Moyſes

Moyſes filijs Iſrael fugientibus de Aegypto, & timentibus exercitum Pharaonis: cum illis ait: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Et breuiter finiam eum ſententia illa aurea Salomonis, Prou. cap. 25. Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu; ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.

Fuere, qui & meminiſſent. Tum inuectus eſt Muſonius Rufus in Publium Celerem, a quo Baream Soranum falſo reſtimonio circumuentum arguebat. Ea cognitione renouari odia accuſationum videbantur.

RENOVANTVR odia accuſationum, cognitione noua. Quod non conducit Reipublicæ. Nam potius eius intereſt, vt inimicitia & lites penitus tollantur.

ſed vilis & nocens reus, protegi non poterat.

CVM reo, ſuper nocentiam, accedit vilitas: & quo modo protegi poterit?

Quippe Sorani ſancta memoria. Celer profeſſus ſapientiam, dein teſtis in Baream, proditor corruptorq. amicitiæ cuius ſe magiſtrum ferebat.

VERE nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quàm quæ latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. Nam eum, qui palam eſt aduerſarius, facile cauendo vitare poſſis: hoc vero occultum, inteſtinum, ac domeſticum malum non modo exiſtit, verum etiam opprimit, antequam proſpicere atque explorare potueris: vt eſt apud Tullium, Act. 3. in Verrem. Et his fallacibus amicitijs, qui cum illius ſæpe magiſtros ſe profiteantur, & poſtea illam corrumpant, plena ſunt Aulæ. Porro difficile eſt ab his cauere, cum fronte ac vultu, ſimulatio facillime ſuſtineatur: & multis ſimulationum inuolucris tegatur, & quaſi obtendatur quibuſdam velis vniuſcuiuſque natura: adeo vt vere ſcriptum ſit Eccleſiaſt. 37. Omnis amicus dicet, & ego amicitiam copulaui: ſed eſt ſolo nomine amicus. Nam in tempore tribulationis accipiet ſcutum: & contra hoſtem aduerſarius erit. Quid ergo agendum prudenti Aulico hac in re? Fidendum quam paucißimis, & cum paucißimis contrahenda familiaritas domeſtica. Sic enim quandocumque inſidia tibi ab aliquo ſtruentur, facilius eas euitabis, quia erunt minus occulta. Nec poterit dici in te illud Prophetæ, quòd: Qui comedunt tecum, poſuerint inſidias ſubter te. Abd. 1. Et multum ponderet quiſque Aulicus hoc præceptum, nam maximi eſt momenti.

Proximus dies, cauſſæ deſtinatur. Nec tam Muſonius aut Publius, quàm Priſcus & Marcellus, ceteriq. motis ad vltionem animis, expectabantur. Tali rerum ſtatu, cum diſcordia inter partes, ira apud victos, nulla in victoribus auctoritas, non leges, non principes in ciuitate eſſent;

PVLCHERRIME effingitur hic, & ſub aſpectum ponitur incompoſita, & turbulenta ciuitatis facies: nempe cum inter partes eſt diſcordia, apud victos ira, nulla in victoribus auctoritas, non leges, non Principes ſunt in ea. Si enim quælibet harum rerum per ſe, conuellere quamlibet munitam, & fortem ciuitatem poſſunt; quid dicendum erit, quando omnia ſimul concurrent? Et hæc mala potißimum a bellis ciuilibus emergunt.

Mucianus vrbem ingreſſus cuncta ſimul in ſe traxit. fracta Primi Antonij, Variq. potentia, male diſſimulata in eos Muciani iracundia, quamuis vultu tegeretur.

ETSI frons & vultus Aulici ſimulationem facile ſuſtinet; tamen diu eam ferre non poteſt. Nam ut eſt apud Tullium in 3. de Orat. Omnis motus animi ſuum quendam a natura habet vultum, ſonum, & geſtum. Animi imago vultus eſt, indices oculi. Qui quamuis ſæpe mentiantur, neceſſe eſt tandem, ut voluntas abdita ac retruſa per eos erumpat, cum ſint vera animorum noſtrorum ianua.

Sed ciuitas rimandis offenſis ſagax, verterat ſe, tranſtuleratq. Ille vnus ambiri, coli.

MIRE varijs nominibus & circumſtantijs naturam populorum, & ciuitatum deſcribit Auctor noſter. Et quæ hic appellatur ſagax in rimandis offenſis, appoſitißima vox eſt. Nam ſi umquam aut aliquo in loco requiritur hæc ſagacitas, ea in Aulis requiritur. Sequitur enim hinc, ut callidus Aulicus ubique ſe verſat, & transferat: potentem ambiat, & colat: inuiſum ac depreſſum, aſpernetur, & euitet.

nec deerat

nec deerat ipſe, ſtipatus armatis, domos hortosq. permutans apparatu, inceſſu, excubijs, vim principis complecti,

HIS modis complectitur vim principatus Princeps: Stipatus eſſe armatis, excubias agere, domos, hortosq. permutare, apparatum, inceſſum, & omnia cum Principis decore.

nomen remittere.

CREDENDVM non eſt illi, qui aliud ore aſſerit, aliud opere agit. Parum enim ſufficit nomen Principis remittere, cum vim amplectaris.

Plurimum terroris intulit cædes Calpurnij Galeriani. Is fuit filius C. Piſonis, nihil auſus. ſed nomen inſigne, & decora ipſi iuuenta, rumore vulgi celebrabantur.

SAEPE nocet celebrari rumore vulgi. Nam inuidiam ſuſcitat, æmulos accendit, & inſidias ſtruit. Et nullam viam ad hoc damnum effugiendum grauis & prudens Aulicus habere poteſt: Virtutis enim eſt hæc conditio, vt diu latere non poſſit. Præſertim, vbi omnia enucleantur, & ſuper omnibus rebus ſermones & inueſtigationes oboriuntur. Nec ſufficit ſolitudinem eligere: nam ab ea extrahitur vir ſtrenuus & cordatus, & quiete frui illi non datur.

Erantq. in ciuitate adhuc turbida, & nouis ſermonibus læta,

PERSEVERAT Auctor in recenſendis ciuitatis proprietatibus: nempe, quòd ſit turbida, & nouis ſermonibus læta. Quod adeo verum hodie etiam conſpicitur, vt nulla alia re magis delectari videamus, quàm nouis ſermonibus.

qui principatus inanem ei famam circumdarent.

EX fama inani vulgi, quamuis fauorabili, pernicies quandoque accidere poteſt. Si enim Principe viuente, cui ſint male affecti populi, alicui viro inſigni inanem famem principatus ei circumdabit, tunc proculdubio exitium præparant. Sic ſupra de Rubellio Plauto lib. xiv. Annal. Et omnium ore Rubellius Plautus celebratur: &c. Vnde permotus ijs Nero compoſuit ad Plautum litteras, conſuleret ſibi & turbis, ſeq. praue diffamantibus ſubtraheret, & quæ ſequuntur. Et experientia docet, prudenti Aulico omnibus viribus effugiendas has vulgi voces eſſe. Id quod Auctor ſupra in Seiani perſona mire expreſſit lib. 4. Annal. inquiens: Metuens tacita ſuſpicionum Seianus, vulgi rumorem, ingruentem inuidiam deprecatur.

Iuſſu Muciani, cuſtodia militari cinctus, ne in ipſa vrbe conſpectior mors foret, ad quadrageſimum ab vrbe lapidem, via Appia, fuſo per venas ſanguine extinguitur.

CAEDES tyrannicæ ſemper patrantur in occulto, ad auertendam populi inuidiam. Sic ſupra lib. ij. Annal. de Tiberio loquens, qui Clementem ſeruum Agrippæ ſuſtulit, inquit: Nec Tiberius pœnam eius palam auſus, in ſecreta palatij parte interfici iuſſit, corpusq. clam auferri.

Iulius Priſcus, prætoriarum ſub Vitellio cohortium præfectus, ſeipſum interfecit, pudore magis quàm neceſſitate. Alphenus Varus, ignauæ infamiæq. ſuæ ſuperfuit.

SATIVS eſſet mori, quàm ſupereſſe ignauia, & infamiæ ſuæ. Quod dedecus multis ſæpe ob cupiditatem vitæ contingit. Sic ſupra lib. ij. Annal. de Maroboduo, idem inquit: Conſenuitq. multum, imminuta claritate, ob nimiâ viuendi cupidinem. Et tamen, qui vtraque comparauerit, conſpiciet quòd non ſolum fortior, ſed etiam ſapientior ſæpe eſt mortis, quàm vitæ cupiditas. Qua de re vide Val. Max. lib. 9. cap. 13. qui aliqua huius rei exempla profert.

Aſiaticus, enim is libertus, malam potentiam, ſeruili ſupplicio, expiauit.

VTINAM ſemper in Aulis malæ potentiæ ſeruorum ſeruili ſupplicio expiarentur, vt par eſſet. Sic enim ſolatium non paruum bonis acquireretur: quibus plerumque ob hanc malorum potentiam, & iacere, & indigna multa perpeti, neceſſe eſt. Idem exitus fuit Martiani Iceli, liberti præpotentis Galbæ: ſupra lib. i. Hiſt. Auctor: In Martianum Icelum, vt in libertum, palam animaduerſum. Porro de potentia, & quæ bona, quæ mala, & quotuplex ſit, vide apud Platonem, Dialogo i. de Rep. ſiue de Iuſto.

Iiſdem

Iiſdem diebus, crebreſcentem cladis Germanicæ famam, nequaquam mæſta ciuitas excipiebat.

HVNC belli motum ſub Veſpaſiano a Ciuile factum aduertere diligenter operæpretium eſt. Multum enim germanitatem habet cum illo, quod temporibus noſtris iniuſte concinit Aurantius Princeps hæreticus in Belgis.

cæſos exercitus, capta legionum *[caſtra] hiberna, deſciuiſſe Gallias, non vt mala loquebantur. Id bellum quibus cauſſis ortum, quanto externarum ſociarumq. gentium motu flagrauerit, altius expediam. Batàui, donec trans Rhenum agebant pars Cattorum, ſeditione domeſtica pulſi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, ſimulq. inſulam inter vada ſitam occupauere, quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit: nec opibus Romanis ſocietate validiorum attriti, viros tantum armaq. imperio miniſtrant, diu Germanicis bellis exerciti: mox aucta per Britanniam gloria, tranſmiſſis illuc cohortibus, quas vetere inſtituto, nobiliſſimi popularium regebant.

NOTANDVM eſt hoc vetus Batauorum inſtitutum, quo cohortes ſuas, nobiliſſimi popularium regere ſolent. Hodie idem etiam apud Heluetios, & Germanos manet.

Erat & domi dilectus eques, præcipuo nandi ſtudio; arma equosq. retinens, integris turmis, Rhenum perrumpere. Iulius Paulus, & Claudius Ciuilis, regia ſtirpe, multo ceteros anteibant. Paulum Fonteius Capito falſo rebellionis crimine interfecit.

SAEPE ad tollendos aliquos claros & ſeditioſos viros e ciuitatibus & prouincijs, falſa rebellionis crimina obtendi ſolent a Tyrannis.

Iniectæ Ciuili catenæ, miſſusq. ad Neronem, & a Galba abſolutus, ſub Vitellio rurſus diſcrimen adijt, flagitante ſupplicium eius exercitu. Inde cauſſæ irarum,

MENTI teneant omnes Principes, quòd in mobilium & clarorum virorum animis ignominia veteris memoria numquam deletur a recentibus beneficijs: & ideo cauendum ab his, qui aliquo modo ab ipſis aut dedecus, aut incommodum aliquod ſuſceperunt. Nec vmquam de illis fidendum.

ſpes ex malis noſtris.

INIMICORVM mala nobis vice bonorum eſſe ſolent: ſpem enim nobis tantumdem, quàm propria bona afferunt. Chriſtiana tamen lex ab hoc abhorret, qua nobis ex ore Legiſlatoris ſummi imperat: vt diligamus inimicos noſtros; benefaciamus his, qui oderunt nos; & oremus pro perſequentibus & calumniantibus nos. Math. cap. v.

Sed Ciuilis,

MAGNA quæ Ciuilis aduerſus Romanos geſſit, fuerunt: magna etiam quæ Arminius: & magna quæ Aurantius temporibus noſtris. Veſpaſianũ enim & Tiberiũ illi: PHILIPPVM AVSTRIACVM hic, tres potentiſſimos Monarcas & laceſſere auſi ſunt, & per multos annos contra eos belligerauerunt: ferociſſimas nationes arte, dolo, & modis varijs aduerſus dominos proprios concitando, & illarum ope & armis eos fatigando. Sed quia Arminius & Aurantius, etſi multis in rebus ſimillimi Ciuili fuerunt, tamen exitum ſortiti fuerunt haud ita proſperum; cum ille propinquorum dolo, hic militis gregarij inſidijs, ceciderint, durante adhuc bello. Ciuilis vero poſt egregie per multum tempus ſuſtentatum cum Veſpaſiano bellum, tandem ſuorum pœnitentiam præueniendo, arma depoſuit; & dignatione retenta, pacem cum Veſpaſiano iniuit: non infructuoſum erit, ſuper illo aliquantiſper diſcurrere.

Primum *ergo illud obſeruandum eſt, quòd Claudius Ciuilis, ſtirpe erat Regia: vnde duo ſequebatur; Elatio ſpirituum, & populi in eum fauor.*

Secundum, *quòd iniuria laceſſitus bis fuerat: primum ſub Nerone catenis vinctus, ac ad eum miſſus, & a Galba abſolutus: & rurſus ſub Vitellio idem diſcrimen perpeſſus. Vnde in illo cauſſa irarum.*

Ergo ex duabus his cauſſis, ſecunda incendebat Ciuilem in Romanos: prima dabat facultatem, & modum.

Sed

Sed quoniam in laceſſendo Monarca potentiſſimo, & totius orbis victore, & proprio domino: multa erant neceſſaria homini paulominus priuato, vt erat Ciuilis: ideo tribus medijs opportunis, deſtinata aggreſſus eſt. Quorum primum fuit:

Solertia: *quæ quidem talibus in rebus peruneceſſaria eſt, vtuntur tam ad fallendos, quos in ſocietatem rebellionis trahere parant, quàm ad amouendam ſui ſuſpicionem ex animis inimicorum, qui facillime primos conatus extinguere poſſent. Hac ergo ſolertia vſus eſt Ciuilis infraſcriptis in rebus.*

1 In prætendendo Veſpaſiani amicitiam, & ſtudium partium: nam ſi a populo Romano palam deſciuiſſet, illi vt hoſti obuiam itum eſſet: cumq. vires non haberet, quas apponere poſſet, ſtatim concidiſſet. Et ſuam hanc intentionem mire prætexebat, cum Antonij Primi litterarum occaſione, quibus auertere accita a Vitellio auxilia, & tumultus Germanici ſpecie, retentare legiones iubebatur.

2 In componendis ſeditionis auctoribus, qui perpellerent Batauos, vt dilectum abnuerent. Quod efficere potuit, occaſione auaritiæ & luxus miniſtrorum Vitellij, quas Auctor hic recenſet.

3 In conuocandis primoribus gentis & vulgi promptiſſimi, ſpecie epularum in ſacrum nemus; quos poſtquam vino, nocte, & lætitia incaluiſſe conſpexit, accendere facile potuit.

4 Mittendo ad Caninefates, qui conſilia ſociarent: & Britannica auxilia occultis nuncijs pelliciendo.

5 Graſſandum dolo ratus, ac præfectos, quòd vltro caſtella deſeruiſſent, incuſando: & ſe cum cohorte, cui præerat, Caninefatem tumultum compreſſurum pollicendo: illi ſua quiſque hiberna repeterent.

6 Galliarum ſocietatem arte donisq. affectando; primum captos cohortium Galliarum præfectos ſuas in ciuitates remiſit: ſecundo cohortibus abire, an manere vellent, licentiam dedit.

7 Captarum cohortium ſignis circumdatus, vt ſuo militi recens gloria ante oculos, & hoſtes memoria cladis terrerentur, matrem ſuam, ſororesq. ſimul omnium coniuges paruosq. liberos conſiſtere a tergo iuſſit: quæ eſſent hortamenta victoriæ, vel pulſis maximus pudor.

8 Claudium Labeonem opidano certamine æmulum ſuum, præfectumq. Batauorum alæ, quæ Romanos in acie prodiderat, in Friſios auehi curauit. Nam ſi eum interficiebat, inuidiam apud populares; ſi retinebat, diſcordiæ ſemina præbebat.

9 Mittendo nuncium celerrime ad cohortes Batauorum, & Caninefatium, quæ iuſſu Vitellij in Vrbem pergebant. Cuius nuncij aduentu, intumuere cohortes ſuperbia & ferocia; & fidem & obſequium erga Romanos exuendo, Ciuili adhæſerunt.

10 Cum aduentu veteranarum cohortium, iuſti exercitus iam ductor, tamen vim Romanam reputans, cunctos ſuos milites, in verba Veſpaſiani adigit. Atque idem vt facerent duæ legiones iam pulſæ, quæ in vetera caſtra conceſſerant, ſuaſit.

11 Intelligens conſpicuam Barbarorum aciem, ad ictum Romanis deſtinari: reſtincto igne, miſceri cuncta tenebris & armis iubet.

12 Spe oppugnandi omiſſa, rurſus per otium aſſidendo; nuncijs & promiſsis fidem legionum conuellebat.

13 Tentando obſeſſorum animos, tamquam perditæ apud Romanos res, & ſuis victoria proueniſſet: circumferendo ſigna, vexillaq. captiuosq. etiam oſtentando.

14 Omiſſa diſſimulatione, in populum Romanum ruendo, vſque ad Flacci Hordeonij necem: quo interfecto, nuncij inter Ciuilem Claſſicumq. commeauere. Neque obſeſſorum preces admittendo, antequam in verba Galliarum iurarent.

15 Ciuilem & Claſſicum rebus ſecundis ſublatos, cum dubitarent an Agrippinenſem coloniam ſuis exercitibus diripiendam permitterent; fama clementiæ, vtilis nouum imperium inchoantibus, retinuit.

16 Societate Agrippinenſium auctus, proximas ciuitates affectauit; aduerſantibus vero bellum omnino inferre ſtatuit.

Secundum medium præcipuum Ciuilis fuit, **Eloquentia:** *quæ accendit animos Batauorum ad bellum.*

1 Hanc primum exercuit ſacro illo in nemore, vbi noctu conuocauerat illos; cum exordiendo a laude & gloria gentis, iniurias & raptus, & cetera ipſorum mala a Romanis accepta enumerauit. Sed cum hæc quidem ad accendendum vim magnam haberent; verum ad facilitatem rei gerendæ alia requirerentur; ille eadem cum eloquentia oſtendit, Romanorum rem afflictam eſſe: nihil aliud in caſtris eſſe, quàm inualidos & ſenes: ipſos habere robur peditum equitumq. idem cupere Germanos conſanguineos, & Gallias: cum ceteris rationibus efficaciſſimis, quæ ab Auctore noſtro enumerantur.

2 Vſus eſt hac eloquentia in ſecretis ſermonibus, quibus Gallos in ſocietatem belli trahebat, exemplo Batauorum illos adhortando: & alijs cum rationibus, quæ in Auctore recenſentur.

3 Cum Montanus ad Ciuilem miſſus eſſet cum mandatis: Primo callide ſe egit: poſtea vbi eum ingenio præferocem, atque ad res nouas moliendas paratum cognouit, labores ſuos, fratris necem, vincula & ſæuiſſimas exercitus voces, quibus ad ſupplicium petebatur, periculaq. quæ per quinque & viginti annos in caſtris Romanis exhauſiſſet, enumerauit. Sic accenſum, ſed meliora referre iuſſum, dimiſit.

4 Cum Ciuilis & Claſſicus epiſtolas ad Cerialem miſerunt, quibus Veſpaſiani mortem ſignificarunt, Vrbem, & Italiam interno bello conſumptam, necnon Muciani, & Domitiani nomina vana, & ſine viribus eſſe demonſtrarunt.

5 Cum Batauos ſibi infenſos eſſe intelligeret, huiuſmodi inclinationem præueniendo, mira eloquentiæ arte eorum animos compoſuit.

Tertium medium fuit, **Vis & fortitudo:**

1 Quam primum oſtendit: cum cernens ioſidias ſuas patefactas eſſe, Caninefates, Friſios, & Batauos proprijs cuneis compoſuit: & victoriam eam claram de Romanis reportauit, quam Auctor recenſet.

2 Cum cernens conſilium ſuum a duabus legionibus, quæ in vetera caſtra conſederant, ſperni; ira accenſus, quæ fortitudinis ſæpe eſt miniſtra, teſte Philoſopho, vniuerſam Batauorum gentem in arma rapuit. Iungendo Bructeros, Tencterosq. & excieodo nuncijs Germaniam ad prædam, & famam. Et hac in re Lyſandri præceptum ſequutus eſt.

3 Cum medium agmen cum robore Batauorum obtinens, vtramque Rheni ripam, quo truculentior viſu foret, Germanorum cateruis compleuit; aſſultante per campos equite: cum ceteris terroris ſpeciebus, quæ Auctor recenſet.

4 Vbios Treuerosq. vaſtando, & alia manu Moſam amnem tranſire iubendo; vt Meoapios & Morinos & extrema Galliarum quarerent: ingentes prædas faciendo.

5 Contuſis Vbijs, grauior & ſucceſſu rerum ferocior factus, obſidium legionum vrget: adhibitis cuſtodijs, nequis occultus nuncius veniens auxilij penetraret. Machinas molemq. operum, Batauis delegat: & alia multa quæ in Auctore habentur.

6 Copiarum parte retenta, veteranasq. cohortes, & quod e Germanis maxime promptum, aduerſus voculam exercitumq. eius mittendo.

7 Cum miſſos Noueſium frumentatores, datasq. in præſidium cohortes, velut multa pace, ingredi accepit, rarum apud ſigna militem, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos, compoſitus inuadendo: præmiſſis, qui pontes & viarum anguſta inſiderent: & longo agmine, & incerto Marte pugnando, donec prælium nox dirimeret. Poſt captam vero Geldubam, haud procul Noueſio, equeſtri prælio proſpere certauit.

8 Cum pugnando ſe Tungrorum agmini fortiter intulit, & clara voce dixit: Non ideo bellum ſumpſimus. *& quæ ſequuntur.*

9 Præſidia hoſtilium cohortium ac legionum, quæ modicis vicis quadripartita erant, Ciuilis fortiter inuadit.

10. Cum Vadam oppugnaret illam adducendo in maximum diſcrimen, verſa tamen fortuna, dum ſuos fugientes retentare conatur: agnitus ab hoſtibus telisq. petitus, equo relicto, ne in eorum manus incideret, flumen tranſnatauit.

Hæc ſunt præcipua capita quibus Ciuilis in concitandis populis aduerſus Veſpaſianum mira arte vſus eſt. Ex quibus multæ regulæ in materiam ſeditioſorum & innouatorum facillimo negotio deduci poſſunt.

vltra quàm barbaris ſolitum, ingenio ſolers,

A *Barbaris aliena ſolet eſſe ſolertia: vt qui tantum impetu valeant: & vi animorum, & ingenio haud multum polleant. Et id ob cæli qualitatem euenit, vt in libris de Republ. doctiſsime a Platone diſſeritur. Quæ vt illis magnum virium robur, & corpora ingentia largitur ad bella gerenda; ita mentis acumen, & ingeniorum acumen parum validum concedit. Obtuſi enim ferme plerique ſunt: ſi in comparationem Italorum & Græcorum eos deduxeris, qui Naturæ dono, in temperata cæli regione degentes, & ad bella obeunda, & ad diſciplinas hauriendas aptiſsimi redduntur. Hinc fit, vt facile apud Barbaros, quicumque mediocriter ſolers & callidus erit, illos circumuenire poterit, & ſe dominum illorum efficere: vt hic Ciuilis fecit.*

& Sertorium ſe aut Annibalem ferens, ſimili oris dehoneſtamento,

E*ST vere ſolertis, dehoneſtamentis oris vti in gloriam propriam. Sic ſupra de Tiberio, de fortuitis loquens. lib. 4. Annal. Et fortuita ad gloriam vertebat.*

ne vt hoſti obuiam iretur, ſi a populo Romano palam deſciuiſſet, Veſpaſiani amicitiam, ſtudiumq. partium prætendit.

N*OTABILIS eſt hæc Ciuilis aſtutia. Cum enim propoſuiſſet ſibi in animo a Romanis deſciſcere; timebat, ſi id palam ab initio fiebat, ne ipſi vt hoſti, obuiam iretur. Qui cum parum validas haberet vires facile in principio conatuum ſuorum corruiſſet. Ergo Veſpaſiani amicitiam, ſtudiumq. partium prætendit: altiora interim conſilia in pectore condens, quæ poſtea opportune prompſit. Et hinc colligi regula poteſt pro omnibus, qui aliquid innouare conātur: vt diligenter prius apud ſe conſiderent, vires ſuæ quales & quantæ ſint. Palamne, an occulte ſatius ſit graſſari. Et in hanc ſententiam verti poſſet præceptum illud, quod Poetica arte ſcriptoribus tradidit Flaccus inquiens:*

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus; & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri: *& quæ ſequuntur.*

miſſis ſane ad eum Primi Antonij litteris, quibus auertere accitata Vitellio auxilia, & tumultus Germanici ſpecie, retentare legiones iubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus

præſens

præſens monuerat; inclinato in Veſpaſianum animo, & Reip. cura, cui excidium aduentabat, ſi redintegratum bellum, & tot armatorum millia Italiam inrupiſſent.

CVI Reipublica eſt cura, debet omnia illa prauidere, & arcere, qua illi & bellum redintegrare, & excidium minitari poſſunt: Et in hoc ſemper ſatagere & vigilare conuenit. Hinc iure Achates dicitur comes Aenea a Virgilio ſemper. Aeneas enim pro Principis typo effingitur, Achates autem Grace curam ſignificat.

Igitur Ciuilis diſſidij certus, occultato interim altiore conſilio, cetera ex euentu iudicaturus, nouare res hoc modo cœpit.

HOC eſt initium, quo vſus eſt Ciuilis in rebus nouandis. Qui cum eſſet certus diſſidij, occultabat tamen altius conſilium: iudicaturus cetera ex euentu.

Iuſſu Vitellij, Batauorum iuuentus ad dilectum vocabatur: quem ſuapte natura grauem, onerabant miniſtri.

QVI dexteritate in negotijs gerendis pollent, res ſuapte natura graues, & difficiles alleuare, & facilitare ſolent. Contrarium agunt imperiti & indiſcreti, qui econuerſo res leues & faciles, onerare, & ad impoſſibile reducere ſæpe conſueuerunt.

auaritia ac luxu,

MINISTRORVM Principis, pracipua ſunt vitia, auaritia & luxus.

ſenes aut inualidos conquirendo, quos pretio dimitterent.

AD auaritiam hoc referre debet: Conquirere nempe ſenes & inualidos, quos pretio dimittant.

rurſus impuberes, ſed forma conſpicui, & eſt pleriſque procera pueritia, ad ſtuprum trahebantur.

AD luxum hoc pertinet: trahere ad ſtuprum impuberes, & forma conſpicuos.

Hinc inuidia, & compoſiti ſeditionis auctores, perpulere vt dilectum abnuerent.

VT prudens & probus vir, in componenda pace, & bono parando arripere occaſionem ſolet: ſic & prauus, & ſeditionis auctor, eadem vtitur, ad impellenda in diſcordiam ingenia, & tumultus ciendos. Vnde concludere poſſumus, in occaſione totam rerum gerendarum vim conſiſtere: qua ſæpe vt ait Demoſthenes in Orat. de fœdere Alex. aliquando valet id, quod conducit etiam abſque iure, efficere.

Ciuilis primores gentis, & promptiſſimos vulgi.

CVM ad dandum robur ſeditioni opus ſit, vt habeas & nobiles & ignobiles ciuitatis tibi adiunctos: conuenit ex illis primores ſemper illicere, & in ſocietatem trahere: ex his vero promptiſſimos quoſque.

ſpecie epularum, ſacrum in nemus vocatos,

PVLCHERRIMA fuit hac occaſio, quam Ciuilis arripuit; & aptiſſimum tempus, quod delegit, noctis & epularum; ad concitandos Batauorum animos. Eadem fere occaſione eſt vſus Arminius cum Germanis ſupra lib. j. Annal.

Vbi nocte ac lætitia incaluiſſe videt,

INCALESCVNT animi hominum, lætitia & nocte.

a laude gloriaq. gentis orſus,

ARTIFICIOSA eſt hac Ciuilis ad Batauos oratio; & multum efficax ad eorum animos commouendos.

iniurias & raptus, & cetera ſeruitij mala enumerat.

SERVITIVM, quo quis premitur, multa mala comitantur: inter qua pracipua ſunt iniuria & raptus. Hinc eſt, quod Tyrannus, qui tale ſeruitium ſubditis imponit, numquam odium effugere poteſt, ſecundum Ariſtotilem in v. Politices. Vnde ad ſui conſeruationem contemptum, qui eſt ſecun-

da Principatuum peſtis, cauere ſtudeas. Si enim ab ambobus onerabitur: ſtatim interibit. Idem Ariſtoteles ibidem.

Neque enim ſocietatem vt olim, ſed tamquam mancipia haberi: quando legatum, graui quidem comitatu,

MAGISTRATVVM, & miniſtrorum Principis comitatus numquam debet eſſe tantus, vt grauis ſit prouincijs & ciuitatibus. Multa enim inde mala in Principem redundant.

& ſuperbo cum imperio, venire?

IMPERIVM, res eſt per ſe non ſatis grata, immo fere ſemper odioſa. Quòd ſi illud ſuperbe exerceas, intolerabilis efficieris, & ſubditi parere recuſabunt.

tradi ſe præfectis centurionibusq. quos vbi ſpolijs & ſanguine expleuerint, mutari, exquiriq. nouos ſinus, & varia prædandi vocabula.

APTISSIME exprimitur hic auaritia miniſtrorum, quibus ſatis non eſt vno alteroue modo expilare prouincias, & populos. Sed varia prædandi vocabula adinueniunt, in perniciem miſerorum ſubditorum.

Inſtare dilectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus, velut ſupremum diuidantur. Numquam magis afflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis quàm prædam, & ſenes attollerent tantum oculos, & inania legionum nomina ne pauеſcerent;

VERE eſt inane nomen illud, cui vires non ſunt coniunctæ. Et auxilia talia, quæ potius nomen, quàm vires habent, ſemper ſunt paruifacienda. Tale eſt, quod apud Liuium legitur de Campanis. Qui in auxilium Sedicinorum nomen magis, quàm vires attulerant.

eſſe ſibi robur peditum equitumq. conſanguineos Germanos; Gallias idem cupientes; ne Romanis quidē ingratum id bellum, cuius ambiguam fortunam Veſpaſiano imputaturos;

CONCORDAT hoc cum illo, quod ſupra proxime de Ciuile dixit: Cetera ex euentu iudicaturus.

victoriæ rationem non reddi.

EPILOGVS eſt hic orationis Ciuilis. Et obſeruandum eſt in concionibus Taciti, quæ ſingulares meo quidem iudicio ſunt, ſemper eas cum ſententia aliqua finiri. Et victoriæ ratio non redditur. Earum enim rerum redditur ratio, quæ parum bene geſta fuerunt: & ab eo, qui cui reddit, paret, & ſeruit. Sed in victore prima cauſſa ceſſat, cum omnia victoriæ cedant: ſecunda etiam nulla eſt, nam ſemper ſupra victos eſt. Inde dictum: Virtute, aut ingenio vincatur, ſemper laudabilis victoria. Ergo prudentes tam Aulici, quàm milites, ſtudeant finem ſecundum rebus imponere: quod ſemper illis exiſtimatio augebitur: nec inquiritur poſtea quibus medijs ad optata eduxerint vota, negotia ſua. Exitus ſolum ſpectantur. Qui ſi læti ac felices ſunt, laudantur qui res geſſere: ſecus vituperantur. Et ſtudendum ſemper coniunctum eſſe cum his, qui vincunt & negotia bene gerunt: vnde exiſtimatio. Dedecus vero apud victos, & qui eis adhæſerunt, remanet.

Magno cum aſſenſu auditus, barbaro ritu, & patrijs execrationibus, vniuerſos adigit. Miſſi ad Caninefates, qui conſilia ſociarent.

IN ſociandis conſilijs cum Principe, vel Republica aliqua, magna requiritur et prudentia, et dexteritas. Et prouincia hæc demandari debet viris, et experientia et auctoritate maxime inſignibus. Sic ſupra de Tito loquens Auctor, qui inter Mucianum, & Veſpaſianum hoc munere fungebatur, inquit: Aptus & alliciendis Muciani moribus: & quæ illic habentur.

Ea gens partem inſulæ colit, origine, lingua virtute, par Batauis: numero ſuperantur. Mox occultis nuncijs, pellexit Britannica auxilia. Batauorum cohortes, miſſas in Germaniam, vt ſupra retulimus, ac tum Magontiaci agentes.

ECCE hic rerum ſtatus temporibus noſtris ſurrexit. Adeo vt veriſſimum ſit, quod alibi non ſemel diximus, nomina tantum mutari in hoc terrarum orbe; ſed cauſſas ferme ſemper eaſdem eſſe. Niſi enim, quòd Veſpaſiani temporibus Ciuilis erat turbator; noſtris vero Aurantius, nullam aliam inuenies in his motibus differentiam.

Erat

Erat in Canineſatibus, ſtolidæ audaciæ Brinio, claritate natalium inſigni.

HI ſunt aptiſſimi, vt impellantur: cum enim parum ingenio polleant, ſtatim perſuadentur. Sic ſupra de Agrippa Poſthumo lib. i. Annal. Impetu tantum validum, & ſtolide ferocem.

pater eius multa hoſtilia auſus, Caianarum expeditionum ludibrium, impune ſpreuerat.

FERME ſemper, cuius parentes male fidi fuerunt in Principem; ij etiam tales ſunt. Nam heredes vt fortunarum, ſic etiam, animi inclinationum euadunt.

Igitur ipſo rebellis familiæ nomine placuit, impoſitusq. ſcuto, more gentis, & ſuſtinentium humeris vibratus, dux diligitur. Statimq. accitis Friſijs, Transrhenana gens eſt, duarum cohortium hiberna, proximo occupato Oceano, inrumpit. Nec præuiderant impetum hoſtium milites: nec ſi præuidiſſent, ſatis virium ad arcendum erat.

PRAEVIDERE hoſtium impetum, nec poſſe eum arcere; eſt tamquam non prauidere. Fructu enim caret prauidentia talis.

Capta igitur & direpta caſtra, dein vagos & pacis modo effuſos lixas, negotiatoresq. Romanos, inuadunt. Simul excidijs caſtellorum imminebant: quæ a præfectis cohortium incenſa ſunt, quia defendi nequibant.

CASTELLA & loca, quæ defendi nequeunt, incendere & delere expedit. Hoſtes enim commoditate illa priuantur. Idem ſupra de Artaxata feciſſe Corbulonem narrat Auctor noſter, lib. xiij. Annal.

Signa vexillaq. & quòd militum, in ſuperiorem inſulę partem congregantur, duce Aquilio primipilari, nomen magis exercitus, quàm robur.

CONSONAT illi, quod ſupra diximus de auxilio Campanorum Sidicinis miſſo: & idem Auctor proxime: Inania legionum nomina ne pauefcerent.

* Quippe viribus cohortium abductis, Vitellius e proximis Neruiorum Germanorumq. pagis, ſegnem numerum armis onerauerat. Ciuilis dolo graſſandum ratus, incuſauit vltro præfectos, quòd caſtella deſeruiſſent: ſe cum cohorte, cui præerat, Canineſatem tumultum compreſſurum. illi, ſua quiſque hiberna, repeterent.

RERVM nouarum aſſertatores dolum vi adiungere ſemper ſolent. Neutrum enim per ſe valet.

Subeſſe fraudem conſilio,

FRAVS, quæ ſtatim indicijs erumpit, multum operari non poteſt. Et hinc cerni poteſt, quàm lubrica res ſit, conſilio alterius uti, vel indigere.

& diſperſas cohortes facilius opprimi,

FACILIVS opprimuntur hoſtes diſperſi, quàm congregati.

nec Brinionem ducem eius belli, ſed Ciuilem eſſe patuit: erumpentibus paulatim indicijs, quæ Germani læta bello gens,

FERE ſemper læti, & hilares natura, loquaces ſunt, & male arcana retinent. Et hoc Phyſicorum etiam dogmatibus conſonat.

non diu occultauerant.

NON poſſe arcana occultare, maxime refert. Et hæc eſt omnium pernicies ſocietatum & amicitiarum: non poſſe arcana reticere.

Vbi inſidiæ parum ceſſere, ad vim transgreſſus, Canineſates, Friſios, Batauos proprijs cuneis componit.

SIC agunt ſtrenui, & experti viri. Cum vis non ſuccedit, inſidias moliri. Et vbi hæ parum cedunt, ad vim tranſgredi.

directa ex diuerſo acies, haud procul a flumine Rheno, & obuerſis in hoſtem nauibus, quas incenſis caſtellis illuc appulerant. nec diu certato, Tungrorum cohors ſigna ad Ciuilem tranſtulit. Perculſiq. milites improuiſa proditione, a ſocijs hoſtibusq. cædebantur.

QVAE nobis improuiſa accidunt, magis percellunt. Sic ſupra lib. xv. Annal. Nihil aduerſus hoc Neroni prouiſum: & quæ ſequuntur.

Eadem etiam nauibus perfidia. Pars remigum e Batauis, tamquam imperitia, officia nautarum propugnatorumq. impediebant.

TVNC vere eſt ineuitabilis proditio, cum ab his fit, quibus & quorum in manu & opera ſalus tua innititur.

mox contra tendere, & puppes hoſtili ripæ obijcere. ad poſtremum gubernatores centurionesq. niſi eadem volentis, trucidant. donec vniuerſa quattuor & viginti nauium claſſis, transfugeret, aut caperetur. Clara ea victoria in præſens, in poſterum vſui:

DE omnibus victorijs hoc fere poteſt dici: quòd in ſe claræ ſunt ad præſens: & in poſterum vſui. Augent enim exiſtimationem. Qua nituntur res omnes mortalium, præſertim Principum. Et ſolertis ſemper eſt ibi eſſe, vbi acquiritur victoria.

armaq. & naues, quibus indigebant, adepti, magna per Germanias Galliasq. fama, libertatis auctores celebrabantur.

CVM rerum nouatoribus prima auſa feliciter ſuccedunt, magnam inde acquirunt & famam & celebritatem. Inſuper augent vires: multi enim, qui ſe caſibus ſtatim dare non volunt, cum cernunt innouationes proſpere cedere, cuntatione abiecta, partes ſequuntur.

Germaniæ ſtatim miſere legatos, auxilia offerentes. Galliarum ſocietatem, Ciuilis arte donisq. affectabat, captos cohortium præfectos ſuas in ciuitates remittendo: cohortibus abire an manere mallent, data poteſtate. manentibus, honorata militia; digredientibus, ſpolia Romanorum offerebantur.

QVI amicitiam, & ſocietatem alicuius affectat, is recte aget, ſi officijs & muneribus illum demereri incipiat. Deuinciuntur enim hominum animi his modis. Quos callide admodum exercuit Ciuilis, vere, vt ſupra dixit Auctor, vltrà quàm Barbaris ſolitum, ingenio ſolers.

Simul, ſecretis ſermonibus, admonebat malorum, quæ tot annis perpeſſi, miſeram ſeruitutem falsò pacem vocarent.

NOMINE pacis ſæpe vocatur miſera ſeruitus.

Batauos, quamquam tributorum expertes, arma contra communes dominos cepiſſe.

ARGVMENTVM eſt hoc de minori ad maius. Si enim ego, qui tributorum ſum expers, pro libertate publica arma contra communes hoſtes capio: quanto magis id te facere conuenit, cui durum iugum, & oneroſum impoſitum eſt? Et notanda eſt in omnibus ſermonibus, Ciuilis efficax & pluſquam militaris eloquentia: vt iam ſimile de Gaſtone Foxio tradit Guic. in Hiſt.

prima acie, fuſum victumq. Romanum. quid ſi Galliæ iugum exuant? quantum in Italia reliquum? prouinciarum ſanguine prouincias vinci.

CLARE hoc noſtris temporibus pro PHILIPPO Rege Hiſpaniarum in Belgis vidimus ab ALEXANDRO FARNESIO Placentiæ & Parmæ Duce geri conſpicimus. Qui prouinciarum ſanguine prouincias vincit, & domat.

ne Vindicis aciem cogitarent. Batauo equite, protritos Æduos Aruernosq. fuiſſe inter Verginij auxilia, Belgas. vereq. reputantibus, Galliam ſuiſmet viribus concidiſſe.

ET hoc hodie videmus luce clarius: Galliam ſuiſmet viribus concidere. Qui enim vere reputabit annorum proxime elapſorum ſeriem, hoc veriſſimum videbit.

Nunc eaſdem omnium partes, addito ſi quid militaris diſciplinæ in caſtris Romanorum viguerit. eſſe ſecum veteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint.

Seruirent

Seruirent Syria, Aſiaq. & ſuetus regibus Oriens: multos adhuc in Gallia viuere, ante tributa genitos.

PAVCA eum difficultate ſubiguntur gentes, quæ ſeruire conſueuerunt: ſed qui ſemper cum libertate vixerunt, hi difficillime ſuperantur: & ſuperati, in fide difficilius retinentur. Libertatis enim memoria ad omne temporis momentum illorum in manibus arma miniſtrat. Hinc eſt, quòd Romani, qui orbem totum ſexcentorum annorum ſpatio ſuperarunt, in Italia ſola ſuperanda 450. annos conſumpſerunt: cum in reliqua parte 550. annos tantum conſumpſerint. Et hac de cauſſa facile fuit Alexandro Macedoni tanta celeritate tam claras & inſignes adipiſci victorias. Cum gentibus enim ſeruitio aſſuetis belligerauit.

Nuper certe cæſo Quinctilio Varo, pulſam e Germania ſeruitutem. Nec Vitellium principem, ſed Cæſarem Auguſtum bello prouocatum. Libertatem natura, etiam mutis animalibus datam.

LIBERTAS natura etiam mutis animalibus eſt data. Iure enim naturali, vt inquiunt Iuriſconſulti, omnes liberi naſcebantur. Sed vnde incœperint ſeruitutes, quo modo iuramentum acceperint, & quot genera earum fuerint: vide Ariſtotel. diffuſe tractantem per totam Politicam.

Virtutem proprium hominis bonum.

VIRTVS proprium eſt hominis bonum. Proprium eſt id, quod cum nemine alicui eſt commune. Vnde, cum bruta animantia huius tam præclari muneris expertes ſint, ſoli homines proprio iure ſibi id vindicant. Sic facerent Dei, vt ipſum excolerent; nec potius illo non vtendo, cum belluis ſe communicarent.

Deos fortioribus adeſſe.

DEI fortioribus adſunt. Rerum euentus magnarum Deo attribuuntur: vnde cum ſæpius, qui fortiter agunt, res ſecundum ſuam ſententiam feliciter ad exitum perducunt, hinc dicitur, Deos fortioribus adeſſe. Sicut etiam ille: Audaces fortuna iuuat, Pro audacibus fortes intelligendo, dixit. Vide de hac re Xenophontem in Pædia Cyri per totum.

Proinde arriperent vacui, occupatos; integri, feſſos.

ADVERSVS occupatos vacui multum opportunitatis habent; & idem integris euenit contra feſſos.

dum alij Veſpaſianum, alij Vitellium foueant, patere locum aduerſus vtrumque.

CVM Reſpublica inter duos diſtrahitur, tunc rebus nouandis pulcherrima datur occaſio. Et ſic ſupra: Sed cum diſcordes agunt, accitus in partes valeſcit.

Sic in Gallias Germaniasq. intentus, ſi deſtinata proueniſſent, validiſſimarum ditiſſimarumq. nationum regno imminebat.

SEMPER obtentu libertatis, rerum nouarum auctores regno prouinciarum imminent. Obtentum illum autem ſumunt, vt fauorem apud populos nanciſcantur. Apud quos, vt ſupra de Arminio obſeruauimus, pro libertate bellantes, accepti ſunt & chari.

At Flaccus Hordeonius, primos Ciuilis conatus, per diſſimulationem aluit.

CRIMEN magnum eſt in duce illo, qui per diſſimulationem alit primos conatus inimicorum. Sic ſupra de Sabino cum morti daretur, inquit Auctor: Conſcientia belli Sacrouir diu diſſimulatus, & victoria per auaritiam fœdata crimine dabantur.

Vbi expugnata caſtra, deletas cohortes, pulſum Batauorum inſula Romanum nomen, trepidi nuncij afferebant: Mumium Lupercum legatum, is duarum legionum hibernis præerat, egredi aduerſus hoſtem iubet.

SERO ſapiunt Phryges: eſt in Adagio: & vt Italicum melius ſonat: Bobus amiſſis, clauditur ſtabulum.

Lupercus legionarios e præſentibus, Vbios e proximis, Treuerorum equites, haud longe agentes, raptim tranſmiſit: addita Batauorum ala, quæ iam pridem corrupta, fidem ſimulabat, vt proditis in ipſa acie Romanis, maiore pretio fugeret.

NOTANDA eſt hac inſignis fraudis ſpecies. Qui nobis proditionem moliuntur, etſi ſunt corrupti, tamen fidem ſimulare ſolent, vt maiore pretio in vrgente noſtra neceſſitate nos deſerendo, proditionem efferant, & promant.

Ciuilis captarum cohortium ſignis circumdatus,

OBSERVANDA eſt hac Ciuilis ſolertia, vt diſcant duces exercituum, omnia illis agenda eſſe, per qua recenti gloria ſuos confirment, & hoſtes memoria cladis terreant.

vt ſuo militi recens gloria ante oculos, & hoſtes memoria cladis terrerentur,

DVBIVM non eſt, nobis ſpiritus augeri ex recenti gloria, & pauorem incuti memoria cladis.

matrem ſuam ſororesq. ſimul omnium coniuges paruosq. liberos, conſiſtere a tergo iubet:

HVIC rei ſimile habemus apud Plutarchum, de Cohorte illa Lacademoniorum, qua ex amatoribus inter ſe conſtabat. Qui ordo ex amore & beneuolentia conſtitutus, nimirum firmior & ſtabilior efficitur, cum & qui amant, & qui amantur, facile pro ſe quiſque praſenti animo ad pericula perſiſtunt. Et ſemper inuictus hic ordo extitit vſque ad pugnam, quam in Charonia geſſerunt. Vbi eum Philippus omnes trucidatos conſpexiſſet; traditur lacrymaſſe, ac dixiſſe: Pereant male, qui hos quidquam facere aut pati turpe exiſtimant. Conciderant enim fortiſſime appoſiti quiſque iniectis haſtis, ac inter ſe inter anguſtiſſima ſpatia confecti. Plutarchus in Pelopida vita.

hortamenta victoriæ, vel pulſis pudorem.

CONIVGES, & liberi ſunt militibus hortamenta victoria, & illis pulſis pudor.

Vt virorum cantu, feminarum vlulatu, ſonuit acies: nequaquam par a legionibus, cohortibusq. redditur clamor. Nudauerat ſiniſtrum cornu Batauorum ala transfugiens, ſtatimq. in nos verſa:

CONSONAT hoc illi, quod ſupra proxime dixit: Corrupta fidem ſimulabat, vt proditis ipſa in acie Romanis, maiore pretio fugeret.

ſed legionarius miles, quamquam rebus trepidis, arma ordinesq. retinebat. Vbiorum Treuerorumq. auxilia, fœda fuga diſperſa, totis campis palantur. Illuc incubuere Germani. Et fuit interim effugium legionibus, in caſtra, quibus Veterum nomen eſt. Præfectus alæ Batauorum, Claudius Labeo, opidano certamine æmulus Ciuili, ne interfectus inuidiam apud populares, vel ſi retineretur, ſemina diſcordiæ præberet, in Friſios auehitur.

NOTANDVM eſt hoc remedium opportunum, quod a Ciuili in perſona Claudij Labeonis adhibitum eſt. Qui ſi interficiebatur, inuidiam apud populares; ſi retinebatur, ſemina diſcordia prabuiſſet: & vtrumque maximi damni cauſſa erat. Ideo prudenter eum alio auectus eſt. Sieq. & inuidiam apud populares, & diſcordiam apud ſuos euitauit.

Iiſdem diebus Batauorum & Caninefatium cohortes, cum iuſſu Vitellij in vrbem pergerent, miſſus a Ciuile nuncius aſſequitur.

MAXIMA vigilantia requiritur in eo, qui innouare res audet; & omnia tentare, aggredi, vt ſuam partem validiorem efficiat.

Intumuere ſtatim ſuperbia ferociaque;

PRODITORVM, & ſuperborum eadem ferme eſt natura; vt tumeſcant, & inſolenter ſe gerant. Sic ſupra lib. 3. Hiſt. de Cacinna loquens, inquit: Aſpernantem, tumentemq. &c.

& pretium itineris, donatiuum, duplex ſtipendium, augeri equitum numerum, promiſſa ſane a Vitellio, poſtulabant; non vt aſſequerentur, ſed cauſſam ſeditioni.

OCCASIONES quarit, qui vult recedere ab amico: inquit Sapiens, Prouerb. xvij. Sic hi milites poſtulabant multa, non vt aſſequerentur, ſed cauſſam ſeditionis.

Et Flaccus multa concedendo, nihil aliud effecerat, quàm vt acrius expoſcerent, quæ ſciebant negaturum.

OPTIMVM eſt remedium pro his, qui nimia, & multa petunt: aliquid negare incipere. Nam omnia concedendo, non extinguitur, ſed accenditur ſitis cupientium: & obſeruent hoc Principes.

Spreto Flacco, inferiorem Germaniam petiuere, vt Ciuili iungerentur. Hordeonius, adhibitis tribunis centurionibusq. conſultauit, num obſequium abnuentes vi coerceret.

SI facultas adeſt, dubium non eſt, quòd milites abnuentes obſequium ſunt vi coercendi. Exemplum enim illorum totum exercitum corrumpit.

Mox inſita ignauia, & trepidis miniſtris, quos ambiguus auxiliorum animus, & ſubito delectu ſuppletæ legiones angebant, ſtatuit continere intra caſtra militem:

SI dux & Princeps erit ignauus, etiam miniſtri ſemper erunt trepidi. Nam, vt ſupra lib. 2. Hiſt. inquit Auctor: Legati tribuniq. ex moribus imperatorum ſeueritatem æmulantur, vel &c.

Dein pœnitentia, & arguentibus ipſis, qui ſuaſerant, tamquam ſecuturus,

VIDE inconſtantiam conſilij, & mobilitatem. Quæ ſemper vi duci eſt indecora, ſic & perniciem numquam non ſolet afferre.

ſcripſit Herennio Gallo, legionis primæ legato, qui Bonnam obtinebat, vt arceret tranſitu Batauos: ſe cum exercitu, tergis eorum hæſurum. Et opprimi poterant, ſi hinc Hordeonius, inde Gallus, motis vtrimque copijs, medios clauſiſſent. Flaccus omiſit incœptum, alijsq. litteris Gallum monuit, ne teneret abeuntes.

SIMILE hoc celebri illi Themiſtoclis dicto: Inimicis pontes aurei ſternendi ſunt. Plutarchus in eius vita.

Vnde ſuſpicio, ſponte legatorum excitari bellum:

NON eſt a veriſimile aliena ſuſpicio fraudis in eo duce, qui cum poteſt bellum extinguere, illum non ſedat, immo excitat.

quin cuncta, quæ acciderant, aut metuebantur, non inertia militis, neque hoſtium vi, ſed fraude ducum euenire.

PRINCEPS, qui res ſuas, & imperij decus fidei miniſtri alicuius cum exercitu committit, vt bellum cum hoſtibus gerat: magis timere debet a fraude miniſtri, quàm ab inertia militum, vel vi hoſtium. Et notanda ſunt hæc propria & diſtincta vocabula: nempe in militi proprio perniciosa eſt inertia, in hoſte vis, in duce fraus.

Batavi, cum caſtris Bonnenſibus propinquarent, præmiſere, qui Herennio Gallo mandata cohortium exponerent. Nullum ſibi bellum aduerſus Romanos, pro quibus toties bellaſſent. Longa atque inrita militia feſſis, patriæ atque otij cupidinem eſſe. Si nemo obſiſteret, innoxium iter fore: ſin arma occurrant, ferro viam inuenturos.

IN hunc ferme modum CAROLVS VIII. Gallorum Rex, cum Tarum tranſire vellet cum exercitu, legationem ad Confederatos Italiæ miſit: & talia mandata dedit. Vide Guicciardinum lib. ij. Hiſt.

Contantem legatum milites perpulerant, fortunam prælij experiretur.

MALE ſe habet exiſtimatio, & auctoritas Principis, & ducis cum ſubditis & militibus; cum ille ab ipſis perpellitur. Regunt enim hoc modo qui regi deberent, & regitur, quem regere conueniret.

Tria millia legionariorum, & tumultuariæ Belgarum cohortes, ſimul paganorum lixarumq. ignaua, ſed procax ante periculum manus,

HOMINES ante periculum procaces, ſunt in periculo poſtea ignauiſſimi. Huc pertinet, quod ſupra lib. i. Hiſt. cum de Galba loquitur, inquit: Ignauiſſimus quiſque, & vt res docuit, in periculo non auſurus nimij verbis, & lingua feroces: & quæ ſequuntur.

omnibus

omnibus portis erumpunt, vt Batauos numero impares circumfundant. Illi veteris militię memores, in cuneis congregantur, denſi vndique, & frontem tergaq. ac latus tuti. Sic tenuem aciem noſtrorum perfringunt.

SEMPER denſa acies, cum ad manus venerit, & pugnam conſeuerit; perfringet aciem tenuem.

Cedentibus Belgis, pellitur legio, & vallum portasq. trepidi petebant. Ibi plurimum cladis. cumulatæ corporibus foſſæ. nec cæde tantum & vulneribus, ſed ruina, & ſuis plerique telis interiere.

IN fuga trepida ſæpe victi milites intereunt non tantum cæde & vulneribus ab hoſte illatis, quàm ruina & proprys telis: præſertim ſi a tergo fugientium ſint foſſa, & locorum anguſtia.

Victores, colonia Agrippinenſium vitata, nihil cetero in itinere hoſtile auſi, Bonnenſe prælium excuſabant: tamquam petita pace, poſtquam negabatur, ſibimetipſi conſuluiſſent.

EA, quæ nobis conflare inuidiam apud ceteros poſſunt, ſunt nobis excuſanda, tametſi admiſſa noſtra culpa non fuerint. Suſpicio ſola enim etiam maximi damni ſolet eſſe.

Ciuilis aduentu veteranarum cohortium, iuſti iam exercitus ductor, ſed conſilij ambiguus, & vim Romanam reputans, cunctos, qui aderant, in verba Veſpaſiani adigit.

ADMIRANDA ſolertia fuit hac Ciuilis: qui etſi eſſet iuſti exercitus ductor, tamen vi Romanæ adhuc impar; adegit milites in verba Veſpaſiani: & hoc nomine rebellionis crimen prætexuit: & hoc commodum potuit facere, cum Vitellius etiamnum viueret. Quo mortuo, poſtea aperte contra Veſpaſianum arma ſumpſit. Simile fecit impius, & infidus Aurantius temporibus noſtris: qui etſi in PHILIPPVM Regem arma ſumebat, tamen palam ſe eius fidum ſubditum profitebatur.

Mittitq. legatos ad duas legiones, quæ priore acie pulſæ, in vetera caſtra conceſſerant, vt idem ſacramentum acciperent. Redditur reſponſum, neque proditoris, neque hoſtium ſe conſilijs vti.

NOTABILE, & magnanimum reſponſum, & prudentiæ congruum. Conſilia enim qui dare debent, nobis & beneuoli ſint oportet, & probi viri. Porro a proditoribus, & hoſtibus nihil tale euenire poteſt. Simile quiddam legitur de FRANCISCO I. Galliarum Rege; qui, cum apud Ticinium re male geſta, ab inimicis circumdaretur, & illum Carolus Borbonius ſuaderet, vt ſe illi dederet: reſpondit regie & magnanime admodum: Numquam me proditori tradam. Guic. & Iouius.

Eſſe ſibi Vitellium principem, pro quo fidem & arma vſque ad ſupremum ſpiritum retenturos.

CVIVSCVMQVE militis & ſubditi proprium eſſe hoc deberet: Retinere nempe fidem & arma pro ſuo Principe vſque ad ſupremum ſpiritum.

proinde perfuga Batauus arbitrum rerum Romanarum ne ageret, ſed meritas ſceleris pœnas exſpectaret.

INDIGNVM eſt, conſpicere aliquem flagitioſum & ſceleſtum; qui cum meritas ſceleris pœnas expectare debeat, tamen agere velit arbitrum rerum.

Quæ vbi relata Ciuili, incenſus ira, vniuerſam Batauorum gentem in arma rapit.

NEC mirum: Accendimur enim ira maxime in eos, qui nos contemnunt, vel paruipendunt. Ariſt. in 2. Rhetorices.

Iunguntur Bructeri Tencteriq. & excita nuncijs Germania, ad prædam famamq.

FERE ſemper Germani ad famam & prædam e ſuis ſedibus exire ſolent. Noſtris temporibus Caſimirus Dux e Germania hac potiſſimũ de cauſſa in Belgium iuit, & aduerſus PHILIPPVM Regem militauit. Vnde repetendum hic eſt, quod multoties diximus. Rerum, locorum, & perſonarum no-

narum nomina tantum a tempore & ſaculis mutari: ſed naturas, qualitates & conditiones eaſdem fere ſemper eſſe ſolere.

Aduerſus has belli concurrentis minas, legati legionum, Mumius Lupercus, & Numiſius Rufus, vallum muroſq. firmabant. ſubuerſa longæ pacis opera: haud procul caſtris in modum municipij exſtructa, ne hoſtibus vſui forent.

A*D diſciplinam militarem hoc pertinet. Et ſimile feciſſe Patauij Nicolaum Vrſinum Pitiliani Comitem legitur, cum obſidio vrbis eius a* MAXIMILIANO *Imperatore expectaretur.*

Sed parum prouiſum, vt copiæ in caſtra conueherentur; rapi permiſere. Ita paucis diebus per licentiam abſumpta ſunt, quæ aduerſus neceſſitates in longum ſuffeciſſent.

M*AXIMA cura duci exercitus, cum obſidionem timet, debet eſſe, tam prouidendi, vt annonæ maxima copia in vrbem, ſiue locum, vbi obſideri debet, conuehatur: quàm in curando, vt diligenter diſtribuatur, & eam militibus impartiantur miniſtri ad id muneris electi. Ne interueniat damnum hoc, vt paucis diebus per licentiam abſumantur illa, quæ aduerſus neceſſitates in longum ſuffeciſſent. Et experientia vidimus aliqua loca, & oppida ob penuriam commeatuum in hoſtium manus deueniſſe: qui eis alioquin numquam potiti fuiſſent.*

Ciuilis medium agmen cum robore Batauorum obtinens, vtramque Rheni ripam, quo truculentior viſu foret, Germanorum catervis complet, aſſultante per campos equite.

E*XERCITVVM duces etiam in his, quæ ſolam ſpeciem habent, adhibere diligentiam debent, vt hoſtibus maiorem terrorem iniiciant.*

Simul naues in aduerſum amnem agebantur. Hinc veteranarum cohortium ſigna, inde depromptæ ſiluis luciſq. ferarum imagines, vt cuique genti inire prælium mos eſt, iuxta belli ciuilis externiq. facie obſtupefecerant obſeſſos. & ſpem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus ſitum, vix quinque millia armatorum tuebantur.

N*ON tute agitur pro obſeſſis, cum amplitudo valli maior eſt, quàm eorum numerus id tueri poſſit. Et hac de cauſſa multa loca amittuntur.*

Sed lixarum multitudo, turbata pace, illuc congregata, & bello miniſtra aderat. Pars caſtrorum, in collem leniter aſſurgens, pars æquo adibatur. quippe illis hibernis, obſideri premiq. Germanias Auguſtus crediderat: neque vmquam id malorum, vt oppugnatum vltro legiones noſtras venirent.

S*OLEBAT dicere Scipio Africanus, turpe eſſe in re militari dicere: Non putaram: videlicet quia explorato, & excuſſo conſilio, quæ ferro aguntur, adminiſtrari oportere arbitrabatur ſumma ratione Val. Max. lib. 7. cap. 2. Huc quadrat quod Auctor hic de Auguſto tradit.*

Inde non loco, neque munimentis labor additus. Vis & arma ſatis placebant. Bataui, Transrhenaniq. quo diſcreta virtus manifeſtius ſpectaretur, ſibi quæque gens conſiſtunt, eminus laceſſentes.

I*N multitudinis numero, virtus ſingulorum occultatur: ideoque ſi quiſque ſibi conſiſtit, diſcreta virtus manifeſtius ſpectatur. Sic ſupra lib. 3. Hiſt. de Primo loquens, inquit: Vt diſcretus labor fortes, ignauoſq. diſtingueret: & quæ ſequuntur.*

Poſt vbi pleraque telorum turribus pinniſq. mœnium inrita hærebant, & deſuper ſaxis vulnerabantur; clamore atque impetu, inuaſere vallum. Appoſitis plerique ſcalis, alij per teſtudinem ſuorum, ſcandebant iam quidam; cum gladijs & armorum incuſſu præcipitati, ſudibus & pilis obruuntur, præferoces initio, & rebus ſecundis nimij.

S*EMPER breui langueſcunt, qui ab initio in bellis ſunt præferoces, vt rebus ſecundis nimij. Idem ſupra non ſemel tradidit Auctor.*

Sed tum prædæ cupidine, aduerſa quoque tolerabant.

M*ILITIBVS maius incitamentum ad fortiter pugnandum dari non poteſt, quàm ſpes prædæ. Nam eius cupidine, aduerſa quoque tolerant. Sic ſupra de Primanis ſub Cremonam, inquit: Et vulnera, & ſanguis auiditate prædæ penſabantur.*

Machinas

Machinas etiam, inſolitum ſibi, auſi.

CONTRARIVM noſtris temporibus vidimus de hac gente, cum aduerſus PHILIPPVM Regem belligerabant. Talia enim, & tanta machinarum genera, etiam ſub aquis, inuenerunt, & exercuerunt; vt hinc ſicut maximum periculum non ſemel ALEXANDRO FARNESIO Placentiæ & Parmæ Duci pro Rege Catholico earum copiarum ſummo Præfecto, attulerunt: ſic & incomparabilem gloriam, deuicti, & omnibus aſtibus, & machinis fruſtrati, repererunt.

nec vlla ipſis ſolertia,

MOS gentis eſt hic: ſupra ſic de Ciuile: Sed Ciuilis vltra quàm Barbaris ſolitum, ingenio ſolers.

perfugæ captiuiq. docebant ſtruere materias in modum pontis, mox ſubiectis rotis propellere: vt alij ſuperſtantes, tamquam ex aggere præliarentur: pars intus, occulti muros ſubruerent. Sed excuſſa baliſtis ſaxa, ſtrauere informe opus. & crates vineasq. parantibus, adactæ tormentis ardentes haſtæ. vltroq. ipſi oppugnatores ignibus petebantur: donec deſperata vi, verterent conſilium ad moras, haud ignari paucorum dierum ineſſe alimenta, & multum imbellis turbæ.

GENERALE dogma in omnibus oppugnationibus hoc debet exiſtimari: Vt cum vis eſt deſperata, vertatur conſilium ad moras: præſertim cum certo ſcitur, in loco, qui oppugnatur, paucorum dierum ineſſe alimenta, & multum imbellis turbæ.

Simul ex inopia proditio, & fluxa ſeruitiorum fides, ac fortuita belli ſperabantur.

NOTANDA ſunt hæc tria, quæ in bellis ſæpiſſime eueniunt; præſertim, cùm obſidionibus vel oppugnationibus res aguntur. Nempe: Ex inopia proditio euenire ſolet: fluxa conſueuit eſſe ſeruitiorum fides: Et belli fortuita multum valent.

Flaccus interim, cognito caſtrorum obſidio, & miſſis per Gallias, qui auxilia concirent, lectos legionibus Dillio Voculæ duoetviceſimæ legionis legato tradit, vt quàm maximis per ripam itineribus celeraret. Ipſe pauidus torpere, inuiſus militibus.

AMITTIT penitus auctoritatem apud exercitum, & milites, dux, qui pauoris ſigna præfert, & torpet. Immo non ſolum deſpiciendus, ſed & inuiſus euadit.

neque enim ambigue fremebant, emiſſas a Maguntiaco Batauorum cohortes, diſſimulatos Ciuilis conatus,

SIC ſupra de Sabino cum Iulio Sacrouiro idem: lib. 4. Annal.

acciti in ſocietatem Germanos. non Primi Antonij, neque Muciani ope Veſpaſianum magis adoleuiſſe. aperta odia, armaq. palam depelli: fraudem & dolum, obſcura, eoq. ineuitabilia.

ODIA aperta, armaq. depelluntur; fraus, & dolus ſunt fere ineuitabilia. Concluditur hæc de cauſſa ab omnibus prudentibus, nulla inter humanas adeo arduam geri prouinciam, ac negocium tanti momenti, quàm ductari exercitus, ac proſpere bellum gerere. Infinita enim ſunt, quæ proſpicere debet Imperator exercitus: præcipue hoc, quod hic dicitur: nempe fraudes, & dolos hoſtium aut euitare, aut alijs dolis ſuperare. Sed quàm fraus ac dolus ab hominum natura maxime abhorreat; & contra, quàm excuſabilia ſint vis, & arma aperta, præter alios grauiſſimos auctores, luculenter declarat Dio in oratione elegantiſſima Agrippæ ad Auguſtum lib. 52. quem videte. Certe nulla maior peſtis eſt, quàm domeſticus inimicus. Ab hoſte vero in bello iuſtum eſſe inſidias hoſti tendi, vt alia exempla omittam, ſacræ litteræ declarant, in perſona Ieſu Naue Reg. 3. Cui a DEO præceptum eſt, quo modo eas aduerſus hoſtem locare deberet.

Ciuilem ſtare contra, ſtruere aciem; Hordeonium, e cubiculo & lectulo, iubere quidquid hoſti conducat.

CVBICVLVM, & lectulus mollibus, & effeminatis conuenit: ſed duci exercituum, ignominiam & dedecus affert. Qui ſemper in ore militum, & vulgi verſari deberent. Idem ſupra lib. 3. Hiſt. pag. 541. reprehendit in Vitellio Auctor, inquiens: Atque illum in Aricino nemore

deſidem

deſidem & marcentem: & paulo ſuperius. Non in ore vulgi agere, ſed vmbraculis hortorum abditus: & quæ ſequuntur.

Tot armatas fortiſſimorum virorum manus, vnius ſenis valetudine regi.

ETSI iuuentutis decor, & robur corporis maxime in duce exercitus referunt: tamen ſæpe etiam viſi ſunt & ſenes, & inualidos, regere potuiſſe armatas fortiſſimorum virorum manus; & egregias de hoſtibus victorias retuliſſe. Vt in Antonio Sana Hiſpano, CAROLI V. Imperatoris Duce exemplum patuit: qui & pedibus æger, & toto corpore debilitatus, & ſenex, tamen ſella ſemper inter milites impoſitus, omnia fortiſſimi, & ſtrenui ducis munia implebat: præcipua enim vis Imperatoris conſiſtit non in corporis robore, ſed in vi conſilij & ingenij ac mentis acutate.

Quin potius interfecto traditore, fortunam virtutemq. ſuam malo omine exſoluerent. His inter ſe vocibus inſiſtentes, flammauere inſuper allatæ a Veſpaſiano litteræ, quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro concione recitauit:

OBSERVA hoc lector: Quæ occultari nequeunt, illa ne ſupprime: ſuſpicionem enim de te augebis, & damnum acquires.

vinctosq. qui attulerant, ad Vitellium miſit. Sic mitigatis animis, Bonnam, hiberna primæ legionis ventum. Infenſior illic miles, culpam cladis in Hordeonium vertebat: eius iuſſu directam aduerſus Batauos aciem, tamquam a Magontiaco legiones ſequerentur: eiuſdem proditione cæſos, nullis ſuperuenientibus auxilijs. Ignota hæc ceteris exercitibus, neque imperatori ſuo nunciari: cum accurſu tot prouinciarum, exſtingui repens perfidia potuerit.

PERFIDIA, & prouinciarum rebellio, dum repens eſt, debet & poteſt extingui.

Hordeonius exemplaria omnium litterarum, quibus per Gallias Britanniamq. & Hiſpanias auxilia orabat, exercitui recitauit: inſtituitq. peſſimum facinus, vt epiſtolæ Aquiliferis legionum traderentur, a quis ante militi quàm ducibus legebantur.

EQVIDEM eſt peſſimum facinus in caſtris, vt epiſtola tradantur Aquiliferis legionum, & exercitus; a quis ante militi quàm ducibus legantur. Et hoc modo breui corrumpitur exercitus. Nam, vt ſupra in Othonis perſona lib. 1. Hiſt. pag. 474. dixit: Parendo potius commilitones, quàm imperia ducum ſciſcitando, res militares continentur: & quæ habentur in tota illa oratione, quæ mirifice huic loco congruit.

Tum e ſeditioſis vnum vinciri iubet, magis vſurpandi iuris, quàm quia vnius culpa foret.

CVM dubitatur de imperio, & auctoritate ſuperioris erga ſubditos, vel inferiores: tunc ſolet expedire aliquid contra eorum aliquem agere magis vſurpandi iuris gratia, quàm quia illius culpa ſit. Sic experientia vidimus, nonnullos Comarchos, cum de illorum iuriſdictione erga ſuos ſubditos diſputatio orta eſſet cum Principe: aliquem illorum, cui ignoſci alioquin poterat, ob mediocre delictum vltimo ſupplicio affeciſſe.

Motusq. Bonna exercitus in coloniam Agrippinenſem: affluentibus auxilijs Gallorum, qui primo rem Romanam enixe iuuabant. Mox valeſcentibus Germanis, pleræque ciuitates aduerſum nos armatæ, ſpe libertatis: & ſi exuiſſent ſeruitium, cupidine imperitandi.

VERISSIMVM eſt, credi non debere his, qui amore libertatis, odio proſequi Tyrannos profitentur, & aſſeuerant. Obtentus eſt enim hic ferme ſemper occulta cupiditatis imperitandi. Nam ſi dominationem excuſſerint, ipſi eam inuadent. Et memini, me quondam a quodam magno & celebris experientia viro audiſſe: Paucos in orbe terrarum reperiri adeo mente & animo compoſitos, & humana deſpicientes: quibus non arrideant dominationes, & potentia: ad quas, dum videant occaſionem offerri, citatiſſimo curſu non contendant.

Gliſcebat iracundia legionum, nec terrorem vnius militis vincula indiderant.

SICVT remedia numquam acriora eſſe debent, quàm mala requirant: ſic & a lenioribus, quàm res & occaſio poſtulet, abſtinendum eſt. Erunt enim ſimilia, paruæ humoris quantitati ſuper magnum

magnum ignem compoſitæ: qua extinguendi vice magis illum accendere ſolet. Prudentia ergo in hac re, & iudicium ingens adhibeat, qui regit, oportet.

quin idem ille arguebat vltro conſcientiam ducis: tamquam nuncius inter Ciuilem Flaccumq. falſo crimine, teſtis veri opprimeretur.

N*OTA hoc: & ſæpe fieri conſueuit; vt a deliquentibus & ſceleſtis, teſtis veri falſo crimine opprimatur. Simile ſupra lib. ij. Annal. pag. 114. habes: de Remmio euocato eum Vonone: Vnde maior fides, conſcientia ſceleris & metu indicij mortem Vononi illatam.*

Conſcendit tribunal Vocula, mira conſtantia, prehenſumq. militem ac vociferantem duci ad ſupplicium iuſſit.

D*VCIS conſtantia in exercitu tumultuante, & malos retinet, & ſeditioſos compeſcit. Et hac conſtantia & animo in oratione, & ſermone multum vim habet. Sic ſupra lib. vi. Annal. de M. Terentio loquens, inquit: Conſtantia orationis: & quæ ſequuntur.*

Et dum mali pauent; optimus quiſque iuſſis paruere.

I*N ſeditioſo exercitu, ſi mali pauent, optimus quiſque ſemper iuſſis ducis parere ſolet. Proinde in illis coercendis, magnam impendat dux operam.*

Exin, conſenſu, ducem Voculam poſcentibus, Flaccus ſummam rerum ei permiſit.

A*MANT milites duces illos, qui apprime bellicoſi, & rei militaris periti ſunt. Sub illis enim & prædarum, & gloriæ magnam vim ſibi ipſis comparari poſſe ſperant: quæ ſunt duo acerrima pro omni genere militum incitamenta.*

Sed diſcordes animos multa efferebant, inopia ſtipendij frumentiq. & ſimul dilectum tributaq. Galliæ aſpernantes: Rhenus, incognita illi cælo ſiccitate, vix nauium patiens: arti commeatus: diſpoſitæ per omnem ripam ſtationes, quæ Germanos vado arcerent: eademq. de cauſſa minus frugum, & plures, qui conſumerent.

N*OTANDA ſunt hæc omnia, ob quæ efferebantur diſcordes militũ Romanorum animi. Tanta enim erant, vt etiam concordem & maxime compoſitum exercitum, accendere potuiſſent.*

Apud imperitos prodigij loco accipiebatur ipſa aquarum penuria, tamquam nos amnes quoque, & vetera imperij munimenta, deſererent. quod in pace fors, ſeu natura: tunc fatum & ira dei, vocabatur.

P*OSSVNT apud imperitos multum prodigia & omina, etſi per ſe inania & fallacia. Ideo loco & tempore debet dux illis in ſui commodum vti, Sic ſupra lib. i. Annal. pag. 28. de luna defectu in Pannonico exercitu, inquit: Vtendum inclinatione ea Cæſar, & quæ caſus tulerat, in ſapientiam vertenda ratus: & quæ ſequuntur.*

Ingreſſis Noueſium, tertiadecima legio coniungitur. Additus Voculæ in partem curarum, Herennius Gallus, legatus: nec auſi ad hoſtem pergere, loco Gelduba nomen eſt, caſtra fecere. Ibi ſtruenda acie, muniendo vallandoq. & ceteris belli meditamentis militem firmabant.

F*IRMATVR miles meditamentis belli, & exercitio: vt econuerſo otio & deſidia langueſcit, & corrumpitur.*

Vtq. præda ad virtutem incenderetur, in proximos Gugernorum pagos, qui ſocietatem Ciuilis acceperant, ductus a Vocula exercitus.

A*D virtutem incendi ſolet præda miles: ſupra non ſemel idem obſeruauimus.*

Pars cum Herennio Gallo permanſit. Forte nauem, haud procul caſtris, frumento grauem, cum per vada hæſiſſet, Germani in ſuam ripam trahebant. Non tulit Gallus, miſitq. ſubſidio cohortem. Auctus & Germanorum numerus, paulatimq. aggregantibus ſe auxilijs, acie certatum. Germani, multa cum ſtrage noſtrorum, nauem abripiunt. Victi, quod tum in morem verterat, non ſuam ignauiam, ſed perfidiam legati culpabant.

I*N corrupto & diſſoluto exercitu; hoc ſolet in morem vertere; vt in clade aliqua, milites non ſuam ignauiam, ſed ducum & ſuperiorum perfidiam culpent: & in eos iram effundant.*

Protractum

Protractum e tentorio, ſciſſa veſte, verberato corpore, quo pretio, quibus conſcijs, prodidiſſet exercitum, dicere iubent. Redit in Hordeonium inuidia. Illum auctorem ſceleris, hunc miniſtrorum vocant:

IN magnis ſceleribus ſemper duæ perſonæ inueniri ſolent. Auctor, nempe & miniſter. Raro enim fit, vt vnus, idem & auctor & miniſter eſſe poſſit.

donec exitium minitantibus exterritus, proditionem & ipſe Hordeonio obiecit. Vinctusq. aduentu demum Voculæ, exſoluitur. Is poſtera die, auctores ſeditionis morte affecit.

GRAVITER ſunt ſemper plectendi auctores ſeditionis in exercitibus. Numquam enim redibit amor obſequij, niſi his ſublatis.

Tanta illi exercitui diuerſitas inerat, licentiæ, patientiaq.

LICENTIA, & patientia militum in exercitu ex ducum condicionibus & naturis emanare ſolet: Illam enim cum ignauo ſemper exercebunt: Hanc vero ſub ſtrenuo, & ſeuero ſuſtinebunt. Vnde concludi poteſt, in ducis perſona totius ſummam conſiſtere.

Haud dubie gregarius miles, Vitellio fidus: ſplendidiſſimus quiſque, in Veſpaſianum proni. inde ſcelerum ac ſuppliciorum vices, & mixtus obſequio furor: vt contineri non poſſent, qui puniri poterant.

CONFVSI exercitus hac eſt cõſuetudo. Vt in illo furor obſequio mixtus inueniatur. Cum enim militum aliqui boni, alij vero ſint praui; ab illis obſequium ſemper retinebitur; hi vero furore numquam non agitabuntur, quouſque ducis ſeueritate & diſciplina non corrigantur.

At Ciuilem immenſum vniuerſa Germania extollebat, ſocietate nobiliſſimis obſidum firmata. Ille, vt cuique proximum, vaſtari Vbios Treuerosq. & alia manu Moſam amnem tranſire iubet, vt Menapios & Morinos & extrema Galliarum quaterent.

PRVDENTER & fortiter Ciuilis agit. Vrgendum enim eſt cœptis ab innouatore, dum res proſpere cedunt: & vtendum euentu.

Actæ vtrobique prædæ. Infeſtius in Vbijs, quos genus Germanicæ origenis, eiurata patria, Romano nomine Agrippinenſes vocarent. Cæſæ cohortes eorum, in vico Marcoduro, incurioſius agentes, quia procul ripa aberant. Nec quieuere Vbij, quominus prædas e Germania peterent. primo impune: dein circumuenti ſunt, per omne id bellum, meliore vſi fide quàm fortuna. Contuſis Vbijs, grauior & ſucceſſu rerum ferocior Ciuilis, obſidium legionum vrgebat:

RERVM ſucceſſu ferocia augeri ſolet. Nam ſpiritus efferuntur, & extolluntur.

intentis cuſtodijs, ne quis occultus nuncius venientis auxilij penetraret. Machinas molemq. operum, Batauis delegat:

ET hoc notandum, quòd etiam priſcis illis temporibus Belgarum ingenia in machinis fabricãdis acuebantur: vt noſtris diebus etiam in obſidione Antuerpiæ fecerunt. Etſi illæ parum ceſſerunt, ob fortitudinem, & vigilantiam ALEXANDRI FARNESII Ducis Placentiæ: qui omnia fruſtratus eſt & ſuperauit.

Tranſrhenanos prælium poſcentis, ad ſcindendum vallum ire, detruſosq. redintegrare certamen iubet: ſuperante multitudine, & facili damno. nec finem labori nox attulit. Congeſtis circum lignis accenſisq. ſimul epulantes, vt quiſque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur.

ARDOR eundi ad pugnam, qui in militibus ob vini, & epularum incaleſcentiam deſcendit, non eſt a duce approbandus; temeritate enim inani proximus eſt.

Quippe ipſorum tela, per tenebras vana. Romani conſpicuam Barbarorum aciem, & ſi quis audacia aut inſignibus effulgens, ad ictum deſtinabant. Intellectum id Ciuili: & reſtincto igne, miſceri cuncta tenebris & armis iubet.

HINC diſcant omnes duces a Ciuile, etſi milites ſui epulantur, & vino indulgeant, ipſi tamen ſemper ſobrij eſſe: vt occurrere conſilio repentinis periculis poſſint. Sunt enim duces in exercitu, vt mens & anima in corpore: vnde totius exercitus vita, & incolumitas dependet.

Tum vero ſtrepitus diſſoni, caſus incerti, neque feriendi, neque declinandi prouidentia. Vnde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus; nihil prodeſſe virtus, fors cuncta turbare,

ELEGANS Hypotipoſis eſt hæc, & omnibus militibus, qui aliquibus prælijs nocturnis interfuerint, valde approbanda. Sed noſtra non eſt intentio in his longius euagari. Parum enim referunt ad Politicam, & Aularum vſum; qui noſter eſt ſcopus.

& ignauorum ſæpe telis fortiſſimi cadere.

MISERRIMA ſors bellorum: cum ſæpe ignauorum telis fortiſſimi cadunt. Et noſtris temporibus hoc præcipue aſcribi debet peſtifero illi tormentorum generi: qui, vt vulgo dicitur, & ſcloppettorum, & bombardarum & ſimilium nomine venit.

Apud Germanos, inconſulta ira:

INCONSVLTA eſt ſemper ira: & a Principe omni ſtudio eſt euitanda, vt prudentia ex oppoſito aduerſa. Exempla huius rei adgerere hic & ambitioſum & ſuperfluum eſſet; nam & ex ſacris litteris: & ex Gentilium hiſtorijs tot & tanta extant, vt omnibus vel tenuiter verſatis in promptu eſſe poſſint. Præcepta ad hanc paſſionem cohibendam optima habentur apud Plutarchum, & Senecam: in tractatibus, quos vnuſquiſque eorum de ea cohibenda edidit.

Romanus miles periculorum gnarus, ferratas ſudes, grauia ſaxa, non forte iaciebat. Vbi ſonus molientium, aut appoſitæ ſcalæ, hoſtem in manus dederant; perpellere vmbone, pilo ſequi. multos in mœnia egreſſos, pugionibus fodere. Sic exhauſta nocte, nouam aciem dies aperuit. Eduxerant Bataui turrim, duplici tabulato, quam prætoriæ portæ, is æquiſſimus locus, propinquantem, promoti contra validi aſſeres, & incuſſæ trabes perfregere: multa ſuperſtantium pernicie.

ADVERTENDA eſt hæc machinæ ſpecies: ſimilis enim reperietur recentibus illis, quas pridem in Antuerpiæ obſidione Belgæ factitarunt.

Pugnatumq. in perculſos, ſubita & proſpera eruptione.

FERME ſemper in perculſos pugnabitur proſpere.

Simul a legionarijs peritia & arte præſtantibus, plura ſtruebantur. Præcipuum pauorem intulit ſuſpenſum & nutans machinamentum, quo repente demiſſo, præter ſuorum ora, ſinguli pluresve hoſtium ſublime rapti, verſo pondere intra caſtra effundebantur.

ET notandum etiam eſt hoc nouum machinamentum: vt ſimile admodum illis recentibus.

Ciuilis omiſſa oppugnandi ſpe, rurſus per otium aſſidebat,

CVM ad finem aſſequendum, medium a nobis prius electum non ſuccedit, ad alterum transire operæpretium eſt, & nihil intentatum relinquere. Sic dicuntur vulgo viri, qui hac vi ingenij pollent, diuites conſiliorum.

nuncijs & promiſſis fidem legionum conuellens.

CONVELLITVR fides hominum nuncijs & promiſſis: quibus etiam pudicitia mulierum ſolicitari ſolet.

Hæc in Germania ante Cremonenſe prælium geſta, cuius euentum litteræ Primi Antonij docuere, addito Cæcinnæ edicto. Et præfectus cohortis e victis, Alpinus Montanus, fortunam partium præſens fatebatur. Diuerſi hinc motus animorum. Auxilia e Gallia, quis nec amor, nec odium in partes, militia ſine affectu, hortantibus præfectis, ſtatim a Vitellio deſciſcunt; vetus miles contabatur.

CONSONAT hoc, quod de auxiliari milite tradit hic Auctor, illi, quod ſupra diximus, cum ſpecies, & qualitates militiæ diſcuſſimus. Auxiliares enim milites, nec odium nec amorem habent in partes, militant ſine affectu: & ſtatim deſciſcunt ab illo, ad quem miſſi ſunt. Prudens Princeps numquam hoc militum genere, ſic poteſt, vti debet. Maius enim damnum, quam emolumentum

lumentum inde aſſequitur. Exemplis ſunt plenæ & ſacræ, & profanæ, & veteres, & recentes hiſtoriæ. Ideo hîc ſubſcribere ea ſuperſedeo. Vetus vero, & proprius miles diutius in fide permanet.

Sed adigente Hordeonio Flacco, inſtantibus tribunis, dixit ſacramentum, non vultu neque animo ſatis affirmans: & cum cetera iuſiurandi verba conciperent, Veſpaſiani nomen hæſitantes, aut leui murmure, & plerumque ſilentio tranſmittebant. Lectæ deinde pro concione epiſtolæ Antonij ad Ciuilem, ſuſpiciones militum inritauere, tamquam ad ſocium partium ſcriptæ, & de Germanico exercitu hoſtiliter. Mox allatis Geldubam in caſtra nuncijs, eadem dicta, factaq. & miſſus cum mandatis Montanus ad Ciuilem, vt abſiſteret bello, neve externa arma falſis velaret. Si Veſpaſianum iuuare aggreſſus foret; ſatisfactum cœptis. Ad ea Ciuilis primo, callide:

HIC oportebat Ciuilem, animi ſui reconditum declarare: ſimulationi enim non erat amplius locus. Simile fecit infidus Aurantius temporibus noſtris: quantum enim potuit, armis falſis ſecretum ſuum velauit: poſtquam vero nequiuit, libere arma contra Regem ſumpſit, & profeſſus eſt.

poſt, vbi videt Montanum præferocem ingenio, paratumq. in res nouas, orſus a queſtu periculisq. quæ per quinque & viginti annos in caſtris Romanis exhauſiſſet: Egregium, inquit, pretium laboris cepi,

ARTIFICIOSA, & valida eſt hac Ciuilis ad accendendos animos conqueſtio: & ſimul dat præceptum omnibus rerum nouarum auctoribus, vt dum vires non habent, intentionem animi ſimulare debeant. Cum aucti vero viribus & potentia ſatis ſuperq. ſint, tunc aperte & palam audere poterunt.

necem fratris, & vincula mea, & ſæuiſſimas huius exercitus voces, quibus ad ſupplicium petitus iure gentium pœnas repoſco.

TRIA eſſe iura, quibus antiqui vtebantur, quilibet in Iuriſprudentia verſatus, nouit: Naturale, nempe, Gentium, & Ciuile. Porro ex iure gentium bella, induciæ, conuentiones, & ſimilia emanauere. Et hoc iure licebat, petitos ad ſupplicium, repoſcere pœnas. Diuino vero iure, & Chriſtiana legi, hoc repugnat. Cum legiſlator verus CHRISTVS dicat: Diligite inimicos veſtros: & quæ ſequuntur.

vos autem Treueri, ceteræq. ſeruientium animæ, quod pretium effuſi totiens ſanguinis expectatis, niſi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, ſecures, & dominorum ingenia? En ego præfectus vnius cohortis, & Caninefates, Batauiq. exigua Galliarum portio, vana illa caſtrorum ſpatia excidimus, vel ſepta ferro fameq. premimus.

ARGVMENTVM a minori ad maius, quo perſuadit, & facilem belli euentum oſtendit.

deniqne auſos aut libertas ſequetur, aut victi ijdem erimus.

CVM in audendo, nihil iacturæ conſequi poſſumus, ſed meliores facere res noſtras ſperandum eſt: tunc audendum eſt etiam ſapientibus. Sic ſupra lib. i. Hiſt. de Galba: Denique eundi vltro: & quæ ſequuntur. pag. 447.

Sic accenſum, ſed meliora referre iuſſum, dimittit. Ille vt inritus legationis redijt, cetera diſſimulans, quæ mox erupere. Ciuilis parte copiarum retenta, veteranas cohortes, & quod e Germanis maxime promptum, aduerſus Voculam exercitumq. eius mittit: Iulio Maximo, & Claudio Victore ſororis ſuæ filio, ducibus. Capiunt in tranſitu hiberna alæ, Aſciburgij ſita. adeoq. improuiſi caſtra inuolauere, vt non alloqui, non pandere aciem Vocula potuerit. Id ſolum, vt in tumultu, monuit, ſubſignato milite media firmare. auxilia paſſim circumfuſa ſunt. Eques prorupit, exceptusq. compoſitis hoſtium ordinibus, terga in ſuos vertit. Cædes inde, non prælium. Et Neruiorum cohortes, metu ſeu perfidia, latera noſtrorum nudauere.

ADVERTE fructum auxiliaris militiæ.

Sic ad legiones peruentum. quæ, amiſſis ſignis, intra vallum ſternebantur; cum repente, nouo auxilio, fortuna pugnæ mutatur.

MVTANTVR repente in bellis euentus, ob nouarum rerum & ſortis accidentia: quæ ab antiquis falſo nomine fortunæ appellabantur.

Vaſconum lectæ a Galba cohortes, ac tum accitæ, dum caſtris propinquant, audito prælliantium clamore, intentos hoſtes a tergo inuadunt, latioremq. quàm pro numero terrorem faciunt: alijs a Noueſio, alijs a Magontiaco vniuerſas copias aduenifſe credentibus. Is error Romanis addit animos.

IN prælijs, & bellis, errores multum poſſunt: & multa incommoda parere ſolent.

& dum alienis viribus confidunt, ſuas recepere.

QVAE eſt ratio, vt aliquis, dum viribus alienis confidit, ſuas recipiat? Spes forſan, quæ ex auxilio & ſubſidio ſuccedens in animo, illum roborat, & validiorem reddit. Hinc apud Iuriſconſultos etiam ſola amicorum aſſiſtentia, etſi te re & opere non iuuent, in rixis priuatis, quæ quotidie in ciuitatibus accidere ſolent, maximi momenti ducitur. Ob hanc rationem, quia auget animos & ſpiritus parti vni, & alteri imminuit.

Fortiſſimus quiſque e Batauis, quantum peditum erat, funduntur: eques euaſit, cum ſignis captiuiſq. quos prima acie corripuerant. Cæſorum eo die, in partibus noſtris, maior numerus & imbellior; e Germanis ipſa robora.

IN aduerſa pugna, minus eſt damnum, maiorem numerum militum amittere, dummodo imbellium: quàm paruum numerum, in quo ſint robora exercitus.

Dux vterque, pari culpa meritus aduerſa, proſperis defuere. Nam Ciuilis, ſi maioribus copijs inſtruxiſſet aciem; circumiri a tam paucis cohortibus nequiſſet, caſtraq. perrupta excidiſſet. Vocula, nec aduentum hoſtium explorauit, eoq. ſimul egreſſus victuſq.

NVMQVAM dux exercitus debet egredi ad prælium, niſi hoſtium aduentum explorauerit. Nam ſemper vincetur.

dein victoriæ parum confiſus, tritis fruſtra diebus, caſtra in hoſtem mouit. quem ſi ſtatim impellere, curſumq. rerum ſequi maturaſſet, ſoluere obſidium legionum eodem impetu potuiſſet. Tentauerat interim Ciuilis obſeſſorum animos, tamquam perditæ apud Romanos res, & ſuis victoria proueniſſet.

RERVM nouarum auctores ſolent ſemper fraudem vi miſcere. Immo magis illi, quàm huic fidere.

Circumferebantur ſigna vexillaq. oſtentati etiam captiui. ex quibus vnus, egregium facinus auſus, clara voce geſta patefecit, confoſſus illic a Germanis.

DIGNVS æterna laude captiuus hic fuit: & quo rarior tales in tali genere hominum, eſt gloria ideo maior.

vnde maior indici fides. Simul vaſtatione incendijſq. flagrantium villarum, venire victorem exercitum intelligebatur. In conſpectu caſtrorum conſtitui ſigna, foſſamq. & vallum circumdari Vocula iubet, vt depoſitis impedimentis ſarcinisq. expediti certarent. Hinc in ducem clamor pugnam poſcentium. & minari aſſueuerant. Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompoſiti feſſiq. prælium ſumpſere. nam Ciuilis aderat, non minus vitijs hoſtium, quàm virtute ſuorum fretus.

CVM negocium cum aliquo habemus, non minus nobis fidendum eſt virtute noſtra, quàm vitijs inimici. Sic ſupra in perſona Muciani ad Veſpaſianum lib. ij. Hiſt. inquit: Nec mihi maior in tua vigilantia parſimonia, ſapientia, fiducia eſt: quàm in Vitellij torpore, inſcitia, ſæuitia.

Varia apud Romanos fortuna, & ſeditioſiſſimus quiſque ignauus:

SEDITIOSISSIMVS quiſque in caſtris, eſt ignauus. Fortes enim non ſunt ſeditioſi, ſed aduerſus hoſtes, loco & tempore, vires ſuas exercent.

quidam recentis victoriæ memores, retinere locum, ferire hoſtem, ſeq. & proximos hortari. Et redintegrata acie, manus ad obſeſſos tendere, ne tempori deeſſent.

CAVEAT prudens Aulicus, ne tempori vmquam deſit. In hoc enim omne punctum conſiſtit.

Illi cuncta e muris cernentes, omnibus portis prorumpunt. Ac forte Ciuilis lapſu equi proſtratus, * credita per vtrumque exercitum fama, vulneratum aut interfectum, immane quantum ſuis pauoris, & hoſtibus alacritatis indidit.

DICI non poteſt, quantum in confecta acie mors credita ducis pauoris ſuis & alacritatis hoſtibus addat. Sic apud Rauennam, victores Galli, audita morte Gaſtonis Foxij ducis, animis conciderunt: & hoſtibus aucti ſunt ſpiritus. Guic.

Sed Vocula, omiſſis fugientium tergis, vallum turresq. caſtrorum augebat, tamquam rurſus obſidium immineret: corrupta totiens victoria, non falſo ſuſpectus bellum malle.

QVI dux victoriam corrumpit, & ea uti non vult, non falſo ſuſpectus eſt bellum malle. Similem ſuſpicionem habuerunt ceteri confœderati de LVDOVICO SFORTIA Moro nuncupato, in prælio apud Tarum: de qua vide apud Guic. lib. 2. hiſt. Ital.

Nihil æque exercitus noſtros, quàm egeſtas copiarum fatigabat. Impedimenta legionum cum imbelli turba Noueſium miſſa, vt inde terreſtri itinere frumentum adueherent. Nam flumine hoſtes potiebantur. Primum agmen ſecurum inceſſit, nondum ſatis firmo Ciuile. qui reuerſus, miſſos Noueſium frumentatores, datasq. in præſidium cohortes, velut multa pace, ingredi accepit, rarum apud ſigna militem, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos, compoſitus inuadit: præmiſſis, qui pontes & viarum anguſta inſiderent.

NOTA vigilantiam & ſolertiam Ciuilis, qui ſemper ad occaſiones paratus erat, & illis ſtrenue vtebatur.

pugnatum longo agmine, & incerto Marte, donec prælium nox dirimeret. Cohortes Geldubam perrexere, manentibus vt fuerant caſtris, quæ relictorum illic militum præſidio tenebantur. Non erat dubium, quantum in regreſſu diſcriminis adeundum foret, frumẽtatoribus onuſtis pauculisq. Addit exercitui ſuo Vocula mille dilectos, e quinta & quartadecima legionibus apud Vetera obſeſſis, indomitum militum & ducibus infenſum.

PARVM ſperandum eſt a duce exercitus de milite indomito, & ſibi infenſo. Immo ob nullam aliam potiorem cauſſam magnas victorias adepti ſunt duces & Imperatores præſtantes, quàm ob amorem, quo illos milites proprij proſequebantur. Cyrus apud Perſas, Alexander apud Macedones, Cæſar apud Romanos priſca erũt exempla huius doctrinæ. Temporibus noſtris ALEXANDER FARNESIVS Dux Placentiæ & Parmæ.

Plures quam iuſſum erat profecti, palam in agmine fremebant, non ſe vltra famem, inſidias legatorum toleraturos.

NIMIVM eſt militibus, qui cum hoſte congredi ſatis habent; tolerare vltra famem, etiam inſidias legatorum: qui potius illorum vtilitati, & commodo ſtudere deberent.

At qui remanſerant, deſertos ſe abducta parte legionum querebantur. Duplex hinc ſeditio, alijs reuocantibus Voculam; alijs redire in caſtra abnuentibus. Interim Ciuilis Vetera circumſedit. Vocula Geldubam, atque inde Noueſium conceſſit. Ciuilis capit Geldubam. Mox haud procul Noueſio, equeſtri prælio proſpere certauit. Sed miles, ſecundis aduerſisq. perinde in exitium ducum accendebatur.

MAGNA eſt ſeditio illius exercitus, qui ſecundis aduerſisq. perinde in exitium ducis accenditur.

Et aduentu quintanorum quintadecimanorumq. auctæ legiones donatiuum expoſcunt, comperto pecuniam a Vitellio miſſam. Nec diu contatus Hordeonius, nomine Veſpaſiani dedit. Idq. præcipuum fuit ſeditionis alimentum.

PRAECIPVVM alimentum ſeditionum eſt, concedere ſtatim ſeditioſis quidquid petunt. Numquam enim exſaturabuntur, & inſolentius ſe gerent. Supra non ſemel in hanc ſententiam multa obſeruauimus, ad quæ nos lectorem remittimus: ne acta agamus: vt eſt in Adagio.

Effuſi in luxum & epulas, & nocturnos cætus, veterem in Hordeonium iram renouant.

DVBIVM non eſt, in exercitu e luxu prouenire licentiam, & ex ea ſeditionem. Diſciplina enim abeſt.

nec vllo legatorum, tribunorumve obſiſtere auſo, quippe omnem pudorem nox ademerat, protractum e cubili interficiunt.

IN tenebris ſemper maiore audacia ſcelera patrantur. Nox enim pudorem ademit: qui pudor, vt ſupra adnotauimus, maximum eſt frenum vitijs hominum.

Eadem in Voculam parabantur, niſi ſeruili habitu, per tenebras, ignoratus euaſiſſet. Vbi ſedato impetu, metus rediјt: centuriones cum epiſtolis ad ciuitates Galliarum miſere, auxilia ac ſtipendia oraturos. Ipſi, vt eſt vulgus ſine rectore præceps, pauidus, ſecors, aduentante Ciuile, raptis temere armis, ac ſtatim omiſſis, in fugam vertuntur.

SINE Rectore eſt præceps vulgus: & adijcienda eſt hæc vulgi proprietas ceteris, quas ſupra tradidit varijs in locis Auctor.

Res aduerſæ, diſcordiam peperere ijs, qui e ſuperiore exercitu erant, cauſſam ſuam diſſociantibus.

IN metu ſemper accidit, vt res aduerſæ diſcordiam pariant.

Vitellij tamen imagines, in caſtris & per proximas Belgarum ciuitates, repoſitæ, cum iam Vitellius corruiſſet.

MISERANDA hominum condicio eſt: qui iam mortuus eſt, regnare creditus adoratur: & qui regnat, & viuit, bellum patitur.

Dein mutati in pœnitentiam primani, quartaniq. & duodeuiceſimani, Voculam ſequuntur: apud quem, reſumpto Veſpaſiani ſacramento, ad liberandum Magontiaci obſidium ducebantur. Diſceſſerant obſeſſores, mixtus ex Cattis, Vſipijs, Mattiacis exercitus, ſatietate prædæ, nec incruentati.

TANTVNDEM mirum eſt, quòd miles præda ſatietur, ac Aulicus honoribus: vt ſupra de Salluſtio, & Mæcenate annotauit Auctor: cum hæc eorum natura ſit, vt ſicut prata ſemper humorem; ſic & Aulicus honores, & miles prædam ſitiat.

⁎ Ita diſperſos & neſcios miles noſter inuaſerat. Quin & loricam vallumq. per fines ſuos Treueri ſtruxere, magniſq. inuicem cladibus cum Germanis certabant. donec egregia erga populum Romanum merita, mox rebelles fœdarent.

EXIMIA cuiuſque merita erga Principem, ſubſequens rebellio ſemper fœdare ſolet.

Interea Veſpaſianus iterum, ac Titus, conſulatum abſentes inierunt, mæſta, & multiplici metu ſuſpenſa ciuitate. quæ ſuper inſtantia mala, falſos pauores induerat, deſciuiſſe Africam, res nouas moliente L. Piſone.

FALSI pauores numquam in prudente, & forti locum habent. Vis iudicij enim, qua pollet, illas non admittit, ſed diſtinguendo vera a falſis, hæc reſpuit, illis remedium adhibet.

Is præerat prouinciæ nequaquam turbidus ingenio. Sed quia naues ſæuitia hiemis prohibebantur, vulgus alimenta in dies mercari ſolitum, cui vna ex rep. annonæ cura,

VVLGVS ex omnibus Reipublica curis vnam annonæ ipſe habet. Hæc enim indiget: ceteras vero nec diſcernit, nec tanti æſtimat.

clauſum litus, retineri commeatus dum timet, credebat:

VVLGVS, quod timet, credere ſolet.

augenti-

augentibus famam Vitellianis, qui ſtudium partium nondum poſuerant: nec victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis inexplebiles, nulla vmquam Ciuilis victoria ſatiauit.

SIMILE illi ſententiæ, quam ſupra proxime annotauimus. Nempe, & militum & Aulicorum cupiditates ferme ſemper eſſe inexplebiles.

Kalend. Ianuarijs, in ſenatu, quem Iulius Frontinus prætor vrbanus vocauerat, legatis exercitibusq. ac regibus laudes gratesq. decretæ. Et Tertio Iuliano prætura, quòd transgredientem in partes Veſpaſiani, legionem deſeruiſſet, ablata, vt in Plotium Griphum transferretur. Hormo dignitas equeſtris data. Et mox, eiurante Frontino, Cæſar Domitianus præturã cepit. Eius nomen epiſtolis edictisq. proponebatur. Vis penes Mucianum: niſi quòd pleraque Domitianus, inſtigantibus amicis, aut propria libidine, audebat.

APVD Principes infirmos vel ætate vel ingenio nomen tantum principatus reſidere ſolet: vis autem eſſe penes Aulicum, & miniſtrum aliquem. Sic ſupra idem de Galba lib. 1. Hiſt.

Sed præcipuus Muciano metus e Primo Antonio, Varoq. Ario: quos recentes, claroſq. rerum fama, ac militum ſtudijs, etiam populus fouebat: quia in neminem vltra aciem ſæuierant.

VIRI clari recenti rerum fama, ac militum ſtudijs, a populis etiam foueri ſolent: præſertim ſi in neminem vltra aciem ſæuierint.

Et ferebatur Antonius Scribonianum Craſſum, egregijs maioribus, & fraterna imagine fulgentem, capeſſendam rempub. hortatus: haud defutura conſciorum manu, ni Scribonianus abnuiſſet. ne paratis quidem corrumpi facilis, adeo metuens incerta.

VERE metuit incerta, qui ne paratis quidem eſt facilis corrumpi.

Igitur Mucianus, quia propalam opprimi Antonius nequibat: multis in ſenatu laudibus cumulatum, ſecretis promiſſis onerat, citeriorem Hiſpaniam oſtentans, diſceſſu Cluuij Rufi vacuam. ſimul amicis eius tribunatus præfecturaſq. largitur.

QVI æmulum potentem in Aula Principis conuellere ſtudet: eum palam laudare ſolet, & ſecretis promiſſis onerare: deinde poſtquam inanem animum ſpe & cupidine impleuit, vires eius abolere omnibus modis conſueuit. Et obſeruandæ ſunt hæ Muciani actiones: fuit enim magnus, & ſolers Aulicus. Caueant igitur ab huiuſmodi artibus, qui in Aulis verſantur.

Dein, poſtquam inanem animum ſpe & cupidine impleuerat, vires abolet: dimiſſa in hiberna legione ſeptima, cuius flagrantiſſimus in Antonium amor. Et tertia legio, familiaris Ario Varo miles, in Syriam remiſſa. Pars exercitus, in Germanias ducebatur.

NEC ſperat, nec cupit prudens nimis: ſed inanis eſt animi, impleri ſpe & cupidine. Huc pertinent pulcherrimi illi Iuuenalis verſus: Sat. 10.

Fortem poſci animum, & mortis terrore carentem,
Qui ſpatium vitæ extremum inter munera ponat,
Naturæ: qui ferre queat quocumque labores:
Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, ſæuoſq. labores,
Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali: *& quæ ſequuntur.*

Sic egeſto, quidquid turbidum, redit vrbi ſua forma, legeſq. & munia magiſtratuum.

QVI cupit reddere ciuitati, aut prouinciæ formam, & leges, & munia magiſtratuum; egerat quidquid in illa eſt turbidum. More medicorum, qui corpora noſtra ad ſanitatem reducere ſatagentes, ea noxijs, & peccantibus humoribus euacuando, purgare conſueuerunt.

Quo die ſenatum ingreſſus eſt Domitianus, de abſentia patris fratriſq. ac iuuenta ſua, pauca & modica diſſeruit, decorus habitu: & ignotis adhuc moribus;

ADOLESCENTVM ignoti ſunt mores: & de illis firmum ferre non poteſt iudicium. Hinc Sapiens inquit: 30. Prouerbiorum. Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro.

ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia. *Et hac eſt atas, in qua a duobus potentiſſimis inimicis, voluptate nempe & virtute, agitamur. Vt pulcherrime recenſet Xenophon de Hercule adoleſcente in ſolitudinem egreſſo: cui apparuerunt muliebre habitu, & virtus, & voluptas: vt videri poteſt apud eundem lib. ij. de factis, & dictis Socratis.*

crebra oris confuſio, pro modeſtia accipiebatur.

I*N Adoleſcente crebra oris confuſio, pro modeſtia accipi ſolet.*

Referente Cæſare, de reſtituendis Galbæ honoribus, cenſuit Curtius Montanus, vt Piſonis quoque memoria celebraretur. Patres vtrumque iuſſere. de Piſone inritum fuit. Tum ſorte ducti, per quos redderentur bello rapta, quiq. æra legum vetuſtate delapſa noſcerent, figerentq. & qui Faſtos adulatione temporum fœdatos exonerarent, modumq. publicis impenſis facerent. Redditur Tertio Iuliano prætura, poſtquam cognitus eſt ad Veſpaſianum confugiſſe. Gripho honor manſit. Repeti inde cognitionem inter Muſonium Rufum, & P. Celerem placuit, damnatusq. Publius, & Sorani manibus ſatisfactum. Inſignis publica ſeueritate dies, ne priuatim quidem laude caruit. Iuſtum iudicium expleſſe Muſonius videbatur. Diuerſa fama Demetrio Cynicam ſectam profeſſo, quòd manifeſtum reum ambitioſius, quàm honeſtius defendiſſet.

N*ON ſemper, qui ſapientiam & philoſophiam profitentur, re & factis eam exercent. Immo ſæpe velamen ſcelerum hoc ſolet eſſe. Et ideo prudentiſſime Mecænas in oratione ſua apud Auguſtum lib. 52. Dionis, cum a talibus viris cauendis admonet. De hoc Demetrio multa apud Senecam vide lib. vij. De beneficijs.*

Ipſi Publio neque animus in periculis, neque oratio ſuppeditauit.

R*ARO ſceleſtis animus in periculis, vel oratio ſuppeditat. Sic ſupra lib. xv. Annal. de Fenio Rufo inquit: Non vox aduerſum ea Fenio, non ſilentium; ſed verba ſua præpediens, & pauoris manifeſtus; & quæ ſequuntur.*

Signo vltionis in accuſatores dato, petit a Cæſare Iunius Mauricus, vt commentariorum principalium poteſtatem ſenatui faceret, per quos noſceret, quiſque accuſandum popoſciſſet. Conſulendum tali ſuper re principem, reſpondit. Senatus, inchoantibus primoribus, iuſiurandum concepit, quo certatim omnes magiſtratus, ceteri vt ſententiam rogabantur, deos teſtes aduocabant: nihil ope ſua factum quo cuiuſquam ſalus læderetur, neque ſe præmium aut honorem ex calamitate ciuium cepiſſe,

I*MPROBI eſt, ex calamitate ciuium, præmium, aut honorem capere.*

trepidis, & verba iuſiurandi per varias artes mutantibus, quìs flagitij conſcientia inerat.

Q*VIBVS flagitiorum conſcientia ineſt, facile ij trepidare in verborum enunciatione deprehenduntur.*

Probabant religionem patres; periurium arguebant. Eaq. velut cenſura, in Sariolenum Voculam, & Nonium Actianum, & Ceſtium Seuerum acerrime incubuit, crebris apud Neronem delationibus famoſos.

N*OMEN, Famoſus, tam in malam partem, quàm in bonam accipi ſolet. Immo ſæpius in malam, quoties ſine alterius epiteti conſolatione ponitur.*

Sariolenum & recens crimen vrgebat, quòd apud Vitellium molitus eadem foret. nec deſtitit ſenatus manus intentare Voculæ, donec curia excederet. Ad Pactium Africanum transgreſſi, eum quoque proturbant: tamquam Neroni, Scribonianos fratres concordia opibusq. inſignes, ad exitium monſtrauiſſet.

M*AXIME reddit inſignes fratres, concordia. Qua quanti in hominum genere eſſe deberet: oſtendit ſummus omnium Opifex DEVS: qui cum alia animalia feciſſet in principio duplicia, ſcilicet maſculum & fœminam, hominem fecit vnum, & ex illo ſunt omnes, & ſinguli procreati: vt ſcilicet vnitatem pacis, & concordiæ commendaret in homine. Geneſis 1. Sicut econtra deteſtabilis, & perni-*

& perniacioſa eſt inter fratres diſcordia: cuius exempla ſunt, Eſau aduerſus Iacob: Geneſis 26. Saul aduerſus Dauid. 1. Reg. 18. Et alia ſexcenta exempla apud Gentiles, quæ ſtudioſe omitto.

Africanus neque fateri audebat, neque abnuere poterat: in Vibium Criſpum, cuius interrogationibus fatigabatur, vltro conuerſus, miſcendo quæ defendere nequibat, ſocietate culpæ inuidiam declinauit.

R*EVS miſcendo, quæ defendere nequit, inuidiam declinat ſocietate culpæ.*

Magnam eo die pietatis eloquentiæq. famam Vipſanius Meſſalla adeptus eſt, nondum ſenatoria ætate, auſus pro fratre Aquilio Regulo deprecari.

E*X pietate & eloquentia magnam adipiſci poſſumus famam: Prima enim, teſte Apoſtolo, ad omnia valet: ſecunda vero pacis eſt comes, otij ſocia, & iam bene inſtitutæ ciuitatis quaſi alumna quædam. De qua, & eius laudibus, ſi plura cupias, euolue diligenter librum Ciceronis de Oratore: & nihil amplius requirendum tibi erit.*

Regulum ſubuerſa Craſſorum & Orphiti domus, in ſummum odium extulerat. Sponte ex S. C. accuſationem ſubijſſe iuuenis admodum, nec depellendi periculi, ſed in ſpem potentiæ videbatur.

Q*VAE a nobis in perniciem aliorum perpetrantur, non depellendi periculi gratia, ſed in ſpeciem potentiæ, ea odio maxime ſunt digna: præſertim ſi a iuuene factitantur: in quo, quanto ſemper gratior eſt virtus, tanto inuiſum magis apparet vitium.*

Et Sulpitia Prætexata Craſſi vxor, quattuorq. liberi, ſi cognoſceret ſenatus, vltores aderant. Igitur Maſſalla non cauſſam neque reum tueri, ſed periculis fratris ſemet opponens, flexerat quoſdam. Occurrit truci oratione Curtius Montanus, eo vſque progreſſus, vt poſt cædem Galbæ, datam interfectori Piſonis pecuniam a Regulo, appetitum morſu Piſonis caput obiectaret, Hæc certe, inquit, Nero non coegit,

E*FFICACISSIMA eſt hæc oratio, & acerrima: & eloquentia, & ſpirituum plena.*

nec dignitatem, aut ſalutem illa ſæuitia redemiſti. Sane toleremus iſtorum defenſiones: qui perdere alios, quàm periclitari ipſi maluerunt.

T*OLERANDA eſt illorum defenſio, qui alios perdere, quàm ipſi periclitari maluerunt ſub Tyranno. Chriſtianæ tamen legi repugnat: quæ iubemur mortem prius perpeti, quàm in proximi damnum quidquid moliri.*

Te ſecurum reliquerat exſul pater, & diuiſa inter creditores bona; nondum honorum capax ætas: nihil quod ex te concupiſceret Nero, nihil quod timeret.

S*ECVRVS certe erit ſemper apud Tyrannum ille, qui nihil habebit, quod ille concupiſcat, vel timeat.*

libidine ſanguinis, & hiatu præmiorum, ignotum adhuc ingenium, & nullis defenſionibus expertum, cæde nobili imbuiſti.

T*VRPISSIMVM eſt in adoleſcente, per viam honorum gradiente; libidine ſanguinis, & hiatu præmiorum, ignotum adhuc ingenium, & nullis defenſionibus expertum, cæde nobili imbuere.*

cum ex funere reipublicæ, raptis conſularibus ſpolijs, ſeptuagies ſeſtertio dignatus, & ſacerdotio fulgens, innoxios pueros, illuſtres ſenes, conſpicuas feminas eadem ruina proſterneres: cum ſegnitiam Neronis incuſares, quòd per ſingulas domos, ſeq. & delatores fatigaret: poſſe vniuerſum ſenatum vna voce ſubuerti.

H*VC pertinet dictum illud Caligulæ, qui lautiore conuiuio effuſus ſubito in cachinnos, Coſſ. qui iuxta cubabant, blande, quidnam rideret, quærentibus: Quid, inquit, niſi vno meo nutu iugulari vtrumque veſtrum poſſe? Tranquillus in eius vita.*

Retinete

Retinete patres conſcripti, & reſeruate hominem tam expediti conſilij, vt omnis ætas inſtructa ſit: & quomodo ſenes noſtri, Marcellum, Criſpum; iuuenes, Regulum imitentur. Inuenit etiam æmulos infelix nequitia. quid ſi floreat vigeatq.?

INVENIT etiam æmulos infelix nequitia: quid ſi floreat, vigeatq.? Argumentum efficaciſſimum a minori ad maius: quaſi dicat: Omnes homines feruntur ad id, cuius fructus ante prauident; ſed ſi nequitia ſuapte natura, etiamſi abſque præmio ſe exerceat, trahit in æmulationem multos, quid erit, ſi illa præmia nanciſcitur? ſequitur proculdubio quòd omnes ferme, paucis exceptis, in flagitia prolabentur. Certe pleroſque homines libentius ad malum, quàm ad bonum deſiderio ferri, nemo eſt, qui non videat,

Et quem adhuc quæſtorium, offendere non audemus, prætorium & conſularem viſuri ſumus?

ARGVMENTVM hoc eſt a minore ad maius: quòd qui in humili & mediocri ſtatu timetur, in maiori & ſublimiori, multo erit formidabilior.

An Neronem, extremum dominorum putatis? Idem crediderant, qui Tiberio, qui Caio ſuperſtites fuerunt: cum interim inteſtabilior, & ſæuior exortus eſt.

HVC pertinet illa non ſolum fortis, ſed etiam libera & vrbana reſponſio anicula Sicula, ad Dionyſium Tyrannum. Quæ cum in ſenectute vltima Syracuſis ſola quotidie matutino tempore Deos, vt incolumis ac ſibi ſuperſtes ſeruaretur Dionyſius, oraret: ceteris omnibus eius exitium, propter nimiam morum acerbitatem & intolerabilia onera votis expetentibus: accerſita, & ab illo interrogata: Quid ita hoc, aut quo ſuo merito faceret? reſpondit: Certa eſt ratio, Dionyſi, propoſiti mei. Puella enim, cum grauem Tyrannum haberemus, carere eo cupiebam: quo interfecto, aliquanto tetrior vitam occupauit: eius quoque finiri dominationem, magni æſtimabam: tertium te ſuperioribus importuniorem habere cœpimus Rectorem. Itaque timens, ne ſi tu fueris abſumptus, deterior in locum tuum ſuccedat, caput meum pro tua ſalute deuoueo. Val. Max. lib. 6. cap. 2. Vnde concludere poſſumus, quòd Tyranno ſæuo & inteſtabili, fere ſemper ſuccedunt ſæuiores, & inteſtabiliores.

Non timemus Veſpaſianum: ea principis ætas, ea moderatio. Sed diutius durant exempla, quàm mores.

DIVTIVS durant exempla, quàm mores. Nam plerique, etſi antiquos viderunt rectum iter peregiſſe, multis de cauſis alio flectuntur, & mores inuertunt. Immo quaſi ſemper accidere videmus in Principatibus, vt ſucceſſor diuerſiſſimos a prædeceſſore ſuo mores habeat: & Romæ præſertim.

Elanguimus P. C. nec iam ille ſenatus ſumus, qui occiſo Nerone, delatores & miniſtros, more maiorum puniendos flagitabat. Optimus eſt, poſt malum principem, dies primus.

OPTIMVS eſt, poſt malum Principem, dies primus. Quia excuſſum eſt moleſtiſſimum iugum: necdum ſentiuntur mala ſecundi; ſed inter ſpem & metum, an melior peiorve exiſtat, viuitur.

Tanto cum aſſenſu ſenatus auditus eſt Montanus, vt ſpem caperet Heluidius, poſſe etiam Marcellum proſterni. Igitur a laude Cluuij Rufi orſus, qui perinde diues & eloquentia clarus, nulli vmquam ſub Nerone periculum faceſſiſſet;

MAXIMAM laudem meretur ille, qui cum maxime poſſit, nulli tamen mortalium noceat.

crimine ſimul exemploq. Eprium vrgebat, ardentibus patrum animis. quod vbi ſenſit Marcellus, velut excedens curia:

CVM Aemulus eſt potentior, prudentis eſt cedere; nec cum eo contendere. Tale eſt conſilium, quod ſupra lib. 2. Annal. pag. 117. dat Germanicus moriens Agrippinæ vxori, inquiens: Ne regreſſa in vrbem, æmulatione potentiæ, valdiores irritaret.

Imus, inquit, Priſce, & reliquimus tibi ſenatum tuum: regna, præſente Cæſare.

DECLINARE ſemper debet prudens occaſiones, in quibus tempora ipſi non ſint ſecunda.

Sequebatur Vibius Criſpus: ambo infenſi, vultu diuerſo. Marcellus minacibus oculis, Criſpus renidens: donec accurſu amicorum, retraherentur. Cum gliſceret certamen, hinc multi

multi boniq. inde pauci & validi pertinacibus odijs tenderent; conſumptus per diſcordiam dies. Proximo ſenatu, inchoante Cæſare de abolendo dolore iraq. & priorum temporum neceſſitatibus, cenſuit Mucianus prolixe pro accuſatoribus. Simul eos, qui cœptam, dein omiſſam actionem repeterent, monuit ſermone molli,& tamquã rogaret. Patres cœptam libertatem, poſtquam obuiàm itum, omiſere. Mucianus ne ſperni ſenatus iudicium, & cunctis ſub Nerone admiſſis, data impunitas videretur:

ETSI ſupra obſeruauimus Principi ſuccedenti intereſſe, ne prædeceſſoris facta irritentur, ob principatus exiſtimationem: idem etiam hic repetere non piget.

Octauium Sagittam, & Antiſtium Soſianum ſenatorij ordinis, egreſſos exilium, in eaſdem inſulas redegit. Octauius Pontiam Poſthumiam ſtupro cognitam, & nuptias ſuas abnuentem, impotens amoris interfecerat; Soſianus prauitate morum multis exitioſus.

CAVENDI ſunt praui moribus; ſunt enim multis exitioſi.

Ambo graui ſenatuſconſulto damnati pulſiq. quamuis conceſſo alijs reditu, in eadem pœna retenti ſunt. Nec ideo lenita erga Mucianum inuidia. Quippe Soſianus ac Sagitta, viles, etiam ſi reuerentur: accuſatorum ingenia, & opes,& exercita malis artibus potentia, timebantur.

SI potentia per ſe eſt timenda, quanto magis poſtea formidabitur, cum per malas artes exercebitur.

Reconciliauit pauliſper ſtudia patrum, habita in ſenatu cognitio, ſecundum veterem morem.

DICI non poteſt, quantum animos mortalium erigant, & reconcilient, quæ ſecundum veterem morem ſiunt. Venerabilis enim eſt vetuſtas. Inde illud Quintiliani de Ennio: Ennium, inquit, tamquam lucum vetuſtate ſacrum, veneremur. Quod a Marone mutuatus eſt, qui vbicumque lucum ponit, ſemper ſequitur conſecratio. Sic in primo Aeneid.

Lucus in vrbe fuit media, lætiſſimus vmbra: *& quę ſequuntur.*

& in 6. Aeneid.
Nulli certa domus: Lucis habitamus opacis.

& in 9. Aeneid.
Luco tum forte parentis
Pilumni, Turnus ſacrata valle ſedebat.

Manlius Patricius ordinis ſenatorij, pulſatum ſe in colonia Senienſi, cætu multitudinis, & iuſſu magiſtratuum querebatur. nec finem iniuriæ hic ſtetiſſe: planctum, & lamenta, & ſupremorum imaginem præſenti ſibi circumdata: cum contumelijs & probris, quæ in ſenatum vniuerſum iacerentur. Vocati qui arguebantur. Et cognita cauſſa,in conuictos vindicatum. Additumq. S.C. quo Senienſium plebes modeſtiæ admoneretur. Iiſdem diebus Antonius Flamma Cyrenenſibus damnatur, lege repetundarum, & exilio ob ſæuitiam.

Inter quæ, militaris ſeditio prope exarſit. Prætorianum militiam repetebant a Vitellio dimiſſi, pro Veſpaſiano congregati: & lectus in eandem ſpem e legionibus miles, promiſſa ſtipendia flagitabat. Ne Vitelliani quidem, ſine multa cæde, pelli poterant. Ingreſſus caſtra Mucianus, quo rectius ſtipendia ſingulorum ſpectaret, ſuis cum inſignibus armisq. victores conſtituit, modicis inter ſe ſpatijs diſcretos.

NOTABILE, & obſeruandum eſt hoc Muciani remedium in compeſcenda ſeditione militari.

Tum Vitelliani, quos apud Bouillas in deditionem acceptos memorauimus, ceteriq. per vrbem,& vrbi vicina conquiſiti, producuntur prope intecto corpore. Eos Mucianus diduci, & Germanicum Britannicumq. militem, ac ſi qui aliorum exercitum, ſeparatim aſſiſtere iubet. Illos primus ſtatim aſpectus obſtupefecerat. cum ex diuerſo, velut aciem telis & armis trucem; ſemet, clauſos nudosq. & illuuie deformes, aſpicerent. Vt vero huc illuc diſtrahi cœpere,

POTISSIMVM eſt remedium in exercitus tumultu, milites huc illuc diſtrahere.

metus

metus per omnes, & præcipua Germanici militis formido, tamquam ea ſeparatione ad cædem deſtinarentur. prenſare commanipularium pectora, ceruicibus innecti, ſuprema oſcula petere, ne desererentur ſoli, neu in pari cauſſa diſparem fortunam paterentur.

R*ATIO, & ius poſtulant; ne in pari cauſſa ſit diſpar fortuna.*

modo Mucianum, modo abſentem principem, poſtremum cælum ac deos obteſtari. donec Mucianus, cunctos eiuſdem ſacramenti, eiuſdem imperatoris milites appellans, falſo timori obuiam iret.

L*AVDANDVS maxime eſt dux & rector ille, qui ſola ſeueritatis ſpecie, abſque factorum atrocium & ſuppliciorum executione; in officio ac fide continet ſubditos.*

Namque & victor exercitus, clamore, lacrymas eorum iuuabat. Iſq. finis illa die. Paucis poſt diebus, alloquentem Domitianum firmati iam excepere. Spernunt oblatos ſibi agros, militiam & ſtipendia orant. Preces erant, ſed quibus contradici non poſſet.

S*AEPE preces habent vim talem, vt illis contradici non poſſet. Tales ſunt Principum, & potentiorum preces erga ſubditos vicem enim iuſſorum obtinent.*

igitur in prætorium accepti. Dein quibus ætas & iuſta ſtipenda, dimiſſi cum honore, alij ob culpam: ſed carptim, ac ſinguli. quo tutiſſimo remedio, conſenſus multitudinis extenuatur.

T*VTISSIMVM remedium extenuandi conſenſum multitudinis, eſt: dimittere ex illa, & excerpere ſingulos, & carptim varijs cauſſarum obtentibus.*

Ceterum vera ne pauperie, an vti videretur, actum in ſenatu, vt ſexcenties ſeſtertium a priuatis mutuum acciperetur.

S*OLENT ſæpe Principes propriam detegere pauperiem, vel vt ſubditorum beneuolentiam in requirendo ab eis pecuniam, experiantur: vel vt reuera, ærarium impleant.*

Præpoſituſq. ei curæ Poppæus Siluanus. nec multo poſt neceſſitas abijt, ſiue omiſſa ſimulatio. Abrogati inde, legem ferente Domitiano, conſulatus, quos Vitellius dederat. Funuſq. cenſorium Flauio Sabino ductum: magna documenta inſtabilis fortunæ, ſummaq. etiam miſcentis.

I*NSTABILIS eſt Rerum conuerſio, quæ ab antiquis falſo nomine Fortuna vocabatur: & ſumma etiam miſcere ſolet.*

Sub idem tempus L. Piſo proconſul interficitur. ea de cæde quàm veriſſime expediam, ſi pauca ſupra petiero, ab initio cauſſiſq. talium facinorum non abſurda. Legio in Africa auxiliaq. tutandis imperij finibus, ſub diuo Auguſto Tiberioq. principibus, Proconſuli parebant. Mox C. Cæſar turbidus animi, ac M. Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam proconſuli legionem, miſſo in eam rem legato tradidit. æquatus inter duos beneficiorum numerus, & mixtis vtriuſque mandatis, diſcordia quæſita auctaq.

M*INVS effert honos, qui tibi cum altero æquatur, quàm ſi tu ſolus eo fulgeas. Hinc Princeps, qui aliquem vicinitate potentem timet, ſolet illi alterum æquare: ſic enim diſcordia inter illos oborta, ipſi ſecuritas paritur. Tale eſt conſilium de duobus Prætorij præfectis, quod Mecænas dat Auguſto: apud Dionem lib. 52.*

Prauo certamine, legatorum ius adoleuit, diuturnitate officij,

D*IVTVRNITATE officij, adoleſcit ius magiſtratus: Sic ſupra lib. 14. Annal. pag. 339. de Nerone inquit: Vetuſtate imperij coalita audacia.*

vel quia minoribus maior æmulandi cura.

M*INORIBVS maior eſt æmulandi cura. Patet ratio; Maiores ſciunt ſe, quales ſunt, tales haberi; & ideo negligunt contentiorem: contra minores, qui ſuam imparitatem norunt, eam ſuſtinere cum contentioribus, & ſpeciem gradus ſeruando ſtudent.*

Procon-

Proconſulum ſplendidiſſimus quiſque, ſecuritati magis quàm potentiæ conſulebant.

SVB Tyranno, ſplendidiſſimo cuique ſatius eſt conſulere ſecuritati, quàm potentia.

Sed tum legionem in Africa regebat Valerius Feſtus, ſumptuoſę adoleſcentię, neque modica cupiens, ſed affinitate Vitellij anxius. Is, crebris ſermonibus, tentarit ne Piſonem ad res nouas; an tentanti reſtiterit, incertum. quoniam ſecreto eorum nemo affuit, & occiſo Piſone, plerique ad gratiam interfectoris inclinauere.

HOC ferme ſemper euenit, vt ad gratiam interficientis magis inclinent homines, quàm interfecti. Referri poteſt huc Adagium illud Italicum: Viuat, qui vincit.

Nec ambigitur, prouinciam & militem, alienato erga Veſpaſianum animo fuiſſe. & quidam e Vitellianis vrbe profugi, oſtentabant Piſoni nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipſius,

EFFICAX modus eſt hic impellendi clarum aliquem virum ad res nouas contra Principem: Oſtentando, ſcilicet illi prouinciarum fauorem, & ſubditorum in Principem odia, pericula ipſius, & in pace ſuſpecta tutius bellum.

& in pace ſuſpecta tutius bellum.

TVTIVS eſt bellum pace ſuſpecta. In illo enim poſſumus cauere palam: in hac vero fere ſemper a domeſticis opprimimur.

Inter quæ Claudius Sagitta, præfectus alæ Petrinæ, proſpera nauigatione præuenit Papirium centurionem, a Muciano miſſum: aſſeuerauitq. mandata interficiendi Piſonis, centurioni data. Cecidiſſe Galerianum, conſobrinum eius generumq. Vnam in audacia ſpem ſalutis.

CVM vna eſt ſpes ſalutis in audacia, tunc ſegnitiam abijcere oportet. Sic ſupra de Othone idem lib. 1. Hiſt. pag. 472. Sic Lucanus lib. 1. Pharſal.

Tolle moras, nocuit ſemper differre paratis.

Sed duo itinera audendi, ſeu mallet ſtatim arma, ſeu petita nauibus Gallia, ducem ſe Vitellianis exercitibus oſtenderet. Nihil ad ea moto Piſone, centurio a Muciano miſſus, vt portum Carthaginis attigit, magna voce, læta Piſoni omnia, tamquam principi continuare: obuios & ſubitæ rei miraculo attonitos, vt eadem adſtreperent, hortari.

TALIS actus fuit Macronis, cum a Tiberio Romam ad euertendum Seianum miſſus eſt: nam cum in Seianum nondum in ſenatum ingreſſum incidiſſet, triſtemq. ob non datas ad ſe Tiberio litteras inueniſſet, conſolatus eſt eum remotis, ac dixit, ferre ſe illi Tribunitiam poteſtatem. Cum re ipſa mortem & exitium afferret. Vide totius rei ſeriem apud Dionem lib. 58. Quam vtinam in Tacito noſtro haberemus: nec iniuria temporum nobis illam abſtuliſſet. Plenius enim, & exactius, totius rei ſummam perſpiceremus.

vulgus credulum, ruere in forum, præſentiam Piſonis expoſcere.

ADIICIENDVM eſt hoc vulgi epitetum ceteris. Etſi forſan in epilogum reduceremus omnia vulgi & ciuitatis epiteta, quæ ſignificantiſſime varijs in locis ſcriptorum ſuorum tradit Auctor noſter.

Gaudio clamoribusq. cuncta miſcebant, indiligentia veri, & adulandi libidine.

HAS duas condiciones numquam non in vulgo reperies, indiligentiam, nempe, veri; & adulandi libidinem.

Piſo inditio Sagittæ, vel inſita modeſtia, non in publicum egreſſus eſt, neque ſe ſtudij vulgi permiſit.

AVLICVS, qui aliquam dignitatem a Principe ſe conſequi ſperas & credit, numquam ſe ſtudijs vulgi permittat, nec gratulationes admittat: niſi prius certo illi conſtiterit, ſe illam adeptum eſſe. Inter manum enim & ariſtam, ſæpe, vt eſt in adagio, paries aliquis interponi ſolet

Vt nos non ſemel Romæ experientia vidimus. Et nihil aliud acquiritur Aulico, quàm ludibrium, & vulgi fabellam fieri.

Centurionemq. percontatus, poſtquam quæſitum ſibi crimen cædemq. comperit: animaduerti in eum iuſſit, haud perinde ſpe vitæ, quàm ira in percuſſorem, quòd idem ex interfectoribus Clodij Macri, cruentas legati ſanguine manus, ad cædem proconſulis retuliſſet.

SVPRA etiam obſeruauimus, ex diuerſis affectuum cauſſis, eoſdem ſæpe prouenire effectus. Id denuo hic repetimus.

Anxio deinde edicto Carthaginienſibus increpitis, ne ſolita quidem munia vſurpabat, clauſus intra domum, ne qua motus noui cauſſa vel forte oriretur.

MIRAM ſecordiam, nec mirum eſt, ſi cecidit. Dum enim nec ſatis audet, nec ſatis prouidet; medium ſequendo, quod inter ancipitia deterrimum eſt, corruit.

Sed vbi Feſto conſternatio vulgi, centurionis ſupplicium, veraq. & falſa, more famæ, in maius innotuere:

MOS eſt famæ, vera & falſa in maius edere. De hac ſcite, atque eleganter admodum Maro noſter, in 4. Aeneid. ſic cecinit:

Exemplo Libyæ magnas it fama per vrbes:
Fama, malum quo non aliud velocius vllum:
Mobilitate viget, vireſq. acquirit eundo.
Parua metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturq. ſolo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens, ira irritata deorum,
Extremam, vt perhibent, Cæo, Enceladoq. ſororem
Progenuit, pedibus celerem ac pernicibus alis:
Monſtrum horrendum, ingens; cui, quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,
Tot linguæ, totidem ora ſonant: tot ſubrigit aures.
Nocte volat cæli medio, terræq. per vmbram:
Stridens, nec dulce declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti
Turribus aut altis & magnas territat vrbes,
Tam ficti prauiq. tenax, quàm nuncia veri.

equites in necem Piſonis mittit. Illi raptim vecti, obſcuro adhuc cœptæ lucis, domum proconſulis inrumpunt diſtrictis gladijs,

ET hic obſeruandum, magna ſemper ſcelera noctu, aut per obſcurum diei parare.

& magna pars Piſonis ignari: quòd Pœnos auxiliares, Mauroſq. in eam cædem dilegerat: haud procul cubiculo, obuium forte ſeruum, quis nam, & vbi eſſet Piſo, interrogauere. Seruus, egregio mendacio, ſe Piſonem eſſe reſpondit: ac ſtatim obtruncatur.

NOBILISSIMVM, & non ſeruile mendacium fuit ſerui huius. Simile huic exemplo eſt, quod Valerius Maximus tradit lib. 6. cap. 8. de ſeruo quodam Panopionis. Qui cum ad dominum proſcriptum occidendum domeſticorum indicio certiores factos milites in Reatinam villam veniſſe cognoſceret, commutata cum eo veſte, permutato etiam anulo, illum poſticu elam emiſit: ſe autem in cubiculum ac lectulum recepit, & vt Panopionem occidi paſſus eſt.

nec multo poſt, Piſo interficitur. Namque aderat, qui noſceret, Bebius Maſſa e procuratoribus Africæ: iam tunc optimo cuique exitioſus, & in cauſſas malorum, quæ mox tulimus, ſæpius rediturus. Feſtus Adrumeto, vbi ſpeculabundus ſubſtiterat, ad legionem tendit, præfectumq. caſtrorum Cetronium Piſanum vinciri iuſſit, proprias ob ſimultates: ſed Piſonis ſatellitem vocabat,

SOLENT praui homines vti obtentibus publicis, ad vindicandas proprias & priuatas ſimultates. Sic ſupra lib. 1. Annal. pag. 14. de Auguſto inquit: Pietatem erga parentem, & tempora Reipublica, obtentui ſumpta: cæterum cupidine dominandi: & quæ ibi ſequuntur.

militeſq.

militesq. & centuriones quoſdam punijt, alios præmijs affecit. neutrum ex merito, ſed vt oppreſſiſſe bellum crederetur.

MISERA & infelix condicio illorum ſubditorum, qui ſub Principe viuunt, ſi talis Princeps vſquam reperitur, qui & in puniendo, & in præmia conferendo, neutrum horum agit ex merito. Cum ſecundum Solonem his duabus rebus, pœna inquam & præmio, Reſpublica omnis contineatur. ijsq. ſublatis, ne punctum quidem temporis ſubſiſtat. Et non abſque ratione Antiſthenes Philoſophus ei ciuitati, in qua nullum inter probos & improbos, ſtrenuos & ignauos diſcrimen eſt, perniciem & exitium minatus eſt.

Mox Ophenſium Lepitanorumq. diſcordias componit, quæ raptu frugum & pecorum inter agreſtes, modicis principijs, iam per arma atque acies exercebantur.

SEMPER a modicis principijs, inter vicinos & accolas populos, bella veniunt. Sic apud Virgilium in 7. Aeneidos. Cerui vnius vulnus ab Aſcanio illi inflictum.

Prima malorum
Cauſſa fuit: belloq. animos accendit agreſtes.

Nam populus Ophenſis multitudine inferior, Garamantas exciuerat, gentem indomitam, & inter accolas latrocinijs fecundam. Vnde arta Lepitanis res, lateq. vaſtatis agris, intra mœnia trepidabant. donec interuentu cohortium alarumq. fuſi Garamantes, & recepta omnis præda, niſi quam vagi per inaccesſa mapalium vlterioribus vendiderant. At Veſpaſiano poſt Cremonenſem pugnam, & proſperos vndique nuncios, cecidiſſe Vitellium multi cuiuſque ordinis pari audacia fortunaq.

SAEPE it comes audacia fortunæ. Inde illud Maronis.

Audaces fortuna iuuat.

Et hinc aliqui dixerunt, quòd vna ex præcipuis cauſis, quæ coniurationes in Principes pandunt, & euertunt, ſit indignatio fortunæ: quam illa ſuſcipit erga coniuratos nimis in tuto agenda ſe ſtudioſos: & nihil euentus ipſius potentiæ relinquentes: ſed omnia conſilio & ratione maturantes. Hac opinio falſa eſt, & explodenda. Fortuna enim nomen, vt alibi diximus, & nunc repetimus, inane eſt: & omnia nutu & prouidentia Dei reguntur. Porro quòd in coniurationibus requirantur neceſſario Conſilia, & Rationes, adhoc vt negotium rite ſuccedat; nemini dubium erit, qui conſiderabit in mediocribus negotijs, niſi ratio illa ducat, res omnes ſiniſtre cadere: Nam

Ratio negotium non fortuna ducat: *nedum in hac re, quæ omnium, quæ in terris aguntur, maxime ardua, & difficilis apparet: coniurationes in Principem ſcilicet. Ex mille quarum, exempli gratia, nec decem ſuccedunt: ob difficultates, quas Coniuratos comitari ante factum, in facto, & poſt factum, alias obſeruauimus.*

hibernum mare aggreſſi nunciauere.

MAXIMA adhibetur diligentia in anteeundo ceteros, ab his, qui nouo Principi, vel eius propinquis res proſperas annunciare quærunt. Sic tempore noui Pontificis creati Romæ videmus, citato gradu hinc inde multos tabellarios equos mutare, vt ad ſtrenam adipiſcendam nuncium peruolantes afferant.

Aderant legati regis Vologeſi, quadraginta Parthorum equitum millia offerentes. magnificum lætumq. tantis ſociorum auxilijs ambiri, neque indigere.

AMBIRI multis ſociorum auxilijs, nec eis indigere, Principi magnificum & lætum eſſe debet. Magnificum quidem, cum adeo colatur, vt gentes illi cupiant adhærere, & ſubſidium ferre. Lætum porro, quod adeo ſua vi nitatur, & ſiet, vt nihil alienæ opis indigeat. Porro de auxiliaris militia incommodis alibi diximus.

Gratiæ Vologeſo actæ, mandatumq. vt legatos ad ſenatum mitteret, & pacem eſſe ſciret. Veſpaſianus in Italiam resq. vrbes intentus, aduerſam de Domitiano famam accipit: tamquam terminos ætatis, & conceſſa filio egrederetur. Igitur validiſſimam exercitus partem Tito tradit, ad reliqua Iudaici belli perpetranda. Titum, antequam digrederetur,

tur, multo apud patrem ſermone oraſſe dicebatur, ne criminantium nuncijs temere accenderetur:

H IC incipiunt pietatis & humanitatis Titi ſpecimina ſe oſtendere. Oratio enim hæc, quam ad patrem pro fratre Domitiano habet, vt prudentia & grauitatis, ſic & pietatis & humanitatis eſt plena.

integrumq. ſe ac placabilem filio præſtaret.

O BSERVAVIMVS ſupra lib. 2. Annal. in perſona Tiberij, quòd Principis propriũ eſſe debet ſe integrum omnibus exhibere. Id ſi cũ extraneo Principi eſt faciendum, quanto magis filio?

Non legiones, non claſſes, perinde firma imperij munimenta, quàm numerum liberorum. Nam amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus, imminui, transferri, deſinere: ſuum cuique ſanguinem indiſcretum. ſed maxime principibus: quorum proſperis & alij fruantur, aduerſa ad iunctiſſimos pertineant: Ne fratribus quidem manſuram concordiam, ni pater exemplum præbuiſſet.

O RACVLI vice eſſe debet hæc Titi ſententia omnibus Principibus: nempe, quòd nec legiones, nec claſſes, ſunt perinde firma imperij munimenta, quàm numerus liberorum. Nam amici tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus, imminuuntur, transferuntur, deſinunt: ſuus cuique ſanguis eſt indiſcretus, ſed maxime Principibus; quorum proſperis & alij fruantur, aduerſa ad iunctiſſimos pertineant. Nec fratribus quidem manſura eſt concordia, ni pater exemplum præbeat. Et ideo prudentes Principes, ſi multos non habent ex ſe natos liberos, eos adoptant, quo pluribus ſubſidijs dominationis innitantur: ſic ſupra in 1. Annal. de Auguſto: & niſi quidem amici immutarentur varijs de cauſſis, nullum aliud requireretur ſubſidium, cum teſte Salluſtio: Non exercitus, neque theſauri, præſidia regni ſint; verum amici, quos neque armis, neque auro parare queas: officio & fide parantur. Sed quoniam hi multis de cauſſis, quæ eſt vita humana fallacia, deſinunt; vt grauiter hic in perſona Titi inquit Auctor noſter. idq. etiam multis patet exemplis. Ideo ſanguinis & naturæ vinculis, quæ, adiuncto intereſſe communi, validiſſima ſunt munimenta: eſt ſemper innitendum. Veriſſimum eſt etiam illud, quod pater erga filios concordiam exemplo poteſt firmare: vnde multa bona, ſicut ex aduerſo multa mala: viſum eſt in Philippi filijs, Perſeo, & Demetrio, apud Liuium. In Darij, Artoxerſe, & Cyro, apud Xenophontem, & Plutarchum; & in multis alijs. Hinc conſilium illud pulchrum Cleomenis ad Ptolomæum: qui interficere volebat fratrem, etc.

Veſpaſianus haud æque Domitiano mitigatus, quàm Titi pietate gaudens, bono eſſe animo iubet, belloq. & armis rempublicam attollere: Sibi pacem domumq. curæ fore.

R ESPVBLICA omnis attollitur, bello, & armis. Sed oportet, vt pacis etiam tempore legibus optimis ſit cuſtodita, quæ feroces ciuium animos in quietis tempore compeſcat, & coerceat. In hoc fuit ſub regibus Roma felix valde. Primus enim Rex, qui fuit Romulus, bello & armis eam extulit: adeo vt niſi ſucceſſor Numa quietis deditus ſucceſſiſſet, periculum eſſet ne nimium ferocientes ciuium animi corruerent. Numa vero vitæ ſanctitate, & legum ſaluberrimarum ſanctione eos in fræno continuit. Succeſſerunt poſtea alij Reges, qui rurſus bella aduerſus finitimos gerendo, in aciem Romanos eduxerunt: & bello & armis rem Romanam extulerunt.

Tum celerrimas nauium frumento onuſtas, ſæuo adhuc mari committit.

C ONSONAT hoc illi, quod ſupra de eodem Veſpaſiano tradidit: inquiens: Vix dum imperio adepto, Veſpaſiano præcipua annonæ cura: & ſic etiam in 2. Annal. de Auguſto obſeruauimus.

Quippe tanto diſcrimine vrbs nutabat, vt decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, cum a Veſpaſiano commeatus ſubuenere.

E T hinc cernere poſſumus, quàm ſit neceſſaria vrbi magnæ, fluuij nauigabilis commoditas, & maritimi portus etiam, ſi poſſibile eſſet. Tam ad ſuſtentandos incolas ex aduectione & transportatione rerum victui neceſſariarum: quàm ad commercia cum aduenis exercenda. Et hoc de vrbe magna, quæ alijs imperitare velit, intelligendum eſt: nam ſi ſolum ſua conſeruare voluerit, & libertatem tueri: ſatius eſt, ab externorum commixtione ſe abſtinere. Hinc intendens Lycurgus, inter ceteras leges Spartanis argenti atque auri vſum prohibuit: illius vice corij vſum præbendo: vt

ſcilicet

ſcilicet omnis occaſio peregrinis illuc appellendi, & merces comportandi auferretur: Et ſic a corruptione externorum morum ciues ſui permanerent. Plut. in eius vita.

Curam reſtituendi Capitolij in L. Veſtinum confert, equeſtris ordinis virum, ſed auctoritate famaq. inter proceres.

SAEPE auctoritas & fama efficit, vt aliqui inter proceres numerentur, etſi vere non ſint. Idem ſupra lib. 3. Annal. de Salluſtio, inquit: Sine dignitate Senator in multos triumphalium, conſulariumq. potentia anteijt: & quæ ſequuntur.

Ab eo contracti haruſpices, monuere, vt reliquiæ prioris delubri in paludes aueherentur, templum iiſdem veſtigijs ſiſteretur. nolle deos mutari veterem formam.

VETERIS formæ mutatio ſemper eſt fugienda Principibus, tam circa Rempublicam, & principatum, quàm, & multo validius, circa religionem. Hanc enim ſemper ſequitur ſeditio, tumultus, bellum, & ſtatus reuolutio. Immo non ſolum debent Principes ſeruare veterem formam cum iam introducta eſt: ſed etiam, vt ſupra obſeruauimus conducit illis, cum id facere poſſunt, ad vetera instituta Reipublicæ formam redigere, idq. ſenſim, & mediorum opportunorum dexteritate in hoc vtendo: placuit hìc etiam idem repetere. Simulq. hac in re SIXTI V. PONT. MAX. ſapientiam teſtari. Qui in Conſtitutione, quam edidit de S. R. E. Card. creandorum numero, ordine, ætate, tempore, qualitate & officio, illud præcipuum in primo Capite præceptum poſuit: quod ad veteris ſynagogæ formam in Eccleſia Apoſtolica veritate reſponderet: numerum ſcilicet LXX. & non plurium Cardinalium præfiniendo, ad ſeptuaginta illos ſeniores quos mandauit DEVS Moyſi, e toto populo eligi, reſpiciendo. Verba Conſtitutionis ſunt hæc:

Ac vt veteris Synagogæ figura ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ veritati reſpódeat, ſequi cupiéntes mandatum Domini factum ad Moyſen, de congregandis ſeptuaginta viris, de ſenibus Iſrael, quos noſſet ſenes populi eſſe & magiſtros, vt ſecum onus populi ſuſtentárent, & non ipſe ſolus grauaretur, ſuper quos ad oſtium tabernaculi ductos, loquente Domino, Spiritus requieuit: de prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio perpetuo ſtatuimus & ordinamus, vt in poſterũ cõnumeratis omnibus cuiuſque ordinis Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis Cardinalibus, qui nunc ſunt, quiq. in futurũ creabuntur, cuncti ſimul numerum Septuaginta nullo vmquã tempore excedant, ac talis numerus quouis prætextu, occaſione, vel cauſa etiã vrgentiſſima minime augeatur. *Et quæ ibidẽ ſequuntur.*

Vndecimo Kalendas Iulias, ſerena luce, ſpatium omne, quod templo dicabatur, euinctum vittis coroniſq.

LICET hæc priſca cærimonia Gentilium hodie nobis proficere non poſſit, ob diuerſitatem rituum, & Religionis: tamen ex illius lectione inſpicere poſſumus, quàm pie, & religioſe in falſis ſuorum deorum honoribus colendis, agerent antiqui illi in idolorum ſeruitute cæcutientes. Hincq. conſiderare operæpretium erit, quanto maiorem, & exactiorem latriæ cultum nos Chriſtianos exhibere conueniat, vero noſtro ac in trinitate vno, & in vnitate trino, DEO OPT. MAX.

Ingreſſi milites, quibus fauſta nomina, felicibus ramis. dein virgines Veſtales, cum pueris puellisq. patrimis matrimisq. aqua riuis & fontibus amnibus hauſta, perluere. Tum Heluidius Priſcus prætor, præeunte Plauto Eliano pontifice, luſtrata boue taurisq. area, & ſuper ceſpitem redditis extis, Iouem, Iunonem, Mineruam, præſidesq. ſuas pietate hominum inchoatas, diuina ope attollerent, vittas, quibus ligatus lapis innexiq. funes erant, contigit. Simul ceteri magiſtratus, & ſacerdotes, & ſenatus, & eques, & magna pars populi, ſtudio lætitiaq. connixi, ſaxum ingens traxere: paſſimq. iniectæ fundamentis argenti auriq. ſtipes, & metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ, ſed vt gignuntur. Prædixere haruſpices, ne temeraretur opus ſaxo aurove in aliud deſtinato. Altitudo ædibus adiecta. Id ſolum religio annuere. & prioris templi magnificentiæ defuiſſe creditum, quo tanta vis hominum retinenda erat. Audita interim per Gallias Germaniasq. mors Vitellij, duplicauerat bellum. Nam Ciuilis, omiſſa diſſimulatione, in populum Romanum ruere.

DISSIMVLATIONEM omiſerat Ciuilis, quum artes eius omnibus iam notæ erant, nihilq. illa proficere poterat: & quia iam tantas vires contraxerat, vt aperte gerere bellum poſſet. Et ſic callide per opportunos gradus ab aſtutia ad vim & bellum tranſilinit.

Vitellianæ legiones externum ſeruitium, quàm imperatorem Veſpaſianum malle. Galli ſuſtulerãt animos, eandem vbique exercituum noſtrorum fortunam rati. vulgato rumore, a Sarmatis Daciſq. Mœſica ac Pannonica hiberna circumſideri, paria de Britannia fingebantur.

bantur. Sed nihil æque, quàm incendium Capitolij, vt finem imperij adeſſe crederent, impulerat.

VIDE quàm ſit mobile vulgus, & in ſuperſtitionem pronum. Sic ſupra lib. 5. Annal. de luna defectu in Pannonico exercitu annotauimus.

Captam olim a Gallis vrbem; ſed integra Iouis ſede, manſiſſe imperium. Fatali nunc igne, ſignum cæleſtis iræ datum. & poſſeſſionem rerum humanarum Tranſalpinis gentibus portendi, ſuperſtitione vana Druidæ canebant. Inceſſeratq. fama, primores Galliarum ab Othone aduerſus Vitellium miſſos, antequam digrederentur, pepigiſſe, ne deeſſent libertati, ſi populum Romanum continua bellorum ciuilium ſeries & interna mala fregiſſent. Ante Flacci Hordeonij cædem, nihil prorupit, quo coniuratio intelligeretur.

CIVILIS callide, dum Flaccus vixit, diſſimulauit: & quia vltor metuebatur; neque, dum ille viuebat, de Romanorum legionum perfidia tutus eſſe poterat. Interfecto vero Flacco, ſecure potuit aperte graſſari: tum quia hoſtium ducem ſuſtulerat, tum etiam, quòd legionum perfidiam ſibi pronam, & cœptis ſuis fautricem cernebat.

Interfecto Hordeonio, commeauere nuncij inter Ciuilem Claſſicumq. præfectum alæ Treuerorum. Claſſicus, nobilitate opibuſq. anteibat alios. Regium illi genus, & pace belloq. clara origo. Ipſe, e maioribus ſuis, hoſtis populi Rom. quam ſocius iactabat.

HI ſunt, qui vere poſſunt conuellere Reipublicæ, & principatus ſtatum: & ſemper a dominante ſunt cauendi. Illi nempe, qui nobilitate & opibus anteeunt alios; Regium habent genus, & pace belloq. claram originem; & e maioribus maiores hoſtes, quàm amicos Principis iactant.

Miſcuere ſeſe Iulius Tutor, & Iulius Sabinus, hic Treuir, hic Lingon. Tutor ripæ Rheni a Vitellio præfectus: Sabinus, ſuper inſitam vanitatem, falſæ ſtirpis gloria incendebatur,

NOTABILIS vanitas eſt illius, qui falſa ſtirpis gloria incenditur. Nam ſi etiam maiorum noſtrorum gloria, quæ vera eſt, noſtra non eſt, immo aliena: & nobis nihil aliud præſtat, quàm lumen quoddam, quod bona & mala noſtra in occulto eſſe non patitur: vt ſcite & grauiter inquit Marius apud Salluſtium: Nec nos decet gloriari aliena de re, ſed de noſtra tantum: *quanto magis hoc aſſerere poterimus de illo, qui falſò ſe ſuper imaginibus ac triumphis illorum, qui vere ſui non fuere maiores, ſe iactat, & effert? Natura equidem vna & communis omnium eſt, & fortiſſimus quiſque generoſiſſimus eſt. vt eſt apud eundem ibidem.*

proauiam ſuam diuo Iulio per Gallias bellanti, corpore atque adulterio placuiſſe.

MAGNVM eſt impudentiæ ſignum, ex proprij dedecoris confeſſione laudem & honorem apud vulgus ambire.

Hi ſecretis ſermonibus, animos ceterorum ſcrutati. vbi, quos idoneos rebantur, conſcientia obſtrinxere;

INCIPIVNT ſemper coniurationes ab obſtrictione conſcientiæ inter complices.

in colonia Agrippinenſi, in domum priuatam conueniunt. nam publice, ciuitas talibus incœptis abhorrebat.

NON in ciuitatibus publice, ſed priuatim in domibus, fiunt cætus & coniurationes. Regum enim, & Principum, vt ait Xenophon in 7. Pædia Ciri, multi ſunt oculi, & aures: & vbique auſcultatores, & exploratores habent: adeo vt ſecretiſſima etiam loca, ad has res tractandas intuta ſint.

Attamen interfuere quidam Vbiorum, Tungrorumq. Sed plurima vis penes Treueros, ac Lingonas. Nec tulere moras conſultandi.

IMPATIENTES non ſunt boni ad conſultandum: nam cum ferre moras non poſſint, conſilij autem vis in conſiderando conſiſtat, & tempus huic rei magnum adhiberi oporteat: ſequitur, quod ſemper temeritate omnia confundent. Quo magis enim cogitantur ac perpenduntur vi conſilij negotia, eo melius tranſiguntur.

certatim proclamant, furere diſcordijs populum Rom. cæſas legiones, vaſtatam Italiam, capi cum maxime vrbem, omnes exercitus ſuis quemque bellis diſtineri. ſi alpes præſidijs firmen-

firmentur: coalita libertate, diſpecturas Gallias, quem virium ſuarum terminum velint. Hæc dicta pariter, probataq.

APVD vulgus facile eſt aliquid dicere, & id ſine rationibus probare. Non ita apud prudentes. Quibus ſi euidens ac efficax cauſſa non patebit, numquam ad res nouandas eos adducere poteris.

de reliquijs Vitelliani exercitus dubitauere. Plerique interficiendos cenſebant, turbidos, infidos, ſanguine ducum pollutos. Vicit ratio parcendi: ne ſublata ſpe veniæ, pertinacia accenderentur.

CVM ſpes veniæ tollitur, pertinacia accenduntur mortalium animi. Id fugiendum omnibus modis Principi; ne ſcilicet in deſperationem ſubditos adducat. Nihil enim intentatū relinquent, vt eum interficiant.

Alliciendos potius in ſocietatem. legatis tantum legionum interfectis, ceterum vulgus conſcientia ſcelerum, & ſpe impunitatis, facile acceſſurum.

DVABVS his rebus facile vulgus ad res nouandas contra Principem a factioſis viris impellitur: Conſcientia ſcelerum, & ſpe impunitatis. Sic proxime ſupra: Vbi quos idoneos rebantur, conſcientia obſtrinxere. &c.

Ea primi concilij forma. miſſiq. per Gallias concitores belli. Simulatum ipſis obſequiū, quo incautiorem Voculam opprimerent.

OBSEQVII ſimulatione, incautior æmulus vel hoſtis opprimi ſolet. In eandem ſententiam ſupra lib. 3. Hiſt. de Muciano erga Antonium Primum, inquit: Palam laudatum, quo incautius deciperet.

Nec defuere, qui Voculæ nunciarent. Sed vires ad coercendum deerant, infrequentibus infidisq. legionibus. Inter ambiguos milites, & occultos hoſtes, optimum e præſentibus ratus, mutua diſſimulatione, & iiſdem, quibus petebatur, artibus graſſari, in coloniam Agrippinenſem deſcendit.

DVBIAE ſunt ducis illius res, & magna in eo prudentia ad recte ſe expediendum requiritur: qui inter ambiguos milites, & occultos hoſtes deſtineatur. Perfidiam ſuorum, & hoſtium inſidias calleat; ſed vires ad coercendum non habeat. Quid ergo agendum tali in caſu? Eligendum, vt ait Sapiens, e duobus malis minus.

Illuc Claudius Labeo, quem captum & extra conuentum amandatum in Friſios diximus, corruptis cuſtodibus, perfugit. pollicitusq. ſi præſidium daretur, iturum in Batauos, & potiorem ciuitatis partem ad ſocietatem Romanam retracturum: accepta peditum equitumq. modica manu, nihil apud Batauos auſus, quoſdam Neruiorum Bethaſiorumq. in arma traxit. Et furtim magis, quàm bello, Caninefates Marſacosq. incurſabat. Vocula Gallorum fraude illectus, ad hoſtem contendit.

NOVVM hoc, & inauditum, quòd Gallorum gens fraudes exerceat. Vt plurimum enim ſolent eſſe Galli ſimplices, aperti, & veraces.

Nec procul Veteribus aberat, cum Claſſicus ac Tutor per ſpeciem explorandi prægreſſi, cum ducibus Germanorum pacta firmauere. Tumq. primum diſcreti a legionibus, proprio vallo caſtra ſua circumdant, obteſtante Vocula, Non adeo turbatam ciuilibus armis rem Romanam, vt Treueris etiam Lingonibusq. deſpectui ſit.

IN arduis perſpicitur ducis virtus & conſtantia. Et quod hic in Vocula tradit Auctor, ſupra Annal. 1. in Bleſo idem recenſet.

Supereſſe fidas prouincias, victores exercitus, fortunam imperij, & vltores deos.

INTER multa epiteta & attributa, quæ Deo a nobis dantur, hoc eſt præcipuum, quòd Vltionum DEVS dicitur. Nulla enim malefacta ſiuit impunita.

Sic olim, Sacrouirum & Æduos; nuper, Vindicem Galliasq. ſingulis prælijs concidiſſe. Eadem rurſus numina, eadem fata, ruptores fœderum expectarent. Melius diuo Iulio, diuoq.

diuoq. Auguſto notos eorum animos. Galbam, & infracta tributa, hoſtiles ſpiritus induiſſe.

DVBIVM non eſt, quòd ex contemptu, vel ex veneratione Principis oritur obſequium vel contumacia in ſubditorum animis. Sic hi, qui ſub Iulio, & Auguſto fortibus, & prudentibus Principibus, quieti in ſeruitute manſerunt: ſub Galba, contemnendo & ignauo Principe, hoſtiles induerunt ſpiritus.

Nunc hoſtes, quia molle ſeruitium: cum ſpoliati exutiq. fuerint, amicos fore. Hæc ferociter locutus, poſtquam perſtare in perfidia Claſſicum Tutoremq. videt; verſo itinere, Noueſium concedit. Galli, duûm millium ſpatio diſtantibus campis, conſedêre. Illuc commeantium centurionum militumq. emebantur animi:

MORTALIVM animi emuntur multis modis, ad mutandam fidem erga illos, quibus ſeruare illam deberent. Huic conſonat, quod ſupra lib. 16. Annal. dixit de Baſſo Pæno Auctor: Principis aditum emercatus: & quæ ibi ſequuntur.

vt, flagitium incognitum, Romanus exercitus in externa verba iurarent, pignusq. tanti ſceleris, nece, aut vinculis legatorum daretur. Vocula, quamquam plerique fugam ſuadebant, audendum ratus,

FORTIS vere eſt ille, qui in ipſo mortis diſcrimine, etſi eam euitare poteſt, tamen audere mauult, & pericula ſuſtinere.

vocata concione, in hunc modum diſſeruit: Numquam apud vos verba feci, aut pro vobis ſolicitior, aut pro me ſecurior.

DIGNA eſt obſeruatione oratio hæc Voculæ; efficax enim, & feruoris plena eſt: & quam merito finis qualem habuit Vocula, conſecutus eſt.

Nam mihi exitium parari, libens audio: mortemq. in tot malis [hoſtium] vt finem miſeriarum exſpecto.

IN multis malis hoſtium, mors pro fine miſeriarum eſt habenda. Et teſte Iſocrate, Panegir. orat. 8. Honeſtis, & bonis viris eligibilius eſt, bene mori, quàm turpiter viuere: Idem de Regno. orat. 2. inquit: Sin periclitari cogaris, mori magis, quàm turpiter viuere delige.

Veſtri me pudet miſeretq. aduerſus quos non prælium & acies parantur. id enim fas armorum, & ius hoſtium bellum cum populo Romano veſtris ſe manibus geſturum, Claſſicus ſperat: imperiumq. & ſacramentum Galliarum oſtentat.

EST pudendum eſt miſerendum, a duce præſertim, illis militibus, aduerſus quos non prælium & acies parantur: ſed qui proditione ab hoſtibus tentantur.

Adeo nos, ſi fortuna in præſens virtusq. deſeruit, etiam vetera exempla deficiunt.

AB exemplis veterum haurienda ſunt nobis præcepta ad virtutem exercendam.

quoties Romanæ legiones perire præoptauerunt, ne loco pellerentur? ſocij ſæpe noſtri, exſcindi vrbes ſuas, ſeq. cum coniugibus ac liberis cremari pertulerunt.

ID magnum eſt fidei erga Principem argumentum; cum præoptant perire, ſeq. ac coniuges, & liberos necari, potius quàm locum deſerere. Tale exemplum inſigne fertur de Alfonſo Perezio Guzmano Hiſpanienſi duce, quod ſic ſe habet. SANCTIVS cognomento Ferox, Caſtellæ Rex, Ioannem fratrem carceri addixerat, a quo fuga elapſus ad Abeniacobum Belamarinum Mauritanum in Africa regnantem aufugit, cui pollicetur daturum ſe operam certoq. futurum, vt Tarteſus, nunc Tariſa dicta, nobilis munitiſſimaq. vrbs in faucibus freti Herculei ſita, quam nuper Sanctius expugnarat, in poteſtatem eius rediret, ſi copia ei concrederentur. Placuit Regi conſilium, claſſem eius rei gratia inſtruit, milite complet, vtrique Ioannem ſummo cum imperio præficit. Sanctius Caſtellæ Rex vt huius conatibus obſiſteret Alfonſum Perezium Guzmanum virum ſtrenuum auita nobilitate & militia clariſſimum deligit, Tarteſumq. opportune præmiſit, vt vrbem ab hoſtili impetu tueretur, ſuppetias ad diem opportunos illaturum pollicetur. Ioannes ex Africa ſoluens per anguſtias illius freti, quæ vix decem milliaria cõplectitur, ad Carteiam in littore Hiſpanico, poſtea Algezıram dictam appulit,

appulit, moxq. Tarteſum terra mariq. obſidione cinxit. Ioannes ſecum Petrum Alfonſum adoleſcentulum Alfonſi Guzmanni filium in caſtris habebat, quo pignore firmam ſpem conceperat ab Alfonſo parente vrbem & arcem facile impetraturum. Cumq. tempus ſtatutum a Rege præteriſſet promiſſi ſubſidij tranſmittendi. Cum Alfonſo agit de deditione vrbis & arcis, ſe amplius Regi non teneri, fidemq. minime violare dicebat, cum Rex pollicitis non ſtetiſſet: Sin ſecus faceret in eiuſmet conſpectu filium iugulaturum. Hac re percepta, Alfonſus intrepidus ad mœnia arcis accedens publice edixit, eam vrbem & arcem a Rege Sanctio commiſſam ſibi, eidem ſacramentum præſtaſſe, quod nullo vmquam tempore eſſet violaturus, etiamſi mors illi ſubeunda, aut filij nex ſuſtinenda foret: & vt certius ſuæ conſtantiæ & animi intrepidi teſtimonium exhiberet, pugionem exemit, & extra mœnia ad hoſtes proyciens, arma ſe miniſtrare ait, quibus iugulum nati peteretur, ſi alius eſſet gladius defuturus: & mox a mœnibus diſcedens intra arcem ſe recepit. Ioannes, qui ægre Alfonſi Guzmanni conſtantiam ferebat, in rabiem verſus, continuo, ſpectante e mœnibus milite, paterno gladio innocentiſſimi filij caput exſecuit. Ciues, qui in mœnibus vrbis aderant, & milites in præſidio arcis tam ſæuo & immani ſpectaculo commoti, clamorem ingentem tollunt. Ad quem feſtinus Alfonſus Guzmannus accurrit, cauſſamq. ſciſcitatus, vt comperit necem illos filij plangere: Verebar inquit, ne hoſtes in vrbem irrupiſſent, aut aliquid contra arcem fuiſſent moliti. Poſtquam autem ea ſalua ſunt, cetera æquiore animo perferam. Ioannes vero ſpe recuperandæ vrbis amiſſa, re infecta, tumultuante exercitu, coactus eſt in Africam inglorius redire. Sanctius autem Rex, adeo præclarum Alfonſi Guzmanni facinus æſtimandum duxit, vt eius fidem & fortitudinem publicis litteris commendarit, quod Patrem Abraamum fuerit imitatus in immolando filio, quem ſicut ille voto; ita iſte re ipſa victimam pro reipublica ſalute obtulerit. Ampliſſimum præterea Priuilegium ipſi & poſteris eius omnibus conceſſit. Thynnos, qui per ea & proxima littora gregatim diſcurrunt, expiſcandi & cetarium habendi, quo in præſens dux Metinenſis a Sidonia huius præclariſſimæ familiæ caput, fruitur. Eſtq. adeo hic piſcatus ingentis prouentus, vt ad octuaginta & nonnumquam centum mille aureos quotannis aſcendat.

neque aliud pretium exitus; quàm fides famaq.

M*AGNVM pretium eſt omnis exitus, fides & fama. Conſonat huic, quod inquit Sapiens: Prouerb. 22.* Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: ſuper argentum enim & aurum gratia bona.

Tolerant cum maxime inopiam obſidiumq. apud Vetera legiones, nec terrore aut promiſſis demouentur.

D*VAE hæ ſunt res, quæ militum animos frangere ſolent, & eos ad perfidiam aduerſus Principem flectere: Terror, ac Promiſſa. Qui ergo his non demouentur, fortes vere ac fidi ſunt habendi.*

Nobis, ſuper arma & viros, & egregia caſtrorum munimenta, frumentum & commeatus quamuis longo bello pares. Pecunia nuper, etiam donatiuo ſufficit: quod ſiue a Veſpaſiano, ſiue a Vitellio datum. interpretari mauultis, ab imperatore certe Romano accepiſtis. Tot bellorum victores, apud Geldubam, apud Vetera, fuſo toties hoſte,

E*FFICAX modus confirmandi in fide militum animos, cum illos admonemus rerum præclare ab illis geſtarum, & victoriarum partarum. Sic ſupra lib. 1. Annal. Germanicus, inquit legioni: Tu tot præliorum ſocia, tot præmijs aucta: & quæ ſequuntur.*

ſi pauetis aciem, indignum id quidem.

M*ILITI, qui ſæpe hoſtem deuicerit, & eum fuderit, indignum eſt pauere.*

Sed eſt vallum muriq, & trahendi artes, donec e proximis prouincijs auxilia exercitusq. concurrant.

A*RTES trahendi bellum debent a duce exerceri, cum impar numero & viribus eſt hoſti, donec illi auxilia & exercitus concurrant. Sæpe enim hoc modo ludificantur hoſtiles impetus. Sic Fabius Maximus aduerſus Annibalem Pœnorum ducem agendo, rem Romanam pene collapſam reſtituit. Vnde præclare de illo dictum ab Ennio:*

Vnus, qui nobis cunctando reſtituit rem.

Sic ſupra

Sic ſupra lib. 1. Hiſt. in perſona Paulini; inquit: Tracto in aſtatem bello: & paulo poſt in fine orationis: proinde duceret bellum.

Sane ego diſpliceam. Sunt alij legati, tribuni, centurio denique, aut miles: ne hoc prodigium toto terrarum orbe vulgetur, vobis ſatellitibus, Ciuilem & Claſſicum Italiam inuaſuros. An ſi ad mœnia vrbis Germani Galliq. duxerint, arma patriæ inferetis? Horret animus tanti flagitij imagine.

PROBORVM animi horrent non ſolum flagitijs ipſis, ſed etiam flagitiorum imaginibus. Sic ſupra lib. 1. Annal. de Germanico inquit: Tum vero, quaſi ſcelere contaminaretur: & qua ſequuntur.

Tutori Treuero agentur excubiæ? Signum belli Batauus dabit?

ARTIFICIOSVS modus reducendi ad obſequium militem eſt hic, quo vtitur Vocula. Sic ſupra lib. 1. Annal. inquit: Percennio ne & Vibuleno ſacramentum dicturi ſumus? & qua ſequuntur.

& Germanorum cateruas ſupplebitis? quis deinde ſceleris exitus? cum Romanæ legiones contra direxerint: transfugæ e transfugis, & proditores e proditoribus, inter recens & vetus ſacramentum inuiſi deis errabitis? Te Iupiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos, tot triumphis coluimus; te Quirine Romanæ parens vrbis, precor veneror q. vt ſi vobis non fuit cordi, me duce, hæc caſtra incorrupta & intemerata ſeruari: at certe pollui fœdariq. a Tutore & Claſſico, ne ſinatis.

EFFICAX Epiphonema: Simile illi Germanici ad Auguſtum & Druſum, ſupra lib. 1. Annal. cum inquit: Tua Diue Auguſte cælo recepta mens, tua pater Druſe imago, tui memoria iiſdem cum militibus, quos iam pudor & gloria intrat, eluant hanc maculam, iraſq. ciuiles in exitium hoſtibus vertant.

Militibus Romanis, aut innocentiam detis; aut maturam, & ſine noxa pœnitentiam.

NOBIS A DEO precanda eſt aut innocentia malorum: aut matura, & ſine noxa pœnitentia, quæ ſemper minus eſt grauis.

Varie excepta oratio, inter ſpem metumq. ac pudorem.

CVM animus noſter varie a varijs affectibus agitatur, & more Euripi, æſtuat: tunc ſana conſilia non habent locum, & varie accipiuntur.

Digreſſum Voculam, & de ſupremis agitantem, liberti ſeruiq. prohibuere fœdiſſimam mortem ſponte præuenire.

OBSERVANDVM eſt hoc in Auctore noſtro, qui opinionem ſuam oſtendit circa illos, qui ſibi manu propria mortem conſciſcunt: nempe fœdiſſimam mortem talem appellando. Et hoc conſonat Religioni, & fidei Christianæ: qua vetamur e clauſtris mortalis huius exire, antequam hora venerit.

Et Claſſicus miſſo Æmilio Longino deſertore primæ legionis, cædem eius maturauit. Herennium & Numiſium legatos, vinciri ſatis viſum. Dein ſumptis Romani imperij inſignibus, in caſtra venit. Nec illi, quamquam ad omne facinus durato, verba vltra ſuppeditauere, quàm vt ſacramentum recitaret.

ETIAM facinoroſis ad omne ſcelus duratis, in magno aliquo ſcelere patrando, verba deſunt. Sic Iuda, qui SALVATOREM prodidit, cum ab illo benigne interrogaretur: Amice ad quid veniſti? vox defecit: & reſpondere nequiuit.

Iurauere qui aderant, pro imperio Galliarum. Interfectorem Voculæ, altis ordinibus, ceteros, vt quiſque flagitium nauauerat, præmijs attollit.

CONFERENDVS eſt hic locus cum illo ſuperiori in lib. 12. Annal. vbi de Xenophonte medico inquit: Haud ignarus ſumma ſcelera incipi cum periculo, peragi cum præmio.

Diuiſæ inde inter Tutorem & Claſſicum curæ. Tutor, valida manu circumdatos Agrippinenſes, quantumq. militum apud ſuperiorem Rheni ripam, in eadem verba adigit. Occi-

ſis

ſis Magontiaci tribunis, pulſo caſtrorum præfecto, qui detractauerant, Claſſicus corruptiſſimum quemque e deditis pergere ad obſeſſos iubet, veniam oſtentantes, ſi præſentia ſequerentur. aliter, nihil ſpei. Famem, ferrumq. & extrema paſſuros.

AD corrumpendum alterum, corruptiſſimus quiſque deligitur: nam hi præter rationes alias perſuadendi, adijciunt etiam exemplum ſuum.

Adiecere qui miſſi erant, exemplum ſuum. obſeſſos hinc fides, inde egeſtas, inter decus ac flagitium diſtrahebant. Contantibus ſolita inſolitaq. alimenta deerant: abſumptis iumentis equisq. & ceteris animalibus, quæ profana fœdaq. in vſum neceſſitas vertit.

HOMINVM Tyranna eſt neceſſitas: & amariſſima certe ſunt ſua leges, teſte Val. Max: & truculentiſſima imperia. illiq. repugnare non licet. Vnde nil mirum ſi in obſidionibus profana & fœda in vſum vertit; ſed & humanorum corporum dapibus veſci obſeſſos cogit: vt Numantinis cum Scipione euenit: Immo & execrabili impietate nonnunquam adeo ſupergreditur, vt nec filijs nec vxoribus parcat. Calagurritani enim a Cn. Pompeio obſeſſi, quo perſeuerantius fidem Sertorij cineribus præſtarent, vxores ſuas, natosq. ad vſum nefariæ dapis verterunt. Et quo diutius armata iuuentus viſcera ſua viſceribus ſuis aleret, infelices cadauerum reliquias ſalire non dubitauit. Valerius Maximus lib. 7. cap. 6. Talia exempla habentur & apud Ioſephum Iudæum Hiſt. in obſidione Hieroſolymorum per Titum aggreſſa.

Virgulta poſtremo & ſtirpes & internatas ſaxis herbas vellentes, miſeriarum patientiæq. documentum fuere: donec egregiam laudem, fine turpi macularent, miſſis ad Ciuilem legatis vitam orantes.

FINIS turpis laudes egregias maculare ſolet. Vnde Franciſcus Petrarca grauiter admodum ſermone Italico cecinit ſententiam hanc, quæ latine ſonat:

Vitam exitus, diem veſper probat.

Neque ante preces admiſſæ, quàm in verba Galliarum iurarent. Tum pactus prædam caſtrorum, dat cuſtodes, qui pecuniam, calones, ſarcinas retentarent, ac qui ipſos leues abeuntes proſequerentur. Ad quintum fere lapidem coorti Germani, incautum agmen aggrediuntur. Pugnaciſſimus quiſque, in veſtigio; multi palantes occubuere. Ceteri retro in caſtra profugiunt, querente ſane Ciuile & increpante Germanos, tamquam fidem per ſcelus abrumperent.

NOTA ſolertiam & ſimulationem Ciuilis; quam ſæpe in ſimilibus non ſemel exercuit Aurantius temporibus noſtris. Et eſt hæc ſemper annexa ſimili hominum generi. Quorum promiſſa, & pacta nihili ſunt æſtimanda, vel facienda. Vt etiam Gabrio Serbelloni & ſocijs, qui Tuneti obſeſſi & expugnati a Muſtafa fuerunt, euenit.

Simulata ea fuerint, an retinere ſæuientes nequiuerit, parum affirmatur. Direptis caſtris, faces inijciunt. Cunctosq. qui prælio ſuperfuerant, incendium hauſit. Ciuilis, barbaro voto, poſt cœpta aduerſus Romanos arma, propexum rutilatumq. crinem, patrata demum cæde legionum, depoſuit.

HOC non ſolum in crine, ſed & in vnguibus, ſanguinarij, & vltionum cupidi viri facere conſueuerunt; vt vnguem minoris digiti conſque intactam a ſcalpro ſeruent, donec inimicorum ſuorum cæde, ſe exſatiauerint. Id vero quàm bene, ipſi viderint.

Et ferebatur paruulo filio, quoſdam captiuorum, ſagittis iaculisq. puerilibus figendos, obtuliſſe.

MOS eſt Leonum hic, catulos ſuos in ſanguinem ferarum incendendo, ad ferociam eos acuere, & efferare. Simili modo Amilcar pater Annibalem filium, annorum fermè nouem pueriliter ipſi blandientem, tactis ſacris iureiurando adegit, ſe, cum primum poſſet, hoſtem fore populo Romano. vt eſt apud Liuium in initio lib. 1. Decadis iij. De qua re ſic Silius Italicus lib. 1.

Hanc rabiem in fines Italum, Saturniaq. arma
Addiderat quondam puer patrius furor.
Et paulo inferius:
Nobilis hoc ortu, & dextra ſpectatus Amilcar
Vt fari, primumq. datum diſtinguere lingua

Annibali

Annibali vocem, ſolers nutrire furores
Romanum ſæuit puerili in pectore bellum.

Et paulo poſtquam deſcripſit ſacrum Eliſæ: ſubiungit:

Annibal hæc patrio iuſſu ad penetralia fertur,
Ingreſsiq. habitus atque ora explorat Amilcar.
Non ille Euantis Maſſylæ expalluit iras,
Non diros templi ritus, aſperſaq. tabo
Limina, & audito ſurgentes carmine flammas.
Olli permulcens genitor caput, oſcula libat,
Attollitq. animos hortando, & talibus implet:
Gens recidiua Phrygum, Cadmeæ ſtirpis alumnos
Fœderibus non æqua premit: ſi fata negarint
Dedecus id patriæ noſtra depellere dextra,
Hæc tua ſit laus, nate velis. Age, concipe bella
Latura exitium Laurentibus. Horreat ortus
Iam pubes Tyrrhena tuos, pactusq. recuſent,
Te ſurgente puer, Latiæ producere matres.
His acuit ſtimulis, ſubiecitq. haud mollia dicta
Romanos terra, atque vndis, vbi conferet ætas,
Ferro igniq. ſequar, Rhæteaq. fata reuoluam.
Non ſuperi mihi, non Martem cohibentia pacta,
Non celſæ abſtulerint rupes, Tarpeiaq. ſaxa
Hanc mentem. Iure noſtri per numina Martis,
Per manes, Regina, tuos. Tum nigra triformis
Hoſtia mactatur Diuæ, raptimq. recludit
Spirantes artus, poſcens reſponſa ſacerdos,
Ac fugientem animam properatis conſulit extis.

Libuit omnia hæc Silij carmina ſubnectere: quia mirifice vtraque hæc barbara & Amilcaris & Ciuilis feritas congruere inuicem videntur. Et ex vnius exempli inſpectione illuſtratur alterum.

Ceterum neque ſe, neque quemquam Batauum, in verba Galliarum adegit: fiſus Germanorum opibus,

QVI *a ſe pendere poteſt, & ſua vi niti, is numquam ſe alteri ſubdat. Libertatem enim nemo bonus, niſi cum anima ſimul amittit. Et ſecundum Plautum:*

Omnes profecto liberi lubentius
Sumus quàm ſeruimus.

&, ſi certandum aduerſus Gallos de poſſeſſione rerum foret, inclytus fama, & potior.

A*D exiſtimationem multum conducit egregia fama, quæ ex ſententijs omnium pendet, & numquam eſt negligenda: cum ſit non mediocre telum ad res gerendas: teſte Tullio, in Lælio.*

Mumius Lupercus legatus legionis, inter dona miſſus Velledæ. Ea virgo nationis Bructeræ, late imperitabat: vetere apud Germanos more, quo pleraſque feminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione, arbitrentur deas.

S*IC infra de moribus Germanorum de eadem Velleda inquit.*

Tuncq. Velledæ auctoritas adoleuit. nam proſperas Germanis res, & excidium legionum prædixerat.

A*DOLESCIT auctoritas noſtra, cum orationi noſtra reſpondent exitus.*

Sed Lupercus, in itinere interfectus.

S*CITE cecinit Lucanus;*

Vt nemo doceat fraudis, ac ſceleris, vitam:
Regnum docebit.

Hinc Ciuilis, nec fidem ſeruabat, nec promiſſa æſtimabat, ſed omnia iura confundens, per fas & nefas, id, quod ſibi tutum fore exiſtimabat, efficiebat.

Pauci centurionum tribunorumq. in Gallia geniti reſeruantur, pignus ſocietatis.

SIC ſupra lib. 2. Annal. de Phraate Parthorum rege inquit: Partemq. prolis firmandæ amicitiæ miſerat. Commixtio enim hominum inter ſe ſocietatem & amicitiam & gignit & conſeruat.

Cohortium, alarum, legionum hiberna, ſubuerſa crematáq. iis tantum relictis, quæ Magontiaci, ac Vindoniſſæ ſita ſunt. Legio XIII. cum auxilijs ſimul deditis, a Noueſio in coloniam Treuerorum tranſgredi iubetur, præfinita die intra quam caſtris excederet. Medium omne tempus, per varias curas egere. ignauiſſimus quiſque, cæſorum apud Vetera exemplo, pauentes; melior pars, rubore & infamia, quale illud iter, quis dux viæ, & omnia in arbitrio eorum, quos vitæ necisq. dominos feciſſent. Alij, nulla dedecoris cura, pecuniam aut cariſſima ſibimet ipſi circumdare. Quidam expedire arma, telisq. tamquam in aciem accingi.

PVLCHERRIME hic deſcribitur exercitus conſternatio, & ſine duce facies.

Hæc meditantibus, aduenit proficiſcendi hora, exſpectatione triſtior. Quippe intra vallum, deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus, & dies.

QVAE in tenebris conſpicua eſſe non ſolent, apparente luce, ſe oſtendunt.

Reuulſæ imperatorum imagines, * innexa ſigna, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis, ſilens agmen, & velut longæ exſequiæ. Dux Claudius Sanctus effoſſo oculo, dirus ore, ingenio debilior. Duplicatur flagitium, poſtquam, deſertis Bonnenſibus caſtris, altera ſe legio miſcuerat. Et vulgata captarum legionum fama, cuncti, qui paulo ante Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectisq. & vndique effuſi, inſolito ſpectaculo nimium fruebantur. Non tulit ala Picentina gaudium inſultantis vulgi.

ADIICE hoc Epiſtetum ceteris vulgi.

ſpretisq. Sancti promiſſis, aut minis, Magontiacum abeunt: ac forte obuio interfectore Voculæ Longino, coniectis in eum telis, initium exſoluendæ in poſterum culpæ fecere. Legiones nihil mutato itinere, ante mœnia Treuerorum conſidunt. Ciuilis & Claſſicus rebus ſecundis ſublati, an coloniam Agrippinenſem diripiendam exercitibus ſuis permitterent, dubitauere. Sæuitia ingenita & cupidine prædæ, ad excidium ciuitatis trahebantur. Obſtabat ratio belli, & nouum imperium inchoantibus vtilis clementiæ fama.

NOVVM imperium inchoantibus vtilis eſt clementia fama: Allicit enim multos homines ad ineundum tecum ſocietatem: conciliat amorem vicinorum: & vt, breuiter dicam, fundamentum imperij iacit, quod eſt firmiſſimum, nempe amorem ſubditorum.

Ciuilem etiam beneficij memoria flexit; quòd filium eius primo rerum motu in colonia Agrippinenſi deprehenſum, honorate cuſtodierant. Sed Tranſrhenanis gentibus inuiſa ciuitas, opulentia auctuq.

INTER proximos inuidiam eſſe, aſſerit Ariſtoteles in ij. Rhetor. Inde odium, ſi vicinus opulentior vicino ſit.

Neque alium finem belli rebantur, quàm ſi promiſcua ea ſedes omnibus Germanis foret: aut diſiecta, Vbios quoque diſperſiſſet. Igitur Tencteri, Rheno diſcreta gens, miſſis legatis, mandata apud concilium Agrippinenſium edi iubent. quæ, ferociſſimus e legatis, in hunc modum protulit:

PLACIDITAS & non ferocia requiritur in legato. Dicit enim Sapiens. Prouerb. 15. Sermo durus ſuſcitat furorem: *& Prouerb. 25. ait:* Lingua mollis confringet duritiam. *De officio legati, & quæ requirantur in eo: vide elegantem tractatum latinum Hermolai Barbari Patritij Veneti. Et Dialogum Italico ſermone conſcriptum a Torquato Taſſo.*

Rediſſe vos in corpus nomenq. Germaniæ, cõmunibus deis, ſed præcipuo deorum Marti grates agimus. Vobiſq. gratulamur, quòd tandem liberi inter liberos eritis.

GRATVLANDVM iure eſt illis qui liberi inter liberos ſunt. Nam liberis inter ſeruos, inuidia habetur: ſerui inter liberos deſpectui ſunt.

 nam ad

nam ad hunc diem, flumina ac terras, & cælum quodam modo ipſum clauſerant Romani: vt colloquia congreſſusq. noſtros arcerent,

HOC agunt, qui tyrannice imperitant: nempe ad arcendos catus & congreſſus ſubditorum; eos diſtrahunt, ſeparant, & varijs modis diuidunt: vt quaſi dici poſſit, quòd illis flumina, terras, & cælum quodam modo ipſum claudant. Ariſtoteles fuſius de his lib. 5. Polit. Et Xenophon in Tyranno.

vel, quod contumelioſius eſt viris ad arma natis, inermes ac prope nudi, ſub cuſtode & pretio coiremus.

NIHIL contumelioſius eſt viris ad arma natis, quàm inermes, ac prope nudos ſub cuſtode ac pretio coire. Hinc generoſus rubor ille, & horror Achillis, in femineo habitu apud Lycomenem latentis, ad conſpectum clypei, quem Vlyſſes inter muliebrium dona produxerat. De quo ſic eleganter Statius in 11. Achilleidos:

At ferus Aeacides radiantem vt cominus orbem,
Cælatum pugnis ſæuis, & forte rubentem
Bellorum maculis, & accliuem conſpicit haſtam;
Infremuit, torſitq. genas: & fronte relicta
Surrexere comæ. Nuſquam mandata parentis:
Nuſquam occultus amor: totoq. in pectore Troia eſt.

Et paulo inferius, explicata Leonis comparatione, ſubdit:

Vt vero acceſsit propius, luxq. æmula vultum
Reddidit, & ſimilem tandem ſe vidit in auro,
Horruit, erubuitq. ſimul: *Et quæ ſequuntur.*

Huc pertinet etiam dolor ille Cleomenis, quem Plutarchus in eius vita copioſe recenſet, illum angere ſolitum fuiſſe, cum apud Ptolameum Regem Aegypti in cuſtodia detineretur. Vt enim ſacer taurus, inquit Plutarchus, quamquam abunde inter parietes nutritus in ſummis delicijs habeatur, magis tamen conſuetam vitam exoptat, & currendi, ſaltandiq. deſiderio tenetur, & ſacerdotum attrectationem non facile ſuſtinens, ſe etiam illis terribilem præſtat: Eodem modo deliciæ millitiesq. regiæ haudquaquam Cleomeni placebant, ſed tabeſcebat animo in otio permanens, & tumultum, clamoremq. bellicum exoptabat.

Sed vt amicitia ſocietasq. noſtra in æternum rata ſint: poſtulamus a vobis, muros coloniæ, munimenta ſeruitij detrahatis.

HVC pertinent Spartanorum inſtituta, qui vrbem mœnibus non cingebant: pro muris, reputantes ciues armatos. Vnde Ageſilaus cuidam percontanti, quam ob cauſſam Sparta non cingeretur mœnibus, oſtendit ciues armatos, inquiens: Hi ſunt Spartanæ ciuitatis mœnia. Et cum alius quidam hoc idem percontatus eſſet, reſpondit: Ciuitatem non ſaxis ligniſve, ſed pro vallis ac mœnibus incolentium virtute munire oportere. Similiter Antalcidus dicebat, Muros Spartæ, eſſe iuuenes Spartanos.

etiam fera animalia, ſi clauſa teneas, virtutis obliuiſcuntur.

ET hac fuit cauſſa, quæ Lycurgum impulit ad ferendam legem, ne Sparta cingeretur muris. Aliquibus enim huius rei cauſſam percontantibus: Quoniam, inquit, non caret mœnibus ciuitas, quæ non lateribus, ſed viris cincta eſt. Et ſic iudicauit, munimenta in genere, magis arguere ciuium ignauiam, quàm fortitudinem. Simile fuit reſponſum Theopompi cuidam oſtendenti ciuitatis ſua mœnia, ac interroganti, num valida, & alta viderentur? Minime, inquit Theopompus, ſiquidem ſunt mulierum. Sentiens ciuitatem ſatis munitam eſſe, ſi viros habeat; ſin minus, nihil prodeſſe quamlibet operoſa munimenta.

Romanos omnes, in finibus veſtris, trucidetis. haud facile libertas, & domini miſcentur.

LIBERTAS, & Domini haud facile miſcentur. Pugnantia enim inuicem, ſecundum Philoſophum, ſimul ſtare non poſſunt: Inde fit, vt cum nihil magis contrarium ſit libertati, quàm dominatio, quòd Dominus & Libertas difficulter, immo impoſsibiliter miſceantur. Et ideo quicumque Regiones in libertate viuentes occupauit, pracauet ſemper ab illo nomine huic rei odioſo, nempe Domino, eius vice nomen aliud accipiendo, quod licet re vera quoad effectum idem importet, tamen ſpeciem odioſam adeo non præſeferat. Vt Caput Reipublicæ, Protector, Dux, & ſimilia, cuius rei exempla multa habemus & apud veteres, & apud recentes hiſtoricos.

Bona

Bona interfectorum, in medium cedant: ne quis occulere quidquã, aut ſegregare cauſſam ſuam poſſit. Liceat nobis vobiſq. vtraque ripam colere, vt olim maioribus noſtris quo modo lucem noctemq. omnibus hominibus; ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.

Q*VO MODO lucem, noctemq. omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Inde illud vulgatum* Omne ſolum patria forti eſt: *cum huius virtutis ſit proprium res arduas aggredi, eas ſuperare, nihil, quod homini accidere poſſit, intolerandum putare; & quoquo ſe vertat, omnia peruia reddere. Et multas alias inſignes huius virtutis proprietates vide apud Ciceronem, quæ in præſentia omitto.*

Inſtituta cultumq. patrium reſumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus aduerſus ſubiectos quàm armis valent,

T*YRANNI valent plus voluptatibus quàm armis aduerſus ſubditos: Illis enim illos eneruare, & effeminare ſtudent. Vide Ariſt. in 5. Polit.*

ſincerus & integer, & ſeruitutis oblitus populus, aut ex ęquo agetis, aut alijs imperitabitis.

P*OTEST quidem ſperari hoc de populo integro, & ſincero, quod inquit Auctor noſter; ſcilicet, vt aut ex æquo agat, aut alijs imperitet. Sed de corrupto, & ſeruituti aſſueto, id nunquam credendum. More enim eſt feræ, quæ in cauea detineri ſoleat; quæ etſi effugiendi occaſionem nacta fuerit, tamen latebrarum inexperta, & inſcia locorum, quibus tuto ſe habent belluæ, quæ libere viuunt; huc illuc errans, facilis præda efficitur rurſus, & in retia & laqueos breui incidit.*

Agrippinenſes, ſumpto conſultandi ſpatio, quando neque ſubire condiciones metus futuri, neque palam aſpernari condicio præſens ſinebat, in hunc modum reſpondent:

E*VENIVNT nonnunquam caſus ambigui, quibus prudentes, neque ſubire condiciones inſtantes poſſunt ob metum futuri, neque palam aſpernari ob condiciones præſentes. Ideo expedit, tali in re cautum maxime eſſe.*

Quæ prima libertatis facultas data eſt, auidius quã cautius ſumpſimus, vt vobis ceteriſq. Germanis conſanguineis noſtris iungeremur. Muros ciuitatis, congregantibus ſe cũ maxime Romanorũ exercitibus, augere nobis, quàm diruere tutius eſt. Si qui ex Italia aut prouincijs alienigenæ in finibus noſtris fuerant, eos bellum abſumpſit: vel in ſuas quiſque ſedes refugere. Eductis olim, & nobiſcum per connubium ſociatis, quiq. mox prouenere, hæc patria eſt. Nec vos adeo iniquos exiſtimamus, vt interfici a nobis parentes, fratres, liberos noſtros velitis.

I*NIQVVM eſt requirere ab altero, vt interficiat parentes, fratres, & liberos, & propinquos ſuos. Etſi aliquando dominationis cauſſa, & hoc requiſitum, & obtentum fuit. Vt in caſu Triumuirorum Cæſaris, Antonij, & Lepidi: ex Dione lib. 46. & Appiano Alexandrino, videre licet. Qui inuicem, vt mutuis operis alios ſuos inimicos vlciſcerentur, tam fratres, quàm propinquos & amicos prodiderunt.*

Vectigal & onera commerciorum, reſoluimus. Sint tranſitus incuſtoditi, ſed diurni & inermes: donec noua & recentia iura, in vetuſtatem conſuetudine vertantur.

E*FFICIT hoc conſuetudo, vt noua & recentia iura in vetuſtatem vertantur. Sed quid ſit conſuetudo, quotuplex, quæ ſint eius vires: vide Hoſtienſem, & Azonem in ſummis eorum, ad eius titulos, qui fuſius explanabunt.*

Arbitrum habebimus Ciuilem & Velledam, apud quos pacta ſancientur. Sic lenitis Tencteris, legati ad Ciuilem & Velledam

M*VLTVM intereſt, qualis ſit legatus, quem Princeps mittit, ad hoc vt res ex ipſius voluntate perpetrare poſſit. Præcipue fidelitas in eo requiritur. Nam, vt eſt apud ſapientem, Prouerb. 25.* Sicut frigus niuis in die meſſis, ita legatus fidelis ei, qui miſit eum, animam ipſius requieſcere facit.

miſſi cum donis, cuncta ex voluntate Agrippinenſium perpetrauere.

V*IS magna eſt in donis & muneribus, ad obtinendum aliquid ab altero: & vt habetur, Prouerb. 22.* Victoriam, & honorem accipiet, qui dat munera: animum autem aufert accipientium. *Ideo periculoſum eſt accipere ab alio munera; præſertim Iudici & Magiſtratui.*

DEVS ipſe quidem, vt eſt in Exod. 23. ori proprio dixit Moyſi: Nec accipies munera, quæ etiã excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum. *Et in 10. Deuterou. inquit:* DEVS magnus, & potens, & terribilis, qui perſonam non accipit, nec munera. *Idem Deuteron. 16. inquit:* Non accipies perſonam, nec munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum. *Conſonat huic, quod habetur Eccleſiaſt. xx.* Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quaſi mutus in ore auertit correptiones eorum. *Vnde legimus ob munerum acceptiones multa & magna eueniſſe mala, in iudicijs præſertim. Ob hoc enim Ioel, & Abia, filij Samuel, iudices in Berſabee, peruerterunt iudicium: vnde congregati ſunt omnes Maiores natu ex ſubditis, & uenerunt ad Samuelem, vt daret illis Regem, qui iudicaret illos: vt habetur 1. Reg. 8. Similiter & Giezi ſeruus Eliſei, cum muneribus a Naam Siri, lepram accepit. Contra, videmus ea ſemper ſpreta fuiſſe a probis, & ſanctis viris. Sic Eliſeus ea, quæ Naam Syrus offerebat, reſpuit. 4. Reg. 5. Sic & Samuel per viginti annos, quibus populum Iſrael iudicauerat, nulla vmquam munera ab aliquo accepit. Sexcenta alia poſſem exempla afferre, quibus oſtenderetur, quàm pernicioſum ſit, ab aliquo munera accipere: tam ex ſacris hiſtorijs, quàm ex profanis deprompta. Sed hodiernis temporibus Aulicus, qui progredi velit, magnam ſibi per xenia & munera planitiem ſternit, & offendicula amouebit: ob deprauati & corrupti ſæculi condicionem. Non ergo eſt mirum, ſi hi Legati, qui miſſi fuerunt ab Agrippinenſibus ad Ciuilem & Velledam cum donis, cuncta ex voluntate eorum perpetrauere.*

Sed coram adire, alloquiq. Velledam negatum. Arcebantur aſpectu, quo venerationis plus ineſſet.

SIC hodie conſueuerunt facere Turcarum Principes, qui, quo plus venerationis inſit, non ſolum arcent aſpectu illos, quibuſcum loquuntur: ſed etiam cum in publicum prodeunt, omnes occurrentes humi defigere oculos iubentur, quouſque ipſe tranſierit. In eandem ſententiam ſupra de Tiberio lib. 1. Annal. inquit Auctor: Maieſtate ſalua, cui maior ex longinquo reuerentia.

Ipſa edita in turre. dilectus e propinquis, conſulta reſponſaq. vt internuncius numinis portabat. Ciuilis ſocietate Agrippinenſium auctus, proximas ciuitates affectare, aut aduerſantibus bellum inferre ſtatuit.

DVOBVS his modis augere numerum ſectatorum ſolent, qui res innouant; aut præmiorum affectione, aut metus intentatione.

Occupatisq. Sunicis, & iuuentute, eorum per cohortes compoſita: quominus vltra pergeret, Claudius Labeo Bethaſiorum Tungrorumq. & Neruiorum tumultuaria manu reſtitit fretus loco, quia pontem Moſæ fluminis anteceperat.

SAEPE obſeruauimus, & nunc repetimus, ad victoriam ex hoſte reportandam, multum conducere, loci ſuperioritatem.

Pugnabaturq. in anguſtijs ambigue, donec Germani tranantes, terga Labeonis inuaſere. Simul Ciuilis, auſus, an ex compoſito, intulit ſe agmini Tungrorum, & clara voce, Non ideo, inquit, bellum ſumpſimus, vt Bataui & Treueti gentibus imperent. Procul hæc a nobis arrogantia, accipite ſocietatem. tranſgredior ad vos, ſeu me ducem, ſeu militem mauultis.

SOLERTISSIMVM Stratagema, non abſimile illi Piſiſtrati Athenienſium Tyranni. A quo cum aliquot eius amici defeciſſent, & Phylen occuparent, ipſe venit ad illos, ſtragulas in ſarcinam colligatas portans. Atque illis, quid ſibi vellet percontantibus: Vt, inquit, ſi perſuaſero, reducam vos: ſi non perſuaſero, maneam vobiſcum: ob hoc enim veni cum Sarcinis.

Mouebatur vulgus, condebantq. gladios; cum Campanus, ac Iuuenalis, ex primoribus Tungrorum, vniuerſam ei gentem dedidere. Labeo, antequam circumueniretur, profugit. Ciuilis Bethaſios quoque ac Neruios in fidem acceptos, copijs ſuis adiunxit: ingens rerum, perculſis ciuitatum animis, vel ſponte inclinantibus.

SEMPER erit ingens rerum dux ille, cui aut percellentur inimicorum animi, vel ſponte inclinabunt.

✠

★ Interea Iulius Sabinus, proiectis fœderis Romani monumentis, Cæſarem ſe ſalutari iubet. Magnamq. & inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, conterminam ciuitatem & nobis fidam. Nec Sequani detrectauere certamen. Fortuna melioribus affuit.

QVIA qui ſe gerunt prudenter, illis ſors fauet. Et

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia:
vt inquit Iuuenalis.

Fuſi Lingones. Sabinus feſtinatum temere prælium,

HOMINES improbi ambitione magis, magisq. laſciuiente, veluti terra congeſta ſeſe obruunt, & tandem inimicis ridiculi fiunt, & ſibi ipſis & amicis exitium afferunt. Perpauci enim audacia, temeritate ac fraudulentia, multi labore, generoſitate, & modeſtia maxima imperia ſibi acquiſiuerunt: illa momentanea, hæc diuturna permanſerunt.

pari formidine deſeruit.

AVDACES quidem temerarij, & ardentes cupiditate pugnandi ante pericula, cum vero ventum ad ea eſt, abſiſtunt: aut turpi fuga ab eis ſe ſubtrahunt. Nam audacia comes eſt timiditas, teſte Ariſtotele. Multa enim male conſultata, eo quod hoſtes inconſultiores fuerunt, feliciter euenerunt. Et plura, quæ recte inſtituta videbantur turpiter in contrarium euentum relapſa ſunt. Nullus enim cogitat quam difficile ſit idem factis præſtare, quod inter deliberandum promittit. Nam conſultamus ſecuri, in opere autem cum timore deficimus, Auctore Tucidide. Exemplum nobis dat hic Sabinus. Recte Iouianus Pontanus: Nec temeritas ſemper felix, nec prudentia vbique tuta.

Vtq. famam exitij ſui faceret, villam, in quam perfugerat, cremauit, illic voluntaria morte interijſſe creditus.

DION in compendio Iulij Sabini hiſtoriam ita deſcribit: Id mirum fuit. Quod Iulius Sabinus, qui principatum in Lingonibus tenebat, ſeparatim magnum exercitum comportauit, fuitq. Cæſar cognominatus, quod ſe Iulio Cæſare prognatum diceret. deinde aliquot prælijs victus, rus abijt: ibiq. ſepulchrum ſubterraneum, quod ipſe prius inciderat, ingreſſus eſt. cumq. conſtans eſſet opinio illum interijſſe, in eo nouem annos cum vxore delituit, ex eaq. duos filios ſuſtulit. *hæc Dion.*

Sed quibus artibus latebrisq. vitam per nouem mox annos traduxerit, ſimul amicorum eius conſtantiam, & inſigne Epponinæ exemplum, ſuo loco reddemus.

HOC rarum & inſigne fidei vxoriæ exemplum non habemus in libris Taciti, qui extant. Cum ipſe Tacitus ſeruaret in Veſpaſiani annum vltimum, quando Iulius hic Sabinus, qui a Cæſare genus ducere gloriabatur, & eius vxor Epponina interfecti. Hanc hiſtoriam lectu digniſſimam & ſæculis omnibus celebrandam, ſed non omnibus obuiam apud Plutarchum tamen late deſcriptam, huc in lectoris gratiam transferre curauimus. Illud autem obſeruandum apud Plutarchum non Epponinam nobilem hanc mulierem vocari, ſed Emponam: id nempe Gallis nomen Heroinam ſignari affirmat. Locus Plutarchi in extremo Amatorio hic eſt.

Vnum ego referam, quod mea ætate, imperante Veſpaſiano, accidit. Iulius, qui in Gallia defectionis auctor fuit, cum alios multos habuit, vt fieri ſolet conatus ſocios, tum Sabinum quoque, hominem non degenerem, & qui diuitijs gloriaq. omnes alios facile vinceret. Hi rebus arduis tentatis, ſucceſſu caruerunt, cumq. ſupplicia ſe daturos præſentirent, partim ſeipſos e vita eduxerunt, partim in fuga capti
„ ſunt. Sabino autem ceteroqui facile licebat, fuga ad barbaros facta, ſaluti ſuæ conſulere. Sed vxorem
„ duxerat optimam, nomine Emponam Græce Heroidem diceres. Hanc cum neque ducere ſecum poſ-
„ ſet, neque deſerere ſuſtineret: & ruri haberet ſub terra effoſſas cameras, in quas reponi res vtiles poſſent,
„ duobus tantum notas libertis, reliquos famulos omnes dimiſit: ſe veneno ſibi mortem conſciturum ſi-
„ mulans, duos quos fideles norat, adſumpſit, & in ſpecus iſtas ſubterraneas deſcendit, miſſo ad vxorem
„ liberto Martiale, qui patronum veneno extinctum, & caſam villæ cum eo concrematam eſſe renuncia-
„ ret. Volebat enim luctu vxoris fidem facere ſui, quem fingebat, interitus. Idq. etiam euenit. Nam
„ ea vt erat accepto nuncio, lamentans & eiulans in terram proiecit ſeſe, tresq. dies, ac totidem noctes
„ ſine cibo ita exegit. Quod vbi reſciuit Sabinus, metuens ne ſe prorſus vita exſolueret: occulte Martia-
„ lem ei ſignificare iuſsit, viuere ſe etiamnum, & occultari, rogare autem vt adhuc aliquantulum in lu-
„ gendo perſeueret, accurateq. mariti interitum diſsimulet. Tragædiam huius calamitatis vxor artificioſe
„ admodum egit: tamen noctu deſiderio viſendi ad maritum ventitauit, nemine obſeruante, & tantum

,, non apud inferos cum eo conſueuit. Exactis ſeptem menſibus, facta ſpe impetrandæ veniæ, veſte, ton-
,, ſura, & capitis redimiculo ignotum reditum obulijs Romam perduxit. Sed re infecta, in ſuam is ſpe-
,, cum redijt, ipſaq. cum eo majorem temporis partem ſub terra exigens, interdum Romam iuit, amicis
,, & neceſſarijs mulieribus ſe viſendum præbens. Et quod creditu difficillimum eſt, cum ijs lauans ſefel-
,, lit, vterum gerens. Nam medicamentum, quo mulieres comam inungentes faciunt, auri in morem ru-
,, tilam & fuluam pinguedinem habet, qua caro ſiue ſit grandior ſiue rareſcit: itaque diffunditur quaſi, &
,, maior fit eius moles. Hoc illa in ceteris membris vſa affatim, attollens ſe vt turgidum celauit ventris
,, onus. Partus vero dolores ipſa ſola pertulit leænæ in morem, ad maritum in foueam ſeſe abdens: natosq.
,, duos, vt ſic loquar, catulos educauit, peperit enim filios duos, quorum alter in Aegypto occubit, alter
,, nuper admodum Delphis nobiſcum fuit, nomine Sabinus. Ipſam Cæſar interſecit: ſed cædis pœnas
,, dedit, exiguo temporis ſpatio, tota ſtirpe ipſius funditus interempta. Nullam enim rem hoc facto
,, triſtiorem iſtud tulit imperium: neque fuit cur vllius rei adſpectum magis & dij & Genij auerſarentur.
Miſerationem quidem ſpectantibus ipſa exemit magnanimitate ſua & grandiloquentia, quibus maxime irritauit Veſpaſianum, deſperata enim ſalute, mortem ſuam commutationem vocauit, dixitq. ſuauius ſibi fuiſſe in tenebris & ſub terra viuere, quàm ipſum videre imperio potiri.

Sequanorum proſpera acie, belli impetus ſtetit. Reſipiſcere paulatim ciuitates, fasq. & fœdera reſpicere, principibus Remis: qui per Gallias edixere, vt miſſis legatis in commune conſultarent, libertas an pax placeret.

LIBERTAS non ſolum ab hominibus, verum etiam a beſtijs expetitur: eaq. iuxta bonis & malis, ſtrenuis & ignauis optabilis eſt, & liberum eſſe omnibus rebus anteponendum. Verum libertatem plerique metu deſerunt ſtultiſsimi mortales, quod in certamine dubium quorſum accidat id per inertiam in ſe quaſi victi recipiunt: & ita præclara eſt recuperatio libertatis, vt ne mors quidem in ea repetenda, ſit fugienda, eamq. iucundiorem facit ſeruitus recordatio: potiorq. viſa eſt aliquando periculoſa libertas quieto ſeruitio. Nemo vero tam ſtultus eſt, qui bellum præ pace eligat, attamen pro libertate tuenda, aut reſtituenda, recuperandaq. nobilis, & ingenui animi eſt bellum paci anteferre. Et quia in libertatis iucundiſsimum nomen incidimus, licet alibi de ea mentio facta ſit, lubet tamen aliquas præclarorum auctorum ſententias ad vera libertatis profectum in medium afferre.

Primo, Libertatem operandi quod vis plurimorum malorum cauſſam eſſe, vt graue a Papirio lib. 5. ſil. dictum fuit:

Quem non corrumpit pubes effrena, nouæq.
Libertas properata togæ? cui neſcia falcis
Silua comas tollit, fructumq. expirat in vmbras.

Sed ante Papirium Diuinus Plato; Qui omnibus, inquit, viuendi præferunt libertatem, iugum vero ſeruile fugiunt, tamquam malum, ij caueant moneo, ne inſatiabili importunæ libertatis auiditate in maiorum ſuorum incidant morbum: quem quidem illi propterea paſsi ſunt, quod nulli parere volentes, libertatis amore intemperanter abuſi ſunt. Seruitus enim, & libertas ſi modum excedat, vtraque mala eſt: ſi modum obſeruet, vtraque bona. Moderata quidem ſeruitus eſt, quæ exhibetur DEO, immoderata, quæ hominibus temperatis lex eſt, intemperatis vero voluptas.

Quam grauiſsimam ſententiam emulatus eſt T. Quinctius apud Liuium Dec. 4. lib. 4. qui in publico conuentu Corinthi edicto inter cetera hoc diſſeruit: Reliquas ciuitates monere, vt ex factis non ex dictis amicos penſent intelligantq. quibus credendum & quibus cauendum ſit. Libertate modice vtantur. temperatam eam, ſalubrem & ſingulis, & ciuitatibus eſſe: nimiam & alijs grauem, & ipſis qui habeant effrenatam & præcipitem eſſe.

Magna & vera libertatis ſpecimen Romanis Priuernates iam bello deuicti dederunt: qua de cauſſa non ſolum priſtina libertate a S. P. Q. R. verum etiam ciuitate donati ſunt. Cum enim in ſenatu de Priuernatum cauſſa ageretur, necato Vitruuio defectionis auctore, ſocijsq. eius noxa. Plautius Conſul apud ſatiatos iam ſupplicijs nocentum tutam mentionem de Priuernatibus ratus. Quoniam auctores defectionis, inquit, meritas pœnas, & a dijs immortalibus & a vobis habent, Patres Conſcripti: quid placet de innoxia multitudine fieri? Equidem etſi meæ partes exquirendæ magis ſententiæ, quàm dandæ ſunt: tamen cum videam Priuernates vicinos Samnitibus eſſe, vnde nobis incertiſsima pax: quam minimum irarum internos illosq. relinqui velim. Cum ipſa res per ſe anceps eſſet, prout cuiuſque ingenium erat atrocius mitiusq. ſuadentibus: tum incertiora omnia vnus ex Priuernatibus legatis fecit, magis condicionis, in qua natus eſſet, quam præſentis neceſsitatis memor: qui interrogatus a quodam triſtioris ſententiæ auctore, quam pœnam meritos Priuernates cenſeret: Eam inquit, quam merentur qui ſe libertate dignos cenſent. Cuius, cum feroci reſponſo infeſtiores factos videret Conſul eos qui ante Priuernatium cauſſam impugnabant: vt ipſe benigna interrogatione minus reſponſum eliceret: Quid ſi pœnam inquit remittimus vobis, qualem nos pacem vobiſcum habituros ſperamus? ſi bonam dederitis fidam,

& per-

& perpetuam, ſi malam haud diuturnam. Tum vero minari, nec id ambigue Priuernatem quidam, & illis vocibus ad rebellandum incitari pacatos populos. Pars melior ſenatus ad meliora reſponſa trahere, & ducere, viri & liberi vocem auditam. An credi poſſe vllum populum, aut hominum denique in ea condicione, cuius eum pœnitet, diutius quam neceſſe ſit manſurum? Ibi pacem eſſe fidam, vbi voluntarij pacati ſint: neque eo loco, vbi ſeruitutem eſſe velint, fidem ſperandam eſſe. In hanc ſententiam maxime Conſul ipſe inclinauit animos, itentidem ad principes ſententiarum conſulares, vt exaudiri poſsit a pluribus: Dicendos eos demum qui nihil prꝥterquam de libertate cogitant dignos eſſe qui Romani fiant. Itaque & in ſenatu cauſſam obtinuere, & ex auctoritate Patrum latum ad populum eſt, vt Priuernatibus ciuitas daretur. *Hactenus Liuius Dec. 1: lib. 8.*

Apud Plutarchum in Laconijs fol. 495. Laco quidam quid ſciret interrogatus, reſpondit, liber eſſe: Puer Spartanus captus a rege Antigono, & venditus, omnibus in rebus emptori morem geſsit, quas libero conuenire portabat. iuſſus autem matulam afferre, recuſauit; ſeruiturum ſe negãs, ac vrgente domino, tectum conſcendit, ſatusq. Scies quid emeris, præcipitem ſe deinde dedit, ac vita deceſsit.

Idem Plutarchus in eodem fol. 500. Buris & ſpertis Lacedemonij; Xerſe Perſarum rege impenſius orante, vt ſecum manerent, ac promittente æquali eos in honore fore cum primarij regis amicis, reſponderunt: Videre nobis ignorare quanti ſit libertas: quam qui ſapit, non permutaret Perſarum regno.

Secundo, Gratiſsimam libertatem eſſe ſub rege pio ac Chriſtiano: vt pulchre Claudianus cecinit:

Fallitur egregio quiſquis ſub principe credit
Seruitium, numquam libertas gratior extat,
Quam ſub rege pio:

Temperatorum enim Principum mores cauti admodum, & iuſti, & ſalutares dicebat Socrates.

Tertio, quis tandem liber vere dicendus ſit ex ſapientum doctrina, Horatius poeta grauiſsimus liberum hominem ad viuum ita depinxit:

Quiſnam igitur liber? Sapiens ſibiq. imperioſus,
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent:
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores,
Fortis, & in ſeipſo totus teres, atque rotundus:
Externi nequid valeat per leue morari,
In quem manca ruit ſemper fortuna.

Ea igitur libertas eſt, teſte Eunio apud Agellium, epiſtola 51. ad Luc. qui pectus purum & firmum geſtat. Et Seneca: Quæ ſit libertas quæris? Nulli rei ſeruire, nulli neceſsitati, nullis caſibus fortunam in æquum ducere. *Ergo, ex Dionis ſententia in orat. 5. de ſeruitute & libertate, libertatem dicere conuenit eſſe ſcientiam rerum permiſſarum, & prohibitarum: aut ſeruitutem, ignorantiam eorum, quæ licent, & quæ non licent. Ex quo ſermone nihil prohibet quo minus rex magnus, magnam Tiaram habens ſuper caput, ſeruus ſit, & nihil liceat ei facere eorum, quæ facit. Omnia enim damnoſe & inutiliter faciet. Alius autem quiſpiam, qui ſeruus videatur, & appellatur, nec ſemel ſed ſæpius, ſi ita fortuna ferat, venditus ſit, et, ſi hoc contingat, compedes valde craſſas habeat, magis ſit liber, quàm magnus Rex.*

Plutarchus autem eos, qui vere liberi ſunt, ita deſcribit in lib. de Auditione: DEVM ſequi eſt parere rationi. Qui rationi parent ſoli digni ſunt, qui pro liberis habeantur. Soli enim hi viuunt vt volunt, quidquid velle debeant, didicerunt: ineruditæ autem & rationis expertes animi incitationes atque actiones exilem quandam ignobilemq. voluntatis libertatem multa cum pœnitentia coniunctam habent.

Adhac addemus Philonis ſententiam tamquam corollarium, & finem huic rei imponemus: Sicut ciuitates, inquit, dominatum paucorum, & tyrannidem ferentes, ſeruiunt oppreſſæ moleſto imperio; contra qui legibus parent degunt liberæ: non aliter etiam homines, quotquot iræ, concupiſcentiæ, aut cuiuſcumque vitij perturbationisve inſidioſæ poteſtatem deueniunt, omnes ſeruitutem ſeruiunt: ſicut e diuerſo liberi ſunt quotquot viuunt ſub legibus. Eſt autem vera lex recta ratio, non huius, aut illius mortalis inſtitutum in tabellis chartulisve ſcriptum inanimis: ſed immortalis ipſa ſtylo naturæ ſempiternæ in mente immortali exarata. *Et poſt pauca:* Eſt autem manifeſtum libertatis indicium præter dictæ ſuperius, æquum ius diſſerendi de republica, quod omnibus liberis hominibus & probis eſt mutuum. Quamobrem laudantur illi ſenarij, vt conſoni Philoſophorum ſententiæ.

Cum lege ſeruus nullum habet commercium.
rurſum.
Es ſeruus, & rationis expers natus es.

Hactenus Philo in grauiſsimo illo libro: Quod omnis probus liber: ab omnibus vera libertatis amatoribus & probis liberisq. hominibus verſandus manu nocturna diurnaq.

At Romæ

At Romæ cuncta in deterius audita Mucianum angebãt. ⋆ Nequaquam egregij duces, iam enim Gallum Annium & Petilium Cerialem dilegerat, ſummam belli parum tolerare. Nec relinquenda vrbs ſine rectore.

QVIA quemadmodum optimi gubernatoris opus eſt ſeruare nauim, aurigæ currum, medici ægrotantes; ita, optimi rectoris eſt ſua præſentia ciues in officio continere, ac ab imminentibus periculis ſeruare. Cuicumque enim rei aliquis præficitur eiuſdem tutor & artifex eſt.

Et Domitiani indomitæ libidines timebantur, ſuſpectis, vti diximus, Primo Antonio, Varoq. Ario.

NIHIL abiectius in Principe eſt luxuria, auaritia, arrogantia: nihil autem præſtantius magnanimitate, liberalitate & humanitate. Illæ quidem peſtes exitiales ſunt, quæ Vrbes Reſpub. & Regna euertunt, hæc validiſſima præſidia, quæ ea ſeruant, & ſtabiliunt. Eſt enim libido appetitus vehemens contra rationem excitatus: vel cupiditas quædam effrenata, quæ vbicunque dominatur, adeo virtutes omnes perimit, vt nullum locum, nullum præſidium ſanctiſſimæ etiam innocentiæ eſſe permittat, vt Craſſus orator ille diſertiſſimus dixit; & improbos probat, & probos improbat. *Hæc autem cum ſit multiplex & varia, & ſibi diſſimilis, & quaſi infinita, omnes tamen illius motus ad duo capita reuocari poſſunt. Quorum vnum eſt ira, alterum autem libido. Ira quidem eſt acris animi vis, ſpecie dedecoris, & contumelia vehementius ad vindictam concitata. Libido vero eſt cupiditas immoderata corporeæ voluptatis, & earum rerum, quæ ad eam voluptatem conferuntur. In ira igitur non ſolum vlciſcendi libido, verum etiam, quod conſequens eſt, immoderata laudis appetitio continetur. Qui enim contumelia offenditur, neceſſe eſt, vt cupiditate laudis teneatur. Libido autem continet in ſe fraudis & auaritiæ principium flagitiorumq. omnium ſeminarium. Quapropter ſapienter quidem Diogenes Cynicus dicere ſolebat:* Cupiditatem arcem eſſe omnium malorum: *hæ duæ mortiferæ peſtes quando Principum animos inuadunt, actum eſt de Repub. actum eſt de regno. Quid aliud florentiſſimum opulentiſſimum & de Chriſtiana religione benemeritum, vetuſtiſſimumq. Britanniæ Regnum temporibus noſtris funditus euertit; niſi inſatiabilis illa libido, & implacabilis illa ira cum omni feritate coniuncta Henrici Regis huius nominis Octaui? Vtraque peſtis in Domitiano, & ante & poſt principatum magnopere præualuit. Nec ab re Tacitus, indomitas Domitiani libidines vocat. Effrenatus ſiquidem cupiditate animus non facile virtutis, ac rationis habenis regitur, auerſatur enim honeſtos & ſalutares monitus, vt ait Plato, & velut infrenis equus calcibus morſibusq. inſultat, & ſeſſorem excutit atque exturbat. De Domitiani libidine, ira, ſæuitia, rapina, ceterisq. immanibus flagitijs, multa Dion, & Suetonius ſcripſerunt, quos conſule.*

Varus prætorianis præpoſitus, vim atque arma retinebat. Eum Mucianus pulſum loco, ne ſine ſolatio ageret, annonæ præfecit.

QVEM de dignitate deijcis, aliquo ſolatio affice, ne in deſperationẽ ruat. Ita CAROLVS V. Imp. Petrum Toletanum ob ſeditiones eius cauſſa Neapoli ortas, e regni gubernatione amouens, Imperatorem exercitus ad Senas obſidendas conſtituit.

Vtq. Domitiani animum, Varo haud alienum, deliniret: Arretinum Clementem, domui Veſpaſiani per affinitatem innexum, & gratiſſimum Domitiano, prætorianis præpoſuit, patrem eius ſub Caio Cæſare egregie functum ea cura dictitans. Lætum militibus idem nomen. atque ipſum quamquam ſenatorij ordinis ad vtraque munia ſufficere. Aſſumuntur e ciuitate clariſſimus quiſque; & alij per ambitionem.

AMBITIO quamquam, teſte Plutarcho, ſit cupiditate quæſtus nitidior; tamen non pauciores in Republ. gignit peſtes. Magis enim ei adeſt audacia, quippe non ignauis aut abiectis, ſed acribus maxime & præcipitibus animis inherenti, eamq. plerumque popularis impetus euehens laudibus, atque incitans effrenem reddit atque intractabilem. Ambitioſum hominem ita depingit Seneca. De benef. lib. 2. cap. 17. Non patitur auiditas quemquam eſſe gratum. Numquam enim improbæ ſpei quod datur ſatis eſt. Eo maiora ſapimus, quo maiora venerunt: multoq. concitatior eſt auaritia, in magnorum opum congeſtu collocata. Vt flammæ infinito acrior vis eſt, quo ex maiore incendio emicuit. Aeque ambitio non patitur quemquam in ea menſura honorum conquieſcere, quæ quondam eius fuit impudens votum. Nomini agit de Tribunatu gratias: ſed quæritur, quòd non eſt ad præturam vſque perductus: nec hæc grata eſt, ſi deeſt conſulatus. Nec hic quidem ſatis eſt, ſi vnus eſt. Vltra ſe

cupiditas

cupiditas porrigit, & felicitatem ſuam non intelligit, quia non vnde venerit reſpicit, ſed quo tendat. Omnibus his vehementius & importunius malum eſt inuidia, quæ nos inquietat, dum comparat. Hoc mihi præſtitit, ſed illi plus, ſed illi maturius, & deinde nullius cauſſam agit, contra omnes ſibi fauet. *Hactenus Seneca. Pernicioſi igitur ſunt apud Principes, & in omni libera ciuitate, qui inter ſe ambitioſi ſunt, ac de honorum curſu certant. An non in Aulis exempla innumerabilia quotidie nobis repræſentant? Nonne videmus greges ambitioſorum hominum tamquam ſeruum pecus? Et videmus, & obmuteſcimus. Qui quidem in potentum veſtibulis excubantibus ſummam auaritiam ambitione nutriunt. vnde pulchre Claudianus ambitionem auaritiæ nutricem, dixit:*

Trudis auaritiam, cuius fidiſsima nutrix
Ambitio, quæ veſtibulis, foribusq. potentum
Excubat, & pretijs commercia poſcit honorum
Pulſa ſimul.

Simul Domitianus Mucianusq. accingebantur, diſpari animo. ille, ſpe ac iuuenta properus; hic, moras nectens, quis flagrantem retineret, ne ferocia ætatis, & prauis impulſoribus ſi exercitum inuaſiſſet, paci belloq. male conſuleret.

PRINCEPS ſi ſimul cum ætatis ferocia prauis impulſoribus vtatur, & bello & paci male conſulet: Nam in poteſtate perditorum hominum conſtitutus, fieri non poterit vt ſtatus Reipublicæ conſeruetur. Nam nec vllæ opes eſſe poſſunt, vbi virtutis ſtudium extinctum eſt.

Legiones victrices vj. & xviij. Vitellianarum vnaetviceſima, e recens conſcriptis ſecunda, Peninis Cottianisq. alpibus, pars monte Graio, traducuntur. xiiij. legio e Britannia, iij. ac prima ex Hiſpania accitæ. Igitur venientis exercitus fama, & ſuopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum ciuitates, in Remos conuenere. Treuerorum legatio illic opperiebatur, acerrimo inſtinctore belli Tullio Valentino. Is meditata oratione, cuncta magnis imperijs obiectari ſolita, contumeliasq. & inuidiam in Populum Romanum effudit: turbidus miſcendis ſeditionibus, & pleriſque gratus vecordi facundia.

QVI facile fantur, teſte Varrone, facundi dicti ſunt. Solet enim extemporalis quædam facundia ſiue loquentia in audaci animos conciliare & ſibi obuincire: nam plerumque gratum reddit facundia; atque ex imminentibus periculis liberat. Ideo vecordem facundiam Tullij Valentini Tacitus vocat, quaſi loquentiam quandam naturalem ſine ſapientia. Nam hoc intereſt, inter eloquentiam & loquentiam, quod eloquentia, teſte Cicerone, ſit loquens ſapientia: Loquentia vero facundia ſine ſapientia. Et ideo dicere ſolebat, ſe vidiſſe loquentes multos, eloquentes paucos. Haud inepte quidam vecordis id eſt ſtulti loquentiam furioſi gladio æquiparant. Satis loquentia, parum ſapientiæ in homine illo ſceleſtiſſimo Catilina apud Salluſtium legis: neque is quidem gloriam eloquentia quæſiuit vllam, nam non eloquentia, ſed loquacitas illa fuit. Verus enim eloquentiæ magiſter, niſi vir bonus eſſe non poteſt: quod ſi bonus & idem ſapiens. Lege Senecæ epiſtolam quadrageſimam. Multi propter eloquentiam periere; vtriuſque eloquentiæ Principes Demoſthenem & Ciceronem interroga.

At Iulius Auſpex e primoribus Remorum, vim Romanam, pacisq. bona diſſertans, & ſumi bellum etiam ab ignauis, ſtrenuiſſimi cuiuſque periculo geri,

BELLVM ſumitur etiam ab ignauis ſed ſtrenuiſſimi cuiuſque periculo geritur. Ignaui fugiunt pericula: quæ cum in ſumendo bello non ingruant nec conſpiciantur; nil mirum, ſi ab ipſis alacriter ſumatur: nam Dulce bellum inexpertis: *vetus eſt adagium. Ignaui enim plerique audaces & ad bella ſuſpicienda proni, cum nihil conſulto agant: in cogendo poſtea quando ſe oſtendunt pericula, & facto opus eſt, illi ob inſitam ignauiam aut fugiunt, aut inhabiles ſunt: & ſoli ſtrenui remanent, cuius humeris tota moles belli continetur. Bella enim ſeditiones & pugnas, nulla alia res excitat in ignauis hominibus quam corpus & eius cupiditates: ob parandas enim opes omnia ſunt bella, Plutarcho teſte.*

iamq. ſuper caput legiones: ſapientiſſimum quemque reuerentia fideq. iuniores periculo ac metu continuit.

VINCVLA diſparia diſpares animos retinent. In ſapientibus fortiſſimum vinculum fides & reuerentia: in iunioribus periculum & metus.

Et Va-

Et Valentini animum laudabant, conſilium Auſpicis ſequebantur.

VALENTINVS ſub ſpecie boni quædam plauſibilia, ſed incerta ad bellum ſuſcipiendum exhortans repræſentabat, ſed non ſine magno periculo. Contra Auſpex certa, & ſeruanda præponebat. Specioſa enim laudanda ſunt, ſalutaria vero ſequenda.

Conſtat obſtetiſſe Treueris Lingonibusq. apud Gallias, quòd Vindicis motu cum Verginio ſteterant. Deterruit pleroſque prouinciarum æmulatio. quod bello caput? vnde ius auſpiciumq. peteretur? quam, ſi cuncta proueniſſent, ſedem imperio legerent? Nondum victoria, iam diſcordia erat:

DISCORDIA, ex Ciceronis ſententia, eſt ira acerbior, intimo odio, & corde concepta: hac animi perturbatione quicumque laborat, inutilis eſt Reipub. inutilis eſt Regno, inutilis eſt domui: & in hominum cætu importunus habetur. Diſsidet ſiquidem ab alijs, nemini cedit, omnemq. humanam ſocietatem dirimit. Principum Aulas perturbat, ſeditionibus, ac partibus omnia inficit. Hinc conſpirationes, coniurationesq. oriuntur. Hinc cædes, direptiones, veneficia, & peſtes illæ deterrima, quæ ſtatus omnes publicos priuatosq. labefactare ſolent. Criſpi quidem Salluſtij ſententia ſemper laudata fuit, & pro oraculo quodam celebrata: Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia autem maximæ dilabuntur. *Per hanc interitum omnibus humanis ſocietatibus parari ſcribit Xenophon. Et Plato in libris de Repub. eam pluribus rationibus execratur. Hac eſt diſcrepantia, ac contentio illa, per quā vetuſtiſsimi poetæ mundana omnia diſſolui, atque interimi putauerunt, quæ Alecto ab illis dicitur & primaria inter infernales furias habetur. Græci dum concordes inter ſe conuenerunt, nec inteſtinis ſeditionibus laborarunt, magna cum gloria victores ſemper extiterunt, & victoriam contra innumerabilem Xerxis exercitum, & contra Mardonium, ac reliquos Perſas glorioſis certaminibus ſemper aſſecuti ſunt. Verum victis profligatisq. hoſtibus, tanto odio, atque inuidia inter ſe exarſerunt, vt victores ipſi etiam victis ludibrio, contemptuiq. fuerint. Carthaginem quoque opulentiſsimam Africæ vrbem, cuius imperium formidabile quondam Romanis fuit, quid aliud a ſua magnitudine deiecit, niſi inteſtina ſuorum ciuium diſcordia ac ſeditio? quæ animos adeo illorum peruaſit, vt paruo tempore non modo ſpem imperij totius orbis terrarum, & quæcumque tot prælijs adepta fuerat amiſerit, ſed propriam etiam libertatem: compulſaq. tandem eſt ei populo ſeruire, cui omnium iudicio imperaſſet, ſi concordes inter ſe ciues fauſta, feliciq. fortuna vti ſciuiſſent. Quid aliud paucis ab hinc annis glorioſæ victoriæ curſum, de Ottomanica claſſe in bello ſociali retinuit, niſi diſcordia Venetorum & Hiſpanorum? qui quidem ſi concordes permanſiſſent, actum eſſet de Turcarum imperio. Scilurus Scytharum Rex, vt refert Plutarchus, moriturus cum octoginta filios poſt ſe eſſet relicturus, faſciculum haſtilium ſingulis porrexit ac confringere iuſsit, cum nullus id præſtare poſſet, ipſe ſingulatim vno poſt alterum extracto, omnia nullo negotio confregit, oſtendens concordiam ipſos firmos & inſuperabiles conſeruaturam, diſcordia vero imbecilles, & inſtabiles eorum res redditum iri.*

alijs fœdera, quibuſdam opes viresq. aut vetuſtatem originis, per iurgia iactantibus. Tædio futurorum, præſentia placuere.

MVLTIS tædio futurorum præſentia placent. Quia, vt ait Seneca, omne futurum incertum eſt, & ad deteriora certius.

Scribuntur ad Treueros epiſtolæ, nomine Galliarum, vt abſtinerent armis, impetrabili venia, & paratis deprecatoribus ſi pœniteret. Reſtitit idem Valentinus, obſtruxitq. ciuitatis ſuæ aures, haud perinde inſtruendo bello intentus, quàm frequens concionibus.

HOMINES ſeditioſi potius concionibus ſe tuentur, & apud plebem magis verbis, quàm armis prævalent.

Igitur non Treueri neque Lingones, ceteræue rebellium ciuitates, pro magnitudine ſuſcepti diſcriminis agere. Ne duces quidem, in vnum conſulere.

RES bellica male geruntur, cum plures duces, & diuerſa ſentiētes bellum adminiſtrant. Exemplum inſigne & memorabile habes apud Liuium, in Cannenſi clade: Conſ. Paulo Aemilio, fortiſsimo ac clariſsimo Imp. & Terentio Varrone, diſciplina militaris prorſus ignaro, cuius temeritate res Romana ad ſummum diſcrimen redacta fuit.

Sed

Sed Ciuilis, auia Belgarum circumibat: dum Claudium Labeonem capere, aut exturbare nititur. Claſſicus, ſegne plerumque otium trahens, velut parto imperio fruebatur.

O*TIVM ſegne periculoſum, multo magis Imperatori, qui quidem numquam ita paci credere debet, vt non ſe praparet bello: quod etiam ſi non geritur indictum eſt. Pulchre Seneca dicebat:* Otium ſine litteris mors eſt, & viui hominis ſepultura: *Quid in Imperatore credendum?*

Ne tutor quidem maturauit ſuperiorem Germaniæ ripam, & ardua alpium præſidijs claudere. Atque interim vnaetuiceſima legio Vindoniſſa, Sextilius Felix cum auxiliarijs cohortibus per Rhætiam inrupere. Acceſſit ala ſingularium, excita olim a Vitellio, deinde in partes Veſpaſiani trangreſſa. Præerat Iulius Briganticus, ſorore Ciuilis genitus, vt ferme acerrima proximorum odia ſunt, inuiſus auunculo infenſusq.

A*CERRIMA proximorum odia ſunt, & irreconciliabilia. Exemplum tibi dat ipſa Roma:* Fraterno primum maduerunt ſanguine muri; *Eteoclis & Polyricis fratrum bellum exitiale apud Thebas, ſiue fabula ſiue hiſtoria a Papirio decantata. Et ipſe Dictator Cæſar, Pompeius Magnus Rep. & imperij Romani vltima & irreparabilis ruina: Arminius vt auctor referi in lib. 2. Annal. Cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubia Germania.*

Tutor, Treuerorum copias, recenti Vangionum, Caracatium, Tribocorum lectu auctas, veterano pedite atque equite firmauit, corruptis ſpe, aut metu ſubactis legionarijs: qui primo cohortem præmiſſam a Sextilio Felice, interficiunt. mox vbi duces exercitusq. Romani propinquabant, honeſto transfugio rediere: ſecutis Tribocis, Vangionibusq. & Caracatibus. Tutor, Treueris comitantibus, vitato Magontiaco, Bingium conceſſit, fidens loco, quia pontem Nauæ fluminis abruperat. ſed incurſu cohortium, quas Sextilius ducebat, & reperto vado, proditus fuſusq. Ea clade, perculſi Treueri. & plebes, omiſſis armis, per agros palatur. quidam principum, vt primi poſuiſſe bellum viderentur, in ciuitates, quæ ſocietatem Romanam non exuerant, perfugerunt.

Q*VI a ſuis Principibus deficiunt, & ſeditionis auctores ſunt, ſemper meliorem condicionem nanciſcuntur, quando priores arma deponunt & in obſequium Principis vltro veniunt. Sic in Belgia his temporibus, vidimus.*

Legiones a Noueſio Bonnaq. in Treueros, vt ſupra memorauimus, traductæ, ſe ipſas in verba Veſpaſiani adigunt. Hæc Valentino abſente geſta, qui vbi aduentabat, furens, cunctaq. rurſus in turbas & exitium conuerſurus: legiones in Mediomatricos, ſociam ciuitatem, abſceſſere. Valentinus ac Tutor, in arma Treueros retrahunt: occiſis Herennio ac Numiſio legatis, quo minore ſpe veniæ creſceret vinculum ſceleris.

H*OMINIBVS ſeditioſis & ſceleratis nulla ars promptior, quàm ſocijs criminum nullam veniæ ſpem relinquere; & hoc omnium ſcelerum validiſſimum vinculum. Exemplum inſigne habes apud Polybium in primo bello Punico: & temporibus noſtris Aurantius in Belgio ita ſeditionem fouit vſque ad mortem.*

Hic belli ſtatus erat, cum Petilius Cerialis Magontiacum venit. eius aduentu, erectæ ſpes. Ipſe pugnæ auidus, & contemnendis quàm cauendis hoſtibus melior, ferocia verborum militem incendebat:

E*XERCITVS Imperatores audaces potius, quàm fortes aliquando & plerumque in contemnendis quàm cauendis hoſtibus ſunt meliores. Et ferocia verborum potius milites incendunt, quàm factis extendunt; vt Bartholomaus Liuianus temporibus noſtris.*

vbi primum congredi licuiſſet, nullam prælio moram facturus. Dilectus per Galliam habitos, in ciuitates remittit, ac nuntiare iubet ſufficere imperio legiones. ſocij ad munia pacis redirent, ſecuri velut confecto bello, quod Romanæ manus excepiſſent. Auxit ea res Gallorum obſequium. nam recepta iuuentute, facilius tributa tolerauere, proniores ad officia quòd ſpernebantur.

S*AEPE hoc euenit, vt officia, quæ aliquando detrectauimus, ſponte ſubeamus.*

At Ciuilis & Claſſicus, vbi pulſum Tutorem, cæſos Treueros, cuncta hoſtibus proſpera accepere: trepidi ac properantes, dum diſperſas ſuorum copias conducunt, crebris interim

nuncijs

nuncijs Valentinum monuere, ne ſummæ rei periculum faceret. Eo rapidius Cerialis, miſſis in Mediomatricos, qui breuiore itinere legiones in hoſtem verterent, contracto quod erat militum Magontiaci, quãtumq. ſecum tranſuexerat, tertijs caſtris Rigodulum venit. quem locum, magna Treuerorum manu, Valentinus inſederat, motibus aut Moſellâ amne ſeptum. & addiderat foſſas, obiceſq. ſaxorum. Nec deterruere eã munimenta Romanum ducem, quo minus peditem perrumpere iuberet; equitum aciem, in collem erigeret; ſpreto hoſte, quem temere collectum, haud ita loco iuuari, vt non plus ſuis in virtute foret. Paulum moræ in aſcenſu, dum miſſilia hoſtium præuehuntur: Vt ventum ad manus; deturbati, ruinæ modo, præcipitantur. Et pars equitum æquioribus iugis circumuecta, nobiliſſimos Belgarum, in quis ducem Valentinum, cepit. Cerialis, poſtero die, coloniam Treuerorum ingreſſus eſt, auido milite eruendæ ciuitatis. hanc eſſe Claſſici, hanc Tutoris patriam. horum ſcelere, clauſas cæſaſq. legiones. Quid tantum Cremonam meruiſſe, quàm e gremio Italiæ raptam, quia vnius noctis moram victoribus attulerit? Stare in confinio Germaniæ integram ſedem, ſpolijs exercituum & ducum cædibus ouantem. Redigeret prædam in fiſcum. Ipſis ſufficere ignes, & rebellis coloniæ ruinas, quibus tot caſtrorum excidia penſarentur. Cerialis metu infamiæ, ſi licentia ſæuitiaq. imbuere militem crederetur, preſſit iras. & paruere, poſito ciuili bello ad externa, modeſtiores.

NVLLVM crimen magis Imperatorem infamia inurit, quàm militum licentia & ſæuitia; nam vtraque ſocordiæ, & ignauiæ illum arguit; milites vero in ciuili bello ſemper immodeſtiores inueniuntur.

Conuertit inde animos, accitarum e Mediomatricis legionum miſerabilis aſpectus. Stabant conſcientia flagitij mæſtæ, fixis in terram oculis.

VVLGATVM eſt adagium Conſcientia mille teſtes. *Conſcientia flagitiorum homini lætitiam aufert & oculos deijcit; vt ne aſpicere cælum audeat. Pulchre dicebat Seneca: Ianitores conſcientiæ noſtra, non ſuperbia oppoſuit. Sic viuimus, vt deprehendi, ſit ſubito aſpici.*

Nulla inter coeuntes exercitus conſalutatio: neque ſolantibus hortantibusve reſponſa dabant, abditi per tentoria, & lucem ipſam vitantes.

HOC proprium ſceleſtorum hominum commercium fugere, lucem vitare, in tenebras ſe abdere. Conſceleratis enim hominibus duo tantum bona euenire poſſe docet Plato: vt, aut corrigantur, aut vt moriantur. Illo fit vt boni eſſe incipiant: hoc vt necare deſinant.

nec perinde periculum aut metus, quàm pudor ac dedecus obſtupefecerat: attonitis etiam victoribus, qui vocem precesq. adhibere non auſi, lacrymis ac ſilentio veniam poſcebant. donec Cerialis mulceret animos, fato acta dictitans, quæ militum ducumq. diſcordia, vel fraude hoſtium eueniſſent.

IMPERATORES, milites ne in deſperationem incidant, prudentia lenitate coniuncta eorum animos mulcere debent; exemplum dat Cerialis.

Primum illum ſtipendiorum & ſacramenti diem haberent: Priorum facinorum neque imperatorem, neque ſe meminiſſe. Tunc recepti in eadem caſtra, & edictum per manipulos, ne quis in certamine iurgiove ſeditionem aut cladem commilitoni obiectaret.

NVLLA res magis animos flagitiorum conſcios, atque exulceratos exaſperat, & pene ad inſaniam inducit; quàm obiectatio & improperatio facinorum: laudanda eſt igitur prouidentia ducis ad ſedandos militum animos.

Mox Treueros ac Lingonas, ad concionem vocatos, ita alloquitur: Neque ego vmquam facundiam exercui, & populi Romani virtutem armis affirmaui:

CERIALIS oratio miris affectibus plena, & magno artificio habita.

Sed quia apud vos verba plurimum valent, bonaq. ac mala non ſua natura, ſed vocibus ſeditioſorum æſtimantur:

SEDITIOSI bona ac mala, non vi ſua natura ſunt, exiſtimant; ſed quatenus, vel ad ſeditionem confirmandam, vel eorum voluntati inſeruire poſſunt.

ſtatui

ſtatui pauca diſſerere, quæ profligato bello, vtilius ſit vobis audiſſe, quàm nobis dixiſſe. Terram veſtram, ceterorumq. Gallorum, ingreſſi ſunt duces imperatoresq. Romani, nulla cupidine, ſed maioribus veſtris inuocantibus, quos diſcordiæ vſque ad exitium fatigabant, & acciti auxilio Germani, ſocijs pariter atque hoſtibus ſeruitutem impoſuerant. quot prælijs aduerſus Cimbros Teutonosq. quantis exercituum noſtrorum laboribus, quove euentu Germanica bella tractauerimus, ſatis clarum. Nec ideo Rhenum inſedimus, vt Italiam tueremur: ſed ne quis alius Ariouiſtus, regno Galliarum potiretur. An vos cariores Ciuili Batauisq. & Tranſrhenanis gentibus creditis, quàm maioribus eorum patres auiq. veſtri fuerunt? Eadem ſemper cauſſa Germanis tranſcendendi in Gallias, libido atque auaritia, & mutandæ ſedis amor. vt relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, fecundiſſimum hoc ſolum, vosq. ipſos poſſiderent.

De libidine & auaritia, quæ ſunt omnium ciuitatum peſtes, ſupra multa diximus. Nulla res magis Germanorum, & aliorum Barbarorum animos ad mutandas ſedes impulit, quàm cæli aſperitas, & ſoli ſterilitas: hanc Cimbrorum, Gothorum, Vandalorum, & aliorum populorum examina ex Scandenauia egreſſa, ad Galliam, Italiam, Hiſpaniam, & alias Europæ nobiles prouincias inuadendas, impulerunt.

Ceterum libertas, & ſpecioſa nomina pretexuntur. nec quiſquam alienum ſeruitium, & dominationem ſibi concupiuit, vt non eadem iſta vocabula vſurparet.

Facinorosi & inquieti homines dominationem & alienum ſeruitium affectantes, libertatis & Reipublicæ tuendæ ſpecioſa nomina prætexentes & inculcantes, omnia conturbant & inquietant.

Regna bellaq. per Gallias ſemper fuere, donec in noſtrum ius concederetis. Nos, quamquam totiens laceſſiti, iure victoriæ id ſolum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium, ſine armis; neque arma, ſine ſtipendijs; neque ſtipendia, ſine tributis haberi queunt.

Vide quæ Mæcenas in oratione ad Auguſtum de hac re luculentiſſime diſſerit, apud Dionem. Multa huic ſimilia HETRVRIAE MAGNVS DVX in ſua ditione tuenda cum ſuis populis agit.

Cetera in communi ſita ſunt. Ipſi plerumque legionibus noſtris præſidetis. Ipſi has aliasq. prouincias regitis. Nihil ſeparatum, clauſumve. Et laudatorum principum vſus ex æquo, quamuis procul agentibus: ſæui proximis ingruunt.

Lavdatorvm Principum vſus ex æquo eſt, quamuis procul agentibus: ſæui proximis ingruunt. Boni Principes in hoc cognoſcuntur, quòd iuſtitiam exercent atque clementiam, ſubditorum intacta bona ſinunt, mulieres earum non attingunt, & ſimilia. Quæ tam apud longinquas prouincias, quàm ſibi proximas ſubditas perueniunt. Tyranni econtra præcipue in necem, & pudicitiam graſſantur, rapinas & extorſiones agunt, quibus quanto quis eſt proximior, plus damni ſentit. Vnde optimum elicitur præceptum: quod expedit non ita intimum eſſe Tyranno: plus enim ſibi licentiæ in intimos aſſumit, & omnia ex libito agit: ſecus cum his, qui tam intimi non ſunt, nam cum his circumſpectius ſe gerit. Salluſtius in oratione Sullæ ad Bocchum: Tibi vero nulla amicitia oportunior noſtra: *primum quod procul abſimus; in quo offenſæ minimum, gratia par, ac ſi prope adeſſemus.*

quo modo ſterilitatem, aut nimios imbres, & cetera naturæ mala; ita luxum, vel auaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines. ſed neque hæc continua; & meliorum interuentu penſantur.

Vitia erunt, donec homines: ſed neque hæc continua, & meliorum interuentu penſantur. Huc facit, quod diffuſe narrat Plutarchus in Opuſculo De Tranquillitate animi, *Seneca, & alij. Et vas illud, vnde mala commixtione bonis generi hominum data fuerint, huc pertinet. Felix ergo, qui minimis vrgetur, ſecundum Lyricum noſtrum:* nam nihil ſublunare perfectum, & ab omni parte beatum: *& cum anima diſſociatur a corpore, tunc vere a vitijs ad beatorum ſedes euolant boni. Plato in Phædone.*

niſi forte Tutore & Claſſico regnantibus, moderatius imperium ſperatis: aut minoribus quàm nunc tributis, parabuntur exercitus, quibus Germani Britanniq. arceantur. nam pulſis, quod dij prohibeant, Romanis, quid aliud quàm bella omnium inter ſe gentium exſiſtent? Octingentorum annorum fortuna diſciplinaq. compages hæc coaluit: quæ conuelli, ſine exitio conuellentium, non poteſt. Sed vobis maximum diſcrimen, penes quos aurum & opes, præcipuæ bellorum cauſſæ.

AVRVM, & opes, præcipuæ ſunt bellorum cauſſæ. Primus omnium, qui bella cum finitimis gerere cœpit, ſecundum Iuſtinum, fuit Ninus: & hoc dominandi cauſſa. Recte Virgilius:

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Hinc illa Scytharum admiratio, cum Alexander eis inferre bellum pararet: cum pauperes, egeni, & inopes eſſent, nec quid de illis victor concupiſceret, haberent. Tamen, etſi ſunt hæ præcipuæ bellorum cauſſæ, aliæ inueniuntur, ob quas bella inferuntur: vt ſunt vltiones vindictæ, ardor gloriæ, quæſitio ſedium, & ſimilia.

Proinde pacem & vrbem, quam victi victoresq. eodem iure obtinemus, amate, colite. Moneant vos vtriuſque fortunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie, quam obſequium cum ſecuritate malitis.

CONTVMACIA ſæpius perniciem, obſequium plerumque ſecuritatem parit. Vna via eſt, inquit Seneca, ad tuta vadenti, & externa deſpuere, & honeſto contentum eſſe. Nam qui aliquid virtute melius putat, aut vllum præter illam bonum, ad hæc, quæ a fortuna ſparguntur, ſinum expandit, ſolicitus miſſilia eius expectat.

Tali oratione grauiora metuenteis compoſuit, erexitq. Tenebantur victore exercitu Treueris cum Ciuilis & Claſſicus miſere epiſtolas ad Cerialem, quarum hæc ſententia fuit, Veſpaſianum, quamquam nuncios occultarent, exceſſiſſe vita. Vrbem atque Italiam, interno bello conſumptam. Mutiani & Domitiani vana & ſine viribus nomina.

VANA & ſine viribus nomina vere ſunt ea, quæ nullum aliud fundamentum habent, quàm hominis vita labilis in ſummo conſtituta. Nonne Roma in dies hanc ſcenam aperit?

Si Cerialis imperium Galliarum velit, ipſos finibus ciuitatum ſuarum contentos. Si prælium mallet, ne id quidem abnuere. Ad ea Cerialis Ciuili & Claſſico nihil, eum, qui attulerat ipſas epiſtolas, ad Domitianum miſit.

DVX & moderator belli, vt omnem ſuſpicionem de ſuæ fidei integritate fugiat, ita erga Principem ſuum ſe gerere debet. Si Paulus Vitellius Auorum noſtrorum memoria inſignis dux, hoc egiſſet, Florentini, quorum exercitum ducebat in bello Piſano, illum non occidiſſent.

Hoſtes diuiſis copijs aduenere vndique. Plerique culpabant Cerialem paſſum iungi, quos diſcretos intercipere licuiſſet.

DVCIS maximus error eſt pati coniungi hoſtes, quos diſcretos intercipi, & facile profligari poſſunt. Inſigne prudentiæ & audaciæ exemplum habes apud Liuium de Claudio Nerone & Liuio Salinatore Conſſ. qui Aſdrubalem antequam cum Annibale fratre exercitum ſuum iunxiſſet, memorabili clade occiderunt.

Romanus exercitus caſtra foſſa valloq. circumdedit: quis temere antea intutis conſederat. Apud Germanos, diuerſis ſententijs certabatur. Ciuilis opperiendas Tranſrhenanorum gentes, quarũ terrore fractæ Po. Ro. vires obterrerentur. Gallos quid aliud quàm prædam victoribus? & tamen quod roboris ſit, Belgas, ſecum palam, aut voto ſtare. Tutor contatione creſcere rem Romanam affirmabat, coeuntibus vndique exercitibus:

CELERITAS in rebus bellicis maximi momenti eſt, & multas præclarasq. victorias ſæpe præbuit. Nota eſt Cæſaris Dictatoris inſignis celeritas in bello conficiẽdo. Contra vero contatio exitium aliquando attulit exercitibus, aliquando vero ſalutem: de prima exemplum dat Pompeius Magnus ad Dyrrachium, qui contatione, dum Cæſaris exercitum fame fere necatum delere poteſt, victoriam inſignem e manibus ſibi eripuit. Et patrum noſtrorũ memoria Ioannes Federicus Saxoniæ Dux,

Dux, dum CAROLVM V. celeritate opprimere poteſt, antequam vires augeſceret procraſtinatione, illi praeclaram victoriam, ſibi ignominiam, fugam, & carcerem attulit. De ſecunda, memorabile exemplum nobis reliquit Q. Fabius Maximus Dictator, qui nullo alio praeclaro facinore Annibalis tot victorijs tumidum exercitum ac ferocem fregit, quàm cuntatione & procraſtinatione: qua de re Cuntator pro dictatore dictus; qua cuntatione Romana Reſpubl. in ſummo diſcrimine redacta, ſtetit. notiſſimum eſt Ennij Poetae illorum temporum celeberrimi carmen:

Vnus, qui nobis conctando reſtituit rem:

Paucis ab hinc annis in Belgio Aurantij vires fregit cuntatione Albanus Dux. Hoc vero anno HENRICVS III. Gallorum vere Chriſtianiſſimus Rex, Germanorum, & Heluetiorum aliorumq. rebellium colluuiem & ingentem exercitum cuntatione & procraſtinatione profligauit, vt hoſtibus ignominiam, ſibi vero ingentem acquiſiuit gloriam, & regni ſecuritatem ſolidam ac firmam reddidit. Ex his omnibus Imperator exercitus admonendus: quando cuntatione hoſtium vires ac res creſcunt, tunc praelio maturandum.

tranſuectam a Britannia legionem: accitas ex Hiſpania: aduentare ex Italia: nec ſubitum militem, ſed veterem, expertumq. belli. Nam Germanos, qui ab ipſis ſperentur, non iuberi, non regi, ſed cuncta ex libidine agere. Pecuniamq. ac dona, quîs ſolis corrumpantur, maiora apud Rom. & neminem adeo in arma promptum, vt non idem pretium quietis quàm periculi malit.

NEMO eſt adeo in arma promptus, vt non idem pretium quietis, quàm periculi malit. Bellorum nullus alius eſt finis, quàm quies & pax: quam ſi qui bella inferunt, ex ſuo voto haberent, certe ab armis abſtinerent: cum omnes natura a periculis & laboribus abhorreamus. Hinc concluditur, quòd abſque ſpe mutandi ſtatum in melius, numquam arma ſuſcipiet.

quòd ſi ſtatim congrediantur, nullas eſſe Ceriali, niſi ex reliquijs Germanici exercitus, legiones, foederibus Galliarum obſtrictas. Idq. ipſum, quòd inconditam nuper Valentini manum contra ſpem ſuam fuderint, alimentum illis duciq. temeritatis.

NOVIS ac belli inexpertibus ducibus, res proſpera ducta, alimentum temeritatis ſunt.

Auſuros rurſus, venturosq. in manus, non imperiti adoleſcentuli verba & conciones quàm ferrum & arma meditantis, ſed Ciuilis & Claſſici:

ADOLESCENTIAM ferme ſemper comitatur imperitia.

quos vbi aſpexerint, redituram in animos formidinem, fugam, famemq. ac totiens captis precariam vitam. neque Treueros, aut Lingonas beneuolentia contineri: reſumpturos arma, vbi metus abſceſſerit.

QVI beneuolentia in fide non continentur, vbi metus abſceſſerit, arma reſumunt. Itaque Plutarcho teſte manſuetudine potius & beneficentia, quàm timore elicienda eſt beneuolentia; adde ab hominibus, quibus imperare, aut in quibus nouum imperium firmum ac diuturnum fundare ac erigere cupis.

Diremit conſiliorum diuerſitatem, approbata Tutoris ſententia Claſſicus. ſtatimq. exſequuntur. Media acies Vbijs Lingonibusq. data, dextro cornu cohortes Batauorum, ſiniſtro Bructeri Tencteriq. pars montibus, alij viam inter Moſellamq. flumen tam improuiſi aſſiluere, vt in cubiculo ac lectulo Cerialis, neque enim noctem in caſtris egerat, pugnari ſimul, vinciq. ſuos audierit, increpans pauorem nunciantium, donec vniuerſa clades in oculis fuit. Perrupta legionum caſtra, fuſi equites: medius Moſellae pons, qui vlteriora coloniae annectit, ab hoſtibus inſeſſus. Cerialis turbidis rebus intrepidus,

HABES exemplum ducis in rebus afflictis & deſperatis, intrepidi & nequaquam ſe deſerentis, ſed animo inuicto ac intrepido ſe erigentis.

& fugientes manu retrahens intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate, & fortiſſimi cuiuſque accurſu, reciperatum pontem lecta manu firmauit. Mox in caſtra reuerſus, palantes captarum apud Nouesium Bonnamq. legionum manipulos, & rarum apud ſigna militem, ac prope circumuentas aquilas videt. Incenſus ira: Non Flaccum, inquit,

non Voculam deſeritis. Nulla hic proditio; neque aliud excuſandum habeo, quam quòd vos Gallici fœderis oblitos [prædixerim,] memoriam Romani ſacramenti tenere credidi. Annnmerabor Numiſijs & Herennijs, vt omnes legati veſtri, aut militum manibus, aut hoſtium ceciderint. Ite, nunciare Veſpaſiano, vel quod propius eſt Ciuili & Claſſico, relictum a vobis in acie ducem. venient legiones, quæ neque me inultum, neque vos impunitos patiantur. Vera erant, & a tribunis præfectisq. eadem ingerebantur. Conſiſtunt per cohortes, & manipulos. neque enim poterat pateſcere acies effuſo hoſte, & impedientibus tentorijs ſarcinisq. cum intra vallum pugnaretur. Tutor, & Claſſicus, & Ciuilis, ſuis quiſque locis pugnam ciebant, Gallos pro libertate, Batauos pro gloria, Germanos ad prædam inſtigantes.

TRES acerrimi pugnandi ſtimuli, ac calcaria pungentiſſima; libertas, gloria, ac præda. prima viros fortes, ſecunda magnanimos, tertia quoſcumque mouet, vrit, ac in perniciem reducit.

Et cuncta pro hoſtibus erant. donec legio viceſimaprima, patentiore quàm ceteræ ſpatio conglobata, ſuſtinuit ruentes; mox impulit. Nec ſine ope diuina, mutatis repenté animis, terga victores vertere. Ipſi territos ſe cohortium aſpectu ferebant, quæ primo impetu diſiectæ, ſummis rurſus iugis congregabantur, ac ſpeciem noui auxilij fecerant. Sed obſtitit vincentibus prauum inter ipſos certamen, hoſte omiſſo, ſpolia confectandi. Cerialis, vt incuria prope rem afflixit, ita conſtantia reſtituit.

QVI incuria ac ſocordia rem affligunt, fortitudine ac conſtantia reſtituere debent.

Secutusq. fortunam, caſtra hoſtium eodem die capit exſcinditq. Nec in longum quies militi data. Orabant auxilium Agrippinenſes; offerebantq. vxorem ac ſororem Ciuilis, & filiam Claſſici, relicta ſibi pignora ſocietatis. Atque interim diſperſos in domibus Germanos trucidauerant. Vnde metus, & iuſtæ preces inuocantium, antequam hoſtes, repararis viribus, ad ſpem, vel ad vltionem accingerentur.

IVSTAE ſunt ſocij preces, qui vt tecum coniunctus ſit omnibus modis hoſtes tuos offendit, & in maximum diſcrimen ſe conijcit.

Namque & Ciuilis illuc intenderat, non inualidus, flagrantiſſima cohortium ſuarum integra maneute, e Chaucis Friſijsq. compoſita. Tolbiaci, in finibus Agrippinenſium, agebat. Sed triſtis nuncius auertit, deletam cohortem dolo Agrippinenſium: qui largis epulis vinoq. ſopitos Germanos, clauſis foribus, igne iniecto, cremauere.

HOC ſecundum morem gentis. Germani enim compotationibus largis & epulis copioſis gaudent: qui vero vino & crapulæ dediti, inſidijs obnoxij ſunt. Plato in vino maxime plerumque hominum animi affectiones exiſtimat poſſe perſpici. Notum eſt adagium: In vino veritas. Pulchre Eratoſtenes inſignis poeta vini naturam deſcribit:

Vinum igni æqualem habet vim: vbi hominem
Subierit, quem conturbat, vt Lybicum mare
Aquilo, vel auſter: Itaque prodit latentia
In mentis receſſu, animumq. vniuerſum concutit.

Simul Cerialis propero agmine ſubuenit. Circumſteterat Ciuilem & alius metus, ne quartadecima legio, adiuncta Britannica claſſe, affligaret Batauos, qua Oceano ambiuntur. Sed legionem, terreſtri itinere, Fabius Priſcus legatus in Neruios Tungroſq. duxit. Eæq. ciuitates in ditionem acceptæ. Claſſem vltro Caninefates aggreſſi ſunt. maiorq. pars nauium depreſſa, aut capta. Et Neruiorum multitudinem ſponte commotam, vt pro Romanis bellum capeſſeret, iidem Caninefates fugere. Claſſicus quoque aduerſus equites Noueſium a Ceriale præmiſſos, ſecundum prælium fecit. quæ modica, ſed crebra damna, famam victoriæ nuper partæ lacerabant.

MODICA multa, & crebra damna in re bellica aliquando maiorem ſucceſſuum cauſſam ſubminiſtrarunt.

Iiſdem

Iiſdem diebus Mucianus Vitellij filium interfici iubet: manſuram diſcordiam obtendens, ni ſemina belli reſtinxiſſet.

SAEPE qui Tyrannum occidit, & filio parcit; ſibi laqueum mortiferum tendit. Quare nouus Princeps ad ſtabiliendum & confirmandum imperium; Tyranni Sobolem e medio tollere ſolet; etenim qui eum extinguit, diſſidij & ſeditionis ſemina reſtinguit.

Neque Antonium Primum adſciri inter comites a Domitiano paſſus eſt: fauore militum anxius, & ſuperbia viri, æqualium quoque adeo ſuperiorum intolerantis. Profectus ad Veſpaſianum Antonius, vt non pro ſpe ſua excipitur, ita neque auerſo imperatoris animo: Trahebatur in diuerſa. hinc, meritis Antonij, cuius ductu confectum haud dubie bellum erat: inde, Muciani epiſtolis. ſimul ceteri, vt infeſtum tumidumq. inſectabantur, adiunctis prioris vitæ criminibus. neque ipſe deerat arrogantia vocare offenſas, nimius commemorandis, quæ meruiſſet.

HOC vani hominis elati & glorioſi proprium arrogantia: qua quidem etiam ipſa nomine caret apud Græcos, teſte Ariſtotele, in qua qui labuntur, ac peccant, ſuperantes ipſam, inhoneſtius de ſe multa prædicando, quàm veritas ferat vocantur a Græcis ἀλάζονες, glorioſi a Latinis. Glorioſus enim homo, id eſt, arrogans aſciſcere ſolet ſibi res laudis & gloria plenas, & qua ſibi non inſunt, & maiora etiam, quam ſunt. Arrogantia vero modeſtia contraria eſt, per quam temeritas atque impudentia, vanam ſibi comparat auctoritatem: vt videre eſt in hoc Antonio Primo. Arrogantis nomen, inquit Xenophon, vſurpari mihi recte videtur in illis, qui ſe ſimulant eſſe ditiores, & fortiores quàm ſint: & ea ſe eſſe facturos promittunt, quæ præſtare nequeunt, idq. manifeſto facere videntur accipiendi quidpiam & lucrandi gratia.

Alios vt imbelles, Cæcinnam vt captiuum ac dediticium increpat. Vnde paulatim leuior viliorq. haberi,

NIHIL eſt, quod magis diminuat laudis præconium, quàm ſuos aſsidue iactare ſucceſſus, & ſingulis diebus anni vendere diem vnum. Legitur de Mario, qui cũ plurima feciſſet egregie, vna ſui iactatione gloriam famã perdidit, & quia ſibi præſumpſit adſcribere, quod ex ore alieno captare debuerat, publicã commendationis vota demeruit. Iactantia enim, eſt inanis de ſe ac ſtulta prædicatio: quæ quidem qui vtitur, ſemper vilem ſe cordatis hominibus reddat.

manente tamen in ſpeciem amicitia.

PRINCEPS etſi illum, cui multum aſtrictus beneficijs eſt, non diligat: tamen amicitiæ ſpeciem retinere debet.

Per eos menſes, quibus Veſpaſianus Alexandriæ ſtatos ★ æſtiuis flatibus dies & certa maris, opperiebatur, multa miracula euenere, quis cæleſtis fauor & quædam in Veſpaſianum inclinatio numinum oſtenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam, oculorum tabe notus, genua eius aduoluitur, remedium cæcitatis expoſcens gemitu, monitu Sarapis dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit. precabaturq. principem, vt genas & oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento. Alius manu æger, eodem deo auctore, vt pede ac veſtigio Cæſaris calcaretur, orabat. Veſpaſianus primo inridere, aſpernari: atque illis inſtantibus, modo famam vanitatis metuere, modo obſecratione ipſorum, & vocibus adulantium in ſpem induci: poſtremo æſtimari a medicis iubet, an talis cæcitas ac debilitas, ope humana ſuperabiles forent. Medici varie diſſerere. Huic nõ exeſam vim luminis, & redituram, ſi pellerentur obſtantia: illi elapſos in prauum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari. Id fortaſſe cordi deis, & diuino miniſterio principem electum. denique patrati remedij gloriam, penes Cæſarem; inriti, ludibrium penes miſeros fore. Igitur Veſpaſianus cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quidquam vltra incredibile, læto ipſe vultu, erecta, quæ aſtabat, multitudine, iuſſa exſequitur. Statim conuerſa ad vſum manus, ac cæco reluxit dies.

SVETONIVS *Veſpaſiano*. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonſtratum a Sarapide per quietem, reſtiturum oculos, ſi inſpuiſſet: confirmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere. Cum vix fides eſſet,

vim vllo modo ſucceſſuram, ideoq. ne experiri quidem auderet: extremo hortantibus amicis, palam pro concione vtrumque tentauit: nec euentus defuit: *huic ſimilia Ioſephus de Bello Iudaico*.

Vtrumque qui interfuere nunc quoque memorant, poſtquam nullũ mendacio pretium.

DIPHILVS poeta Comicus: Mendacium poſitum in tempore lucrum ceu fructum affert. Et Theognides.

Principium mendacij exiguum habet gratiæ
Circa finem vero, lucrum turpe malumq. pariter
Naſcitur.

Recte igitur Auctor, Nullum mendacio pretium, *& in ea vrbe, in qua niſi adulatores, aſſentatores, & mendaces apud Principes locum habebant, ita vt qui mentiri nequibat, Romæ inutilis eſſet. Vt pulchre dixit Vmbricius apud Iuuenalem cum Roma diſcederet.*

Quid Romæ faciam, mentiri neſcio, librum,
Si malus eſt, nequeo laudare, & poſcere: motus
Aſtrorum ignoro, funus promittere patris
Nec volo, nec poſſum, ranarum viſcera numquam
Inſpexi, ferre ad nuptam quæ mittit adulter,
Quæ mandat, norint alij: etc.

Nonne qui has celebres noſcit artes apud Magnates in maximo eſt pretio? & videmus, & obmuteſcimus; & qui has non callet, ne vt matulam afferat dignus eſt. Thales Mileſius rogatus quantum a vero diſtaret mendacium, quantum oculi, dixit, ab auribus.

Altior inde Veſpaſiano cupido adeundi ſacram ſedem, vt ſuper rebus imperij conſuleret.

EX rerum proſpero euentu, ſpe & cupidine res mortalium altius ſuccreſcunt. Pulchre Ouidius:

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis:
Nec facile eſt æqua commoda mente pati.
Et Seneca in Oedipo:
Res ſecundæ non habent vmquam modum.

Arceri templo cunctos iubet. atque ingreſſus, intentuſq. numini, reſpexit pone tergum e primoribus Ægyptiorum, nomine Baſiliden: quem procul Alexandria plurium dierum itinere, & ægro corpore detineri haud ignorabat. Percontatur ſacerdotes, num illo die Baſilides templum iniſſet? percontatur obuios, num in vrbe viſus ſit? denique miſſis equitibus explorat, illo temporis momento, octoginta millibus paſſuum abfuiſſe. Tunc diuinam ſpeciem, & vim reſponſi ex nomine Baſilidis, interpretatus eſt.

SVETONIVS Veſpaſiano eadem fere. Suſcepto imperio Alexandriam tranſijt. Hic cum de firmitate imperij capturus hoſpicium, ædem Sarapidis, ſummotis omnibus, ſolus intraſſet, ac propitiato multum Deo, tandem ſe conuertiſſet verbenas, coronaſq. & panificia, vt illis aſſolet Baſilides libertus obtuliſſe ei viſus eſt. *&c. cap. 3.*

Origo dei nondum noſtris auctoribus celebrata. Ægyptiorum antiſtites, ſic memorant. Ptolemæo regi, qui Macedonum primus Ægypti opes firmauit, cum Alexandriæ recens conditæ mœnia, templaq. & religiones adderet, oblatũ per quietem decore eximio & maiore quàm humana ſpecie iuuenem, qui moneret, vt fidiſſimis amicorum in Pontum miſſis, effigiem ſuam acciret: lætum id regno, magnamq. & inclytam ſedem fore, quæ excepiſſet. ſimul viſum eundem iuuenem in cælum igne plurimo attolli. Ptolemæus omine & miraculo excitus, ſacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos viſus aperit. Atque illis Ponti & externorum parum gnaris, Timotheum Athenienſem e gente Eumolpidarum, quem vt antiſtitem cærimoniarum Eleuſi exciuerat, quæ nam illa ſuperſtitio, quod numen interrogat. Timotheus, quæſitis, qui in Pontum meaſſent, cognoſcit vrbem illic Sinopen,

SINOPE vrbs Græciæ, Mileſiorum colonia, quam Polybius hoc modo deſcribit: In dextra parte Ponti, vbi Phaſidis ingreditur mare, in quadam Cherſonneſo protendente in pelagus, difficilis aditu a mare venientibus Sinopenſibus Mithridates bellum intulit, qui ſubſidium a Rhodijs petierunt. *Strabo nobilem eam Paphlagoniæ ciuitatem vocat a Mileſiis ædificatam, at bis captam, primum a Pharnace, deinde a Lucullo, gymnaſio, porticibus, & foro egregie ornatam. Inde quoque Sinopicam*

rubricam

rubricam e Cappadocia eo aduectam prouenire. Vrbis nomen a puella Sinope a Ioue adamata deductum putant, ex qua Syrum progenuit. Hanc fabulam pluribus carminibus elegantiſſime Apollonius comprehendit. Hæc patria fuit Diogenis *Cynici philoſophi clariſſimi.*

nec procul templum vetere inter accolas fama Iouis Ditis. Namque & muliebrem effigiem aſſiſtere, quam plerique Proſerpinam vocent. Sed Ptolemæus, vt ſunt ingenia regum, pronus ad formidinem, vbi ſecuritas redijt, voluptatum quàm religionum appetens, negligere paulatim, aliaſq. ad curas animum vertere: donec eadem ſpecies terribilior iam & inſtantior, exitium ipſi regnoq. denunciaret, ni iuſſa patrarentur. Tum legatos & dona Scydrothemidi regi, is tunc Sinopenſibus imperitabat, expediri iubet, præcipitq. nauigaturis, vt Pythium Apollinem adeant. Illis mare ſecundum. Sors oraculi haud ambigua. Irent, ſimulacrumq. patris ſui reueherent, ſororis relinquerent. Vt Sinopen venere, munera, preces, mandata regis ſui Scydrothemidi allegant. Qui diuerſus animi, modo numen pauescere, modo minis aduerſantis populi terreri, ſæpe donis promiſſiſq. legatorum flectebatur. Atque interim triennio exacto, Ptolemæus non ſtudium, non preces omittere. Dignitatem legatorum, numerum nauium, auri pondus, augebat. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, ne deſtinata deum vltra moraretur. Contantem varia pernicies, morbiq. & manifeſta cæleſtium ira, grauiorq. in dies fatigabat. Aduocata concione, iuſſa numinis, ſuos Ptolemæiq. viſus, ingruentia mala exponit. Vulgus aduerſari regem, inuidere Ægypto, ſibi metuere, templumq. circumſedere. Maior hinc fama tradidit, deum ipſum appulſas litori naues ſponte conſcendiſſe. Mirum inde dictu, tertio die tantum maris emenſi, Alexandriam appelluntur. Templum pro magnitudine vrbis exſtructum, loco, cui nomen Rhacotis; fuerat illic ſacellum, Sarapidi, atque Iſidi antiquitus ſacratum. Hæc de origine & aduectu dei, celeberrima.

SARAPIDEM Plutonem, Iſidem vero Proſerpinam eſſe, docet Plutarchus in lib. de Oſiride, & Iſide. Qui quidem hanc hiſtoriam ſeu potius fabulam narrat in paucis diſſentiens a Tacito: Neque vero, *inquit*, Sarapis alius eſt quàm Pluto, aut Iſis a Proſerpina differt: vt Archemachus Euboenſis docuit, & Heraclides Ponticus, qui oraculum Canopicum, Plutonis eſſe iudicat. Ptolomæus vero ſoter Plutonis Coloſſum, qui Sinopæ erat, ſuſtulit, cum neque noſſet, neque vidiſſet vmquam talem, quali forma per quietem imaginatus fuerat ſe videre, ac iuberi eum quam primum Alexandriam perferre. Ignoranti autem, & anxie inquirenti, vbi nam locorum ſitus eſſet, amicisq. rem narranti, oblatus eſt Soſibius quidam late vagatus homo, qui Sinopæ a ſe viſum talem Coloſſum diceret, qualem Rex imaginatus fuerat. Miſsi itaque Soteles & Dionyſius, longo tempore & ægre, neque ſine prouidentia diuina, furtim ablatum Coloſſum ad regem pertulerunt. Qui vbi conſpectus fuit, Timotheus interpres, & Manetho Sebenita a Cerbero & dracone coniecturis ductis collegerunt Plutonis eſſe ſimulacrum, Ptolomæoq. perſuaſerunt non eſſe alius dei, quam Sarapidis. Non enim iſthinc hoc nomen gerens venerat: ſed allatus Alexandriam, Sarapidis nomen, quo Aegyptij Plutonem afficiunt, inuenit.

Hactenus Plutarchus. Templum vero, & oraculum Sarapidis in Canopo vrbe, quæ ab Alexandria centum viginti ſtadijs diſtat, magnificentiſſime extructum teſtatur Strabo lib. 17. de Situ Orbis: In ea, *inquit*, eſt Sarapidis templum, & cultu & religione excellens, vt etiam doctiſsimi viri credant, & pro ſe & pro alijs inſomnia ibi captent. Sunt qui curas conſcribant, quidam vero virtutes eorum, quæ ibi reſpondentur. Sed ante omnia ingens eſt eorum turba, quæ ad ſollemnia per foſſam, quæ Canopica dicitur, ex Alexandria deſcendunt. Nam die ac nocte nauiculis plena eſt virorum & mulierum impudenter canentium ac ſaltantium cum omni diſſolutione, & ijs præterea, qui diuerſuria habent foſſæ impoſita, ad huiuſmodi celebritatem idonea.

Hactenus Strabo: Stetit hoc templum vſque ad tempora Theodoſij Imperatoris, quo imperante, cum æquarentur ſolo Græcorum templa in Sarapidis Sacrario hieroglyphicas eſſe compertas litteras, quæ Crucis *præferebant formam ſcribit Rufinus & Sudas; quæ etiam Serapidis pectori inſcultam, eſſe ventura vita ac futura apud Aegyptios hieroglyphicum erat. Viſebatur necnon in* Obeliſco *illo celeberrimo e Circo Maximo nuper effoſſo & in area Lateranenſi hoc anno SIXTI V. PONT. MAX. liberalitate erecto: Et in* Leonibus *lapideis vetuſtiſſimis ex Aegypto quondam allatis, nunc aquam vomentibus ad fontem,* aquæ Felicis *in monte Quirinali prope Diocletiani Thermas: qui quidem antea in foro D. Mariæ ad Martyres collocati erant. De ſubuerſione templi Sarapidis ſcripſit Sophronius inſigne volumen teſte Hieronymo: Auguſtinus in lib. 18. de Ciuit. Hieronymus in epiſtola ad Latam & ex externis Eunapius Sardianus.*

Nec ſum ignarus, eſſe quoſdã, qui Seleucia vrbe Syriæ accitum, regnãte Ptolemæo, quem tertia ætas tulit: alij auctorem eundem Ptolemæum, ſedem ex qua tranſierit, Memphim

perhibent,

perhibent, inclytam olim, veteris Ægypti columen. Deum ipſum multi Æſculapium, quòd medeatur ægris corporibus; quidam, Oſirim, antiquiſsimum illis gentibus numen; plerique Iouem, vt rerum omnium potentem; plurimi Ditem patrem, inſignibus quæ in ipſo manifeſta, aut per ambages coniectant. At Domitianus Mucianusq. antequam alpibus propinquarent, proſperos rerum in Treueris geſtarum nuncios accepere. Præcipua victoriæ fides, dux hoſtium Valentinus, nequaquam abiecto animo, quos ſpiritus geſſiſſet, vultu ferebat.

VIRI fortes, etſi aduerſa fortuna premuntur, tamen numquam ſunt abiecto animo: ſed eoſdem ſpiritus animi virtute retinent, atque æquanimiter vtramque fortunam ſuſtinent: vt inquit Horatius:

Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene præparatum.
Pectus.

Natura enim ſic comparatum eſt, vt quiſquis ſe aliquid ordine, ac recta mente complexum confidit, vel iam geſtum, ſi obtrectetur, acriter tueatur: vel nondum editum, ſi interpelletur, ſine vlla cunctatione ad effectum perducat.

Auditus ideo tantum, vt noſceretur ingenium eius, damnatusq. inter ipſum ſupplicium, exprobranti cuidam patriam eius captam, accipere ſe ſolatium mortis reſpondit.

VERBA ſunt earum, quæ in animo inſunt, paſſionum notæ, inquit Ariſtoteles. Pulchre Plato lib. 6. de Repub. Virum fortem illum vocat, quando in ipſo iracundia vigor ita conſtitutus eſt, vt in medijs voluptatibus & doloribus, in ſententia perſiſtat. vt hic Valentinus.

Sed Mucianus quod diu occultauerat, vt recens exprompſit.

QVI in Aulis Principum verſantur prudenter in omnibus ſe gerant, nec ſtatim quod in animo habent, Principi exprimere debent; ſed oportunam expectare occaſionem, qua quando ſe offert, tunc Principi pectus aperire debent; ac negotium, vt recens tunc excogitatum, expromant.

Quoniam benignitate deum fractæ vires hoſtium forent: parum decore Domitianum, confecto prope bello, alienæ gloriæ interuenturum. Si ſtatus imperij, aut ſalus Galliarum in diſcrimine verteretur, debuiſſe Cæſarem in acie ſtare. Caninefates Batauosq. minoribus ducibus delegandos. Ipſe Lugduni vim fortunamq. principatus e proximo oſtentaret, nec paruis periculis immixtus, & maioribus non defuturus. Intelligebantur artes. ſed pars obſequij in eo, ne deprehenderentur. Ita Lugdunum ventum. Vnde creditur Domitianus, occultis ad Cerialem nuncijs, fidem eius tentauiſſe, an præſenti ſibi exercitum imperiumq. traditurus foret. qua cogitatione bellum aduerſus patrem cogitauerit, an opes vireſq. aduerſus fratrem, in incerto fuit. Nam Cerialis, ſalubri temperamento eluſit, vt vana pueriliter cupientem. Domitianus ſperni a ſenioribus iuuentam ſuam cernens, modica quoque & vſurpata antea munia imperij omittebat. Simul ſimplicitatis ac modeſtiæ imagine, in altitudinem conditus: ſtudiumq. litterarum & amorem carminum ſimulans, quo velaret animum, & fratris æmulationi ſubduceretur, cuius diſparem mitioremq. naturam contra interpretabatur.

STVLTITIAM ſimulare loco, ſapientia eſt: & aliam perſonam induere aliquando prudentis eſt hominis. Hinc illud Plauti:

Sapiens quidem pol, ipſe fingit fortunam ſibi.

Et Terentius: Simulare certi eſt hominis. Laurentius Medices, qui ALEXANDRVM Florentiæ Ducem e medio ſuſtulit, multo tempore ſegnitiem & timiditatem ſimulauit; tantum carminibus & comedijs ſcribendis ſe deditum prorſus oſtendit: ſed quali ingenio natum, cæſo Alexandro, manifeſtum dedit. Suetonius de Domitiani ſimulatione ita ſcribit: Simulauit & ipſe mire modeſtiam: inprimiſq. poeticæ ſtudium tam inſuetum antea ſibi, quàm poſtea ſpretum, & abiectum: recitauitq. etiam publice.

Commentariorum in Librum IV. Hiſtoriarum Pub. Cornelij Taciti Finis.

ANNIBALIS SCOTI
PLACENTINI
IN P. CORNELII TACITI
Hiſtor. Commentarij.

Ex Lib. V. Hiſtor. P. Cornelij Taciti.

EIVSDEM anni principio, Cæſar Titus perdomandæ Iudęæ dilectus a patre, & * priuatis vtriuſque rebus militia clarus, maiore tum vi famaq. agebat, certantibus prouinciarum & exercituum ſtudijs.

DE TITI VESPASIANI animi dotibus, quæ vna cum corporis a pueritia explenduerunt, ac magis magisq. deinceps per ætatis gradus creuerunt, forma egregia, et cui non minus auctoritatis ineſſet, quàm gratiæ: lege Suetonium in eius vita cap. 3.

atque ipſe, vt * ſuperior ſui iam crederetur,

LOCVS corruptus, a Lipſio viro doctiſſimo illuſtratus & emendatus; Ipſe vt ſuper fortunam, eleganti ſententia. Titus, inquit, iam tum priuatus clarus bello, nunc multo promptior, vt parem vel ſuperiorem ſe potius fortuna hac imperatoria oſtenderet: *cui ſentētia, vt valde cōſentaneæ aſſentior. In Tito enim, teſte Suetonio, vigebat præcipuum robur, quamquam neque procera ſtatura, memoria ſingularis, docilitas ad omnes fere tum belli, tum pacis artes. Armorum & equitandi peritia.*

decorum ſe promptumq. in armis oſtendebat, comitate & alloquijs officia prouocans:

COMITATE & alloquijs officia prouocantur. Nulla enim res magis animos militum deuincit quàm Imperatoris comitas, & affabilitas: hæ Alexandrum Magnum, Scipionem Africanum, Dictatorem Cæſarem, Pompeium Magnum, chariſſimos apud ſuos milites fecerunt, & memorabilibus victorijs clariſſimos reddiderunt.

ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore.

IN DVCE comitas, lenitas, & humanitas probatur, quando maieſtatis honorem, & dignitatis gradum incorruptum, & ex omni parte tutum cuſtodit. Fortiſſimus enim, atque firmiſſimus honoris cuſtos Modeſtia. Alexander Macedo, *vt milites ad iter niue horridum ſuperandū animaret, ipſe equo deſilijt, pedesq. per niuem & concretam glaciem ingredi cœpit. Erubuerunt non ſequi primum amici; deinde copiarum duces, ad vltimum milites. Primusq. Rex dolabra glaciem perfringens iter ſibi fecit. Exemplum regis cæteri imitati ſunt.*

Tres eum in Iudæa legiones, quinta & decima, & quintadecima, vetus Veſpaſiani miles excepere. Tradidit, & Syria duodecimam, & adductos Alexandria duoetviceſimanos tertianosq. Comitabantur viginti ſociæ cohortes octo equitum alæ; ſimul Agrippa, Sohemusq. reges, & auxilia regis Antiochi validaq. & ſolito inter accolas odio infenſa Iudæis Arabum manus. Multi, quos vrbe atque Italia ſua quemque ſpes acciuerat, occupandi principem adhuc vacuum.

NOVVM Principem adhuc miniſtris, & contubernalibus vacuum, primo occupare & obſequijs ſibi obligare, magnam ſpem, & magnæ vtilitatis arrabonem ſibi ſpopondit.

His

His cum copijs fines hoſtium ingreſſus, compoſito agmine, cuncta explorans, paratusq. decernere, haud procul Hieroſolymis caſtra facit. Sed quia famoſæ vrbis ſupremum diem tradituri ſumus, congruens videtur primordia eius aperire. Iudæos Creta inſula profugos, nouiſſima Libyæ inſediſſe memorant, qua tempeſtate Saturnus vi Iouis pulſus ceſſerit regnis. Argumentum e nomine petitur: Inclytum in Creta Idam montem accolas, Idæos, aucto in Barbarum cognomento, Iudæos vocitari [quaſi Idæos.]

MVLTI noſtri temporis viri docti, etſi Taciti hiſtoriam admirati ſint, & eius ingenium, & acumen in deſcribendis Principum moribus, ſententiarumq. grauitatem ſummis laudibus extulerint; necnon integritatem in ſcribendo ſuſpexerint: In deſcribendo tamen hiſtoriam Iudaicam eiusq. gentis originem Tacitum lapſum eſſe omnibus in comperto eſt: vt apertiſsime patet in ſacris litteris. Præſertim cum Iudæorum genus notiſſimum toti orbi eſſet, ipſe tamen in luce ita cæcutit, vt Iudæos ab Ida monte Cretenſium [quaſi Idæos] *duceret.*

De Iudæorum antiquitate *præclare ſcripſit Ioſephus, multa Polemon in Helleniacis, Appion Poſidonij in libro, quem contra Iudæos ſcripſit, et Ptolomæus Mendeſius, qui Aegyptiaca ſcripſit, & Diodorus, & multi alij, quos nominatim citat Iuſtinus martyr in Parænetico. Trogus, vt in Iuſtini Epitome habemus, & Strabo multa de Moyſe ſcripſerunt; ſed mendacijs referta. Quo factum eſt, vt hiſtorici Græci, & Latini vaniſsimi interdum a nobis fuiſſe deprehendantur, qui ſacram hiſtoriam & incorruptam habemus. In quo profecto eorum vicem dolere deberemus, niſi in pleriſque eorum improbam mentem cerneremus: blandiente ſemper in ipſis in Iudæos maledicentia ob vnius Dei cultum. Quare nonnulla ex ſequentibus hiſtorijs notatu digna præter noſtrum inſtitutum annotabimus; præſertim ea, quæ veritatem multo magis declarare videbuntur:*

quidam regnante Iſide, exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hieroſolymo ac Iuda, proximas in terras exoneratam.

HANC fabulam Tacitus ex mendaciſsimis Græcis ſcriptoribus hauſit. quemadmodum & Trogus. Qui in Epitome Iuſtini lib. 36. ita ſcribit: Fuit namque Iudæis origo Damaſcena, quæ Syriæ nobiliſsima Ciuitas eſt: vnde & a Syriis regibus genus ex regina Semiramide fuit. Nomen vrbi a Damaſco Rege inditum: in cuius honore Syrii ſepulchrum Arathis vxoris eius pro templo coluere, deamq. exinde ſanctiſsimæ religionis habent. Poſt Damaſcum, Abraam, Moſes Iſrael reges fuere. ſed Iſraelem felix decem filiorum prouentus maioribus ſuis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna diuiſum filiis tradidit, omnesq. ex nomine Iudæ, qui poſt diuiſionem deceſſerat, Iudæos appellauit: coliq. eius memoriam ab omnibus iuſsit. *hæc Iuſtinus.*

Plerique Æthiopum prolem, quos rege Cepheo metus, atque odium mutare ſedes perpulerit:

VIDE HERODOTVM Halicarnaßeum de Colchis in 2. lib. quem refert Ioſephus lib. 1. contra Apionem. vbi Herodotus circumciſionis originem Aegyptijs & Aethiopibus tribuit: hinc non immerito ſuſpicari poſſumus Tacitum in ea opinione fuiſſe, vt gentem Hebræam ex Aethiopia originem forſan trahere arbitraretur.

Sunt qui tradant Aſsyrios conuenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, ac mox proprias vrbes Hebræasq. terras, & propiora Syriæ coluiſſe.

ET hæc quandam vmbram veritatis retinent. Clarum eſt in ſacris litteris Hebræos fame coactos, Syria relicta, Aegyptum intraſſe, ac Aegypti parte potitos, poſtea egreſsos propiora loca Syriæ coluiſse.

Clara alij Iudæorum initia: Solymos carminibus Homeri celebratam gentem,

HOMERI carmina, quæ habentur in 5. Odiſs. ita latine reddidimus:

Hunc vero ex Aethiopum terra rediens potens Neptunus
E longinquo ex Solymorum montibus conſpexit, conſpectus erat ei
Pontum nauigans.

Sententia vero valde ambigua inter fluctuantes ſcholiaſtas. Strabo deſignari Lycios *arbitratur: & hanc ſententiã Euſtachius & Pindari interpres ſequitur. ſunt qui* Piſidas, *vt Plinius & Stephanus. Sunt qui* Iudæos, *quod Tacitus hic innuit, & Tzetzes. Euſebius Cæſarienſis Hebræos* Solymos *olim dictos Charilis poeta teſtimonio confirmat: adductus, opinor, auctoritate Ioſephi, qui in primo lib.*

contra

contra Apionem carmina Cherili poeta recitat, & ad hunc ſenſum interpretatur, dicens: Solymi montes in noſtra eſſe regione conſtitutos, in quibus habitamus, & ſtagnum, quod dicitur Aſphaltites: *nec Q. Calaber in ſuo poemate aliter apud Homerum intellexit.*

conditæ vrbi Hieroſolymam nomen e ſuo feciſſe.

R*ECTE annotauit Lipſius.* Nomen e ſuo feciſſe. *Ordo & ſenſus eſt: Vrbem conditam feciſſe Hieroſolymam nomine ſuo, ideſt, appellaſſe: dixit autem nomen facere, pro eo, quod eſt imponere.*

Plurimi auctores conſentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Occhorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum vt inuiſum deis, alias in terras auehere iuſſum.

D*E hoc rege ita ſcribit Diodorus Siculus: cum de legiſlatoribus mentionẽ faceret, qui in Aegypto claruerunt:* Quartus ſcribitur rex Vecchoris, *ita in vulgatis exemplaribus*, qui leges dederit, & commertia hominum iudiciaq. conſtituerit; *quem locum Iuſtinus Martyr citat in ſermone Parenetico. De tabe autem, qua corpora fœdaret, fabulam hauſit Tacitus ex Cheremonis & mendaciſſimi Manethonis hiſtoria Aegyptiaca: qua omnia manifeſta eſſe mendacia demonſtrat Ioſephus contra Apionem lib. primo, vbi etiam Lyſimachi verba refert, qua ibi videri poſſunt.*

Sic conquiſitum collectumq. vulgus, poſtquam vaſtis locis relictum ſit, ceteris per lacrymas torpentibus, Moſen vnum exſulum monuiſſe, ne quam deorum hominumve opem expectarent, ab vtriſque deſerti, ſed ſibimet vt duci cæleſti crederent, primo cuius auxilio credentes, præſentes miſerias pepuliſſent. Aſſenſere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æque quàm inopia aquæ fatigabat. Iamq. haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex aſinorum agreſtium e paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Secutus Moſes, coniectura herbidi ſoli, largas aquarum venas aperit. Id leuamen, et continuum ſex dierum iter emenſi, ſeptimo pulſis cultoribus, obtinuere terras, in quibus vrbs & templum dicata ſunt. Moſes quo ſibi in poſterum gentem firmaret, nouos ritus contrariosq. ceteris mortalibus indidit.

D*IODORVS Silicus, cum de Aegyptijs legiſlatoribus ſcriberet, de Moſe ita ait:* Apud Iudæos Moſes ab Iao, quem illi Deum inuocant, acceptas leges dare præſeferebat: *&c. Plura, qua de Moſe et Iudæorum ex Aegypto profectione Aegyptius Apion finxit, prater aliorum commentus auctoritatem, refert Ioſephus in lib. 1. & 2. contra Apionem.*

Profana illic omnia, quæ apud nos ſacra. Rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta. Effigiem animalis, quo monſtrante, errorem ſitimq. depulerant, penetrali ſacrauere, cæſo ariete velut in contumeliam Hammonis.

P*LVTARCHVS lib.4. Conuiualiũ quaſtione quinta: Vtrũ ſuem venerãtes Iudai, aut potius auerſantes, carne eius abſtineãt: & hoc mendaciũ tangit, inquit enim:* Nunc tã interficere, quàm edere ſuem, iis eſt religio. Et fortaſsis rationi hoc conſentit, ſicut aſino ſuus eſt aqud eos honor, qui fontẽ aquæ eis demonſtrauit: ita ſuem eos reuereri, vt ſationis & arationis magiſtram. *Iure igitur Tertullianus, vir doctiſsimus, & antiquitatis digniſsimus indagator, Tacitum loquacitatis, et mendacij arguit in Apologetico cap. 15. aduerſus Gentiles, qui Chriſtianis capitis aſinini venerationem obyciebant. Inquit enim:* Nam vt quidam, ſomniaſtis caput aſininum eſſe deum noſtrum. Hanc Cornelius Tacitus ſuſpitionem eiuſmodi inſeruit. Is enim in quinto hiſtoriarum ſuarum bellum Iudaicum exorſus ab origine gentis, etiam de ipſa tam origine, quàm de nomine ex religione gentis, quæ voluit argumentatus. Iudæos refert Aegypto expeditos, ſiue vt putauit extorres vaſtis Arabiæ in locis aquarum egentiſsimis; cum ſiti macerarentur, onagris, qui forte de paſtu potum petituri æſtimabantur, indicibus, fontibus vſos, ob eam gratiam conſimilis beſtiæ ſuperficiem conſecraſſe. Atque ita inde opinor præſumptum nos quoque, vt Iudaicæ religionis propinquos, eidem ſimulachro initiari. At enim idem Cornelius Tacitus, ſane ille mendaciorum loquaciſsimus in eadem hiſtoria refert Cn. Pompeium cum Hieruſalem cepiſſet, propterea quod templum adiſſet ſpeculandis Iudaicæ religionis arcanis, nullum illic reperiſſe ſimulachrum: & vtique ſi id colebatur, quod aliqua effigie repræſentabatur, nuſquam magis quàm in ſacrario ſuo exhiberetur; eo magis, quia nec verebatur extraneos arbitros; quamquam vana cultura. Solis enim ſacerdotibus adire licitum, etiam conſpectus ceterorum velo oppanſo interdicebatur. *hucuſque Tertullianus.*

Bos

Bos quoque immolatur, quem Ægyptij Apin colunt. Sue abſtinent, memoria cladis, quòd ipſos ſcabies quondam turpauerat, cui id animal obnoxium.

E*T hæc omnia cōmenta in gentis odiū recenſentur. Plutarchus in eodem lib. quē ſupra citauimus.* Suillam, *inquit*, carnem Iudæi abominari, quòd maxime Barbari abhorrent a vitiliginibus & lepra, quas putant eſu harum carnium adſciſci, Etenim videmus ſuem ſub ventre plenum eſſe lepra, & ſcabioſis maligne puſtulis: quæ ſane exiſtimantur a praua corporis affectione & corruptela eorum, quæ intus ſunt in ſuperficiem erumpere. *Nec abhorret ab hac ſententia Clemens Alexandrinus in ſtromatibus, licet & aliam referat.*

Longam olim famem crebris adhuc ieiunijs fatentur. Et raptarum frugum argumentum, panis Iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo die otium placuiſſe ferunt, quia is finem laborum tulerit: dein blandiente inertia, ſeptimum quoque annum ignauiæ datum. Alij honorem eum Saturno haberi: ſeu principia religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulſos, & conditores gentis accepimus: ſeu quòd e ſeptem ſideribus, quis mortales reguntur, altiſſimo orbe & præcipua potentia ſtella Saturni feratur: ac pleraque cæleſtium vim ſuam & curſum ſeptimos per numeros conficiant. Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur: cetera inſtituta ſiniſtra, fœda prauitate valuere. Nam peſſimus quiſque, ſpretis religionibus patrijs, tributa & ſtipes illuc congerebant. Vnde auctæ Iudæorum res: quia apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promptu, ſed aduerſus omnes alios hoſtile odium. Separati epulis, diſcreti cubilibus proiectiſſima ad libidinem gens, alienarum concubitu abſtinent. Inter ſe nihil illicitum. Circumcidere genitalia inſtituere, vt diuerſitate noſcantur. Transgreſſi in morem eorum idem vſurpant: nec quidquam prius imbuuntur, quàm contemnere deos, exuere patriam: parentes, liberos, fratres vilia habere. Augendæ tamen multitudini conſulitur. Nam & necare quemquam ex agnatis nefas, animasq. prælio aut ſupplicijs peremptorum æternas putant. Hinc generandi amor, & moriendi contemptus. Corpora condere quàm cremare, e more Ægyptio. Eademq. cura & de infernis perſuaſio, cæleſtium contra. Ægyptij pleraque animalia effigiesq. compoſitas venerantur. Iudæi mente ſola, vnumq. numen intelligunt. Profanos, qui deùm imagines mortalibus materijs in ſpecies hominum effingant. Summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla ſimulachra vrbibus ſuis, nedum templis ſunt. Non regibus hæc adulatio, non Cæſaribus honor.

S*TRABO non iniquus exiſtimator de Moſe ſcribens lib. 16. ita ait:* Moſes vnus ex Aegyptiis ſacerdotibus cum partem quandam regionis haberet, ac moleſte ferret eorum inſtituta, hinc eo commigrauit. Diſceſſere cum eo multi, quibus diuina curæ erant. Docebat enim ille, quo modo Agyptij non recte ſentirent, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent; nec Libyes, nec Græci, qui deos hominum figuris inſignirent. Et quod id ſolum DEVS eſſet, quod nos contineret, terram ac mare, quod cælum & mundum, & rerum omnium naturam appellamus: cuius profecto imaginem nemo ſanę mentis noſtrę ſimilem audeat effingere; oportere itaque relicta omni ſimulachrorum effigie, & digno ei fano, ac templo conſtituto, ſine forma colere, ei. vel pro ſe quemque indormire, vel alios, qui boni inſomniatores eſſent pro aliis. Ac ſemper bonum aliquod, & donum & ſignum a Deo expectare, eos præſertim, qui caſte integreq. & cum iuſtitia viuerent, ceteros vero neqnaquam. Ille hæc dicens, hominibus bonis, non ſane paucis id perſuaſit, & in eum locum deduxit, vbi nunc condita ſunt Hieroſolyma; *&c. hæc Strabo. Licet vane putauerit terram, cælum, mare, & hoc quod mundum vocamus ſiue rerum naturam a Iudæis coli. Sed recte Tacitus:* Iudæos mente ſola vnumq. numen intelligere, *aſſerit: Veritas enim ſæpe in ore hoſtium inuenitur, tanta vis eſt veritatis.* Varro *ſcripſit:* Antiquos Romanos pluſquam annos centum ſeptuaginta deos ſine ſimulachro coluiſſe. Quod ſi adhuc manſiſſet, inquit caſtius dij obſeruarentur. Cuius ſententiæ ſuæ teſtem adhibet inter cetera etiam gentem Iudæam, nec dubitat eum locum ita concludere, vt dicat: Qui primi ſimulachra deorum populis poſuerunt, eos ciuitatibus ſuis, & metum dempſiſſe, & errorem addidiſſe: prudenter exiſtimans, deos, facile poſſe in ſimulachrorum ſtoliditate contemni. Quæcumque tales viri in ſuis litteris multorum ludibria poſuerunt, ea potius occulta Dei voluntate compulſi ſunt, quàm perſuadere conati. *Hæc ex Varrone D. Auguſtinus lib. 4. c. 31. De Ciuitate Dei.*

Sed quia ſacerdotes eorum tibia tympaniſq. concinebant, hedera vinciebantur, vitiſq. aurea templo reperta: Liberum patrem coli, domitorem Orientis quidam arbitrati ſunt, nequa-

nequaquam congruentibus inſtitutis: quippe Liber feſtos lætosq. ritus poſuit: Iudæorum mos abſurdus ſordidusq.

HANC fabulam commentitiam, veram eſſe ob feſtum tabernaculorum ſuſpicatur. Vide Plutarchum in eodem lib. 4. vbi plura deliramenta refert.

Terra fineſq. qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur: a Meridie Ægyptus obiacet: ab occaſu Phœnices & mare: Septentrionem a latere Syriæ longe proſpectant.

IVDAEAE deſcriptionem habes apud Plinium lib. 5. c. 14. Apud Strabonem lib. 16. & latiſsimam apud Ioſephum in lib. de Antiq. & de bello Iudaico.

Corpora hominum ſalubria, & ferentia laborum: rari imbres, vber ſolum. Exuberant fruges noſtrum ad morem: preterq. eas, Balſamum & Palmæ: palmetis proceritas, & decor Balſamum, modica arbor. vt quiſque ramus intumuit, ſi vim ferri adhibeas, pauent venæ: fragmine lapidis, aut teſta aperiuntur. humor in vſu medentium eſt.

DE fertilitate Iudaicæ regionis paſsim apud ſcriptores primi nominis multa cognitione digna inuenies. Palmetum *vero illud famoſum, & Balſamorum viridaria apud Hiericuntem oppidum erant, vbi Solomonis regia videbatur, & domus ſaltus Libani. Reg. 3. c. 10. & Ioſephus Antiq. lib. 8. c. 2. meminit vbi Balſamus naſcatur: qui quidem ait:* Balſami plantam, cuius Iudæa regio ferax eſt, Reginæ Sabæ munificentiæ ferri accepiam. *Strabo etiam hunc locum deſcribit: Mirum quam varie de Balſamo auctores ſcribant. Plinius cum Tacito conſentit de inciſione lib. 12. c. 25. vbi Plantam deſcribit. Ioſephus iterum mentionem facit de Balſamo vnde prouenias lib. 14. Antiq. c. 7. & rurſus lib. 15. c. 5. & Trogus lib. 36. Idem Plinius & Theophraſtus, quem ſequitur Iſidorus, diuerſa de Balſamo narrant. Vide etiam Dioſcoridem, & quæ in eum annotauit Andreas Matthiolus, rei herbariæ peritiſsimus; & nouiſsime Rambertus Dodonæus vir longe doctiſsimus in ſuis libris de re herbaria. Illud notandum Balſama, ſi pura fuerint, tantam vim habere, vt ſi ſol excanduerit, ſuſtineri manu non poſsint. Hanc arborem Roma vidit in Triumpho* Magni Pompeij *Iudæa capta, clarumq. dictum ab eo:* In triumpho arbores quoque duximus. *Illud admiratione dignum temporibus noſtris Balſamum in Iudæa non naſci, ſed in Aegypto, in Hortis regijs apud Memphin, hodie il Cairo.*

Præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumq. niuibus.

IVDAEAE Libanus mons Prophetarum oraculis celeberrimus, cedris abundant: de quo Strabo & Plinius. Montes in Iudæa celebres Libanus, Antilibanus, & Carmelus.

Idem amnem Iordanem alit funditq. Nec Iordanes pelago accipitur. Sed vnum atque alterum lacum integer perfluit: tertio retinetur.

IORDANIS ſacris litteris celeberrimus amnis, ex Antilibano per fines Iudææ in Auſtrum fluit, tres efficiens lacus: primus ad Carmeli radices, Geneſar *a Plinio ac Ioſepho appellatus, in ſacris autem libris* Geneſareth, *ab oppido eiuſdem nominis, quod a Tito dicit expugnatum eſſe: fructuum omnium feracitate, et aeris ſalubritate feliciſsimum, irrigatum, præterea fonte celeberrimo, quem* Capernaum *indigenæ vocant, venamq. Nili a quibuſdam putatum. De Iordane ſcribit Plinius lib. 5. c. 15. Non prætereunda eſt etiam S. Hieronymi deſcriptio:* Iordanes, inquit, ad radices oritur Libani, & habet duos fontes, vnum nomine Ior, alterum Dan, qui ſimul iuncti, Iordanis nomen efficiunt. *Strabo vero:* Irrigatur autem a fluminibus per regionem fecundam, & omnia ferentem delabentibus: præſertim a Iordane lacum habet, qui aromaticum iuncum, & calamum fert: habet etiam paludes: *&c. Illud notandum, quod Pauſanias Tacito repugnat ſcribenti de Iordane:* Nam, inquit, in Hebræorum terra fluuium quendam Iordanum, & ipſe noui, qui ſtagnum Tiberias ſubit, ac deinde alterum, cui mare mortuum nomen eſt, in qua ipſa palude conſumitur. *Sed Tacito nos iure fidem habemus, qui in Trachonitide lacum minorem eſſe ſcimus, quem primo Iordanis ingreditur, cui Samochonitis nomen.*

Lacus immenſo ambitu ſpecie maris, ſapore corruptior, grauitate odoris accolis peſtifer, neque vento impellitur, neque piſces aut ſuetas aquis volucres patitur. Incertæ vndæ ſuperiacta vt ſolido feruntur, periti imperitiq. nandi perinde attolluntur. Certo anni bitumen egerit: cuius legendi vſum, vt ceteras artes, experientia docuit. Ater ſuapte natura liquor, & ſparſo aceto concretus, innatat: hunc manu captum, quibus ea cura, in ſumma nauis

 trahunt.

trahunt. Inde nullo iuuante influit, oneratq. donec abſcindas, nec abſcindere ære ferroue poſſis: fugit cruorem veſtemq. infectam ſanguine, quo feminæ per menſes exſoluuntur. Sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradunt vndantes bitumine moles pelli, manuq. trahi ad litus: mox vbi vapore terræ, vi ſolis inaruerint, ſecuribus cuneisq. vt trabes aut ſaxa diſcindi.

L*ACVS celebris in euangelio* Geneſareth & mare Tiberiadis *vocatus*, longitudine M. XVI. latitudine VI. aqua paluſtri ac dulci, piſcibusq. omnis generis referta, amœnis circumſeptus oppidis, *vt ex Plinio habetur: de quo etiam Ioſephus naturam & proprietates eius quamplurimas ac Iordanem copioſe deſcribens lib. 3 de bello Iud. cap. 18. Lacus vero, de quo Tacitus ſcribit, vltimus eſt: qui* Aſphaltites *dicitur, aquarum natura mirabilis, qui nihil præter bitumen gignit: de quo Plinius lib. 5. c. 16. Quòd autem bitumen huius loci menſtruum cruorem fugiat, affirmat idem Plinius lib. 7. c. 15. & lib. 28. c. 7. Strabo vero hunc lacum* Serbonem *vocat, de quo vide lib. 16. De* Aſphaltites *vero lacu operæpretium eſſe duximus ea, quæ Ioſephus ſcribit, tamquam fidus & oculatus teſtis in lib. 5. de bello Iudaico cap. 5. hic recenſere:* Is enim, *inquit*, lacus ſalſus quidem ac ſterilis eſt: nimia vero leuitate, etiam quę grauiſsima ſunt, in eum iacta fluitant. demergi autem quis in profundum, nec de induſtria facile poteſt. Denique Veſpaſianus, qui eius viſendi cauſſa illuc venerat, iuſsit quoſdam natandi inſcios, vinctis poſt terga manibus, in altum proijci: & euenit omnibus tamquam vi ſpiritus ſurſum repulſos deſuper fluitare. Ad hæc mirabilis eſt coloris mutatio, quę ter in ſingulos dies ſuperficiem vertit, & ſolis radiis variata reſplendet. Multis autem locis vomit nigras bituminis glebas, quæ ſuper vndam & habitu, & magnitudine tauris ſine capitibus aſsimiles natant. Ad eas autem cum lacus exercitores acceſſerint, nacti quod aggeſtum eſt, ad naues trahunt: & quia lentum eſt repletas abrumpere nequeunt: ſed quaſi religata ſcapha, pendet a cumulo, donec menſtruo mulieris, atque vrina ſoluatur. Eſt autem vtile non modo ad compagines nauium, ſed ad corporum etiam curationem multis remedijs admiſcetur. longitudo lacus eſt quingentorum & octoginta ſtadiorum, qui ad Zoara vſque Arabiæ tenditur. latitudo autem centum quinquaginta ſtadiis patet: *hactenus Ioſephus*.

Haud procul inde campi, quos ferunt olim vberes, magnisq. vrbibus habitatos, fulminum iactu arſiſſe: & manere veſtigia, terramq. ſpecie torridum, vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſiue herba tenus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adoleuere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt.

D*E conflagratione vrbium Sodomitarum cæleſti igne, celebrem hiſtoriam habes in ſacris litteris Genes. cap. 19. Tacito conſona ſcribit Ioſephus in loco ſupra citato:* Huic, *inquit, ideſt* Aſphaltiti, Sodomitica terra vicina eſt: olim quidem tam fructibus, quàm diuitiis ciuitatum fortunata, nunc autem omnis exuſta, vt quæ habitatorum impietate fulminibus conflagraſſe memoratur. Denique adhuc in ea diuini reliquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres: qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles, carpentium vero manibus in fumum diſſoluuntur & cinerem. Terræ quidem Sodomiticæ fabula eiuſmodi fidem habet ex facie: *hæc Ioſephus. Qui hiſtoriam ſubuerſionis harum vrbium narrat etiam in primo lib. Antiquitatum. c. 12.*

Ego ſicut Iudaicas quondam vrbes igne cæleſti flagraſſe conceſſerim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi ſuperfuſum ſpiritum, eoq. fetus ſegetum & autumni putreſcere reor, ſolo cæloq. iuxta graui.

H*ANC Tacitus coniecturam ex Strabone hauſiſſe videtur. Nam cum de Sodoma mentionem faceret, inter alia hæc ſcribit. lib. 16.* Quod autem regio ignea ſit per multa alia ſigna afferunt. Nam & petras aſperas exuſtas circa Moaſada oſtendunt: & multis in locis prærupta, & terram cinerulentam, & picis guttas ex petris deſtillantes, & flumina fœtido odore efferuentia, & habitationes paſsim euerſas, vt iis fidem adhibeant, quę ab indigenis prędicantur, quod in hoc loco XIIJ. vrbes olim habitabantur, quare Metropolis Sodoma adhuc LX. ſtadiorũ ambitum ſeruet. Et quod ex terræmotibus, & ignis afflatu, & aquis calidis & bituminoſis, & ſulphureis lacus erupuerit, & quod petrę igniferę factę ſint, & vrbium alię abſortę, alię ab iis, quicumquę fugere potuerunt, derelictę. Eratoſtenes contra ſentit, quod cum regio ſtagnis teneretur, maxima eius pars corruptionibus refecta fuerit, quemadmodum mare. *hactenus Strabo.*

Et Belus amnis Iudaico mari illabitur, circa cuius os conlectæ arenæ admixto nitro in vitrum excoquuntur: modicum id litus, ſed egerentibus inexhauſtum.

D*E hoc Plinius lib. 5. c. 19. & lib. 36. c. 26. & Strabo. Ioſephus vero oculatus teſtis de Belo amne ita ſcribit lib. 2. de Bello Iudaico c. 9.* Ab ea autẽ vrbe ſcilicet Ptolemaide diſtans duobus ſtadiis pręterlabitur fluuiolus, quem vocant Beleum, exiguus prorſus: cui prope eſt ſepulchrum Memnonis, habens extra ſe centum fere cubitorum ſpatium, ſed admiratione digniſsimum. Eſt enim ſpecie vallis

rotundæ

rotundæ vitream emittens arenam: quam cum exhauſerint multæ naues, pariter accedentes, locus idem rurſus impletur. Venti ſiquidem quaſi dedita opera, conuehunt illuc de circumſtantibus ſuperciliis arenam iſtam vtique communem: locus autem metalli ſtatim in vitrum, quod ſuſceperit, mutat. Mirabilius quoque mihi illud videtur, quod iam conuerſę arenæ in vitrum, quęcumque pars ſuper margines loci ipſius fuerit iacta, in vulgarem arenam denuo conuertitur. Igitur loci illius natura talis eſt. *hactenus Ioſephus.*

Magna pars Iudęæ vicis diſpergitur, habent & opida. Hieroſolyma genti caput.

IVDAEAE deſcriptionem pete a Ioſepho de bello Iudaico lib. 3. c. 2. Totius vero regionis Iudaicæ media eſt Hieroſolyma *vrbs, ſacris litteris celeberrima, & inter Orientales clariſſima: vnde quidam non ſine ratione*, vmbilicum eius terræ, *eam vrbem vocauit Eiusq. accuratam deſcriptionem habes lib. 6. c. 6. eiuſdem auctoris.*

Illic immenſæ opulentiæ templum, & primis munimentis vrbs * deiugis, templum intimis clauſum. ad fores, tantum Iudæo aditus: limine præter ſacerdotes arcebantur.

DESCRIPTIONEM Templi celeberrimi habes apud Ioſephum lib. 6. *de Bello Iudaico cap. 6. in qua miranda ſtructura multa digna lectu inueniuntur: locus vero mendo non caret, cuius emendationem pete ex Lipſio in ſuis in Tacitum notis:* Templum intimum *dicit, nam duplex eſt, interius & exterius, vt Ioſephus loco citato ſcribit, & Zonaras. quod* intimum *Tacitus, Ioſephus* ſanctum *appellat, & ſolis ſacerdotibus aditum permiſſum. Apoſtolus autem in epiſtola ad Hebræos c. 9. Deſcriptionem templi aggreditur: &* exterius ſancta *vocat, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, in quo ſacerdotes ſemper introibant, ſarificiorum officia conſummantes:* interius *poſt velamentum,* Sancta ſanctorum *appellat, in quo ſemel in anno ſolus Pontifex, non ſine ſanguine, quem offerebat pro ſua & populi ignorantia, introire ſolebat.*

Dum Aſſyrios penes Medosq. & Perſas Oriens fuit, deſpectiſſima pars ſeruientium.

ET hic Tacitus mendacij arguitur, cum Iudæorum gens & reges magnos & ſuum imperium haberet, cum penes Aſſyrios Medosq. & Perſas Oriens eſſet, vſque ad captiuitatem Babylonicam, quæ ſub Nabuchodonoſore Aſſyriorum rege facta fuit, vt videre eſt ex ſacris litteris, in lib. Regum, & Ioſepho in Antiquitatibus.

poſtquam Macedones præpotuere, rex Antiochus demere ſuperſtitionem, & mores Græcorum dare adnixus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus eſt. nam ea tempeſtate Arſaces deſciuerat.

QVAE geſſit Antiochus contra Iudæos & multa crudelia, quæ in pios viros & in ſanctam Ciuitatem perpetrauerit, lege Machabæorum libros, & Ioſephum in libro 12. Antiquitatum c. 7. & 13. & in eundem Antiochum diuinam vltionem habes apud eorundem librorum auctores.

Tum Iudæi, Macedonibus inualidis, Parthis nondum adultis, & Romani procul aberant, ſibi ipſi reges impoſuere, qui mobilitate vulgi expulſi, reſumpta per arma dominatione, fugas ciuium, vrbium euerſiones, fratrum, coniugum, parentum neces, aliaq. ſolita regibus auſi, ſuperſtitionem fouebant: quia honor ſacerdotij, firmamentum potentiæ aſſumebatur.

POST QVAM Iudæi ex captiuitate Babylonica reuerſi ſunt, ducibus Eſdra et Neemia: Reipublica dominatus penes ſacerdotes & Pontificem Maximum manſit. Qui quidem temporum ſucceſſione Pontificiam dignitatem cum Regia coniunxerunt, ac Summus Pontifex pro Rege ſe haberi voluit: vt etiam regium diadema ſibi impoſuit. Et quia ſacerdotij honor apud Iudæos in maxima veneratione erat, labentibus antiqua diſciplina moribus, ad tuendum tyrannidem pro firmamento potentiæ aſſumebatur; & pro eo armis dimicatum, vſque ad Herodem regem, deinde venale factum ad annum; quando a Romanis Iudæa in prouinciam redacta fuit a Pompeo Magno. Hæc habes apud Ioſephum in libris Antiquitatum. De Republica Hebræorum. *egregium volumen Carolus Sigonius noſtri temporis eruditiſſimus ſcripſit: quod legendum, ſi quis ampliora deſiderat, conſulo.*

Romanorum primus Gn. Pompeius domuit: templumq. iure victoriæ ingreſſus eſt. Inde vulgatum, nulla intus deûm effigie vacuam ſedem, & inania arcana. Muri Hieroſolymorum diruti, delubrum manſit.

HANC hiſtoriam habes apud Ioſephum lib. 14. Antiquitatum: Diſceptantibus de Regno Ariſtobolo & Hyrcano fratribus apud Pompeium, is Iudæam ingreſſus, & obſeſſa Hieroſolyma, obſer-

ſeruato Ieiunij die, vt Strabo refert, dum ab omni opere Iudæi abſtinerent, impleta foſſa, & admotis ſcalis, vrbem cepit, & poſtea templum tertio demum menſe, die ieiunij CLXXIX. Olympiade C. Antonio M. Tullio Cicerone Coss. quo capto, ingreſſus eſt in illud Pompeius, & vna cum eo non pauci alij, & inſpexerũt, vt ait Ioſephus, quæ nefas eſt videre niſi ſolis ſacerdotibus. Cumq. intus eſſent ex auro menſa, & candelabrum, & pocula, & odoramentorum magna copia, prçterea in Theſauris ſacræ pecuniç circiter talentorum duo millia; nihil horum præ pietate attigit, ſed hic quoque ſui ſimilis fuit, & nihil cõmiſit indignum ceteris virtutibus. Sequenti vero die iuſsis purgare templum æditui, & inſtauratis legitimis ſacrificijs, Pontificatum Hyrcano reddidit; deinde belli concitores ſecuri percuſsit. Et Hieroſolymã Po. Ro. ſtipendiariam fecit, & reliquam prouinciam Populo Romano ſubiecit: *Ex hoc loco de Capite Aſinino in templo dedicato manifeſti mendacij arguit Tacitum Tertullianus, vt ſupra docuimus.* Gn. *igitur* Pompeius *Romanorum primus Iudaos domuit; præter Ioſephum lege Egeſippum, & Plutarchum in vita Pompeij.*

Mox bello ciuili interno, poſtquam in ditionem M. Antonij prouinciæ ceſſerant, rex Parthorum Pacorus Iudæa potitus, interfectusq. a P. Ventidio, & Parthi trans Euphratem redacti. Iudæos C. Soſius ſubegit.

L*IPSIVS & alteram lectionem non reſpuit:* Mox bello ciuili inter nos. *Hanc hiſtoriam late proſequitur Ioſephus lib. primo de Bello Iudaico cap. xj. xij. & deinceps. Et Antiquitatum lib. 14. cap. 23. 24. 25. & 28.*

Regnum ab Antonio Herodi datum victor Auguſtus ſanxit.

H*ERODEM Aſcalonitam Antipatri filium intelligit. Hanc hiſtoriam habes apud Ioſephum lib. 14. Antiquitatum cap. 23. & cap. 26. eiuſdem libri, ſcribens quomodo propter Herodis fortunæ mutationem Antonio commiſeratio ſubiret, & quo pacto, eo adiuuante, a Senatu regia dignitate inſignitus ſit. Sed quo modo, cum Antonij amicitiam Herodes foueret, eo deuicto a Cæſare apud Actium, iterum in regno confirmatus ſit, idem Auctor narrat lib. 15. cap. 10 & lib. 1. de bello Iud. cap. 15. vbi multa notatu digna prudens Aulicus inueniet.*

Poſt mortem Herodis, nihil expectato Cæſare, Simon quidam regium nomen inuaſerat. Is a Quinctilio Varo obtinente Syriam punitus, & gentem coercitam liberi Herodis tripartito rexere. Sub Tyberio quies.

Q*VAE ſecuta fuerint in Iudæa poſt mortem Herodis, & quæ Archelaus vnus ex filijs teſtamento regni heres conſtitutus, paſſus eſt, quouſque a Cæſare Rex confirmaretur, ſcribit Ioſephus libro 2. de Bello Iudaico per totum, & libro 17. Antiquitatum cap. 10. & deinceps. Quod autem liberi Herodis tripartito Iudæam rexere, imperante Tyberio, non ſolum Ioſephus in eodem libro narrat; ſed etiam S. Lucas in Euangelio cap. 5. cum de Ioanne Baptiſta ſcribit. De Archelao mentionem facit S. Mattheus in Eua. cap. 2.* Audiens autem, *inquit*, quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illo ire. *Multi propter hiſtoriæ ignorantiam labuntur in errorem, putantes eundem eſſe Herodem, a quo in paſſione ſua Dominus irridetur, & qui nunc mortuus eſſe refertur. Ergo Herodes ille, qui cum Pilato poſtea amicitiam fecit, huius Herodis filius eſt, frater Archelai: quem Tiberius Cæſar Lugdunum, quæ Galliarum eſt ciuitas, relegauit, fratremq. eius Herodem ſucceſſorem regni fecit, vt idem Ioſephus teſtatur.*

dein, iuſſi a C. Cæſare effigiem eius in templo locare, arma potius ſumpſere. quem motum Cæſaris mors diremit.

H*ANC hiſtoriam late Ioſephus proſequitur lib. 18. Antiq. cap. 11. & lib. 2. de Bel. Iud. c. 9. Extat inſigne volumen Philonis Iudæi De legatione ad Caium: de qua meminit idem Ioſephus Antiquit: lib. 18. cap. 10. qui inter alia refert:* Philo e Iudæorum legatis potior, vir per omnia clariſſimus Alexandri Alabarchæ frater, & non imperitus philoſophiæ, parabat cauſam ſuæ gentis agere. Sed repulſus eſt a Cæſare iubente illum abire, & per iracundiam vix temperante ab iniuria. Quapropter eiectus conuicio, verſus ad Iudæos aſſectatores: Nunc, inquit, oportet bono eſſe animo, quando Caius iratus eſt, nunc enim Deus nobis contra illum aderit.

Claudius, defunctis regibus, aut ad modicum redactis, Iudæam prouinciam equitibus Romanis aut libertis permiſit. e quibus Antonius Felix per omnem ſæuitiam ac

libidinem

libidinem, ius regium ſeruili ingenio exercuit, Druſilla Cleopatræ & Antonij nepte in matrimonium accepta. vt eiuſdem Antonij, Felix progener, Claudius nepos eſſet.

MISERA Prouincia, in qua ius regium ſeruili ingenio exercetur, & huic parere coacta eſt: multa enim tunc in ea aguntur, quæ eiuſdem conſuetudini et moribus omnino repugnant, quæ res maxime ſubleuare ſolet populorum animos. Quæ vero Iudæa paſſa ſit ſub hoc Felice præſide lege Ioſephum Antiquitatum lib. 20. cap. 6. & deinceps; & de Bello Iudaico lib. 2. cap. 12. Hic eſt ille Felix Iudææ Præſes, ad quem Claudius Lyſias miſit vinctum Apoſtolum Paulum, *quiq. cum Druſilla vxore ſua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, quæ eſt in CHRISTVM IESVM, Actorum. 24.*

durauit tamen patientia Iudæis, vſque ad Geſſium Florum procuratorem. Sub eo bellum ortum. & comprimere cœptantem Ceſtium Gallum Syriæ legatum, varia prælia ac ſæpius aduerſa excepere.

POST Felicem *miſſus eſt a Nerone procurator* Porcius Feſtus, *de quo in actis Apo. cap. 25. & Ioſephus Antiq. lib. 20. cap. 7. & de Bello Iudaico lib. 2. cap. 12. Poſt mortem Feſti miſſus eſt a Nerone* Albinus, *vt idem auctor narrat, quo tempore ab Anano Pontifice* Iacobus frater Domini *Hieroſolymis morte afficitur, vt idem affirmat Antiq. lib. 20. cap. 8. Et poſt Albinum* Geſſius Florus, *de quo Tacitus hoc loco, & Ioſephus eodem lib. Antiq. cap. vlt. ſcribit. Reliqua vero eius acta ſæuitia plena late proſequitur in lib. 2. de Bello iudaico cap. 13. 14. & 15. quæ omnia Iudæis vltimam calamitatem attulerunt. De his autem, quæ crudeliter patrauit* Ceſtius Gallus *Syriæ legatus, habes in eod. lib. per totum.*

Qui vbi fato, aut tædio occidit: miſſu Neronis, Veſpaſianus fortuna famaq. & egregijs miniſtris, intra duas æſtates, cuncta camporum, omnesq. præter Hieroſolyma vrbes victore exercitu tenebat.

RERVM & temporum conditio bona, fama, & egregij miniſtri ſæpe bella proſpere conficiunt. De electione Veſpaſiani ad Iudaicum bellum conficiendum a Nerone facta Ioſephus lib. 3. cap. 1. Suetonius in D. Veſpaſiano cap. 4.

Proximus annus ciuili bello intentus, quantum ad Iudæos per otium tranſijt: pace per Italiam parta, & externæ curæ rediere. Augebat iras, quòd ſoli Iudæi non ceſſiſſent. Simul manere apud exercitus Titum, ad omnes principatus noui euentus caſusue vtile videbatur.

NOVO Principi, vt nouum principatum ſtabiliat, conducit, quòd aut ipſe, aut filius, ſi illi eſt, aut alius eius fidus amicus exercitus gubernacula teneat, neque cuiquam alij committat: quandoquidem Nuſquam tuta fides. *Recte Veſpaſianus Titum filium exercitui præfecit, & ad bellum Iudaicum conficiendum miſit. Nam cum pax domi adeſt, tunc Imperatori nequaquam ignauo cura externa redeunt & animo obuerſantur.*

Igitur caſtris, vti diximus, ante mœnia Hieroſolymorum poſitis, inſtructas legiones oſtentauit. Iudæi ſub ipſos muros ſtruxere aciem, rebus ſecundis longius auſuri; etſi pellerentur, parato perfugio.

PRVDENTIS Imperatoris eſt, poſt ſe in dimicando relinquere perfugium, vt in tutum, ſi res poſtulat, ſe recipere poſſit.

Miſſus in eos eques cum expeditis cohortibus, ambigue certauit. Mox ceſſere hoſtes, & ſequentibus diebus crebra pro portis prælia: donec aſſiduis damnis, intra mœnia pellerentur. Romani ad oppugnandum verſi. neque enim dignum videbatur, famem hoſtium opperiri: poſcebantq. pericula, pars virtute, multi ferocia, & cupidine præmiorum.

VIRTVS, ferocia, & præmiorum cupiditas, militum animos ad fortiter dimicandum accendunt, atque pericula leuiora & optabilia reddunt. Hanc pugnam late deſcribit Ioſephus lib. 6. de Bel. Iud. cap. 3.

Ipſi Tito Roma, & opes, voluptateſq. ante oculos.

ROMA hoc ſemper habuit, vt hominum animos miro quodam modo ad ſe alliciat; ita vt vbicumque quiſque ſit, ſemper illi ante oculos Roma *ſit. Huc referri poſſunt non incongrue carmina illa Ouidij pulcherrima.*

> Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
> Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

ac ni ſtatim Hieroſolyma conciderent, morari videbantur. Sed vrbem arduam ſitu, opera moleſq. firmauerant, quîs vel plana ſatis munirentur. Nam duos colles immenſum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrſus ſinuati: vt latera oppugnantium, ad ictus pateſcerent. Extrema rupis, abrupta. & turres, vbi mons iuuiſſet, in ſexaginta pedes; inter deuexa, in centenos vicenosq. attollebantur. mira ſpecie, ac procul intuentibus pares. Alia intus mœnia, regiæ circumiecta. conſpicuoq. faſtigio turris, Antonia in honorem M. Antonij ab Herode appellata. Templum in modum arcis proprijq. muri, labore & opere ante alios, ipſæ porticus, quis templum ambiebatur, egregium propugnaculum.

DESCRIPTIONEM Vrbis Hieroſolymorum *exactiſſimam, &* Turris Antoniæ, *in honorem M. Antonij ab Herode ædificatæ atque appellatæ, ſtructura magnificentiam, nec non* Templi *famoſiſſimi & toto terrarum Orbe celeberrimi formam inſignem ac ad viuum picturam, in quo etiam* Porticus *ipſæ deſcribuntur, habes apud Ioſephum de Bello Iudaico lib. 6. cap. 6. quem vide: nam multa, quæ breuiter & obſcure apud Tacitum leguntur, ibi clarius & fuſius habentur.*

. Fons perennis aquæ.

FONTEM Siloam *intelligit, de quo Ioſephus eodem loco: clara mentio habetur de hoc fonte in Euangelio S. Ioannis, ad quem cæcus a natiuitate a SALVATORE noſtro miſſus ad lauandum oculos luto ex ſputo facto linitos, poſt lotionem lucem recepit.*

cauati ſub terra montes. & piſcinæ ciſternæq. ſeruandis imbribus. præuiderant conditores, ex diuerſitate morum crebra bella. inde cuncta, quamuis aduerſus longum obſidium. & a Pompeio expugnatis, metus atque vſus pleraque monſtrauere.

IN Vrbibus, in quibus aquarum penuria laboratur, magna cura in colligendis & ſeruandis imbribus Rectores ſoliciti eſſe debent: quia ex diuerſitate morum crebra bella præuideri poſſunt: nam nulla res magis ciuitates obſeſſas in manus inimicorum tradit, quàm aquarum penuria. Ideoq. ciuitatum Rectoribus metus atque vſus pro ſeruanda Republica pleraque monſtrauere, ad aquarum copiam habendam.

Atque per auaritiam Claudianorum temporum, empto iure muniendi, ſtruxere muros in pace, tamquam ad bellum.

IOSEPHVS de Bello Iudaico lib. 2. cap. 10. & Antiq. lib. 19. cap. 7. paulo aliter. Illud notandum quod Agrippa rex, in ſumma pace cum degeret, muros ciuitatis antea dirutos ſtruxit. Nam in pace omnia munienda ſunt tamquam ad bellum.

magna colluuie, & ceterarum vrbium clade aucti. Nam peruicaciſſimus quiſque illuc perfugerat; eoq. ſeditioſius agebant.

VBI magna peruicacia, ibi magna ſeditio; & vbi ſeditio, ibi maxima inuidia. Nam vt dicebat Democritus: Inuidia ſeditionis parit initium. *hac Iudæorum animos in tantam peruicaciam, & ſeditionem eos adegit, vt vltimum exitium illis attulerit. Ciuitates enim in vniuerſum ſeditionibus conturbatæ ſæpius funditus euertuntur.*

Tres duces, totidem exercitus. Extrema & latiſſima mœnium, Simon: mediam vrbem, Ioannes, quem & Bargioram vocabant: templum, Eleazarus firmauerat. Multitudine & armis Ioannes, ac Simon; Eleazarus, loco pollebat. Sed prælia, dolus,

incendia inter ipſos, & magna vis frumenti ambuſta. Mox Ioannes, miſsis per ſpeciem ſacrificandi, qui Eleazarum manumq. eius obtruncarent, templo potitur:

DE Simone *homine crudeliſsimo ſcribit Ioſephus lib. 5. de bello Iud. cap. 7. De* Ioanne *vero lib. 4. cap. 4. De* Eleazaro *autem, qui dominationis Zelotarum in populum dux & auctor fuit; atque Zelotarum factio Hieroſolymitani excidij initium dedit, ſcribit lib. 2. cap. 57. Hi ſceleſti homines triplicis ſeditionis auctores æſtro perciti ita Iudaicum populum afflixerunt, miſeram vrbem vaſtarunt, maxima frumenti copia ambuſta, quæ ſufficiens erat ad decẽ annos obſidionem ſuſtinendam, ſacra deiecerunt, Templum profanarunt; ac omnia immania & horribilia perpetrarunt: ita vt plus detrimenti ab his pernicioſis hominibus intra mœnia incluſis, quàm foris ab hoſtibus Romanis acceperit. Hanc hiſtoriam, quam breuiter ſcribit Tacitus, latiſsime narrat Ioſephus in locis prææallegatis, & lib. 6. per totum: in quibus fuſe proſequitur pr.:lia inteſtina, dolus, incendia, occiſiones ac horrendas calamitates & ærumnas Iudæorum, ad quas ſeipſos redegerunt, quæ vix vllo ſermone æquari poſſunt, aut lacrymis digne deſleri, niſi perſidia illorum & deteſtanda ſcelera, imprimisq. illa eorum in CHRISTVM IESVM impia crudelitas, qua eum morti turpiſsimæ per ſummam iniuſtitiam addixerunt, eiuſmodi & grauiores pœnas meruiſſet. Vnde merito impleta in eis fuit SALVATORIS noſtri ſententia illa:* Non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur: *Et:* Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus: *Et:* Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas & lapidas eos, qui ad te miſsi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti. Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. *De morte vero Eleazari & quo aſtu Ioannes templum in feſto Azimorum inuaſerit, ſcribit Ioſephus lib. 6. cap. 4. Illud animaduertendum Tacitum fuiſſe deceptum nominum hebraicorum occaſione, cum Ioannem Bargioram vocat, nam* Simon Bargioræ *ideſt filius Gioræ fuit, & non Ioannes, teſte eodem auctore.*

ita in duas factiones ciuitas diſceſſit, donec propinquantibus Ro. bellum externum concordiam pareret.

S*OLET externum bellum inter proximos & diſcordes ciues pacem & concordiam parere: attamen in Iudæis non ſolum pacem & concordiam, ſed ſeditionem, diſcordiam, & vltimum exitium attulit: numquam enim commune periculum illos concordes efficere potuit. Conſule Ioſephum.*

Euenerant prodigia, quæ neque hoſtijs, neque votis piare fas habet gens, ſuperſtitioni obnoxia, religionibus aduerſa.

I*VDEOS ob vnius & veri Dei cultum, vana gentilitas eos ſuperſtitioni obnoxios, & religionibus aduerſos exiſtimauit.*

Viſæ per cælum concurrere acies, rutilantia arma, & ſubito nubium igne collucere templum. Expaſſæ repente delubri fores, & audita maior humana vox: excedere deos. Simul ingens motus excedentium. Quæ pauci in metum trahebant.

Q*VAE oſtenta ac prodigia futuram deſolationem Vrbis ac diuinam vltionem in rebellem populum ſignificantia ante præclariſsimæ Vrbis excidium præceſſere, narrat Ioſephus lib. 7. de Bello Iud. cap. 12. quæ ſummatim perſtrinximus ex eodem Auctore oculato teſte, ad hunc Taciti locum illuſtrandum.*

Primum prodigium, Cometes ſupra ciuitatem ſtetit ſimile gladio & per annum perſeuerauit.
Secundum, Lumen clariſsimum circum aram & templum noctu effulget.
Tertium, Bos agnum in medio fani parit.
Quartum, Aenea templi porta ſponte ſeſe aperit.
Quintum, Currus, & armatæ acies tranantes nubila.
Sextum, Vox in intimo templo audita, quæ diceret: Migremus hinc.

Septimum, *Quod autem his horribilius fuit,* Ieſus quidam, Annani filius, plebeius & ruſticus,
'' *quadriennio prius quàm bellum gereretur, in ſumma ciuitatis pace atque opulentia, cum ad fe-*
'' *ſtum diem veniſſet, quo ategias in honorem Dei componi in templo ab hominibus mos eſt, repen-*
'' *te exclamare cœpit:* Vox ab Oriente: Vox ab occidente: Vox a quattuor ventis: Vox
'' in Hieroſolymam & templum: Vox in maritos nouos nouasq. nuptas: Vox in om-
'' nem hunc populum. *Atque hæc interdiu noctuq. clamitans, omnes ciuitatis vicos circuibat.*
'' *Nonnulli autem virorum inſignium, aduerſum omen indigne ferentes, corripiunt hominem,*
'' *multisq. verberibus afficiunt. Ille autem neque pro ſe, nec ad eos, qui ſe multabant, ſecreto*

quid-

,, *quidquam locutus, eadem, quæ prius vociferans, perſeuerabat. Magiſtratus autem rati, quod*
,, *erat verum, magis diuinum eſſe hominis motum, ducunt eum ad Romanorum præfectum: vbi pla-*
,, *gis vſque ad oſſa laceratus neque ſupplex cuiquam fuit, neque lacrymauit: ſed vt poterat in-*
,, *clinans, maxime flebiliter vocem ad ſingulos ictus reſpondebat:* Væ væ Hieroſolymis. *Albino*
,, *autem Iudice interroganti quis eſſet, vel vnde ortus, aut cur iſta diceret, nihil retulit. Non prius*
,, *autem ceſſauit a luctu miſeræ ciuitatis, donec eum Albinus furere iudicatum dimiſit. Ille autem*
,, *ad belli vſque tempus neque adibat quemquam ciuium, neque loqui viſus eſt, ſed quotidie velut*
,, *orationem quandam meditatus:* Væ væ Hieroſolymis, *querebatur: Sed nec imprecatus eſt*
,, *cuiquam, cum in dies ſingulos multaretur, nec victum offerentibus benedicebat. Sola vero eius*
,, *reſponſio ad omnes erat:* Triſte præſagium. *Maxime autem diebus feſtis vociferabatur: idq.*
,, *per annos ſeptem & quinque menſes continuos faciens, neque voce raucior fuit, neque delaßatus*
,, *eſt, donec obſidionis tempore ipſa re perſpectis augurys, ipſe quieuit. Supra murum enim circum-*
,, *iens iterum:* Væ væ ciuitati ac fano ac populo, *voce maxima clamitabat. Cum autem ad*
,, *extremum addidit,* Væ etiam & mihi, *lapis tormento miſſus eum ſtatim peremit, animamq.*
,, *adhuc illa omnia lugentem dimiſit. Hæc ex Ioſepho.*

Quæ omnia cum Iudæi perſpicerent diuinæ iræ indicia, pauci ex his in metum trahebant, multi
,, *bona ex his portendi credulo populo ſuadebant: nã multi a tyrannis tunc ſubornati Prophetæ, populo*
,, *denunciabant, vt expectarent Dei auxilium. Cito enim in aduerſis ſpes homini perſuadetur. Quod*
,, *ſi etiam malorum inſtantium liberationem polliceatur, qui fallit, neceßario qui ea patitur, ſpei to-*
,, *tus efficitur. Ideoq. certis prodigys venturam Dei iram denunciantibus & futuram ſolitudinem, &*
,, *vaſtationem prænunciantibus, neque attendebant animo, neque credebant: ſed velut attoniti, nec*
,, *aut oculos habentes, aut animas, edicta Dei diſſimulauere.*

Simile portentum ſuperiori iam narrato in muliere bachante viſum eſt Romæ paulo ante bellum ciuile inter Pompeium Magnum & C. Iulium Cæſarem, ſubuerſionis Reipub. prænuncium, de quo Lucanus Poeta grauiſſimus in fine 1. lib. ita cecinit:

Terruerant ſatis hæc pauidam præſagia plebem:
Sed maiora premunt. *& quæ ſequuntur.*

S. GREGORIVS PONT. ROM. huius nominis primus in Homel. in 21. caput Lucæ de his oſtentis loquens, ait: Quamuis priuſquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipſum, qui poſtea effuſus, eſt humani generis ſanguinem coruſcantes; & c. *Notandum,* Oſtentum *eſt quiddam non naturalis qualitatis, quod in cælo ſiue aere apparens, animos hominum inſolita facie commoueat, ſiue vt breuius eloquar,* Cæleſte prodigium. *Nominatur autẽ diuerſis nominibus pro ſimilitudine aliquarum rerum; quas refert; vt cometæ, parelia, & ſimilia. Quæ quidem quando viſuntur, ad res communes ſiue publicas potißimum pertinent, non vt cauſſa ſed tamquam ſigna diuinæ vltionis.*

Hæc oſtenta ſiue prodigia ſi quis attento animo reputet, profecto inueniet, DEVM quidem
,, *hominibus conſulere, ac modis omnibus præmonſtrare & ſignificare quæ ſint eorum generi ſaluta-*
,, *ria. Iudæos autem ob animi pernicaciam ac dementiam ſuam malis voluntarys interire: ac diuino*
,, *ſpreto conſilio, ſibi ipſis perniciem afferre.*

Pluribus perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum litteris contineri, eo ipſo tempore fore, vt valeſceret Oriens, profectiq. Iudæa rerum potirentur, quæ ambages Veſpaſianum ac Titum prædixerant.

S*VETONIVS his conſona ſcribit:* Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum euentu poſtea prædictum patuit, Iudæi ad ſe trahentes rebellarunt: cæſoq. præpoſito, legatum inſuper Syriæ conſularem ſuppetias ferentem, rapta aquila, fugauere. &c.

Hanc ſententiam vt mihi videtur Tacitus & Suetonius ex Ioſepho hauſerunt. Qui tandem eodem lib. 7. cap. 12. in fine ita narrat: Sed quod maxime eos ad bellum excitauerat, reſponſum erat ambiguum, itidem in ſacris libris inuentum, quod eo tempore quidam eſſet ex eorum finibus orbis terrę habiturus imperium. Id enim illi quidem quaſi proprium acceperunt, multiq. ſapientes interpretatione decepti ſunt. Hoc autem plane reſponſo Veſpaſiani deſignabatur imperium, qui apud Iudæam creatus eſt Imperator. Sed enim homines fatum vitare non poſſunt, etiam ſi præuiderint. At vero hi ſignorum quædam pro ſua libidine interpretati ſunt, alia contempſere: donec patriæ excidio ſuaq. pernicie, eorum iniquitas confutata eſt. *hactenus Ioſephus.*

Cum his temporibus Vaticinia Prophetarum de Meſſiæ aduentu *conuenirent ac de CHRISTO*

DOMI-

DOMINO iam Vulgatum fuerat apertum illud & luce clarius vaticinium ab ſummis ſacerdotibus Herodi regi in aduentu Magorum prolatum, de loco, in quo Meſſias naſci debebat: Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius a diebus æternitatis, Mich. 5. & Matth. 2. hinc vulgata fuit ſententia de Meſſia aduentu. Sed quia vaticinium Iſaiæ contra populum rebellem & contradicentem diuinis mandatis completum erat, vt videntes non viderent; in media luce cæci effecti ſunt. Sanctum vero vaticinium de CHRISTO ad ſuam tyrannidem fouendam interpretati: Ioſephus vero captiuus & ipſe temporiſeruiens, vt libertatem ſibi acquireret, ac Veſpaſianum ſibi deuinciret, Imperium illi & Tito filio denunciauit, ſacra eloquia non ad veritatem examinando, ſed ad ſuam commoditatem trahendo per ſummam adulationem vatem ſe fecit. Gloriatur enim ſe illis Imperium, cum eſſet in vinculis, prædixiſſe in lib. 3. de Bello Iudaico cap. 15. Adulatoris autem dicta nil habent iuſtum, nil verum, nil ſimplex, nil liberale. Scripſerat antea in libris Antiquitatum de CHRISTO egregium teſtimonium; & quod de CHRISTO vates prædixerat, ad Veſpaſianum poſtea traxit.

Sed vulgus. more humanæ cupidinis, ſibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne aduerſis quidem ad vera mutabantur.

HVMANAE cupidinis mos eſt ſemper in melius ventura interpretari; & deteriora, in meliora accipere; & in maximis ac difficillimis rebus ac plane deſperatis, ſpem ſibi promittere. Hanc fallacem ſpem Iudæi obſtinatiſſimi vſque ad vltimum exitium blandiendo ſibi promiſerunt, & miſerum populum ſeditionis auctores falſis promiſsionibus deceperunt.

Multitudinem obſeſſorum omnis ætatis, virilis ac muliebris ſexus, ſexcenta millia fuiſſe accepimus. Arma cunctis, qui ferre poſſent & plures, quàm pro numero audebant.

NVMERVS Obſeſſorum non certus apud Tacitum: nam aliqui codices non ſexcenta ſed ducenta millia habent, ſed fortaſſe dena aut vndena millia quod paulo propius ad Ioſephum accedat, qui in lib. 7. eiuſdem belli cap. 17. ita ſcribit: Et captiuorum quidem omnium, qui toto bello comprehenſi ſunt, nonaginta & ſeptem millium comprehenſus eſt numerus. mortuorum vero, per omne tempus obſeſsionis vndecies centum millia. Horum plerique gentiles fuere, ſed non indigenæ: ab omnibus enim regionibus ad Azimorum diem feſtum congregati, bello ſubito circumfuſi ſunt. Vbi primo quidem illis peſtifera lues ex loci anguſtia naſceretur, deinde citius fames. Quod autem caperet tantam hominum multitudinem ciuitas, certum erat ex his, qui ſub Ceſtio fuerant enumerati. &c. hactenus Ioſephus. qui etiam videndus eſt lib. 6. cap. 16. de Relatis ex vrbe cadaueribus.

Obſtinatio viris feminiſq. par. Ac ſi transferre ſedes cogerentur, maior vitæ metus, quàm mortis.

QVANTA fuerit Iudæorum obſtinatio & peruicacia, vide melius apud Ioſephum lib. 6. de Bel. Iud. cap. 16. & lib. 7. cap. 8. Tanta enim fuit, quæ nec ſumma miſeria, nec extrema neceſsitate, nempe peſte & gladio oppreſsi, ac fame validiſsima conſumpti, vinci potuit; vt omnia
„ neceſsitas egeſtate victus hiantes, ſubigeret: & ea in cibum colligentes, quæ nullum, quamuis
„ ſordidiſsimum mutorum animalium, non horreret, veluti rabidi canes, comedere patiebantur:
ita ut mulier quædam materna charitatis oblita, filium proprium lactentem occiderit, coxerit, & comederit, tanta animi peruicacia, ut poſtquam medium comedit, reliquum ſeruaret, ac ſeditioſis
„ ad comedendum apponeret. Et cum Cæſari nunciata eſſet illa calamitas, Iudæiſq. pacem obtuliſſet,
„ eiſq. liberam propoſuiſſet omnium obliuionem, quæ commiſerant: illos autem pro concordia ſedi-
„ tionem, bellum pro pace, pro ſatietate atque opulentia famem, optaſſe: & qui proprijs ma-
„ nibus Templum, quod ipſe eis ſeruaſſet, incendere cœperant, huiuſmodi alimentis dignos eſſe
„ indicauit. Qua de re non immerito Ioſephus exclamat: Quid tantum paſſa es o miſerrima Ciuitas a Romanis, qui tua inteſtina ſcelera purgaturi flammis introiere? Iam enim Dei locus non eras, neque manere poteras, domeſticorum funera facta ſepulchrum, & quæ fanum ciuili bello tumulum conſtitueras: poteris autem denuo fieri, poteris, ſi vmquam vaſtatorem tui Deum placaueris. Conſtat enim quòd plus fames & peſtis Iudæos occidit intra mœnia, quàm gladius hoſtilis.

Hanc aduerſus vrbem gentemq. Cæſar Titus, quando impetum & ſubita belli locus abnueret, aggeribus vineiſq. certare ſtatuit. Diuiduntur legionibus munia, & quies

prædiorum fuit: donec cuncta expugnandis vrbibus reperta apud veteres, aut nouis ingenijs, ſtruerentur.

CVM finem cladis famoſiſſimæ urbis apud Tacitum iniuria temporis non habeamus: lectorem admoneo ut reliqua ex Ioſepho & Egeſippo colligat, in quibus auctoribus multa lectu & commiſeratione digna inueniet. Huius autem Sanctæ Ciuitatis *breuem hiſtoriam ex eodem Ioſepho. lib. 7. c. 18. ab initio eius fundationis uſque ad ultimam cladem in eius gratiam etiam hoc loco ſubyciemus:* Hieroſolyma capta eſt, ſecundo anno principatus Veſpaſiani, Septembris menſis octauo die. Quinquies autem prius capta, tunc iterum vaſtata eſt. Aegyptiorum rex Aſochæus, & poſt eum Antiochus, deinde Pompeius, & poſt hos cum Herode Soſius captam vrbem ſeruauere. Antea vero Rex Babyloniorum ea potitus excidit: poſt annos, ex quo ædificata eſt, mille trecentos ſexaginta, & menſes octo, et dies ſex. Primus autem conditor eius fuerat Chananæorum Dynaſta, qui patria lingua iuſtus appellatus eſt Rex: *Melchiſedech intelligit:* Erat quippe talis. Idcoq. ſacerdotium Deo primus exhibuit, et fano primum ædificato, Hieroſolymam ciuitatem vocauit, cum ante Solyma vocaretur. Chananæorum quidem populo Rex Iudæorum Dauid pulſo, colendam ſuo populo tradidit: & quadringenteſimo ſexageſimo quarto anno poſt, ac menſibus tribus, a Babylonijs euerſa eſt. A rege autem Dauide, qui primus Iudæus in ea regnauit, vſque ad id, quod Titus fecit excidium, anni mille centum ſeptuaginta nouem. Ex quo primum autem condita eſt, vſque ad excidium, anni duo millia centum ſeptuaginta ſeptem. Sed enim neque antiquitas, neque ingentes diuitiæ, neque per totum orbem terræ diffuſa fama, nec magna religionis gloria quidquam iuuit, quo minus periret: *hactenus Ioſephus.* Triumphus *Veſpaſiani ac Titi de Iudæa capta magnificentiſſimi deſcriptionem habes apud eundem lib. 7. c. 24. de Bello Iudaico: de quo adhuc extat Romæ inſignis* Arcus *iuxta Templum Pacis ad huius Triumphi memoriam.*

At Ciuilis, poſt malam in Treueris pugnam, reparato per Germaniam exercitu, apud Vetera conſedit: tutus loco, & vt memoria proſperarum illic rerum, augeſcerent Barbarorum animi.

MEMORIA rerum proſperarum augeſcunt animi: tum maxime quando rerum bene geſtarum recordatio ſubit, & animus conſcius eſt ſibi vitæ ſuæ. Stolidi enim bona etiam præſentia non cernunt, neque curant quod cogitationes ſuas futuris habeant intentas. Prudentes vero ea quoque, quæ eſſe deſierunt, memoriæ tenacitate ſibi præſentia faciunt. Aeneas cum ſocios magnis laboribus & tempeſtatibus uexatos ſolaretur, inter alia dixit, Aeneid. lib. 1.

. . . reuocate animos, mæſtumq. timorem
Mittite. forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

Secutus eſt eodem Cerialis, duplicatis copijs, aduentu ſecundæ & xvj. & xiiij. legionum. Cohorteſq. & alæ iampridem accitæ, poſt victoriam properauerant. Neuter ducum cunctator. Sed arcebat latitudo camporum, ſuopte ingenio humentium. Addiderat Ciuilis obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu reuolutus amnis, adiacentibus ſuperfunderetur. Ea loci forma, incertis vadis ſubdola, & nobis aduerſa: quippe miles Romanus armis grauis, & nandi pauidus: Germanos fluminibus ſuetos, leuitas armorum, & proceritas corporum attollit. Igitur laceſſentibus Batauis, ferociſſimo cuique noſtrorum cœptum certamen. deinde orta trepidatio, cum prægaltis paludibus arma equiq. haurirentur. Germani notis vadis perſultabant, omiſſa plerumque fronte, latera ac terga circumuenientes. neque vt in pedeſtri acie, cominus certabatur, ſed tamquam nauali pugna, vagi inter vndas, aut ſi quid ſtabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris, in mutuam perniciem implicabantur. minor tamen quàm pro tumultu cædes: quia non auſi egredi paludem Germani, in caſtra rediere. Eius prælij euentus, vtrumque ducem, diuerſis animi motibus, ad maturandum ſummæ rei diſcrimen erexit. Ciuilis inſtare fortunæ; Cerialis abolere ignominiam. Germani, proſperis feroces; Romanos pudor excitauerat.

PRAELIORVM euentus ſæpe ad eundem finem Imperatorum animos impellit, licet diuerſi ſint in illis animorum motus: ut hic uidere licet. Ciuilis enim inſtare rerum conditioni, optimum arbitrabatur: Cerialis abolere ignominiam. Germani, proſperis feroces; Romanos pudor excitauerat. Huius pugnæ meminit Ioſephus eodem libro 7. c. 23.

nox

nox apud Barbaros cantu aut clamore, noſtris per iram & minas acta. Poſtera luce, Cerialis equite & auxiliatijs cohortibus frontem explet: in ſecunda acie, legiones locatæ: dux ſibi dilectos retinuerat, ad improuiſa. Ciuilis haud porrecto agmine, ſed cuneis aſtitit. Bataui Cugerniq. in dextro; læua ac propiora fluminis Transrhenani tenuere. Exortatio ducum, non more concionis apud vniuerſos, ſed vt quoſque eorum aduehebantur. Cerialis veterem Ro. nominis gloriam, antiquas recentesq. victorias: vt perfidum, ignauum, victum hoſtem, in æternum exſcinderent. vltione magis, quàm prælio opus eſſe. Pauciores nuper cum pluribus certaſſe: attamen fuſos Germanos, quod roboris fuerit. Supereſſe, qui fugam animis, qui vulnera tergo, ferant. Proprios inde ſtimulos legionibus admouebat, domitores Britanniæ quartadecimanos appellans. principem Galbam, ſextæ legionis auctoritate factum: illa primum acie, Secundanos noua ſigna, nouamque aquilam dicaturos. Hinc præuectus ad Germanicum exercitum, manus tendebat, vt ſuam ripam, ſua caſtra ſanguine hoſtium reciperarent. Alacrior omnium clamor, quis vel e longa pace prælij cupido, vel feſſis bello pacis amor, præmiaq. & quies in poſterum ſperabantur.

HAEC oratio Cerialis per inſinuationem varia exhortationum genera continet, quia militibus ex varijs nationibus congregatis loquebatur: id obſeruare debent periti exercituum duces.

Nec Ciuilis ſilentem ſtruxit aciem, locum pugnæ teſtem virtutis ciens: ſtare Germanos Batauosq. ſuper veſtigia gloriæ, cineres oſſaq. legionum calcantes. quocumque oculos Romanus intenderet, captiuitatem, clademq. & dira omnia obuerſari. ne terrerentur vario Treuerici prælij euentu: ſuam illic victoriam Germanis obſtitiſſe, dum omiſſis telis, præda manus impediunt: ſed cuncta mox proſpera, & hoſti contraria eueniſſe. Quæ prouideri aſtu ducis oportuerit, prouidiſſe: campos madentes, & ipſis gnaros, paludes hoſtibus noxias: Rhenum & Germaniæ deos in aſpectu, quorum numine capeſſerent pugnam, coniugum, parentum, patriæ memores. illum diem aut glorioſiſſimum inter maiores, aut ignominioſum apud poſteros fore.

CIVILIS oratio aptiſſima & efficaciſſima videtur, dum Batauis ſuis ante oculos adducit Germanorum præclara geſta & cum Romanis prælia. tum vero pro dys, patria, coniugibus & libertate eſſe pugnandum. Sic ſupra loquitur lib. 4. Hiſtoriarum pag. 585. cum ſuos milites ad pugnandum animaret: Ciuilis captarum cohortium ſignis circumdatus, vt ſuo militi recens gloria ante oculos, & hoſtes memoria cladis terrerentur. &c.

Vbi ſono armorum tripudijsq. ita illis mos, approbata ſunt dicta, ſaxis glandibusq. & ceteris miſſilibus prælium incipitur: neque noſtro milite paludem ingrediente, & Germanis vt elicerent laceſſentibus. Adſumptis quæ iaciuntur, & ardeſcente pugna, procurſum ab hoſte infeſtius, immenſis corporibus, & prælongis haſtis fluitantem labantemq. militem eminus fodiebant, ſimul e mole, quam eductam in Rhenum retulimus, Bructerorum cuneus tranſnatauit. turbata ibi res. & pellebatur ſociarum cohortium acies, cum legiones pugnam excipiunt, ſuppreſſaq. hoſtium ferocia, prælium exæquatur. Inter quæ, perfuga Batauus adijt Cerialem, terga hoſtium promittens, ſi extremo paludis eques mitteretur: ſolidum illa, & Cugernos, quibus cuſtodia obueniſſet, parum intentos. Duæ alæ cum perfuga miſſæ, incauto hoſti circumfunduntur. quod vbi clamore cognitum; legiones a fronte incubuere, pulſiq. Germani Rhenum fuga petebant. Debellatum eo die foret, ſi Romana claſſis ſequi maturaſſet. Ne eques quidem inſtitit, repente fuſis imbribus, & propinqua nocte. Poſtera die, decima quarta legio in ſuperiorem prouinciam Gallo Annio miſſa. Cerialis exercitum, decima ex Hiſpania legio ſuppleuit. Ciuili Chauchorum auxilia venere, non tamen auſus oppidum Batauorum armis tueri, raptis, quæ ferri poterant, ceteris iniecto igni in inſulam conceſſit. gnarus deeſſe naues efficiendo ponti, neque exercitum Ro. aliter tranſmiſſurum. quin & diruit molem a Druſo Germanico factam, Rhenumq. prono alueo in Galliam ruentem, diſiectis quæ morabantur, effudit. Sic velut abacto amne, tenuis alueus, inſulam inter, Germanosq. continentium terra-

terrarum ſpeciem fecerat. transiere Rhenum Tutor quoque & Claſſicus, & centum tredecim Treuerorum ſenatores: in quibus fuit Alpinus Montanus, quem a Primo Antonio miſſum in Gallias ſuperius memorauimus. Comitabatur eum frater D. Alpinus. Simul ceteri miſeratione ac donis auxilia concibant, inter gentes periculorum auidas. Tantumq. belli ſuperfuit, vt præſidia cohortium, alarum, legionum modicis vicis quadripartita Ciuilis inuaſerit: Decimam legionem, Arenaci, ſecundam, Batauoduri; & Grinnes vadamq. cohortium alarumq. caſtra: ita diuiſis copijs, vt ipſe & verax ſorore eius genitus, Claſſicusq. ac Tutor ſuam quiſque manum traherent: nec omnia patrandi fiducia, ſed multa auſis aliqua in parte fortunam affore. Simul Cerialem, neque ſatis cautum, & pluribus nuncijs huc illuc curſantem, poſſe medio intercipi.

DVCES, qui non ſatis cauti ſunt, faciles ad intercipiendum ſe præbent: ut exemplum dat tibi Cerialis.

Quibus obuenerant caſtra decumanorum, oppugnationem legionis arduam rati, egreſſum militem & cædendis materijs operatum turbauere, occiſo præfecto caſtrorum & quinque primoribus centurionum, paucisq. militibus. Ceteri ſe munimentis defendere. Et interim Germanorum manus, Batauoduri, irrumpere inchoatum pontem nitebantur. Ambiguum prælium nox diremit. Plus diſcriminis apud Grinnes Vadamq. Vadam Ciuilis, Grinnes Claſſicus, oppugnabant. nec ſiſti poterant, interfecto fortiſſimo quoque: in quis Briganticus præfectus alæ ceciderat, quem fidum Romanis, & Ciuili auunculo infenſum diximus. Sed vbi Cerialis cum dilecta equitum manu, ſubuenit, verſa fortuna. præcipites Germani in amnem aguntur. Ciuilis dum fugientes retentat, agnitus, petitusq. telis, relicto equo, tranſnatauit. Idem Germanis effugium. Tutorem Claſſicumq. appulſæ lintres vexere. Ne tum quidem Romana claſſis pugnæ affuit, vt iuſſum erat. Sed obſtitit formido, & remiges per alia militiæ munia diſperſi. Sane Cerialis parum temporis ad exſequenda imperia dabat: ſubitus conſilijs, ſed euentu clarus.

FRANCISCVS Galliarum Rex fortiſsimus huius nominis Primus, in conſilijs ſubitus, & euentu clarus habebatur.

Aderat fortuna, etiam vbi artes defuiſſent, hinc ipſi exercituiq. minor cura diſciplinæ.

EX proſpera fortuna ſæpe Imperatoribus magna confidentia oritur, unde ſæpenumero militaris diſciplina illis minor cura. Grauiter igitur apud Herodotum dicebat ille; Difficilius inueniri virum, qui ſecundam fortunam bene ferat, quàm aduerſam. *Illa enim in pleriſque contumeliam, hac autem temperantiam in omnibus gignit.*

Et paucos poſt dies quamquam periculum captiuitatis euaſiſſet, infamiam non vitauit.

DVCES, qui ſibi indulgent, & ad omnia non vigilant, etſi aliquando periculum euadunt, in infamiam & dedecus incurrunt. Nam Imperator vigilans & exercitum ſuum contentione corporis & laboribus occupatum tenens, minus in omnibus bellicis motibus periclitabitur.

Profectus Noueſium Bonnamq. ad viſenda caſtra, quæ hiematuris legionibus erigebantur, nauibus remeabat, diſiecto agmine, incurioſis vigilijs. Animaduerſum id Germanis, & inſidias compoſuere. electa nox atra nubibus, & prono amne rapti, nullo prohibente, vallum ineunt. Prima cædes aſtu adiuta: inciſis tabernaculorum funibus, ſuiſmet corijs coopertos trucidabant: Aliud agmen, turbare claſſem, inijcere vincla, trahere puppes. Vtq. ad fallendum ſilentio, ita cœpta cæde, & quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miſcebant. Romani vulneribus exciti, quærunt arma, ruunt per vias, pauci ornati militariter, plerique circum brachia torta veſte, & ſtrictis mucronibus. dux ſemiſomnis ac prope intectus, errore hoſtium ſeruatur. Namque prætoriam nauem, vexillo inſignem, illic ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat, vt plerique credidere, ob ſtuprum Claudiæ Sacratæ, mulieris

lieris Vbiæ. vigiles flagitium ſuum ducis dedecore excuſabant, tamquam iuſſi ſilere, ne quietem eius turbarent. ita intermiſſo ſigno, & vocibus, ſe quoque in ſomnū lapſos.

PRETIOSA res eſt Temperantia cum Imperatori, tum exercitui: Stuprum contra pernicioſum & fœdum, captiuarum potiſsimum. Exemplum nobis dat hic Cerialis, qui cum Claudia Sacrata muliere Vbia in delicijs eſſet, ea nocte amiſſa claſſe, errore hoſtium ſeruatur.

Multa luce reuecti hoſtes, captiuis nauibus, prætoriam triremem, flumine Luppia, donum Velledæ traxere. Ciuilem cupido inceſſit, naualem aciem oſtentandi. Complet quod biremium, quæq. ſimplici ordine agebantur. Adiecta ingens lintrium vis. tricenis quadragenisq. armamenta liburnicis ſolita: & ſimul captæ lintres, ſagulis verſi coloribus, haud indecore pro velis iuuabantur. Spatium velut æquoris captum, vbi Moſæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit. Cauſſa inſtruendæ claſſis, ſuper inſitam genti vanitatem, vt eo terrore commeatus Gallia aduentantes interciperent. Cerialis miraculo magis, quàm metu, direxit claſſem: numero imparem, vſu remigum, gubernatorum arte, nauium magnitudine potiorem. Is flumine ſecundo, illi vento agebantur. Sic præuecti, tentato telorum iactu, dirimuntur. Ciuilis nihil vltra auſus, trans Rhenum conceſſit. Cerialis inſulam Batauorum hoſtiliter populatus, agros villasq. Ciuilis intactos, nota arte ducum ſinebat.

DVCES exercituum, quo ſibi hoſtium animos concilient, illorum bona, ceteris vaſtatis, intacta relinquunt. Sic Annibal ſe geſſit erga Fabium Maximum, vt eſt apud Liuium.

cum interim flexu autumni, & crebris pluuialibus imbribus ſuperfuſus amnis paluſtrem humilemq. inſulam in faciem ſtagni oppleuit. nec claſſis, aut commeatus aderant: caſtraq. in plano ſita, vi fluminis differebantur. Potuiſſe tunc opprimi legiones, & voluiſſe Germanos, ſed dolo a ſe flexos; imputauit Ciuilis. Neque abhorret vero, quando paucis poſt diebus deditio inſecuta eſt. Nam Cerialis, per occultos nuncios, Batauis pacem, Ciuili veniam oſtentans, Velledam propinquosq. monebat, fortunam belli tot cladibus aduerſam, opportuno erga populum Ro. merito mutare. Cæſos Treueros, receptos Vbios, ereptam Batauis patriam: neque aliud Ciuilis amicitia peractum, quàm vulnera, fugas, luctus. exſulem eum & extorrem, recipientibus oneri: & ſatis peccauiſſe, quòd toties Rhenum tranſcenderint. ſi quid vltra moliantur, inde iniuriam & culpam, hinc vltionem & deos fore. Miſcebantur minis promiſſa.

CVM victoria & offenſio in incerto ponantur, optimus & prudentiſsimus Imperator habendus eſt, qui in bello & omnibus hoſtium agreſsionibus ea, quæ ad offenſionem belli, & aduerſos caſus ſpectant, præparat, & cum hoſte in pace tractanda dulcia amaris miſcet, & minis promiſſa. Cogitare enim debet belli exitum eſſe incertum & quotidianæ rerum mutationi, atque conuerſioni expoſitum.

Et concuſſa Transrhenanorum fide, inter Batauos quoque ſermones orti, non prorogandam vltro ruinam: nec poſſe ab vna natione totius orbis ſeruitium depelli. quid perfectum cæde & incendijs legionum, niſi vt plures validioresq. accirentur? Si Veſpaſiano bellum nauauerint; Veſpaſianum rerum potiri. ſin populum Romanum armis prouocent; quotam partem generis humani Batauos eſſe? reſpicerent Rhætos Noricoſq. & ceterorum onera ſociorum: ſibi non tributa, ſed virtutes & viros indici. proximum id libertati: & ſi dominorum electio ſit, honeſtius principes Romanorum quàm Germanorum feminas tolerari. Hæc vulgus.

MISERANDVM ſeruitium, quod feminæ præſtatur; natura enim comparatum eſt, vt mas imperet, obediat mulier. Attamen in inferiori Germania apud Celtas *mos ſeruatus eſt, vt conſultationibus de bello et pace mulieres ſuas adhiberent, et lites cum ſocijs ortas earum opera diſceptarent. Quare in ſuo etiam fœdere, quod cum Annibale inierunt, ſcripſerunt:* Si Celtę haberent quo nomine Carthaginenſes accuſarent, iudicium fore Carthaginenſium ducum ac præfectorum in Hiſpania: ſi vero Carthaginenſes Celtis aliquid obijcerent, cauſſæ cognitionem futuram penes Celtarum mulieres: *Plutarchus teſtatur. Ceterum omnem mulieribus detrahere virtutem, rationi repugnat.*

Proceres, atrociore Ciuilis rabie ſemet in arma truſos: illum domeſticis malis, excidium gentis oppoſuiſſe: tunc infenſos Batauis deos, cum obſiderentur legiones, interficerentur legati, bellum vni neceſſarium, ferale ipſis ſumeretur. Ventum ad extrema, ni reſipiſcere incipiant & noxij capitis pœna pœnitentiam fateantur. Non fefellit Ciuilem ea inclinatio, & præuenire ſtatuit ſuper tœdium malorum, etiam ſpe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit.

VIDE quàm periculoſum ſit, Ducem ſe factionis præbere: quia quando aduerſa ingruunt, non belli incertitudini, & rerum varietati, ſed Duci tum a Proceribus, tum vero a vulgo imputatur. Quare prudentis eſt, victorem beneficio præuenire, vt hic Ciuilis in tanta ſuarum rerum mutatione ſtatuit: vt ſuper tadium malorum etiam ſpem vita conſequi mereatur: qua ſpes plerumque magnos animos in rebus deſperatis infringit ac deijcit. Huc pertinent, qua Valerius Maximus eleganter contexit in capitulo: De cupiditate vitæ: *quem vide. Nam uitam optimam mutare cum peſſima, arumnoſum eſt, & nirorum conſtantium eſt, animi ſtatum in periculis rectum & immobilem conſeruare. Cumq. optimum ſit prorſus non delinquere: ſi vero quis poſt lapſum ſtatim reſipiſcat, maxima praſefert generoſitatis inditium. Tamen pulchrum eſt, vitam paciſci pro laude, ac forti aliquo patrato facinore, in memoriam poſteritatis occumbere, cum ſpes nulla ſalutis eſt.*

Petito colloquio, ſcinditur Nabaliæ fluminis pons.

LOCVS corruptus, uide Lipſium in ſuis annotationibus.

In cuius abrupta progreſſi duces, Ciuilis ita cœpit: Si apud Vitellij legatum defenderer, neque facto meo venia, neque dictis fides debebatur. Cuncta inter nos inimica, hoſtilia, ab illo cœpta, a me aucta erant. Erga Veſpaſianum vetus mihi obſeruantia: & cum priuatus eſſet, amici vocabamur. Hoc Primo Antonio notum, cuius epiſtolis ad bellum accitus ſum, ne Germanicæ legiones & Gallica iuuentus alpes tranſcenderent. Quæ Antonius abſens, Flaccus præſens mouebat, arma in Germania moui, quæ Mucianus in Syria, Aponius in Mœſia, Flauianus in Pannonia.

HVIVS Orationis exordium maximum ad acquirendam fidem artificium praſefert; qua Oratio iniuria temporũ, vna cum reliquis Taciti monumentis interijt. O tempus rerum edax, O vetuſtatem conſumptricem, *imo potius*, O hominum incuriam: *nam vtram magis accuſem, plane dubius ſum. Non ne ſatis erat accuratiſſimi Scriptoris vtiliſſimam hiſtoriam truncam & mancam nobis exhibuiſſe, niſi etiam ſuo fine mutilam dares? Tu candide Lector laborem noſtrum boni conſulas oro. reliquam huius hiſtoria partem pete a Dione, Zonara, & reliquis Romana hiſtoria Scriptoribus.*

Commentariorum in Librum V. Hiſtoriarum
Pub. Cornelij Taciti Finis.

IN ANNIBALEM SCOTVM COMITEM, PLACENTINVM

SIXTI V. PONT. MAX.

CVBICVLARIVM INTIMVM

GVILIELMI BLANCI IVNIORIS

Albienſis Iuriſconſulti eius amici, & collegæ

EPITAPHIVM.

DVM vigilat S c o t v s *longas ex ordine noctes,*
Vt librum in lucem proferat ipſe ſuum,
Mortuus obdormit, qui plus vigilauerat æquo,
Dumq. diem quærit, concidit ante diem.
Ac veluti naſcens occidit vipera matrem,
Patre ſuo natus ſic moriente liber.
Sed vitam enecta non reddit vipera matri,
Auctori vitam reddidit iſte ſuo.

P. CORNELII TACITI
DE SITV, MORIBVS, ET POPVLIS GERMANIÆ LIBELLVS.

GERMANIA omnis a Gallijs Rhætijsq. & Pannonijs, Rheno & Danubio fluminibus, à Sarmatis Dacisq. mutuo metu aut montibus ſeparatur. Cetera Oceanus ambit, latos ſinus & inſularum immenſa ſpatia complectens, nuper cognitis quibuſdam gentibus, ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus Rhæticarum alpium inacceſſo ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in Occidentem verſus, ſeptemtrionali Oceano miſcetur. Danubius molli & clementer edito montis Abnobæ iugo effuſus, plures populos addit, donec in Ponticum mare ſex meatibus erumpat. ſeptimum enim os paludibus hauritur. Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeq. aliarum gentiũ aduentibus & hoſpitijs mixtos: quia nec terra olim, ſed claſſibus aduehebantur, qui mutare ſedes quærebant: & immenſus vltra, vtq. ſic dixerim, aduerſus Oceanus raris ab orbe noſtro nauibus aditur. Quis porro præter periculum horridi & ignoti maris, Aſia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret? informem terris, aſperam cælo, triſtem cultu aſpectuq. niſi ſi patria ſit. Celebrant carminibus antiquis (quod vnum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) Tuiſtonem Deum terra editum & filium Mannum, originem gentis conditoresq. Manno tris filios aſſignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingæuones, medij Herminones, ceteri Iſtæuones vocentur. Quidam autem licentia vetuſtatis plureis Deo ortos, pluresq. gentis appellationes, Marſos, Gambriuios, Suecos, Vandalios affirmant; eaq. vera & antiqua nomina. Ceterum Germaniæ vocabulum recens, & nuper additum: quoniam qui primi Rhenum tranſgreſſi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani vocati ſint: ita nationis nomen, non gentis eualuiſſe paulatim, vt omnes primum a victore ob metum, mox a ſeipſis inuento nomine Germani vocarentur. Fuiſſe apud eos & Herculem memorant, primumq. omnium virorum fortium ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu quem Barditum vocant, accendunt animos, futuræq. pugnæ fortunam ipſo cantu augurantur. terrent enim, trepidantve, prout ſonuit acies. Nec tam vocis ille, quam virtutis concentus videtur. affectatur præcipue aſperitas ſoni, & fractum murmur obiectis ad os ſcutis, quo plenior & grauior vox repercuſſu intumeſcat. Ceterum & Vlixem quidam opinantur longo illo & fabuloſo errore in hunc Oceanum delatum, adiſſe Germaniæ terras, Aſciburgiumq. quod in ripa Rheni ſitum hodieq. incolitur, ab illo conſtitutum, nominatumq. *ἀσκιπύργιον*. Aram quinetiam Vlixi conſecratam, adiecto Laertæ patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaq. & tumulos quoſdam Græcis litteris inſcriptos in confinio Germaniæ Rhætiæq. adhuc exſtare. quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo eſt: ex ingenio ſuo quiſque demat, vel addat fidem. Ipſe eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis alijs aliarum nationum connubijs infectos, propriam & ſinceram & tantum ſui ſimilem gentem exſtitiſſe arbitrantur. Vnde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantum ad impetum valida. laboris atque operum non eadem patientia, minimeq. ſitim æſtumq. tolerare, frigora atque inediam cælo ſolove aſſueuerunt.

Terra & ſi aliquanto ſpecie differt, in vniuerſum tamen aut ſiluis horrida, aut paludibus fœda, humidior qua Gallias: ventoſior qua Noricum ac Pannoniam aſpicit: ſatis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda. ſed plerumq. improcera.

cera. ne armentis quidem ſuus honor, aut loria frontis. numero gaudent. eaq. ſolæ & gratiſſimæ opes ſunt.

Argentum & aurum propitij an irati dij negauerint, dubito. Nec tamen affirmauerim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere. quis enim ſcrutatus eſt, poſſeſſione & vſu haud perinde afficiuntur. Eſt videre apud illos argentea vaſa, legatis & principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, quàm quę humo finguntur: quãquam proximi ob vſum commerciorum aurum & argẽtum in pretio habent, formasq. quaſdam noſtræ pecuniæ agnoſcunt, atque eligunt: interiores ſimplicius & antiquius permutatione mercium vtuntur. Pecuniam probant veterem & diu notam, Serratos, Bigatosq. Argentum quoque magis quàm aurum ſequuntur, nulla affectione animi, ſed quia numerus argenteorum faciliori vſui eſt promiſcua ac vilia mercantibus.

Ne ferrum quidem ſupereſt, ſicut ex genere telorum colligitur. Rari gladijs, aut maioribus lanceis vtuntur. haſtas, vel ipſorum vocabulo frameas gerunt, anguſto & breui ferro, ſed ita acri & ad vſum habili, vt eodem telo, prout ratio poſcit, vel cominus vel eminus pugnent. & eques quidem ſcuto frameaq. contentus eſt. pedites & miſſilia ſpargunt, pluraq. ſinguli, atque in immenſum vibrant, nudi aut ſagulo leues. nulla cultus iactatio: ſcuta tantum lectiſſimis coloribus diſtinguunt. paucis loricæ: vix vni alterive caſſis, aut galea. Equi non forma, non velocitate conſpicui. ſed nec variare gyros in morem noſtrum docentur. In rectum aut vno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, vt nemo poſterior ſit. In vniuerſum æſtimanti, plus penes peditem roboris: eoq. mixti præliantur, apta & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuuentute dilectos ante aciem locant. Definitur & numerus: centeni ex ſingulis pagis ſunt: idq. ipſum inter ſuos vocantur. & quod primo numerus fuit, iam nomen & honor eſt. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rurſus inſtes, conſilij quàm formidinis arbitrantur. Corpora ſuorum etiam in dubijs prælijs referunt. Scutum reliquiſſe præcipuum flagitium. nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas. multiq. ſuperſtites bellorum, infamiam laqueo finierunt. Reges ex nobilitate, duces ex virtute ſumunt. Nec regibus infinita aut libera poteſtas, & duces exemplo potius quàm imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant admiratione præſunt. Cæterum neque animaduertere, neque vincire, neque verberare quidem niſi ſacerdotibus permiſſum: non quaſi in pœnam nec ducis iuſſu, ſed velut Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt: effigiesq. & ſigna quædam detracta lucis in prælium ferunt. Quodq. præcipuum fortitudinis incitamentum eſt, non caſus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, ſed familiæ & propinquitates. & in proximo pignora: vnde feminarum vlulatus audiri, vnde vagitus infantium. hi cuique ſanctiſſimi teſtes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad coniuges vulnera ferunt: nec illæ numerare, aut exſugere plagas pauent. Ciboſq. & hortamina pugnantibus geſtant. Memoriæ proditur, quaſdam acies inclinatas iam & labantes a feminis reſtitutas, conſtantia precum & obiectu pectorum, & monſtrata cominus captiuitate. quam longe impatientius feminarium ſuarum nomine timent: adeo vt efficacius obligentur animi ciuitatum, quibus inter obſides puellæ quoque nobiles imperantur. Ineſſe quinetiam ſanctum aliquid, & prouidum putant: nec aut conſilia earum aſpernantur, aut reſponſa negligũt. Vidimus ſub diuo Veſpaſiano Velledam, diu apud pleroſque numinis loco habitam. Sed & olim Auriniam, & complureis alias venerati ſunt, non adulatione, nec tamquã facerent deas. Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hoſtijs litare fas habent. Herculem ac Martem conceſſis animalibus placant. Pars Sueuorum & Iſidi ſacrificat. Vnde cauſſa & origo peregrino ſacro, parum comperi, niſi quòd ſignum ipſum in modum liburnæ figuratum, docet aduectam religionem Ceterum nec cohibere parietibus deos, neque in vllam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cæleſtium arbitrantur: lucos ac nemora conſecrant, deorumq. nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reuerentia vident. Auſpicia, ſorteſq. vt qui maxime obſeruant. Sortium conſuetudo ſimplex. virgam frugiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputant, eosq. notis quibuſdam diſcretos ſuper candidã veſtem temere ac fortuito ſpargunt. mox ſi publice conſulatur, ſacerdos ciuitatis, ſin priuatim, ipſe pater familiæ precatus deos, cælumq. ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam

interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem conſultatio. Sin permiſſum, auſpiciorũ adhuc fides exigitur & illud quidem etiam hic notum, auium voces volatusq. interrogare. Proprium gentis, equorum quoque præſagia ac monitus experiri. publice aluntur iiſdem nemoribus ac lucis, candidi & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru ſacerdos ac rex vel princeps ciuitatis comitantur, hinnitusq. ac fremitus obſeruant. Nec vlli auſpicio maior fides non ſolum apud plebem, ſed apud proceres, apud ſacerdotes. Se enim miniſtros deorum, illos conſcios putant. Eſt & alia obſeruatio auſpiciorum, qua grauium bellorum euentus explorant. Eius gentis, cum qua bellum eſt, captiuum quoquo modo interceptum, cum electo popularium ſuorum, patrijs quemque armis committunt. victoria huius vel illius, pro præiudicio accipitur. De minoribus rebus principes conſultant, de maioribus omnes. ita tamen, vt ea quoque, quorum penes plebem arbitrium eſt, apud principes pertractentur. Coeunt, niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna, aut impletur. nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt. Nec dierum numerum vt nos, ſed noctium computant. Sic conſtituunt, ſic condicunt, nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quòd non ſimul, nec iuſſi conueniunt, ſed & alter, & tertius dies contatione coeuntium abſumitur. Vt turbæ placuit, conſidunt armati. Silentium per ſacerdotes, quibus tum & coercendi ius eſt, imperatur. Mox rex vel princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur, auctoritate ſuadendi magis quàm iubendi poteſtate. Si diſplicuit ſetentia, fremitu aſpernantur: ſin placuit, frameas concutiunt. Honorantiſſimum aſſenſus genus eſt, armis laudare. Licet apud concilium accuſare quoque, & diſcrimen capitis intendere. Diſtinctio pœnarum ex delicto. proditores & transfugas arboribus ſuſpendunt. ignauos, & imbelles & corpore infames, cœno ac palude, iniecta inſuper crate, mergunt. Diuerſitas ſupplicij illuc reſpicit, tamquam ſcelera oſtendi oporteat dum puniuntur, flagitia abſcondi. Sed & leuioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumq. numero conuicti multantur. pars multæ regi vel ciuitati, pars ipſi, qui vindicatur vel propinquis eius exſoluitur. Eliguntur in iiſdem concilijs & principes, qui iura per pagos vicosq. reddunt. Centeni ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas adſunt. Nihil autem neque publicæ neque priuatæ rei, niſi armati agunt. Sed arma ſumere non ante cuiquam moris, quàm ciuitas ſuffecturum probauerit. Tum in ipſo concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus ſcuto frameaq. iuuenem ornant. hæc apud illos toga, hic primus iuuentæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox reipublicæ. Inſignis nobilitas aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant. Ceteris robuſtioribus ac iampridem probatis aggregantur. nec rubor inter comites aſpici. Gradus quin etiam & ipſe comitatus habet, iudicio eius, quem ſectantur. Magnaq. & comitum æmulatio, quibus primus apud principem ſuum locus: & principum, cui plurimi & acerrimi comites. Hæc dignitas, hæ vires, magno ſemper electorum iuuenum globo circumdari, in pace decus, in bello præſidium. Nec ſolum in ſua gente cuique, ſed apud finitimas quoque ciuitates id nomen, ea gloria eſt, ſi numero ac virtute comitatus emineat: expetuntur enim legationibus, & muneribus ornantur, & ipſa plerumque fama bella profligant. Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci: turpe comitatui, virtutem principis non adæquare. Iam vero infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtitem principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ eius aſſignare, præcipuum ſacramentum eſt. Principes pro victoria pugnant: comites pro principe. Si ciuitas, in qua orti ſunt, longa pace & otio torpeat, plerique nobilium adoleſcentium petunt vltro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt: quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clareſcunt. magnumq. comitatum non niſi vi belloq. tueantur. exigunt enim principis ſui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemq. frameam. Nam epulæ, & quamquam incompti largi tamen apparatus, pro ſtipendio cedunt. Materia munificentiæ per bella, & raptus. Nec arare terram, aut expectare annum, tam facile perſuaſeris, quàm vocare hoſtes & vulnera mereri. pigrum quinimmo & iners videtur ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare. Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus

per

per otium tranſigunt, dediti ſomno, ciboq. Fortiſſimus quiſque ac bellicoſiſſimus nihil agens, delegata domus & penatium & agrorum cura feminis ſenibusq. & infirmiſſimo cuique ex familia. Ipſi hebent: mira diuerſitate naturæ, cum ijdem homines ſic ament inertiam, & oderint quietem. Mos eſt ciuitatibus vltro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam neceſſitatibus ſubuenit. Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modo a ſingulis, ſed publice mittuntur: electi equi, magna arma, phaleræ, torquesq. Iam & pecuniam accipere docuimus. Nullas Germanorum populis vrbes habitari, ſatis notum eſt; ne pati quidem iuter ſe iunctas ſedes. Colunt diſcreti ac diuerſi, vt fons, vt campus, vt nemus placuit. Vicos locant, non in noſtrum morem, connexis & cohærentibus ædificijs. Suam quiſque domum ſpatio circumdat, ſiue aduerſus caſus ignis remedium, ſiue inſcitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum vſus. Materia ad omnia vtuntur informi, & citra ſpeciem aut delectationem. Quædam loca diligentius illinunt terra ita pura ac ſplendente, vt picturam ac liniamenta colorum imitetur. Solent & ſubterraneos ſpecus aperire, eosq. multo inſuper fimo onerant, ſuffugium hiemi & receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum eiuſmodi locis molliunt: & ſi quando hoſtis aduenit, aperta populatur. abdita autem & defoſſa, aut ignorantur, aut eo ipſo fallunt, quòd quærenda ſunt. Tegumen omnibus ſagum, fibula; aut, ſi deſit, ſpina conſertum. Cetera intecti, totos dies iuxta focum atque ignem agunt. Locupletiſſimi veſte diſtinguuntur, non fluitante, ſicut Sarmatæ ac Parthi, ſed ſtricta & ſingulos artus exprimente. Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligenter, vlteriores exquiſitius, vt quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, & detracta velamina ſpargunt maculis, pellibusq. belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quàm viris habitus, niſi quòd feminæ ſæpius lineis amictibus velantur, eosq. purpura variant, partemq. veſtitus ſuperioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos, ſed & proxima pars pectoris patet. Quamquam ſeuera illic matrimonia. Nec vllam morum partem magis laudaueris, nam prope ſoli barbarorum ſingulis vxoribus contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimis nuptijs ambiuntur. Dotem non vxor marito, ſed vxori maritus offert. Interſunt parentes & propinqui, ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quæſita, nec quibus noua nupta comatur, ſed boues & frenatum equum, & ſcutum cum framea, gladioq. In hæc munera vxor accipitur. atque inuicem ipſa armorum aliquid viro affert. hoc maximum vinculum. hæc arcana ſacra, hos coniugales deos arbitrantur. Ne ſe mulier extra virtutum cogitationes, extraq. bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonij auſpicijs admonetur, venire ſe laborum periculorumq. ſociam, idem in pace, idem in prælio paſſuram auſuramq. hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant. Sic viuendum, ſic pereundum. accipere ſe quæ liberis inuiolata ac digna reddat, quæ nurus accipiant, rurſusq. ad nepotes referant. Ergo ſepta pudicitia agunt, nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irritationibus corruptæ. Litterarum ſecreta viri pariter ac feminæ ignorant. Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens, & maritis permiſſa. Acciſis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. publicatæ enim pudicitiæ nulla venia. non forma, non ætate, non opibus maritum inuenerit. Nemo enim illic vitia ridet: nec corrumpere & corrumpi, ſæculum vocatur. Melius quidem adhuc eæ ciuitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum ſpe votoq. vxoris ſemel traſigitur. Sic vnum accipiunt maritum quo modo vnum corpus, vnamq. vitam; ne vlla cogitatio vltra, ne longior cupiditas, ne tamquam meritum, ſed tamquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur: plusq. ibi boni mores valent, quàm alibi bonæ leges. In omni domo nudi, ac ſordidi in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excreſcunt. Sua quemque mater vberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac ſeruum nullis educationis delicijs dignoſcas. inter eadem pecora, in eadem humo degunt; donec ætas ſeparet ingenuos, virtus agnoſcat. Sera iuuenum Venus, eoq. inexhauſta pubertas. nec virgines feſtinantur. eadem iuuenta, ſimilis proceritas, pares validiq. miſcen-
tur.

tur. ac robora patentum liberi teferunt. Sororum filijs idem apud auunculum, qui apud patrem honor. Quidam ſanctiorem artioremq. hunc nexum ſanguinis arbitrantur, & in accipiendis obſidibus magis exigunt, tamquam ij & animum firmius & domum latius teneant. Heredes tamen ſucceſſoresq. ſui cuique liberi: & nullum teſtamentum. Si liberi non ſunt, proximus gradus in poſſeſſione, fratres, patrui. auunculi. Quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gratioſior ſenectus. nec vlla orbitatis pretia. Suſcipere tam inimicitias, ſeu patris, ſeu propinqui, quàm amicitias neceſſe eſt. Nec implacabiles durant. luitur enim etiam homicidium certo atmentorum ac pecorum numero, recipitq. ſatisfactionem vniuerſa domus, vtiliter in publicum, quia periculoſiores ſunt inimicitiæ iuxta libertatem. Conuictibus & hoſpitijs non alia gens effuſius indulget. Quemcumque mortaliũ arcere tecto, nefas habetur. pro fortuna quiſque apparatis epulis excipit. Cum defecerit, qui modo hoſpes fuerat, monſtrator hoſpitij & comes, proximam domum non inuitati adeunt. nec intereſt. pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumq. quantum ad ius hoſpitij, nemo diſcernit. Abeunti, ſi quid popoſceris, concedere moris: & poſcendi inuicem eadem facilitas. Gaudent muneribus. ſed nec data imputant, nec acceptis obligantur. Victus inter hoſpites comis. Statim e ſomno, quem plerumque in diem extrahunt, lauantur, ſæpius calida, vt apud quos plurimum hiems occupat. Lauti cibum capiunt. ſeparatæ ſingulis ſedes, & ſua cuique menſa. Tum ad negotia, nec minus ſæpe ad conuiuia procedunt armati. Diem noctemq. continuare potando, nulli probrum. Crebræ vt inter vinolentos rixæ, raro conuicijs, ſæpius cæde & vulneribus tranſiguntur. Sed & de reconciliandis inuicem inimicis, & iungendis affinitatibus, & adſciſcendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conuiuijs conſultant: tamquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat. Gens non aſtuta nec callida, aperit adhuc ſecreta pectoris, licentia loci. Ergo detecta & nuda omnium mens, poſtera die retractatur: & ſalua vtriuſque temporis ratio eſt. Deliberant, dum fingere neſciunt: conſtituunt, dum errare non poſſunt. Potui humor ex ordeo aut frumento, in quandam ſimilitudinem vini corruptus. Proximi ripæ, & vinum mercantur.

Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine apparatu, ſine blandimentis expellunt famem. aduerſus ſitim, non eadem temperantia. Si indulſeris ebrietati, ſuggerendo quantum concupiſcunt; haud minus facile vitijs, quàm armis vincentur. Genus ſpectaculorum vnum atque in omni cætu idem. Nudi iuuenes, quibus id ludicrum eſt, inter gladios ſe atque infeſtas frameas ſaltu iaciunt. Exercitatio artem parauit, ars decorem. non in quæſtum tamen aut mercedem. quamuis audacis laſciuiæ pretium eſt, voluptas ſpectantium. Aleam (quod mirere) ſobrij inter ſeria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, vt cum omnia defecerunt, extremo ac nouiſſimo iactu de libertate & de corpore contendant. Victus voluntariam ſeruitutem adit. Quamuis iunior, quamuis robuſtior, alligari ſe ac venire patitur. Ea eſt in re praua peruicacia: ipſi fidem vocant. Seruos conditionis huius per commercia tradunt, vt ſe quoque pudore victoriæ exſoluant. Ceteris ſeruis, non in noſtrum morem deſcriptis per familiam miniſterijs vtuntur. Suam quiſque ſedem, ſuos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis, vt colono iniungit: & ſeruus hactenus paret. Cetera domus officia, vxor ac liberi exſequuntur. Verberare ſeruum, ac vinculis & opere coercere, ratum. Occidere ſolent, non diſciplina & ſeueritate, ſed impetu & ira, vt inimicum, niſi quod impune. Liberti non multum ſupra ſeruos ſunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in ciuitate, exceptis dumtaxat ijs gentibus, quæ regnantur. Ibi enim & ſuper ingenuos & ſuper nobiles aſcendunt. Apud ceteros, impares libertini libertatis argumentum ſunt. Fenus agitare & in vſuras extendere, ignotum, ideoq. magis ſeruatur, quàm ſi vetitum eſſet. Agri pro numero cultorum ab vniuerſis per vices occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur. facilitatem partiendi, camporum ſpatia præſtant. Arua per annos mutant, & ſupereſt ager. nec enim cum vbertate & amplitudine ſoli labore contendunt, vt pomaria conſerant, & prata ſepiant, & hortos rigent. ſola terræ ſeges imperatur. Vnde annum quoque ipſum non in totidem digerunt ſpecies.

cies. Hiems & ver & æſtas intellectum ac vocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur. Funerum nulla ambitio. Id ſolum obſeruatur, vt corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi, nec veſtibus, nec odoribus cumulant. ſua cuique arma, quorumdam igni & equus adijcitur. Sepulchrum ceſpes erigit. Monumentorum arduum & operoſum honorem, vt grauem defunctis, aſpernantur. Lamenta ac lacrymas cito, dolorem & triſtitiam tarde ponunt. Feminis lugere honeſtum eſt: viris meminiſſe. Hæc in commune, de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc ſingularum gentium inſtituta, ritusq. quatenus differant: quæ nationes e Germania in Gallias commigrauerint, expediam. Validiores olim Gallorum res fuiſſe ſummus auctorum diuus Iulius tradit. eoq. credibile eſt etiam Gallos in Germaniam tranſgreſſos. Quantulum enim amnis obſtabat, quo minus, vt quæque gens eualuerat, occuparet permutaretq. ſedes promiſcuas adhuc, & nulla regnorum potentia diuiſas? Igitur inter Hercyniam ſiluam, Rhenumq. & Mœnum amnes, Heluetij: vlteriora Boij, Gallica vtraque gens, tenuere. Manet adhuc Boiemi nomen, ſignificatq. loci veterem memoriam, quamuis mutatis cultoribus. Sed vtrum Arauiſci in Pannoniam ab Oſis Germanorum natione, an Oſi ab Arauiſcis in Germaniam commigrauerint, cum eodem adhuc ſermone, inſtitutis, moribus vtantur, incertum eſt: quia pari olim inopia ac libertate, eadem vtriuſque ripæ bona malaq. erant. Treueri & Neruij circa affectationem Germanicæ originis vltro ambitioſi ſunt, tamquam per hanc gloriam ſanguinis, a ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur. Ipſam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Treboci, Nemetes. Vbij quidem, quamquam Romana colonia eſſe meruerint, ac libentius Agrippinenſes conditoris ſui nomine vocentur, origine erubeſcunt, tranſgreſſi olim, & experimento fidei ſuper ipſam Rheni ripam collocati, vt arcerent non vt cuſtodirentur. Omnium harum gentium virtute præcipui Bataui, non multum ex ripa ſed inſulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & ſeditione domeſtica in eas ſedes tranſgreſſus, in quibus pars Romani imperij fierent. Manet honos, & antiquę ſocietatis inſigne. nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit. exempti oneribus & collationibus, & tantum in vſum præliorum ſepoſiti, velut tela atque arma bellis reſeruantur. Eſt in eodem obſequio & Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani vltra Rhenum, vltraq. veteres terminos imperij reuerentiam. Ita ſede finibusq. in ſua ripa, mēte animoq. nobiſcū agunt, cetera ſimiles Batauis, niſi quòd ipſo adhuc terræ ſuæ ſolo & cælo acrius animantur. Non numerauerim inter Germaniæ populos, quāquam trans Rhenum Danubiumq. conſederint, eos qui Decumates agros exercent. Leuiſſimus quiſque Gallorum, & inopia audax, dubiæ poſſeſſionis ſolum occupauere. Mox limite acto, promotisq. præſidijs, ſinus imperij, & pars prouinciæ habentur. Vltra hos Catti initiū ſedis ab Hercynio ſaltu incohant, non ita effuſis ac paluſtribus locis, vt ceteræ ciuitates, in quas Germania pateſcit. durant ſiquidem colles paulatimq. rareſcunt: & Cattos ſuos ſaltus Hercynius proſequitur ſimul atque deponit. Duriora genti corpora, ſtricti artus, minax vultus, & maior animi vigor. Multum, vt inter Germanos, rationis ac ſollertiæ: præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodq. rariſſimū, nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum, plus reponere in duce quàm in exercitu. omne robur in pedite, quem ſuper arma ferramentis quoque & copijs onerant. Alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum. rari excurſus & fortuita pugna. Equeſtrium ſane virium id propriū, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior conſtantiæ eſt. Et alijs Germanorum populis vſurpatum, rara & priuata cuiuſque audentia, apud Cattos in conſenſum vertit, vt primum adoleuerint crinem barbamq. ſummittere, nec niſi hoſte cæſo, exuere votiuum obligatumq. virtuti oris habitum. Super ſanguinē & ſpolia, reuelant frontem, ſeq. tum demum pretia naſcendi retuliſſe, dignosq. patria ac parentibus ferunt. Ignauis & imbellibus manet ſqualor. Fortiſſimus quiſque ferreum inſuper annulum, ignominioſum id genti, velut vinculum geſtat, donec ſe cæde hoſtis abſoluat. Plurimis Cattorū hic placet habitus. Iamq. canent inſignes & hoſtibus ſimul, ſuisq. monſtrati, omnium penes hos initia pugnarum. hæc prima ſemper acies, viſu noua. Nam

ne in pace quidem vultu mitiore manſueſcunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura: prout ad quemque venere aluntur, prodigi alieni, contemptores ſui, donec exanguis ſenectus tam dure virtuti impares faciat. Proximi Cattis certum iam alueo Rhenum, quiq. terminus eſſe ſufficiat, Vſipij ac Tencteri colunt. Tencteri ſuper ſolitum bellorũ decus, equeſtris diſciplinæ arte præcellunt. Nec maior apud Cattos peditũ laus, quàm Tencteris equitum. Sic inſtituere maiores, poſteri imirantur. Hi luſus infantium, hæc iuuenum æmulatio; perſeuerant ſenes. inter familiam, & penates, & iura ſucceſſionum, equi traduntur. excipit filius, non vt cetera maximus natu, ſed prout ferox bello & melior. Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamanos & Angriuarios immigraſſe narratur, pulſis Bructeris ac penitus exciſis, vicinarum conſenſu nationum, ſeu ſuperbiæ odio, ſeu prædæ dulcedine, ſeu fauore quodam erga nos deorum. nam ne ſpectaculo quidem prælij inuidere. ſuper LX. millia non armis telisq. Romanis, ſed, quod magnificentius eſt, oblectationi oculisq. ceciderunt. Maneat quæſo, duretq. gentibus ſi non amor noſtri, at certe odium ſui: quando vrgentibus imperij fatis, nihil iam præſtare fortuna maius poteſt, quàm hoſtium diſcordiam. Angriuarios & Chamauos a tergo Dulgibini, & Chaſuari cludunt, aliæq. gentes haud perinde memoratæ: a fronte Friſij excipiunt. Maioribus minoribusq. Friſijs vocabulum eſt, ex modo virium. vtræque nationes vſque ad Oceanũ Rheno prætexuntur, ambiuntq. immenſos inſuper lacus, & Romanis claſſibus nauigatos. Ipſum quinetiã Oceanũ illa tentauimus. & ſupereſſe adhuc Herculis columnas fama vulgauit: ſiue adijt Hercules, ſeu quidquid vbique magnificũ eſt, in claritatẽ eius referre conſenſimus. Nec defuit audentia Druſo Germanico, ſed obſtitit Oceanus in ſe ſimul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentauit: ſanctiusq. ac reuerentius viſum, de actis deorum credere, quàm ſcire. Hactenus in Occidentem, Germaniã nouimus. In Septemtrionẽ, ingenti flexu redit. Ac primo ſtatim Chaucorũ gens, quamquam incipiat a Friſijs, ac partem litoris occupet, omniũ quas expoſui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos vſque ſinuetur. tam immenſum terrarum ſpatium non tenent tantum Chauci, ſed & implent: populus inter Germanos nobiliſſimus, quiq. magnitudinẽ ſuam malit iuſtitia tueri. ſine cupiditate, ſine impotentia, quieti ſecretiq. nulla prouocant bella, nullis raptibus aut latrocinijs populãtur. Idq. præcipuũ virtutis ac virium argumentũ eſt, quod vt ſuperiores agant, non per iniurias aſſequũtur. Prompta tamen omnibus arma, ac ſi res poſcat exercitus: plurimum virorum equorumq. & quieſcentibus eadem fama. In latere Chaucorũ Cattorumq. Cheruſci nimiã ac marcentem diu pacem illaceſſiti nutrierunt. idq. iocundius, quàm tutius fuit. quia inter impotentes & validos falſo quieſcas: vbi manu agitur, modeſtia ac probitas nomina ſuperioris ſunt. Ita qui olim boni æquiq. Cheruſci, nunc inertes ac ſtulti vocantur. Cattis victoribus fortuna in ſapientiam ceſſit. Tacti ruina Cheruſcorum & Foſi contermina gens, aduerſarum rerum ex æquo ſocij, cum in ſecundis minores fuiſſent. Eundem Germaniæ ſinum proximi Oceano Cimbri tenent, parua nunc ciuitas, ſed gloria ingens. veterisq. famæ late veſtigia manent vtraque ripa caſtra, ac ſpatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusq. gentis, & tam magni exercitus fidem. Sexcenteſimũ & quadrageſimum annum vrbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone COSS. Ex quo ſi ad alterum impetatoris Traiani conſulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur: tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi æui ſpatio, multa inuicem damna. non Samnis, non Pœni, non Hiſpaniæ, Galliæue, ne Parthi quidem ſæpius admonuere. quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quàm cædem Craſſi, amiſſo & ipſe Pacoro infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone & Caſſio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cepione, M. quoque Manlio fuſis vel captis, quinque ſimul conſulareis exercitus Populo Romano, Varum tresq. cum eo legiones etiam Cæſari abſtulerunt. nec impune C. Marius in Italia, diuus Iulius in Gallia, Druſus ac Nero & Germanicus in ſuis eos ſedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæſaris minæ in ludibrium verſæ. Inde otium, donec occaſione diſcordiæ noſtræ & ciuilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectauere: ac rurſus pulſi inde, proximis temporibus triumphati magis quàm victi ſunt.

Nunc de Sueuis dicendum eſt, quorum non vna vt Cattorum Tencterorumue gens: maio-

maiorem enim Germaniæ partem obtinent,proprijs adhuc nationibus nominibusq. diſcreti, quamquam in commune Sueui vocentur. Inſigne gentis, obliquare crinem,nodoq. ſubſtringere.Sic Sueui a ceteris Germanis: ſic Sueuorum ingenui a ſeruis ſeparantur. Sic in alijs gentibus ſeu cognatione aliqua Sueuorum, ſeu, quod ſæpe accidit,imitatione, rarum & intra iuuentę ſpatium: apud Sueuos vſque ad canitiem horrentem capillum retro ſequuntur, ac ſæpe in ipſo ſolo vertice religant. principes & ornatiorē habent. Ea cura formæ ſed innoxiæ. Neque enim vt ament amenturue: in altitudinem quandam & terrorem adituri bella compti, vt hoſtium oculis, ornantur. Vetuſtiſſimos ſe nobiliſſimosq. Sueuornm Semnones memorant.Fides antiquitatis, religione firmatur. Stato tempore in ſiluam augurijs patrum & priſca formidine ſacram, omnes eiuſdem ſanguinis populi legationibus coeunt,cæſoq. publice homine,celebrant barbari ritus horrenda primordia. Eſt & alia luco reuerenria. Nemo niſi vinculo ligatus ingreditur,vt minor,& poteſtatem numinis præ ſe ferens. ſi forte prolapſus eſt, attolli & inſurgere haud licitum. per humum euoluuntur. eoq. omnis ſuperſtitio reſpicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera ſubiecta atque parentia. Adijcit auctoritatem fortuna Semnonum. centum pagis habitatur. magnoq. corpore efficitur, vt ſe Sueuorum caput credant. Contra Langobardos paucitas nobilitat, quòd plurimis ac valentiſſimis nationibus cincti, non per obſequium, ſed prælijs & periclitando tuti ſunt.

Reudigni deinde & Auiones & Angli, & Varihi,& Eudoſes,& Suardones,& Nuithones fluminibus aut ſiluis muniuntur. nec quidquam notabile in ſingulis, niſi quòd in commune Herthum, id eſt,Terram matrem colunt,eamq. interuenire rebus hominum inuehi populis arbitrantur. Eſt in inſula Oceani Caſtum nemus, dicatum in eo vehiculum veſte contectum attingere vni ſacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali deam intelligit, vectamq. bubus feminis multa cum veneratione proſequitur. Læti tunc dies, feſta loca, quæcumque aduentu hoſpitioq. dignatur. Non bella ineunt, non arma ſumunt, clauſum omne ferrum. pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata,donec idem ſacerdos ſatiatam conuerſatione mortalium deam templo reddat. mox vehiculum & veſtes,& ſi credere velis,numen ipſum ſecreto lacu abluitur. Serui miniſtrant, quos ſtatim idē lacus haurit.Arcanus hinc terror,ſanctaq. ignorātia,quid ſit illud,quod tantū perituri vident. Et hæc quidē pars Sueuorum in ſecretiora Germaniæ porrigitur.

Propior, vt quo modo paulo ante Rhenum, ſic nunc Danubium ſequar, Hermundurorum ciuitas,fida Romanis,eoq. ſolis Germanorum non in ripa commercium, ſed penitus, atque in ſplendidiſſima Rhætiæ prouinciæ colonia paſſim ſine cuſtode tranſeunt. & cum ceteris gentibus arma modo caſtraq. noſtra oſtendamus,his domos, villasq. patefecimus, non concupiſcentibus. In Hermunduris Albis oritur flumen inclitum & notum olim: nunc tantum auditur. Iuxta Hermunduros Nariſci, ac deinde Marcomani & Quadi agunt. Præcipua Marcomanorum gloria viresq. atque ipſa etiam ſedes,pulſis olim Boijs, virtute parta. Nec Nariſci Quadiue degenerant. Eaq. Germaniæ velut frons eſt,quatenus Danubio prætexitur. Marcomanis, Quadiſue vſque ad noſtrā memoriam reges manſerunt, ex gente ipſorū. nobile Marobodui & Tudri genus. nam & externos patiuntur. Sed vis & potentia regibus, ex auctoritate Romana. raro armis noſtris, ſæpius pecunia iuuantur. Nec minus valent retro Marſigni, Gothini, Oſi, Burij: terga Marcomanorum, Quadrorumq. claudunt. e quibus Marſigni, & Burij ſermone cultuq. Sueuos referunt. Gothinos Gallica,Oſos Pannonica lingua coarguit non eſſe Germanos: & quòd tributa patiuntur. partem tributorū Sarmatæ, partem Quadi vt alienigenis imponunt. Gothini, quo magis pudeat,& ferrum effodiunt. omnesq. hi populi pauca campeſtrium, ceterum ſaltus & vertices montium iugumq. inſederunt. Dirimit enim ſcinditq. Sueuiam continuum montium iugum,vltra quod plurimæ gentes agunt, ex quibus latiſſime patet Lygiorum nomen in plures ciuitates diffuſum. Valētiſſimas nominaſſe ſufficiet,Arios, Helueconas, Manimos,Elyſios,Naharualos. Apud Naharualos antiquæ religionis lucus oſtenditur. Præſidet ſacerdos muliebri ornaru,ſed deos interpretatione Romana Caſtorem Pollucemq. memorant. Eius numinis nomen, Alcis. nulla ſimulacra,nullum peregrinæ ſuperſtitionis veſtigium. vt fratres tamen, vt iuuenes venerantur. Ceterum Arij ſuper vires, quibus enumeratos paulo ante populos

I antece-

antecedunt, truces, inſitæ feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra ſcuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legunt. ipſaq. formidine atque vmbra ferialis exercitus terrorem inferunt, nullo hoſtium ſuſtinente nouum ac velut infernum aſpectum. nam primi in omnibus prælijs oculi vincuntur. Trans Lygios Gothones regnantur, paulo iam addictius quàm ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugij, & Lemouij: omniumq. harum gentium inſigne, rotunda ſcuta, breues gladij, & erga reges obſequium. Suionum hinc ciuitates, ipſo in Oceano præter viros armaq. claſſibus valēt. forma nauiū eo differt, quòd vtrimque prora paratam ſemper appulſui frontē agit: nec velis miniſtrantur, nec remos in ordinem lateribus adiungunt. Solutum vt in quibuſdam fluminum, & mutabile vt res poſcit, hinc vel illinc remigium. Eſt apud illos & opibus honos. eoq. vnus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. nec arma vt apud ceteros Germanos in promiſcuo, ſed clauſa ſub cuſtode & quidem ſeruo: quia ſubitos hoſtium incurſus prohibet Oceanus. otioſa porro armatorum manus facile laſciuiunt. enim vero neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidē armis præponere regia vtilitas eſt. Trans Suionas aliud mare. pigrum, ac prope immotum, quo cingi cludiq. terrarū orbē hinc fides: quod extremus cadentis iam ſolis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, vt ſidera hebetet. Sonum inſuper emergentis audiri, formaſq. deorum, & radios capitis aſpici perſuaſio adijcit. Illuc vſque & fama vera tantum natura. Ergo iam dextro Sueuici maris litore Æſtyorum gentes alluuntur: quibus ritus habituſq. Sueuorum, lingua Britannicæ propior. Matrem deum venerantur. inſigne ſuperſtitionis, formas aprorum geſtant. Id pro armis omniumq. tutela, ſecurum deæ cultorem etiam inter hoſtes præſtat. Rarus ferri, frequens fuſtium vſus. Frumenta ceteroſq. fructus patientius quā pro ſolita Germanorum inertia laborant. Sed & mare ſcrutantur. ac ſoli omnium ſuccinum, quod ipſi Gleſum vocant, inter vada atque in ipſo litore legunt. Nec quæ natura quæ ve ratio gignat, vt Barbaris, quæſitum compertumue. diu quinetiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria noſtra dedit nomen. ipſis in nullo vſu, rude legitur: informe perfertur. prætiumq. mirantes accipiunt. Succum tamen arborū eſſe intelligas: quia terrena quædā atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ implicata humore, mox dureſcente materia, cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucoſq. ſicut Orientis ſecretis, vbi thura balſamaq. ſudantur, ita Occidentis inſulis terriſq. ineſſe crediderim; quæ vicini ſolis radijs expreſſa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempeſtatum in aduerſa litora exundant. Si naturam ſuccini admoto igne tenteſ, in modum tedæ accenditur, alitq. flammam pinguem & olentem: mox vt in picem reſinamue lenteſcit. Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera ſimiles, vno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, ſed etiam a ſeruitute degenerant. hic Sueuiæ finis. Pencinorum, Venedorumq. & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis aſcribam dubito: quamquam Peucini, quos quidā Baſtarnas vocant, ſermone, cultu, ſede ac domicilijs; vt Germani agunt. ſordes omniū ac torpor. procerum connubijs mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. Venedi multū ex moribus traxerūt. Nam quidquid inter Peucinos Fennoſq. ſiluarum ac montium erigitur, latrocinijs pererrāt. hi tamē inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt, & ſcuta geſtant, & pedū vſu ac pernicitate gaudent. quæ omnia diuerſa Sarmatis ſunt, in plauſtro equoq. viuentibus. Fennis mira feritas, fœda paupertas. non arma, non equi, non penates. victui herba, veſtitui pelles, cubiles humus. ſola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant. Idemq. venatus viros pariter ac feminas alit. Paſſim enim comitantur, partemq. prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumq. ſuffugium, quàm vt in aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt iuuenes, hoc ſenum receptaculum. Id beatius arbitrantur, quàm ingemere agris, illaborare domibus, ſuas alienaſq. fortunas ſpe metuq. verſare. Securi aduerſus homines, ſecuri aduerſus deos, rem difficillimam aſſecuti ſunt, vt illis ne voto quidem opus ſit. Cetera iam fabuloſa. Helluſios & Oxionas ora hominum vultuſq. corpora atque artus ferarum gerere, quod ego vt incompertum, in medium relinquam.

F I N I S.

IVLII AGRICOLÆ VITA,

Scriptore Cornelio Tacito.

CLARORVM virorum facta moresq. poſteris tradere antiquitus vſitatum, ne noſtris quidem temporibus quamquam incurioſa ſuorum ætas omiſit; quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac ſupergreſſa eſt vitium paruis magnisq. ciuitatibus commune, ignorantiam recti et inuidiam. Sed apud priores vt agere memoratu digna pronum, magisq. in aperto erat: ita celeberrimus quiſque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam ſine gratia aut ambitione, bonæ tantum conſcientiæ pretio ducebatur. Ac plerique ſuam ipſi vitam narrare, fiduciam potius morum, quàm arrogantiam arbitrati ſunt. nec id Rutilio et Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit. adeo virtutes iiſdem temporibus optime æſtimantur, quibus facillime gignuntur. At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis, venia opus fuit. quam non petiſſem, ni incurſaturus tam ſæua et infeſta virtutibus tempora. Legimus cum Aruleno Ruſtico Pætus Thraſea, Herennio Senecioni Priſcus Heluidius laudati eſſent, capitale fuiſſe: neque in ipſos modo auctores, ſed in libros quoque eorum ſæuitum, delegato triumuiris miniſterio, vt monumenta clariſſimorum ingeniorum in comitio ac foro vrerentur. Scilicet illo igne vocem Po. Ro. et libertatem Senatus, et conſcientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulſis inſuper ſapientiæ profeſſoribus, atque omni bona arte in exſilium acta, ne quid vſquam honeſtum occurreret. Dedimus profecto grande patientiæ documentum, et ſicut vetus ætas vidit, quid vltimum in libertate eſſet, ita nos quid in ſeruitute, adempto per inquiſitiones et loquendi audiendiq. commercio. Memoriam quoque ipſam cum voce perdidiſſemus, ſi tam in noſtra poteſtate eſſet obliuiſci quàm tacere. Nunc demum redit animus, et quamquam primo ſtatim beatiſſimi ſæculi ortu Nerua Cæſar res olim diſſociabiles miſcuerit, principatum ac libertatem, augeatq. cotidie facilitatem imperij Nerua Traianus; nec ſpem modo ac votum ſecuritas publica, ſed ipſius voti fiduciam, ac robur aſſumpſerit: natura tamen infirmitatis humanæ, tardiora ſunt remedia quàm mala. et vt corpora lente augeſcunt, cito extinguuntur; ſic ingenia ſtudiaq. oppreſſeris facilius, quàm reuocaueris. Subit quippe etiam ipſius inertiæ dulcedo: et inuiſa primo deſidia, poſtremo amatur. Quid ſi per quindecim annos, grande mortalis æui ſpatium, multi fortuitis caſibus, promptiſſimus quiſque ſæuitia principis interciderunt? Pauci et, vt ita dixerim, non modo aliorum ſed etiã noſtri ſuperſtites ſumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuuenes ad ſenectutem, ſenes prope ad ipſos exactæ ætatis terminos per ſilentium venimus. non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris ſeruitutis, ac teſtimonium præſentium bonorum compoſuiſſe. Hic interim liber honori Agricolæ ſoceri mei deſtinatus, profeſſione pietatis, aut laudatus erit, aut excuſatus.

CN. Næus Iulius Agricola vetere et illuſtri Foroiulienſium colonia ortus, vtrumque auum procuratorem Cæſarum habuit: quæ equeſtris nobilitas eſt. pater Iulius Græcinus ſenatorij ordinis, ſtudio eloquentiæ ſapientiæq. notus, iiſq. virtutibus iram Caij Cæſaris meritus. namque Marcum Silanum accuſare iuſſus, et quia abnuerat, interfectus eſt. Mater Iulia Procilla fuit, raræ caſtitatis. in huius ſinu indulgentiaq. educatus, per omnem honeſtarum artium cultum pueritiam adoleſcentiamq. tranſegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium præter ipſius bonam integramq. naturam, quòd ſtatim paruulus ſedem ac magiſtram ſtudiorum Maſſiliam habuerat, locum Græca comitate et prouinciali parcimonia miſtum, ac bene compoſitum. Memoria teneo ſolitum ipſum narrare, ſe in prima iuuenta ſtudium philoſophiæ [acrius] vltra quàm conceſſum Rom. ac ſenatori hauſiſſe, ni prudentia matris incenſum ac flagrantem animum coercuiſſet. ſcilicet ſublime et erectum ingenium, pulchritudinem ac ſpeciem excelſæ magnæq. gloriæ vehementius quàm caute appetebat: mox mitigauit ratio et ætas. retinuitq., quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum. Prima caſtrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino diligenti ac moderato duci approbauit, electus, quem contubernio æſtimaret. Nec Agricola licente more iuue-

 num,

num, qui militiam in laſciuiam vertunt, neque ſegniter ad voluptates et commeatus, titulum tribunatus et inſcitiam retulit: ſed noſcere prouinciam, noſci exercitui, diſcere a peritis, ſequi optimos, nihil appetere ob iactationem, nihil ob formidinem recuſare, ſimulq. anxius et intentus agere. Non ſane alias exercitatior magiſq. in ambiguo Britannia fuit. trucidati veterani, incenſæ coloniæ, intercepti exercitus. tum de ſalute, mox de victoria certauere. Quæ cuncta et ſi conſilijs ductuq. alterius agebantur, ac ſumma rerum et reciperatæ prouinciæ gloria in ducem ceſſit; artē et vſum et ſtimulos addidere iuueni: intrauitq. animum militaris gloriæ cupido, ingrata temporibus, quibus ſiniſtra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quàm ex mala. Hinc ad capaſſendos magiſtratus in vrbem digreſſus, Domitiam Decidianam ſplendidis natalibus ortam ſibi iunxit idq. matrimonium ad maiora nitenti, decus ac robur fuit. vixeruntq. mira concordia, per mutuam charitatem, et inuicem ſe anteponendo, niſi quòd in bona vxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpæ eſt. Sors quæſturæ prouinciam Aſiam, proconſulem Saluium Titianum dedit, quorum neutro corruptus eſt: quamquam et prouincia diues ac parata peccantibus, et proconſul in omnem auiditatem pronus, quantalibet facilitate redempturus eſſet mutuam diſſimulationem mali. Auctus eſt ibi filia in ſubſidium, et ſolatiū ſimul. Nam filium ante ſublatum breui amiſit. Mox inter quæſturam, ac tribunatum plebis, atque etiam ipſum tribunatus annum quiete et otio tranſit, gnarus ſub Nerone temporum, quibus inertia pro ſapientia fuit. Idem præturæ tenor, et ſilentium: nec enim iuriſdictio obuenerat. Ludos, et inania honoris, modo rationis atque abundantiæ duxit, vti longe a luxuria, ita famæ propior. Tum electus a Galba ad dona templorum recognoſcenda, diligentiſſima conquiſitione fecit, ne cuius alterius ſacrilegium reſp. quàm Neronis ſenſiſſet. Sequens annus graui vulnere animum domumq. eius afflixit. nam claſſis Othoniana licenter vaga dum in Templo (Liguriæ pars eſt) hoſtiliter populatur, matrem Agricolæ in prædijs ſuis interfecit: prædiaq. ipſa, et magnam patrimonij partem diripuit, quæ cauſſa cædis fuerat. Igitur ad ſollemnia pietatis profectus Agricola, nuncio affectati a Veſpaſiano impetij deprehenſus, ac ſtatim in partes tranſgreſſus eſt. Initia principatus ac ſtatum vrbis Mucianus regebat, admodum iuuene Domitiano, et ex paterna fortuna tantum licentiam vſurpante. Is miſſum ad dilectus agendos Agricolam, integreq. ac ſtrenue verſatum, viceſimæ legioni tarde ad ſacramentum tranſgreſſæ præpoſuit, vbi deceſſor ſeditioſe agere narrabatur: quippe legatis quoque conſularibus nimia ac formidoloſa erat. Nec legatus prætorius ad cohibendum potens, incertum ſuo an militum ingenio: ita ſucceſſor ſimul et vltor electus, rariſſima moderatione maluit videri inueniſſe bonos quàm feciſſe. Præerat tunc Britanniæ Vectius Bolanus, placidius quàm feroci prouincia dignum eſt. temperauit Agricola vim ſuam, ardoremq. compeſcuit, ne increſceret, peritus obſequi, eruditusq. vtilia honeſtis miſcere. Breui deinde Britannia conſularem Petilium Cerialē accepit. Habuerunt virtutes ſpatium exemplorum: Sed primo Cerialis, modo labores et diſcrimina, mox et gloriam communicabat: ſæpe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copijs ex euentu præfecit. nec Agricola vmquam in ſuam famam geſtis exſultauit, ad auctorem et ducem, vt miniſter fortunam referebat: ita virtute in obſequendo, verecundia in prædicando, extra inuidiam, nec extra gloriam erat. Reuertentem ab legatione legionis diuus Veſpaſianus inter patricios aſciuit, ac deinde prouinciæ Aquitaniæ præpoſuit, ſplendidæ in primis dignitatis adminiſtratione, ac ſpe conſulatus, cui deſtinarat. Credunt plerique militaribus ingenijs ſubtilitatem deeſſe, quia caſtrenſis iuriſdictio ſecura et obtuſior, ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat Agricola naturali prudentia, quamuis inter togatos, facile iuſteq. agebat. Iam vero tempora curarum remiſſionumq. diuiſa. vbi conuentus ac iudicia poſcerent, grauis, intentus, ſeuerus, et ſæpius miſericors: vbi officio ſatisfactum, nulla vltra poteſtatis perſona, triſtitiam et arrogantiam, et auaritiam exuerat: nec illi, quod eſt rariſſimum, aut facilitas auctoritatem, aut ſeueritas amorem deminuit. Integritatem atque abſtinentiam in tanto viro referre, iniuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui etiam ſæpe boni indulgent, oſtentanda virtute, aut per artem quæſiuit: procul ab æmulatione aduerſus collegas, procul a contentione aduerſus procuratores, et vincere inglorium, et atteri ſordidum arbitrabatur. Minus triennium in ea legatione detentus, ac ſtatim ad ſpem Conſulatus reuocatus eſt, comitante opinione, Britanniam ei prouinciam dari, nullis in hoc ſuis ſermonibus, ſed quia par videbatur. haud ſemper errat fama, aliquando

et eligit

et eligit. Conſul egregiæ tum ſpei filiam iuueni mihi deſpondit, ac poſt conſulatum collocauit, et ſtatim Britanniæ præpoſitus eſt, adiecto pontificatus ſacerdotio. Britanniæ ſitum populoſq. multis ſcriptoribus memoratos, non in comparationem curæ ingeniíve referam: ſed quia tum primum perdomita eſt. itaque quæ priores nondum comperta, eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia inſularum quas Romana notia complectitur maxima, ſpatio ac cælo in orientem Germaniæ, in occidentem Hiſpaniæ obtenditur: Gallis in meridiem etiam inſpicitur. Septemtrionalia eius, nullis contra terris, vaſto atque aperto mari pulſantur. Formam totius Britanniæ Liuius veterum, Fabius Ruſticus recentium, eloquentiſſimi auctores, oblongæ ſcutulæ vel bipenni aſſimulauere. et eſt ea facies citra Caledoniam, vnde et in vniuerſum fama eſt tranſgreſſa ſed immenſum et enorme ſpatium procurrentium extremo iam litore terrarum, velut in cuneum tenuatur. Hanc oram nouiſſimi maris tunc primum Romana claſſis circumuecta, inſulam eſſe Britanniam affirmauit, ac ſimul incognitas ad id tempus inſulas, quas Orcadas vocant, inuenit, domuitq. diſpecta eſt et Tyle, quam hactenus nix, et hiems abdebat. ſed mare pigrum et graue remigantibus perhibent. ne ventis quidem proinde attolli: credo quòd rariores terræ monteſq. cauſſa ac materia tempeſtatum, et profunda moles continui maris, tardius impellitur. Naturam Oceani atque æſtus neque quærere huius operis eſt, ac multi retulere. vnum addiderim: nuſquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus accreſcere aut reſorberi, ſed influere penitus atque ambire, etiam iugis atque montibus inſeri velut in ſuo. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenæ an aduecti, vt inter Barbaros, parum compertum. Habitus corporum varij: atque ex eo argumenta. namque rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem aſſeuerant. Silurum colorati vultus, et torti plerumque crines, et poſitu contra Hiſpaniam, Iberos veteres traieciſſe, eaſq. ſedes occupaſſe fidem faciunt. proximi Gallis, et ſimiles ſunt: ſeu durante originis vi, ſeu procurrentibus in diuerſa terris, poſitio cæli corporibus habitum dedit. in vniuerſum tamen æſtimanti, Gallos vicinum ſolum occupaſſe, credibile eſt. Eorum ſacra deprehendas, ſuperſtitionum perſuaſione. Sermo haud multum diuerſus. in depoſcendis periculis eadem audacia: et vbi aduenere, in detractandis eadem formido. plus tamen ferociæ Britanni præferunt, vt quos nondum longa pax emollierit. nam Gallos quoque in bellis floruiſſe accepimus. mox ſegnitia cum otio intrauit, amiſſa virtute pariter ac libertate. quod Britannorū olim victis euenit, ceteri manent quales Galli fuerunt. In pedite robur, quædam nationes et curru præliantur. honeſtior auriga, clientes propugnant. olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et ſtudijs trahuntur. nec aliud aduerſus validiſſimas gentes pro nobis vtilius, quàm quòd in commune non conſulunt. Rarus duabus tribuſq. ciuitatibus, ad propulſandum commune periculum conuentus: ita dum ſinguli pugnant, vniuerſi vincuntur. Cælum crebris imbribus ac nebulis fœdum. aſperitas frigorum abeſt. Dierum ſpatia vltra noſtri orbis menſuram, et nox clara, et extrema Britanniæ parte breuis, vt finem atque initium lucis exiguo diſcrimine internoſcas. Quòd ſi nubes non officiant, aſpici per noctem Solis fulgorem, nec occidere et exſurgere, ſed tranſire affirmant: ſcilicet extrema et plana terrarum humili vmbra non erigunt tenebras, infraq. cælum et ſidera nox cadit. Solum præter oleam vitemq. et cetera calidioribus terris oriri ſueta patiens, frugum fecundū. tarde miteſcunt, cito proueniunt. eademq. vtriuſque rei cauſſa, multus humor terrarum, cæliq. Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriæ. gignit et Oceanus margarita, ſed ſubfuſca ac liuentia. Quidam artem abeſſe legentibus arbitrantur. nam in rubro mari viua ac ſpirantia ſaxis auelli, in Britannia prout expulſa ſint colligi. ego facilius crediderim naturam margaritis deeſſe, quàm nobis auaritiam. Ipſi Britanni dilectum, ac tributa, et iniuncta imperij munera impigre obeunt, ſi iniuriæ abſint: has ægre tolerant, iam domiti vt pareant, nondum vt ſeruiant. Igitur primus omnium Romanorum D. Iulius cum exercitu Britanniam ingreſſus, quamquam proſpera pugna terruerit incolas, ac litore potitus ſit, poteſt videri oſtendiſſe poſteris non tradidiſſe. Mox bella ciuilia, et in rempublicā verſa principum arma, ac longa obliuio Britanniæ etiam in pace. Conſilium id diuus Auguſtus vocabat, Tiberius præcipue. Agitaſſe C. Cæſarem de intranda Brittania ſatis conſtat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentia, et ingentes aduerſus Germaniam conatus fruſtra fuiſſent. Diuus Claudius auctor operis, tranſuectis legionibus auxilijſq. et aſſumpto in partem rerū

Veſpaſiano. quod initium venturæ mox fortunæ fuit, domitæ gentes, capti reges, et monſtratus fatis Veſpaſianus. Conſularium primus Aulus Plautius præpoſitus, ac ſubinde Oſtorius Scapula, vterque bello egregius: redactaq. paulatim in formam prouinciæ proxima pars Brittaniæ. addita inſuper veteranorum colonia. quædam ciuitates Cogiduno regi donatæ. is ad noſtram vſque memoriam fidiſſimus manſit, vetere ac iampridem recepta populi Romani conſuetudine, vt haberet inſtrumenta ſeruitutis et reges. Mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum caſtellis in vlteriora promotis, per quæ fama aucti officij quæreretur. Didium Veranius excepit, isq. intra annum extinctus eſt. Suetonius hinc Paulinus biennio proſperas res habuit; ſubactis nationibus firmatisq. præſidijs: quorum fiducia Monam inſulam vt vires rebellibus miniſtrantem agreſſus, terga occaſioni patefecit. Namque abſentia legati remoto metu, Britanni agitare inter ſe mala ſeruitutis, conferre iniurias, et interpretando accendere: nihil profici patientia, niſi vt grauiora tamquam ex facili tolerantibus imperentur: ſingulos ſibi olim reges fuiſſe, nunc binos imponi, e quibus legatus in ſanguinem, procurator in bona ſæuiret: æque diſcordiam præpoſitorum, æque concordiam ſubiectis exitioſam: alterius manus centuriones, alterius vim et contumelias miſcere: nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. in prælio fortiorē eſſe qui ſpoliet, nunc ab ignauis plerumque et imbellibus eripi domos, abſtrahi liberos, iniungi dilectus, tamquam mori tantum pro patria neſcientibus: quantum enim tranſiſſe militum, ſi ſeſe Britanni numerent? ſic Germanias excuſſiſſe iugum, et flumine non Oceano defendi: ſibi patriam, coniuges, parentes: illis auaritiam et luxuriam cauſſas belli eſſe: receſſuros vt diuus Iulius receſſiſſet, modo virtutes maiorum ſuorum æmularentur: neve prælij vnius aut alterius euentu pauesſcerent: plus impetus, maiorem conſtantiam penes miſeros eſſe. iā Britannorum etiam deos miſereri, qui Romanum ducem abſentem, qui relegatum in alia inſula exercitum detinerent: iam ipſos, quod difficillimum fuerit, deliberare. porro in eiuſmodi conſilijs periculoſius eſſe deprehendi, quàm audere. His atque talibus inuicem inſtincti, Voadica generis regij femina duce (neque enim ſexum in imperijs diſcernunt) ſumpſere vniuerſi bellum: ac ſparſos per caſtella milites conſectati, expugnatis præſidijs, ipſam coloniam inuaſere, vt ſedem ſeruitutis. nec vllum in barbaris ſæuitiæ genus omiſit ira et victoria. Quòd niſi Paulinus, eo cognito prouinciæ motu, propere ſubueniſſet, amiſſa Britannia foret: quā vnius prælij fortuna veteri patientiæ reſtituit, tenentibus arma pleriſque, quos conſcientia defectionis, et proprius ex legato timor agitabat. Hic cum egregius cetera, arroganter in deditos, et vt ſuæ quoque iniuriæ vltor, durius conſuleret: miſſus Petronius Turpilianus tamquam exorabilior. et delictis hoſtium nouus, eoq. pœnitentiæ mitior, compoſitis prioribus, nihil vltra auſus, Trebellio Maximo prouinciam tradidit. Trebellius ſegnior et nullis caſtrorum experimentis, comitate quadam curandi prouinciam tenuit. Didicere iam barbari quoque ignoſcere vitijs blandientibus. et interuentus ciuilium armorum præbuit iuſtam ſegnitiæ excuſationem. ſed diſcordia laboratum, cùm aſſuetus expeditionibus miles, otio laſciuiret. Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira indecorus atque humilis, precario mox præfuit: ac velut pacti, exercitus licentiam, dux ſalutem. hæc ſeditio ſine ſanguine ſtetit. Nec Vectius Bolanus, manentibus adhuc ciuilibus bellis, agitauit Britanniam diſciplina. eadem inertia erga hoſtes, ſimilis petulantia caſtrorum: niſi quòd innocens Bolanus, et nullis delictis inuiſus, charitatē parauerat loco auctoritatis. Sed vbi cum cetero orbe Veſpaſianus et Britanniam reciperauit, magni duces, egregij exercitus, minuta hoſtium ſpes: et terrorem ſtatim intulit Petilius Cerialis, Brigantum ciuitatem, quæ numeroſiſſima prouinciæ totius perhibetur, aggreſſus. multa prælia, et aliquando non incruenta: magnamq. Brigantum partem aut victoria amplexus, aut bello. Et cum Cerialis quidem alterius ſucceſſoris curam famamq. obruiſſet, ſuſtinuit quoque molem Iulius Frontinus vir magnus quantum licebat, validamq. et eugnacem Silurum gentem armis ſubegit, ſuper virtutem hoſtium locorum quoque difficultates eluctatus.

Hunc Britanniæ ſtatum has bellorum vices media iam æſtate tranſgreſſus Agricola inuenit, cum et milites velut omiſſa expeditione ad ſecuritatem, et hoſtes ad occaſionem verterentur. Ordouicum ciuitas haud multo ante aduentum eius, alam in finibus ſuis agentem, prope vniuerſam obtriuerat: eoq. initio erecta prouincia, vt quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, aut recentis legati animum opperiri. Tum Agricola, quamquam tranſacta æſtas, ſparſi per prouinciam numeri, præſumpta apud militiem illius anni quies,

ni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et pleriſque cuſtodiri ſuſpecta potius videbatur, ire obuiam diſcrimini ſtatuit: contractisq. legionum vexillis, et modica auxiliorum manu, quia in æquum digredi Ordouices non audebant, ipſe ante agmen, quo ceteris par animus ſimili periculo eſſet, erexit aciem. cæſaq. prope vniuerſa gente, non ignarus inſtandum famæ, ac prout prima ceſſiſſent fore vniuerſa, Monam inſulam, cuius poſſeſſione reuocatum Paulinum rebellione totius Britanniæ ſupra memoraui, redigere in poteſtatem animo intendit. Sed vt in dubijs conſilijs, naues deerant, ratio et conſtantia ducis tranſuexit: depoſitis omnibus ſarcinis, lectiſſimos auxiliarium, quibus nota vada, et patrius nandi vſus quo ſimul ſeq. etarma et equos regunt, ita repente immiſit, vt obſtupefacti hoſtes, qui claſſem, qui naues, qui mare exſpectabant, nihil arduum aut inuictum crediderint ſic ad bellum venientibus. Ita petita pace, ac dedita inſula, clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti prouinciam, quod tempus alij per oſtentationem aut officiorum ambitum tranſigunt, labor et periculum placuiſſet. Nec Agricola proſperitate rerum in vanitatem vſus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos continuiſſe: ne laureatis quidem geſta proſecutus eſt, ſed ipſa diſſimulatione famæ famam auxit, æſtimantibus quanta futuri ſpe tam magna tacuiſſet. Ceterum animorum prouinciæ prudens, ſimulq. doctus per aliena experimenta, parum profici armis ſi iniuriæ ſequerentur, cauſſas bellorum ſtatuit exſcindere. a ſe ſuisq. orſus, primam domum ſuam coercuit, quod pleriſque haud minus arduum eſt, quam prouinciam regere: nihil per libertos ſeruosq. publicæ rei: non ſtudijs priuatis, nec ex commendatione aut precibus centurionum milites aſcire, ſed optimum quemque fideliſſimum putare: omnia ſcire, non omnia exſequi: paruis peccatis veniam, magnis ſeueritatem commodare: nec pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitētia contentus eſſe. * officijs et adminiſtrationibus potius non peccaturos, quàm damnare cum peccaſſent. Frumenti et tributorum auctionum æqualitate munerum mollire, circumciſis quæ in quæſtum reperta, ipſo tributo grauius tolerabantur. namque per ludibrium aſſidere clauſis horreis, et emere vltro frumenta, ac vendere pretio cogebantur. deuortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates a proximis hibernis in remota et auia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat, paucis lucroſum fieret. Hæc primo ſtatim anno comprimendo, egregiam famam paci circumdedit: quæ vel incuria vel tolerantia priorum, haud minus quàm bellum timebatur. Sed vbi æſtas aduenit, contracto exercitu, militum in agmine laudare modeſtiam, disiectos coercere: loca caſtris ipſe capere, æſtuaria ac ſiluas ipſe prætentare: et nihil interim apud hoſtes quietum pati, quo minus ſubitis excurſibus popularetur. atque vbi ſatis terruerat, parcendo rurſus inuitamenta pacis oſtentare. Quibus rebus multæ ciuitates, quæ in illum diem ex æquo egerant, datis obſidibus, iram poſuere, et præſidijs caſtellisq. circumdatæ, tanta ratione curaq. vt nulla ante Britanniæ noua pars illaceſſita tranſierit. Sequens hiems ſaluberrimis conſilijs abſumpta. namque vt homines diſperſi ac rudes, eoq. bello faciles, quieti et otio per voluptates aſſueſcerent: hortari priuatim, adiuuare publice, vt templa, fora, domus exſtruerent, laudando promptos, et caſtigando ſegnes. ita honoris æmulatio, pro neceſſitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum ſtudijs Gallorum anteferre, vt qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent. inde etiam habitus noſtri honor, et frequens toga. paulatimq. diſceſſum ad delinimenta vitiorum, porticus, et balnea, et conuiuiorum elegantiam. idq. apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars ſeruitutis eſſet. Tertius expeditionum annus nouas gentes aperuit, vaſtatis vſque ad Taum (æſtuario nomen eſt) nationibus. qua formidine territi hoſtes quamquam conflictatum ſæuis tempeſtatibus exercitum, laceſſere non auſi. ponendisq. inſuper caſtellis ſpatium fuit. Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum ſapientius legiſſe, nullum ab Agricola poſitum caſtellum aut vi hoſtium expugnatum, aut pactione ac fuga deſertum. crebræ eruptiones. nam aduerſus moras obſidionis, annuis copijs firmabantur. ita intrepida ibi hiems, et ſibi quiſque præſidio, irritis hoſtibus, eoq. deſperantibus, quia ſoliti plerumque damna æſtatis hibernis euentibus penſare, tum æſtate atque hieme iuxta pellebantur. Nec Agricola vmquam per alios geſta auidus intercepit: ſeu centurio, ſeu perfectus, incorruptum facti teſtem habebat. Apud quoſdam acerbior in conuicijs narrabatur, vt bonis comis, ita aduerſus malos iniucundus. ceterum ex iracundia nihil ſupererat. ſecretum et ſilentium eius non timeres. honeſtius putabat offendere, quàm

 odiſſe.

diſſe. Quarta æſtas obtinendis quæ percurrerat inſumpta. ac ſi virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inuentus in ipſa Britannia terminus. Nam Glota et Bodotria diuerſi maris æſtu per immenſum reuecti, anguſto terrarum ſpatio dirimuntur. quod tum præſidijs firmabatur: atque omnis propior ſinus tenebatur, ſummotis velut in aliam inſulam hoſtibus. Quinto expeditionum anno naue prima tranſgreſſus, ignotas ad id tempus gentes crebris ſimul ac proſperis prælijs domuit: eamq. partem Britanniæ, quæ Hiberniam aſpicit, copijs inſtruxit, in ſpem magis quàm ob formidinem. ſi quidem Hibernia medio inter Britanniam atque Hiſpaniam ſita, et Gallico quoque mari opportuna, valentiſſimam imperij partem magnis inuicem vſibus miſcuerit. Spatium eius ſi Britanniæ comparetur anguſtius, noſtri maris inſulas ſuperat. Solum cælumq. et ingenia cultusq. hominum haud multum a Britannia differunt. melius aditus portusq. per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulſum ſeditione domeſtica vnum ex regulis gentis exceperat, ac ſpecie amicitiæ in occaſionem retinebat. Sæpe ex eo audiui, legione vna et modicis auxilijs debellari, obtineriq. Hiberniam poſſe. Idq. etiam aduerſus Britanniam profuturum, ſi Romana vbique arma, et velut e conſpectu libertas tolleretur. Ceterum æſtate, qua ſextum officij annũ inchoabat, ampla ciuitate trans Bodotriam ſita, quia motus vniuerſarum vltra gentium, et infeſta hoſtili exercitu itinera timebantur, portus claſſe explorauit: quæ ab Agricola primum aſſumpta in partem virium, ſequebatur egregia ſpecie, cum ſimul terra ſimul mari bellum impelleretur: ac ſæpe iiſdem caſtris pedes equesq. et nauticus miles mixti copijs et lætitia, ſua quiſque facta ſuos caſus attollerent: ac modo ſiluarum et montium profunda, modo tempeſtatum ac fluctuum aduerſa, hinc terra et hoſtis, hinc auctus Oceanus militari iactantia compararentur. Britannos quoque, vt ex captiuis audiebatur, viſa claſſis obſtupefaciebat, tamquam aperto maris ſui ſecreto vltimum victis perfugium clauderetur. Ad manus et arma conuerſi Caledoniam incolentes populi paratu magno, maiore fama, vti mos eſt de ignotis, oppugnaſſe vltro, caſtella adorti, metum vt prouocantes addiderant: regrediendumq citra Bodotriam, et excedendum potius, quàm pellerentur, ſpecie prudentium ignaui admonebant. cum interim cognoſcit, hoſtes pluribus agminibus irrupturos. Ac ne ſuperante numero, et peritia locorum circumirentur, diuiſo et ipſe in tres partes exercitu inceſſit. Quod vbi cognitum hoſti, mutato repente conſilio vniuerſi nonam legionem vt maxime inualidam, nocte aggreſſi inter ſomnum ac trepidationem, cæſis vigilibus, irrupere. Iamq. in ipſis caſtris pugnabant, cum Agricola iter hoſtium ab exploratoribus edoctus, et veſtigijs inſecutus, velociſſimos equitum peditumq. aſſultare tergis pugnantium iubet, mox ab vniuerſis adijci clamorem. et propinqua luce fulſere ſigna. ita ancipiti malo territi Britanni: et Romanis redit animus, ac ſecuri pro ſalute, de gloria certabant. vltro quinetiam irrupere. et fuit atrox in ipſis portarum anguſtijs prælium, donec pulſi hoſtes, vtroque exercitu certante, his vt tuliſſe opem, illis ne eguiſſe auxilio viderentur. quòd niſi paludes et ſiluæ fugientes texiſſent, debellatum illa victoria foret. Cuius conſtantia ac fama ferox exercitus: nihil virtuti ſuæ inuium, penetrandam Caledoniam, inueniendumq. tandem Britanniæ terminum continuo præliorum curſu fremebant: atque illi modo cauti ac ſapientes, prompti poſt euentum ac magniloqui erant iniquiſſima hæc bellorum condicio eſt; proſpera omnes ſibi vindicant, aduerſa vni imputantur. At Britanni non in virtute ſed occaſione et arte ducis rati, nihil ex arrogantia remittere, quo minus iuuentutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, cætibus ac ſacrificijs conſpirationem ciuitatum ſancirent. atque ita irritatis vtrimque animis diſceſſum. Eadem æſtate cohors Vſipiorum per Germanias conſcripta, in Britanniã tranſmiſſa, magnum ac memorabile facinus auſa eſt. Occiſo centurione ac militibus, qui ad tradendam diſciplinam immixti manipulis exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus aſcendere: et vno remigrante, ſuſpectis duobus eoq. interfectis, nondum vulgato rumore vt miraculum prouehebantur. mox hac atque illa rapti, et cum pleriſque Britannorum ſua defenſantium prælio congreſſi, ac ſæpe victores, aliquando pulſi, eo ad extremum inopiæ venere, vt infirmiſſimos ſuorum, mox ſorte ductos veſcerentur. atque ita circumuecti Britanniam, amiſſis per inſcitiam regendi nauibus, pro prædonibus habiti, primum a Sueuis, mox a Friſijs intercepti ſunt. ac fuere quos per commercia venumdatos, et in noſtram vſque ripam mutatione ementium adductos, indicium tanti caſus illuſtrauit. Initio æſtatis Agricola domeſtico vulnere ictus, anno an-

te natum filium amiſit. Quem caſum neque vt plerique fortium virorum ambitioſe, neque per lamenta rurſus ac mærorem muliebriter tulit. et in luctu bellum inter remedia erat. Igitur præmiſſa claſſe, quæ pluribus locis prædata, magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortiſſimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Grampium peruenit, quem iam hoſtes inſederant. Nam Britanni nihil fracti pugnæ prioris euentu, et vltionem aut ſeruitium expectantes, tandemq. docti commune periculum concordia propulſandum, legationibus et fœderibus omnium ciuitatum vires exciuerant. Iamq. ſuper triginta millia armatorum aſpiciebantur, et adhuc affluebat omnis iuuentus, et quibus cruda ac viridis ſenectus, clari bello, ac ſua quiſque decora geſtantes: cum inter plures duces virtute et genere præſtans, nomine Galgacus, apud contractam multitudinem prælium poſcentem, in hunc modum locutus fertur: Quotiens cauſſas belli et neceſſitatem noſtram intueor, magnus mihi animus eſt, hodiernum diem, conſenſumq. veſtrum, initium libertatis totius Britanniæ foræ. Nam et vniuerſi ſeruitutis expertes: et nullæ vltra terræ, ac ne mare quidem ſecurum, imminente nobis claſſe Romana: ita prælium atque arma, quæ fortibus honeſta, eadem etiam ignauis tutiſſima ſunt. Priores pugnæ, quibus aduerſus Romanos varia fortuna certatum eſt, ſpem ac ſubſidium in noſtris manibus habebant: quia nobiliſſimi totius Britanniæ, eoq. in ipſis penetralibus ſiti, nec ſeruientium litora aſpicientes, oculos quoque a contactu dominationis inuiolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos, receſſus ipſe ac ſinus famæ in hunc diem defendit: nunc terminus Britanniæ patet: atque omne ignotum, pro magnifico eſt. Sed nulla iam vltra gens, nihil niſi fluctus et ſaxa: et interiores Romani: quorum ſuperbiam fruſtra per obſequium et modeſtiam effugeris: raptores orbis, poſtquam cuncta vaſtantibus defuere terræ, et mare ſcrutantur: ſi locuples hoſtis eſt, auari: ſi pauper, ambitioſi: quos non Oriens, non Occidens, ſatiauerit: ſoli omnium, opes atque inopiam pari affectu concupiſcunt: auferre, trucidare, rapere falſis nominibus imperium: atque vbi ſolitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos ſuos natura chariſſimos eſſe voluit: hi per dilectus alibi ſeruituri auferuntur. Coniuges ſororesq. et ſi hoſtilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hoſpitum polluuntur. Bona fortunasq. in tributum egerunt; in annonam, frumentum: corpora ipſa ac manus, ſiluis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias conterunt. Nata ſeruituti mancipia ſemel veneunt, atque vltro a dominis aluntur: Britannia ſeruitutem ſuam quotidie emit, quotidie paſcit. At ſicut in familia recentiſſimus quiſque ſeruorum et conſeruis ludibrio eſt: ſic in hoc orbis terrarũ vetere famulatu, noui nos et viles in excidium petimur. Neque enim arua nobis, aut metalla, aut portus ſunt, quibus exercendis reſeruemur. Virtus porro ac ferocia ſubiectorum ingrata imperantibus: et longinquitas ac ſecretum ipſum, quo tutius, eo ſuſpectius. Ita ſublata ſpe veniæ, tandem ſumite animum, tam quibus ſalus, quàm quibus gloria chariſſima eſt. Brigantes, femina duce, exurere coloniam, expugnare caſtra: ac niſi felicitas in ſecordiam vertiſſet, exuere iugum potuere: nos integri et indomiti et libertatem non in præſentia laturi, primo ſtatim congreſſu vnde oſtendamus quos ſibi Caledonia viros ſepoſuerit. An eandem Romanis in bello virtutem, quam in pace laſciuiam adeſſe creditis? Noſtris illi diſceſſionibus ac diſcordijs clari, vitia hoſtium in gloriam exercitus ſui vertunt: quem contractum ex diuerſiſſimis gentibus, vt ſecundæ res tenent, ita aduerſæ diſſoluent: niſi ſi Gallos, et Germanos, et (pudet dictu) Britannorum pleroſque dominationi alienæ ſanguinem commodantes, diutius tamen hoſtes quàm ſeruos, fide et affectu teneri putatis: metus et terror eſt, infirma vincula charitatis: quæ vbi remoueris, qui timere deſierint odiſſe incipient. Omnia victoriæ incitamenta pro nobis ſunt: nullæ Romanos coniuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi ſunt: aut nulla pleriſque patria, aut alia eſt: paucos numero circum trepidos ignorantia, cælum ipſum ac mare et ſiluas ignota omnia circumſpectantes, clauſos quodam modo ac vinctos alij nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aſpectus, et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat. In ipſa hoſtium acie inueniemus noſtras manus: agnoſcent Britanni ſuam cauſſam: recordabuntur Galli priorem libertatem: deſerent illos ceteri Germani, tamquam nuper Vſipij reliquerunt. Nec quidquam vltra formidinis, vacua caſtella, ſenum coloniæ: inter male parentes et iniuſte imperantes, ægra municipia et diſcordantia: hic dux, hic exercitus: ibi tributa, et metalla, et ceteræ ſeruientium pœnæ, quas in æternum proferre, aut ſtatim vlciſci, in

hoc cam-

hoc campo eſt. Proinde ituri in aciem et maioreis veſtros, et poſteros cogitate. Excepe-
re orationem alactes, et barbari moris cantu et fremitu clamoribusq. diſſonis. Iamq. ag-
mina, et armorum fulgores audentiſſimi cuiuſque procurſu: ſimul inſtruebantur acies:
cum Agricola quamquam lætum et vix monitis coercitum militem ★ adhuc ratus, ita diſſe
ruit: Octauus annus eſt, commilitones, ex quo virtute et auſpicijs Imperij Romani fide
atque opera veſtra Britanniam viciſtis. tot expeditionibus, tot prælijs ſeu fortitudine ad-
uerſus hoſtes, ſeu patientia ac labore pœnæ aduerſus ipſam rerum naturam opus fuit. Ne-
que me militum, neque vos ducis pœnituit. Ergo egreſſi, ego veterum legatorum, vos
ptiorum exercituum terminos, finem Britanniæ non fama nec rumore, ſed caſtris et armis
tenemus. Inuenta Britannia, et ſubacta. Equidem in agmine, cum vos paludes monteſue
et flumina fatigarent, fortiſſimi cuiuſque vocem audiebam; quando dabitur hoſtis, quan-
do acies? Veniunt a latebris ſuis extruſi. et vota virtusq. in aperto, omniaq. prona victo-
ribus, atque eadem victis aduerſa. Nam vt ſuperaſſe tantum itineris, ſiluas euaſiſſe, tranſiſſe
æſtuaria, pulchrum ac decorum in frontem; ita fugientibus periculoſiſſima, quæ hodie pro-
ſperrima ſunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem
abundantia: ſed manus, et arma, et in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi de-
cretum eſt, neque exercitus neque ducis terga tuta eſſe. Proinde et honeſta mots turpi vita
potiot, et incolumitas ac decus eodem loco ſita ſunt. nec inglorium fuerit, in ipſo terrarum
ac naturæ fine cecidiſſe. Si nouæ gentes atque ignota acies conſtitiſſet, aliorum exercituum
exemplis vos hortarer: nunc veſtra decora recēſete, veſtros oculos interrogate. Ij ſunt, quos
ptoximo anno vnam legionem furto noctis aggreſſos, clamore debellaſtis: ij ceterorum
Britannorum fugaciſſimi, ideoq. tamdiu ſuperſtites. Quo modo ſiluas ſaltusq. penetran-
tibus fortiſſimum quodq. animal robore, pauida et inertia ipſo agminis ſono pelluntur: ſic
acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt: reliquus eſt numerus ignauorum et metuen-
tium. quos quod tandem inueniſtis, non reſtiterunt, ſed reprehenſi ſunt nouiſſimi, et extre-
mo metu corpora defixere in his veſtigijs, in quibus pulchram et ſpectabilem victoriam ede-
retis. Tranſigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem: ap-
probate Reip. numquam exercitui imputari potuiſſe, aut moras belli, aut cauſſas debellan-
di. Et alloquente adhuc Agricola, militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacri
tas conſecuta eſt, ſtatimq. ad arma diſcurſum. inſtructos ruenreſq. ita diſpoſuit, vt peditum
auxilia, quæ octo millia erant, mediam aciem firmarent: equitum tria millia cornibus affun
derentur. legiones pro vallo ſtetere, ingens victoriæ decus citra Romanum ſanguinem bel-
lanti, et auxilium, ſi pellerentur. Britannorum acies in ſpeciem ſimul ac terrorem editiori-
bus locis conſtiterant: ita vt primum agmen æquo, ceteri per accliue iugum connexi velut
inſurgerent: media campi conuinarius et eques ſtrepitu ac diſcurſu complebat. Tum Agri-
cola, ſuperante hoſtium multitudine, veritus, ne ſimul in frontē, ſimul et latera ſuorum pu-
gnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat, et arceſſendas plerique
legiones admonebant, promptior in ſpem, et firmus aduerſis, dimiſſo equo, pedes ante ve-
xilla conſtitit. Ac primo congreſſu eminus certabatur. ſimul conſtantia ſimul arte Bri-
tanni, ingentibus gladijs et breuibus cetris, miſſilia noſtrorum vitare, vel excutere, atque
ipſi magnam vim telorum ſuperfundere: donec Agricola tres Batauorum cohortes ac Tun
grorum duas cohortatus eſt, vt rem ad mucrones ac manus adducerent. quod et ipſis vetu-
ſtate militiæ exercitatum, et hoſtibus inhabile parua ſcuta et enormes gladios gerentibus.
nam Britannotum gladij ſine mucrone complexum armorum, et in aperto pugnam non
tolerabant. Igitur vt Bataui miſcere ictus, ferire vmbonibus, ora fœdare, et tractis qui in
æquo obſtiterant, erigere in colles aciem cœpere; ceteræ cohortes æmulatione et impetu
commiſtę proximos quoſque cædere. ac plerique ſemineces aut integri feſtinatione victoriæ
relinquebantur. Interim equitum turmæ fugere, couinarij peditum ſe prælio miſcuere: et
quamquam recentem terrorem intulerant, denſis tamē hoſtium agminibus et inęqualibus
locis hærebant: minimeq. equeſtris ea pugnæ facies erat, cum in gradu ſtantes ſimul equo-
rū corporibus impellerentur. ac ſæpe vagi currus, exterriti ſine rectoribus equi, vt quemque
formido tulerat, tranſuerſos, aut obuios incurſabant. Et Britanni, qui adhuc pugnæ exper-
tes ſumma collium inſederant, er paucitatem noſtrorum vacui ſpernebant, digredi paula-
tim et circumire terga vincentium cœperant: ni idipſum veritus Agricola quattuor equitū
alas ad ſubita belli retentas venientibus oppoſuiſſet; quantoq. ferocius accurrerant, tanto

acrius pulſos in fugam diſiecißet. Ita conſilium Britannorum in ipſos verſum. tranſuectæq. præcepto ducis a fronte pugnantium alæ, auerſam hoſtium aciem inuaſere. Tum vero patentibus locis grande et atrox ſpectaculum: ſequi, vulnerare, capere, atque eoſdem oblatis alijs trucidare. Iam hoſtium, prout cuiq. ingenium erat, cateruæ armatorũ paucioribus terga præſtare, quidam inermes vltro ruere, ac ſe morti offerre. Paßim arma, et corpora, et laceri artus, et cruenta humus, et aliquando etiam victis ira virtuſq.: poſtquam ſiluis appropinquarunt, collecti, primos ſequentium incautos et locorum ignaros circumueniebant. Quod ni frequens vbique Agricola, validas et expeditas cohortes indaginis modo, et ſicubi artiora erant; partem equitum dimißis equis, ſimul rariores ſiluas equitem perſultare iußißet, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Ceterum vbi compoſitos firmis ordinibus ſequi rurſus videre, in fugam verſi, non agminibus vt prius, nec alius alium reſpectantes, rari, et vitabundi inuicem, longinqua atque auia petiere. finis ſequendi nox et ſatietas fuit. cæſa hoſtium ad decem millia. noſtrorum trecenti quadraginta cecidere, in quis Aulus Atticus præfectus cohortis, iuuenili ardore et ferocia equi hoſtibus illatus. Et nox quidem gaudio prædaq. læta victoribus: Britanni palantes mixtoq. virorum mulierumq. ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deſerere domos, ac per iram vltro incendere: eligere latebras, et ſtatim relinquere: miſcere inuicem conſilia aliqua, dein ſperare aliquando frangi aſpectu pignorum ſuorum, ſæpius concitari. ſatiſq. conſtabat ſæuiße quoſdam in coniuges ac liberos, tamquam misererentur. Proximus dies faciẽ victoriæ latius aperuit. vaſtum vbique ſilentium, ſecreti colles. fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obius. quibus in omnem partem dimißis, vbi incerta fugæ veſtigia, neque vſquã conglobari hoſtes compertum, et exacta iam æſtate, ſpargi bellum nequibat, in fines Horeſtorum exercitum deducit. Ibi acceptis obſidibus, præfecto claßis circumuehi Britanniã præcepit. datæ ad id vires, et præceßerat terror. ipſe peditem atque equites lento itinere, quo nouatum gentiũ animi ipſa inſitus mora terrerentur, in hibernis locauit. Et ſimol claßis ſecunda tempeſtate ac fama Trutulenſem portum tenuit, vnde proximo latere Britanniæ lecto omni redietat. Hunc retum curſum, quamquam nulla verborum iactantia, epiſtolis Agricolæ actum, vt Domitiano moris erat, fronte lætus, pectore anxius excepit. Inerat conſcientia, deriſui fuiße nuper falſum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captiuorum ſpeciem formarentur; at nunc veram magnamq. victoriam, tot millibus hoſtiũ cęſis, ingenti fama celebrari. Id ſibi maxime formidoloſum, priuati hominis nomen ſupta principis attolli: fruſtra ſtudia fori, et ciuilium artium decus in ſilentium acta, ſi militarem gloriam occuparet: et cetera vtcumque facilius dißimulari, ducis boni imperatoriam virtutem eße. Talibus curis exercitus, quodq. ſæuæ cogitationis indicium erat, ſecreto ſuo ſatiatus, optimum in præſentia ſtatuit reponere odium, donec impetus famæ et fauor exercitus langueſceret: nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat. Igitur triumphalia ornamenta, et illuſtris ſtatuæ honorem, et quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in ſenatu iubet: addiq. inſuper opinionem, Syriã prouinciam Agricolæ deſtinari, vacuam tum morte Atilij Rufi conſularis, et maioribus reſeruatam. Credidere plerique libertum ex ſecretioribus miniſterijs mißum ad Agricolam, codicillos, quibus ei Syria dabatur, tuliße, cum præcepto, vt ſi in Britannia foret, traderentur: eumq. libertum in ipſo freto Oceani obuium Agricolæ, ne appellato quidem eo, ad Domitianum remeaße: ſiue verum iſtud, ſiue ex ingenio principis fictum ac compoſitum eſt. Tradiderat interum Agricola ſucceßori ſuo prouinciam quietam tutamq. Ac ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus eßet, vitato amicorum officio, noctu in vrbem, noctu in palatium, ita vt præceptum erat, venit: exceptusq. breui oſculo et nullo ſermone, turbæ ſeruientium immixtus eſt. Ceterum vt militate nomen, graue inter otioſos, alijs virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, ſermone facilis, vno aut altero amicorum comitatus: adeo vt plerique, quibus magnos viros per ambitionem æſtimare mos eſt, viſo aſpectoq. Agricola, quærerent famam, pauci interpretarentur. Crebro per eos dies apud Domitianum abſens accuſatus, abſens abſolutus eſt. cauſſa periculi non crimen vllum, aut querela læſi cuiſquam, ſed infenſus virtutibus princeps, & gloria viri, ac peßimum inimicorum genus, laudantes. Et ea inſecuta ſunt reipublicæ tempora, quæ ſileri Agricolam non ſinerent: tot exercitus in Mœſia Daciaq., et Germania Pannoniaq., temeritate aut per ignauiam

ducum amiſſi: tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti. nec iam de limite
imperij et ripa, ſed de hibernis legionum et poſſeſſione dubitatum. Ita cum damna damnis
continuarentur, atque omnis annus funeribus et cladibus inſigniretur, poſcebatur ore vulgi
dux Agricola: comparantibus cunctis vigorem, conſtantiam, et expertum bellis animum,
cum inertia et formidine eorum. Quibus ſermonibus ſatis conſtat Domitiani quoque au-
res verberatas, dum optimus quiſque libertorum amore et fide, peſſimi malignitate et li-
uore, pronum deterioribus principiem exſtimulabant. Sic Agricola ſimul ſuis virtutibus,
ſimul vitijs aliorum, in ipſam gloriam præceps agebatur. Aderat iam annus, quo procon-
ſulatum Aſiæ et Africæ ſortiretur, et occiſo Ciuica nuper, nec Agricolæ conſilium deerat,
nec Domitiano exemplum. Acceſſere quidam cogitationum principis periti, qui iturus
ne eſſet in prouinciam, vltro Agricolam interrogarent. ac primo occultius quietem et otiũ
laudate, mox operam ſuam in approbanda excuſatione offerre: poſtremo non iam obſcu-
ri, ſuadentes ſimul terrentesq. pertraxere ad Domitianum. qui paratus ſimulatione, in ar-
rogantiam compoſitus, et audijt preces excuſantis, et cum annuiſſet, agi ſibi gratias paſſus
eſt: nec erubuit beneficij inuidia. ſalarium tamen proconſulari ſolitum offerri, et quibuſ-
dam a ſeipſo conceſſum, Agricolæ non dedit: ſiue offenſus non petitum, ſiue ex conſcien-
tia, ne quod vetuerat videretur emiſſe. Proprium humani ingenij eſt, odiſſe quem læſeris:
Domitiani vero natura præceps in iram, et quo obſcurior eo irreuocabilior, moderatione
tamen prudentiaq. Agricolæ leniebatur: quia non contumacia, neque inani iactatione
libertatis famam fatumq. prouocabat. Sciant quibus moris illicita mirari, poſſe etiam ſub
malis principibus magnos viros eſſe: obſequiumq. ac modeſtiam, ſi induſtria ac vigor ad-
ſint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, ſed in nullum rei poſt vſum, ambitioſa
morte inclaruerunt. Finis vitæ eius nobis luctuoſus, amicis triſtis, extraneis etiam ignotiſq.
non ſine cura fuit. Vulgus quoque, et hic aliud agens populus, et ventitauere ad domum,
et per fora et circulos locuti ſunt: nec quiſquam audita morte Agricolæ, aut lætatus eſt,
aut ſtatim oblitus eſt. Augebat miſerationem conſtans rumor, veneno interceptum. No-
bis nihil comperti, affirmare auſim. ceterum per omnem valetudinem eius, crebrius quàm
ex more principatus per nuncios viſentis, et libertorum primi, et medicorum intimi venere:
ſiue cura illud, ſiue inquiſitio erat. Supremo quidem die momenta deficientis per diſpoſitos
curſores nunciata conſtabat, nullo credente, ſic accelerari, quæ triſtis audiret. Speciem ta-
men doloris animo vultuq. præ ſe tulit, ſecurus iam odij, et qui facilius diſſimularet gau-
dium quàm metum. Satis conſtabat, lecto teſtamento Agricolæ, quo coheredem optimæ
vxori et pijſſimæ filiæ Domitianum ſcripſit, lætatum eum, velut honore iudicioq.: tam
cæca et corrupta mens aſſiduis adulationibus erat, vt neſciret a bono patre non ſcribi here-
dem niſi malum principem. Natus erat Agricola Caio Cæſare tertium conſ. idibus Iu-
nijs: exceſſit ſexto & quinquageſimo anno, decimo kalen. Septembres Collega Priſcoq.
C o s s. Quòd ſi habitum quoque eius poſteri noſcere velint, decentior quàm ſublimior fuit.
nihil metus in vultu. gratia oris ſupererat. bonum virum facile crederes, magnum liben-
ter. Et ipſe quidẽ, quamquã medio in ſpatio integræ ætatis ereptus, quantum ad gloriã lon-
giſſimum æuum peregit. Quippe & vera bona, quæ in virtutibus ſita ſunt, impleuerat, &
Conſularibus ac Triumphalibus ornamentis prædito, quid aliud adſtruere fortuna pote-
rat? Opibus nimijs non gaudebat, ſpecioſæ contigerant. filia atque vxore ſuperſtitibus,
poteſt videri etiam beatus incolumi dignitate, florente fama, ſaluis affinitatibus et amici-
tijs, futura effugiſſe. Nam ſicuti durare in hac beatiſſimi ſæculi luce, ac principem Traia-
num videre, augurio votiſq. apud noſtras aures ominabatur: ita feſtinatæ mortis grande
ſolatium tulit, euaſiſſe poſtremum illud tempus, quo Domitianus non iam per interualla
ac ſpiramenta temporum, ſed continuo et velut vno ictu rempublicam exhauſit. Non vi-
dit Agricola obſeſſam curiam, et clauſum armis ſenatum, et eadem ſtrage tot conſulariũ
cædes, tot nobiliſſimarum feminarum exſilia et fugas. Vna adhuc victoria Carus Metius
cenſebatur, et intra Albanam villam ſententia Meſſalini ſtrepebat, et Maſſa Bebius iam
tum reus erat. Mox noſtræ duxere Heluidium in carcerem manus. Nos Maurici, Ruſticiq.
viſus, nos innocenti ſanguine Senecio perfudit. Nero tamen ſubtraxit oculos, iuſſitq.
ſcelera, non ſpectauit. præcipua ſub Domitiano miſeriarum pars erat, videre et aſpici: cum
ſuſpiria noſtra ſubſcriberentur: cum denotandis tot hominum palloribus ſufficeret ſæuus
ille vultus et rubor, a quo ſe contra pudorem muniebat. Tu vero felix Agricola non vitæ

tantum claritate, ſed etiam opportunitate mortis. vt perhibent qui interfuerunt nouiſſimis ſermonibus tuis, conſtans et libens fatum excepiſti, tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiæq. præter acerbitatem parentis erepti auget mæſtitiam, quòd aſſidere valetudini, fouere deficientem, ſatiari vultu, complexu, non contigit. excepiſſem certe mandata vocesq. quas penitus animo figeremus. noſter hic dolor, noſtrum vulnus. nobis tam longæ abſentiæ conditione ante quadriennium amiſſus es. Omnia ſine dubio, optima parentum aſſidente amantiſſima vxore, ſuperfuere honori tuo. paucioribus tamen lacrymis compoſitus es, et nouiſſima in luce deſiderauere aliquid oculi tui. Si quis piorum manibus locus, ſi, vt ſapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ; placide quieſcas, nos domum tuam ab infirmo deſiderio, et muliebribus lamẽtis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri, neque plangi fas eſt: admiratione te potius temporalibus laudibus, et ſi natura ſuppeditet, militum decoramus. Is verus honos, ea coniunctiſſimi cuiuſque pietas. Id filiæ quoque vxoriq. præceperim, ſic patris, ſic mariti memoriam venerari, vt omnia facta dictaq. eius ſecum reuoluant, famamq. ac figuram animi magis quàm corporis complectantur: non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore aut ære finguntur, ſed vt vultus hominum, ita ſimulacra vultus imbecilla ac mortalia ſunt, forma mentis æterna, quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, ſed tuis ipſe moribus poſſis. Quidquid ex Agricola amauimus, quidquid mirati ſumus, manet, manſurumq. eſt in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum velut inglorios et ignobiles obliuio obruet, Agricola poſteritati narratus et traditus ſuperſtes erit.

FABII QVINCTILIANI,

VT VIDETVR, DIALOGVS;

An ſui ſæculi Oratores antiquis, et quare concedant: Cornelio Tacito vulgo inſcriptus.

SÆPE ex me requiris, Iuſte Fabi, cur cum priora ſæcula tot eminentium oratorum ingenijs gloriaq. effloruerint, noſtra potiſſimum ætas deſerta, et laude orbata, vix nomen ipſum oratoris retineat: neque enim ita appellamus niſi antiquos. Horum autem temporum diſerti, cauſſidici, et aduocati, et patroni, et quiduis potius quàm oratores vocantur. Cui percontationi tuæ reſpondere, et tam magnæ quæſtionis pondus excipere, vt aut de ingenijs noſtris male exiſtimandum ſit, ſi idem aſſequi non poſſumus, aut de iudicijs, ſi nolumus, vix hercule auderem, ſi mea ſententia proferenda, ac non diſertiſſimorum vt noſtris temporibus hominum ſermo repetendus eſſet, quos eandem hanc quæſtionem pertractantes, iuuenis admodum audiui. Ita non ingenio, ſed memoria ac recordatione opus eſt, vt quæ a præſtantiſſimis viris excogitata ſubtiliter, et dicta grauiter accepi, cum ſinguli diuerſas vel eaſdem, ſed probabiles cauſſas afferrent, dum formam ſui quiſque et animi, et ingenij redderet, iiſdem nunc numeris, iiſdemq. rationibus perſequar, ſeruato ordine diſputationis: neque enim defuit, qui diuerſam quoque partem ſuſciperet, ac multum vexata et irriſa vetuſtate, noſtrorum temporum eloquentiam antiquorum ingenijs anteferret. Nam poſtero die quàm accuratius Maternus Catonem recitauerat, cum offendiſſe potentium animos diceretur, tamquam in eo tragœdiæ argumento ſui oblitus, tantum Catonem cogitaſſet, eaq. de re per vrbem frequens ſermo haberetur, venerunt ad eum M. Aper, et Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori noſtri: quos ego in iudicijs non vtroſque modo ſtudioſe audiebam, ſed domi quoque et in publico. aſſectabar mira-

mira ſtudiorum cupiditate, et quodam ardore iuuenili, vt fabulas quoque eorum et diſputationes, et arcana ſemotæ dictionis penitus exciperem: quamuis maligne plerique opinarentur, nec Secundo promptum eſſe ſermonem, et Aprũ ingenio potius et vi naturæ, quàm institutione et litteris famam eloquentiæ conſecutum. Nam et Secundo purus, et preſſus, et, in quantum ſatis erat, profluens, ſermo non defuit. Et Aper communi eruditione imbutus, contemnebat potius litteras quàm neſciebat, tamquam maiorem induſtriæ et laboris gloriam habiturus, ſi ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur. Igitur vt intrauimus cubiculum Materni, ſedentem ipſum, quem pridie recitauerat librum, intra manus habentem, deprehendimus.

Tum Secundus: Nil ne te, inquit, Materne fabulæ malignorum terrent: quo minus offenſas Catonis tui ames? An ideo librum iſtum apprehendiſti, vt diligentius retractares, et ſublatis ſi quæ prauam intrepretandi materiam dederunt, emitteres Catonem non quidem meliorem, ſed tamen ſecuriorem? Tum ille: Leges tu quidem, ſi volueris et agnoſces quæ audiſti. quòd ſi qua omiſit Cato, ſequenti tractatione Thyeſtes dicet. Hanc enim tragœdiã diſpoſui iam, et intra me ipſe formaui. Atque ideo maturare libri huius editionem feſtino, vt dimiſſa priore cura, nouæ cogitationi toto pectore incumbam. Adeo te tragœdiæ iſtæ non ſatiant, inquit Aper, quo minus omiſſis orationum et curarum ſtudijs, omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyeſtem conſumas? cum tot amicorum cauſſæ, tot coloniarum et municipiorum clientelæ in forum vocent, quibus vix ſufficeres, etiam ſi non nouum tibi ipſe negotium importaſſes, Domitium et Catonem: id eſt, noſtras quoque hiſtorias et Romana nomina Græcorum fabulis aggregares. Et Maternus: Perturbarer hac tua ſeueritate, niſi frequens ac aſſidua nobis contentio iam prope in conſuetudinem vertiſſet. Nam nec tu agitare et inſequi poetas intermittis, et ego, cui deſidiam aduocationũ obijcis, quotidianum hoc patrocinium defendendæ aduerſus te poeticæ exerceo. Quò lætor magis oblatum nobis iudicem, qui me vel in futurum vetet verſus facere, vel quod iampridem opto, ſua quoque auctoritate compellat, vt omiſſis forenſium Muſarum anguſtijs, in quibus ſatis mihi ſuperq. ſudatum eſt, ſanctiorem iſtam et anguſtionem eloquentiam colam. Ego vero, inquit Secundus, ante quàm me iudicem Aper recuſet, faciam quod probi et modeſti iudices ſolent, vt in his cognitionibus excuſent, in quibus manifeſtum eſt, alteram apud eos partem gratiæ præualere. Quis enim neſcit, neminem mihi coniunctiorem eſſe et vſu amicitiæ, et aſſiduitate contubernij quàm Saleium Baſſum, cum optimum virum tum abſolutiſſimum poetam? porro ſi poetica accuſatur, non alium video reum locupletiorem. Securus ſit, inquit Aper, et Saleius Baſſus, et quiſquis alius ſtudium poeticæ et carminum gloriam fouet, cum cauſſas agere non poſſit. et ego enim quatenus arbitrium litis huius inueniri non patiar, Maternum ſolicite plurimum defendi ſed et ipſum ſolum apud eos arguã, quòd natus ad eloquentiam virilem et oratoriam, qua parare ſimul et tueri amicitias, adſciſcere nationes, complecti prouincias poſſit, amittit ſtudium, quo non aliud in ciuitate noſtra vel ad vtilitatem fructuoſius, vel ad dignitatem amplius, vel ad vrbis famam pulchrius, vel ad totius imperij atque omnium gentium notitiam illuſtrius excogitari poteſt. Nam ſi ad vtilitatem vitæ omnia conſilia, facta noſtra dirigẽda ſunt; quid erit tutius quàm eam exercere artem, qua ſemper armatus præſidium amicis, opem alienis, ſalutem periclitantibus; inuidis vero et inimicis metum et terrorẽ vltro feras, ipſe ſecurus et velut quadã perpetua potentia ac poteſtate munitus? cuius vis et vtilitas rebus prope fluentibus aliorum, præſidio et tutela intelligitur. ſin proprium periculum increpuit: non hercule lorica aut gladius in acie firmius munimentum, quàm reo et periclitanti eloquentiæ præſidium ſimul et telum, quo propugnare pariter et inceſſere, vel in iudicio, ſiue in ſenatu, ſiue apud principem poſſis. Quid aliud infeſtis patribus nuper Eprius Marcellus, quàm eloquentiam ſuam oppoſuit? qui accinctus et minax diſertam quidem, ſed inexercitatam et eiuſmodi certaminum rudem Heluidij ſapientiam eluſit. Plura de vtilitate non dico, cui parti minime contradicturum Maternum meum arbitrer. Ad voluptatem oratoriæ eloquentiæ tranſeo, cuius iucunditas non vno aliove momento, ſed omnibus prope diebus et prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero et ingenuo animo, et ad voluptates honeſtas nato, quàm videre plenam ſemper et frequentem domum concurſu ſplendidiſſimorum hominum, idq. ſcire, non pecuniæ, non orbitati, neque officij alicuius adminiſtrationi, ſed ſibijpſi dari? illos quinimmo orbos et locupletes et potentes venire plerumque ad

iuuenem et pauperem, vt aut ſua aut amicorum diſcrimina commendent. Vlla negata ingentium opum ac magnæ potentiæ voluptas, quam ſpectare homines veteres, et ſenes, et totius orbis gratia ſubnixos, in ſumma omnium rerum abundantia confitentes id quod optimum ſit ſe non habere? Iam vero qui togatorum comitatus et egreſſus? quæ in publico ſpecies? quæ in iudicijs veneratio? quod gaudium conſurgendi aſſiſtendiq. inter tacentes, in vnũ conuerſos: coire populum et circumfundi coram, et accipere affectũ quemcumque orator induerit? Vulgata dicentium gaudia et imperitorum quoque oculis expoſita percenſeo. Illa ſecretiora, et tantum ipſis orantibus nota, maiora ſunt. Siue accuratam meditatamq. affert orationem, eſt quoddam ſicut ipſius dictionis, ita gaudij pondus et conſtantia: ſiue nouam et recentẽ curam non ſine aliqua trepidatione animus attulerit, ipſa ſolicitudo commendat euentum, et lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciæ, atque ipſius temeritatis vel præcipua iucunditas eſt. Nam ingenio quoque ſicut in agro, quamquam alia diu ſerantur atque elaborentur, gratiora tamen, quæ ſua ſponte naſcuntur. Equidem vt de meipſo fatear, non eum diem lætiorem egi, quo mihi latus clauus oblatus eſt, vel quo homo nouus et in ciuitate minime fauorabili natus quæſturam, aut tribunatum, aut præturã accepi, quàm eos, quibus mihi pro mediocritate huius quantulæcũque in dicendo facultatis, aut reũ proſpere defendere, aut apud Centumuiros cauſſam aliquam feliciter orare, aut apud Principem ipſos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur. Tum mihi ſupra tribunatus et præturas et conſulatus aſcendere videor, tum abire: quod ſi non in alio oritur, nec in codicillis datur, nec cum gratia venit. Quæ fama et laus cuiuſuis artis cum oratorum gloria comparanda eſt, qui non illuſtres in vrbe ſolum apud negotioſos et rebus intentos, ſed etiam apud iuuenes et adoleſcentes, quibus morum indoles eſt et bona ſpes ſui? Quorum nomina prius parentes liberis ſuis ingerunt? quos ſæpius vulgus imperitum et tunicatus hic populus tranſeunteis nomine vocat, et digito demonſtrat? Aduenæ quoque et peregrini iam in municipijs et colonijs ſuis auditos, cum primum vrbẽ attigerunt, requirunt ac vultus agnoſcere concupiſcunt. Auſim contendere Marcellum hũc Eptium, de quo modo locutus ſum, et Criſpum Vibium (libentius enim nouis et recentibus quàm remotis et oblitteratis exemplis vtor) non minus eſſe in extremis partibus terrarum, quàm Capuæ aut Vercellis, vbi nati dicuntur, nec hoc illis alterius ter millies ſeſtertium præſtat, quamquam ad has ipſas opes poſſunt videri eloquentiæ beneficio veniſſe. Ipſa eloquentia, cuius numen et cæleſtis vis multa quidem omnibus ſæculis exempla edidit, ad quantã vſque fortunam homines ingenij viribus peruenerint. Sed hæc, vt ſupra dixi, proxima, et quæ non auditu cognoſcenda, ſed oculis ſpectanda habemus. Nam quo ſordidius et abiectius nati ſunt, quoque notabilior paupertas et anguſtia rerum naſcentes eos circumſteterunt, eo clariora et ad demonſtrandam oratoriæ eloquentiæ vtilitatem illuſtriora exempla ſunt, quòd ſine commendatione natalium, ſine ſubſtantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus, per multos iam annos potentiſſimi ſunt ciuitatis ac donec libuit principes fori, nunc principes in Cæſaris amicitia agunt feruntq. cuncta, atque ab ipſo principe cum quadã teuerentia diliguntur. Quia Veſpaſianus venerabilis ſenex et patientiſſimus veri, bene intelligit, ceteros quidem amicos ſuos niti ijs, quæ ab ipſo acceperint, quæq. ipſi accumulare, et in alios congerere promptum eſt: Marcellum autem et Criſpum attuliſſe ad amicitiam ſuam quod non a principe acceperint, nec accipi poſſit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines, ac tituli et ſtatuæ, quæ neque ipſa tamen negliguntur, tam hercule quàm diuitiæ et opes, quas facilius inuenies qui vituperet, quàm faſtidiat. His igitur et honoribus et ornamentis, et facultatibus refertas domos eorũ videmus, qui ſe ab ineunte adoleſcentia cauſſis forenſibus et oratorio ſtudio dederunt. Nam carmina et verſus, quibus totam vitam Maternus inſumere optat (inde enim omnis fluxit oratio) neque dignitatem vllam auctoribus ſuis conciliant, neque vtilitates alunt. Voluptatem autem breuem, laudem inanem et infructuoſam conſequuntur: licet hæc ipſa et quæ deinde dicturus ſum, aures tuæ o Materne reſpuant, cui bono eſt ſi apud te Agamemnon aut Iaſon diſerte loquitur: quis ideo domum defenſus, et tibi obligatus redit? Quis Saleium noſtrum egregium poetam vel (ſi hoc honorificentius eſt) præclariſſimum vatem deducit, aut ſalutat, aut proſequitur? Nempe ſi amicus eius, ſi propinquus, ſi denique ipſe in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret, aut ad te Materne, non quia poeta es, neque vt pro eo verſus facias. hi enim Baſſo domi naſcuntur, pulchri quidem et iucundi. quorũ

tamen hic exitus eſt, vt cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, vnum librũ extudit et elucubrauit, rogare vltro et ambire cogatur, vt ſint qui dignentur audire, et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur et auditorium exſtruit, et ſubſellia conducit, et libellos diſpergit: et vt beatiſſimus recitationum eius euentus proſequatur: omnis illa laus intra vnum aut alterum diem velut in herba vel flore præcepta, ad nullam certam et ſolidam peruenit frugem: nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut manſurum in animo cuiuſquam beneficium, ſed clamorem vagum, et voces inanes, et gaudium volucre. Laudauimus nuper vt miram et eximiam Veſpaſiani liberalitatem, quòd quingenta ſeſtertia Baſſo donaſſet. Pulchrum id quidem, indulgenriam principis ingenio mereris quanto tamen pulchtius, ſi ita res familiaris exigat, ipſum ſe ipſum colere, ſuum genium propitiare, ſuam experiri liberalitatem? Adijce quod poetis, ſi modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conuerſatio amicorum, et iucundiras vrbis, deſerenda cetera officia, vtq. ipſi dicunt, in nemora et lucos, id eſt, in ſolitudinem recedendum eſt, Nec opinio quidem et fama, cui ſoli ſeruiunt, et quod vnum eſſe pretium omnis ſui laboris fatentur, æque poetas quàm oratores ſequitur, quoniam mediocreis poetas nemo nouit, bonos pauci. Quando enim rariſſimarum recitationum fama in totam vrbem penetrat? nedum vt per tot prouincias innoteſcat? quotus quiſque cum ex Hiſpania vel Aſia, ne quid de Gallis noſtris loquamur, in Vrbem venit, Saleium Baſſum requirit? atque adeo ſi quis requirit et ſemel vidit, rranſit et contentus eſt, vt ſi picturam aliquam vel ſtatuam vidiſſet. Neque hunc meum ſermonem ſic accipi volo, tamquam eos, quibus natura ſua oratorum ingenium denegauit, deterream a carminibus, ſi modo in hac ſtudiorum parte oblectare otium et nomen inſerere poſſunt famæ. Ego vero omnem eloquentiam omneſq. eius partes ſacras et venerabiles puto. Nec ſolum cothurnum veſtrum, aut heroici carminis ſonum, ſed lyricotum quoque iucunditatem, et elegorum laſciuias, et iamborum amarirudinem, epigrammatum luſus, et quamcumque aliam ſpeciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium ſtudijs credo. ſed tecum mihi Materne res eſt, quòd cum natura tua in ipſam arcem eloquentiæ ferat, errare mauis, et ſumma adeptus, in leuioribus ſubſiſtis. Vt ſi in Græcia natus eſſes, vbi ludicras quoque artis exercere honeſtum eſt, ac tibi Nicoſtrati robur ac vires dij dediſſent, non pareter immanes illos ad pugnam natos lacertos, leuitate iaculi, aut iactu diſci vaneſcere: ſic nunc te ab auditorijs et theatris, in forum et ad cauſſas, et ad vera prælia voco: cum præſertim ne ad id quidẽ confugere poſſis, quod pleriſque patrocinatur, tamquam minus obnoxium ſit offendere poetarum quàm oratorum ſtudium. Efferueſcit enim vis pulcherrimæ naturæ tuæ, nec pro amico aliquo, ſed quod periculoſius eſt, pro Catone offendis. nec excuſatur offenſa neceſſirudine officij, aut fide aduocationis, aut fortunæ et ſubitæ dictionis impetu: meditatus videris elegiſſe perſonam notabilem et cum auctoritate dicturam. Sentio quid reſponderi poſſit, hinc ingentis ex his aſſenſus, hic in ipſis auditorijs præcipue laudari, et mox omnium ſermonibus ferri. Tolle igitur quietis et ſecuritatis excuſationem, cum tibi ſumas aduerſarium ſuperiorem. nobis ſatis ſit priuatas et noſtri ſæculi controuerſias tueri, in quibus expreſſis ſi quando neceſſe ſit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata ſit fides et libertas excuſata.

Quæ cum dixiſſet Aper acrius, vt ſolebat, et intento ore, remiſſus et ſubridens Maternus: Paraui, inquit, me non minus diu accuſare oratores, quàm Aper laudat. Fore enim arbitrabar vt a laudatione eorum degreſſus detractaret poetas, atque carminum ſtudium poſterneret: arte quadam mitigauit concedendo his, qui cauſſas agere non poſſent, vt verſus facerent. Ego autem ſicut in cauſſis agendis efficere aliquid et eniti fortaſſe poſſum, ita recitatione tragœdiarum ingredi famam auſpicatus ſum, tum quidem cum in Nerone improbam et ſtudiorum quoque ſacra profanantem vaticinij potentiam fregi. hodie ſi quid in nobis notitiæ ac nominis eſt, magis arbitror carminum quàm orationum gloria partum. ac iã me deiungere a forenſi labore conſtitui, nec comitatus iſtos et egreſſus aut frequentiam ſalutationum concupiſco, non magis quàm æra et imagines, quæ etiam iam, me nolente, in domum meam irruperunt. Nam ſtatum cuiuſque ac ſecuritatem melius innocentia tueor quàm eloquentia. nec vereor, ne mihi vnquam verba in ſenatu niſi pro alterius diſcrimine facienda ſint. Nemora vero, et luci, et ſecretum ipſum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, vt inter præcipuos carminum fructus numerẽ, quòd nec in ſtrepitu, nec, ſedente ante oſtium litigatore, nec inter ſordes ac lachrymas reorum componuntur: ſed

ſecedit

ſecedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturq. ſedibus ſacris. Hæc eloquentiæ
primordia, hæc penetralia: hoc primum habitu cultuq. commoda mortalibus, in illa caſta
et nullis contacta vitijs pectora influxit. ſic oracula loquebantur. Nam lucroſæ huius et
ſanguinantis eloquentiæ vſus, recens et malis moribus natus, atque, vt tu dicebas Aper,
in locum teli repertus. Ceterum felix illud et, vt more noſtro loquar, aureum ſæculum et
oratorum et criminum inops, poetis et vatibus abundat, qui benefacta canerent, non qui
male admiſſa defenderent. Nec vllis aut gloria maior aut anguſtior honor primum apud
deos, quorum proferre reſponſa et intereſſe epulis ferebantur: deinde apud illos dijs geni-
tos ſacroſq. reges, inter quos neminem cauſſidicorũ, ſed Orphea ac Linum, ac ſi introſpi-
cere altius velis, ipſum Apollinem accepimus. vel ſi hæc fabuloſa nimis et compoſita vi-
dentur, illud certe mihi concedis Aper, non minorẽ honorem Homero quàm Demoſtheni
apud poſteros, nec anguſtioribus terminis famam Euripidis, aut Sophoclis, quàm Lyſiæ
aut Hyperidis includi. plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam, quàm Virgilij detra-
ctẽt. Nec vllus Aſinij aut Meſſallæ liber tã illuſtris eſt, quàm Medea Ouidij, aut Varij Thye-
ſtes. Ac ne fortunã quidẽ vatum, et illud felix cuntuberniũ comparare timuerim cũ inquie-
ta et anxia oratorũ vita. licet illos certamina et pericula ſua ad cõſulatus euexerint: malo
ſecurum et ſecretum Virgilij ſeceſſum, in quo tamen neque apud diuum Auguſtum gra-
tia caruit, neque apud populũ Romanũ notitia. Teſtes Auguſti epiſtolæ, teſtis ipſe populus,
qui auditis in theatro verſibus Virgilij, ſurrexit vniuerſus, et forte præſentem ſpectantemq.
Virgilium veneratus eſt, ſic quaſi Auguſtum. Ne noſtris quidẽ temporibus Secundus Pom-
ponius Afro Domitio vel dignitate vitæ vel perpetuitate famæ ceſſerit. Nã Criſpus et Mar-
cellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac præſenti fortuna concupiſcendũ?
an quòd timent; an quòd timentur? quòd cũ quotidie aliquid rogentur, hi, quibus præſtant,
indignantur? quòd alligati cum adulatione, nec imperantibus vnquã ſatis ſerui videntur,
nec nobis ſatis liberi? Quæ hæc ſumma eorum potentia eſt? tantum poſſe liberti ſolent. Me
vero dulces, vt Virgilius ait, Muſæ remotum a ſolicitudinibus, et curis, et neceſſitate quo-
tidie aliquid contra animum faciendi, in illa ſacra illoſq. fontes ferant: nec inſanum vltra
et lubricum forum famamq. pallentem trepidus experiar. Non me fremitus ſalutantium,
nec anhelans libertus excitet: nec incertus futuri, teſtamentũ pro pignore ſcribam. nec plus
habeã quàm quod poſſim cui velim relinquere: quandocumq. fatalis et meus dies veniet.
ſtatuarq. tumulo non mæſtus et atrox, ſed hilaris et coronotus. et pro memoria mei, nec
conſulat quiſquam nec toget. Vix dum finierat Maternus concitatus et velut inſtinctus, cũ
Vipſanius Meſſalla cubiculum eius ingreſſus eſt, ſuſpicatuſq. ex ipſa intentione ſingulorũ
altiorem inter eos eſſe ſermonem: Num parum tempeſtiuus, inquit, interueni, ſecretũ con-
ſilium et cauſſæ alicuius meditationem tractantibus? Minime minime, inquit Secundus,
atque adeo vellem maturius interueniſſes. delectaſſet enim te et Apri noſtri accuratiſſimus
ſermo, cum Maternum, vt omne ingenium ac ſtudium ſuũ ad cauſſas agendas conuerteret,
exhoratus eſt: et Materni pro carminibus ſuis læta, vtq. poetas defendi decebat audentior,
poetarum quàm oratorũ ſimilior oratio. Me vero, inquit, et ſermo ipſe infinita voluptate
affeciſſet, atque id ipſum delectat, quòd vos viri optimi et temporum noſtrorum oratores,
non forenſibus tantum negotijs, et declamatorio ſtudio ingenia veſtra exercetis, ſed eiuſ-
modi etiam diſputationes adiungitis, quæ et ingenium alunt et eruditionem, et litterarum
iucundiſſimum oblectamentũ cum vobis, qui illa diſputatis, afferũt: tum etiam his, ad quo-
rum aures peruenerint. Itaque hercule non minus probari video in te Secunde quòd Iulij
Aſiatici vitam componendo, ſpem hominibns feciſti plurium eiuſmodi librorum, quàm in
Apro quòd nondum a ſcholaſticis controuerſijs receſſit; et otium ſuum mauult nouorũ rhe
torum more, quàm veterum oratorum conſumere. Tum Aper: Non deſinis Meſſalla ve-
tera tantum et antiqua mirari, noſtrorum autem temporũ ſtudia irridere atque contemne-
re? Nam hunc tuũ ſermonem ſæpe excepi, cum oblitus et tuæ et fratris tui eloquentiæ, ne-
minem hoc tempore oratorẽ eſſe contenderes. Antiquis eo credo audacius, quòd maligni
in ijs opinionem non verebaris, cum eam gloriam, quam tibi alij concedunt, ipſe tibi dene-
gares. Neque illius, inquit, ſermonis mei pœnitentiam ago, neque aut Secundum, aut Ma-
ternum aut teipſum Aper, quamquam interdum in contrariũ diſputes, aliter ſentire credo.
Ac velim impetratum ab aliquo veſtrum, vt cauſſas huius infinitæ differentiæ ſcrutetur ac
reddat, quas mecum ipſe plerumque conquiro. et quod quibuſdam ſolatio eſt, mihi auget

quæſtionem: quia video etiam Graijs accidiſſe, vt longius abſit Æſchine et Demoſthene ſacerdos iſte Nicetes, et ſi quis alius Epheſum vel Mitylenas contentus ſcholaſticorum clamoribus quatit, quàm Afer, aut Africanus, aut vos ipſi a Cicerone, aut Aſinio receſſiſtis: Magnam, inquit Secundus, et dignam tractatu quæſtionem mouiſti: ſed quis eam iuſtius explicauerit quàm tu, ad cuius ſummã eruditionem et præſtantiſſimũ ingeniũ cura quoque et meditatio acceſſit? Et Meſſalla: Aperiam, inquit, cogitationes meas, ſi illud a vobis ante impetrauero, vt vos quoque ſermonem hunc noſtrum adiuuetis: Pro duobus, inquit Maternus, promitto. nam et ego et Secundus exſequemur partes, quas intellexerimus te non tam omiſiſſe quàm nobis reliquiſſe. Aprum enim ſolere diſſentire, et tu paulo ante dixiſti, et ipſe ſatis manifeſtus eſt iamdudum in contrarium accingi, nec æquo animo perferre hãc noſtram pro antiquorum laude concordiam: Non enim, inquit Aper, inauditum et indefenſum ſæculum noſtrum patiar hac veſtra conſpiratione damnari. Sed hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum ætatem ſignificatione iſta determinetis? Ego enim cũ audio antiquos, quoſdã veteres et olim natos intelligo, ac mihi verſantur ante oculos Vliſſes et Neſtor, quorum ætas mille fere et C C. annis ſæculum noſtrum antecedit: vos autem Demoſthenem et Hiperidem profertis: quos ſatis conſtat Philippi et Alexandri temporibus floruiſſe: ita tamen vt vtrique ſuperſtites eſſent. Ex quo apparet non multo plures quàm C C C. annos intereſſe inter noſtram et Demoſthenis ætatẽ. quod ſpatiũ temporis, ſi ad infirmitatem corporũ noſtrorum referas, fortaſſe longum videatur: ſi ad naturã ſæculorum et reſpectum huius immenſi æui, perquàm breue, et in proximo eſt. Nã ſi, ſicut Cicero in Hortenſio ſcribit, is eſt magnus et verus annus, quo eadem poſitio cæli ſiderumq. quæ cum maxime eſt, rurſum exiſtet, isq. annus horum, quos vocamus, annorum X I I. ꝏ D C C C L I V. complectitur, incipit Demoſthenes veſter, quẽ vos veterẽ et antiquũ fingitis, non ſolũ anno, quo nos, ſed fere eodem menſe extitiſſe. Sed tranſeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium vt puto Agrippam, qui poteſt videri antiquus, noſtrorum temporum diſertis anteponere ſoletis, ſed Ciceronem et Cæſarem, et Cælium, et Caluum, et Brutum, et Aſinium, et Meſſallã, quos quidem cur antiquis temporibus potius adſcribatis quàm noſtris, non video: nam vt de Cicerone ipſo loquar, Hirtio nempe et Panſa conſulibus, vt Tiro libertus eius ſcripſit, V I I. Idus Dec. occiſus eſt, quo anno diuus Auguſtus in locũ Panſæ et Hirtij ſe et Q. Pedium C o s s. ſuffecit. ſtatue V I. et L. annos, quibus mox diuus Auguſtus Remp. rexit: adijce Tiberij tres et viginti, et prope quadriennium Caij, ac bis quaternos denos Claudij et Neronis annos, atque ipſum Galbæ et Othonis, et Vitellij vnum annum, ac ſextam iam felicis huius principatus ſtationem, qua Veſpaſianus Remp. fouet, C. et X X. anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, vnius hominis ætas. Nã ipſe ego in Britannia vidi ſenem, qui ſe fateretur et pugnæ interfuiſſe, qua Cæſarem inferentem arma Britanniæ, arcere litoribus, et pellere aggreſſi ſunt. Ita ſi eũ, qui armatus C. Cæſari reſtitit, vel captiuitas, vel voluntas, vel fatum aliquod in Vrbem pertraxiſſet, idem Cæſarem ipſum et Ciceronẽ audire potuit, et noſtris quoque actionibus intereſſe. Proximo quidẽ congiario ipſi vidiſtis pleroſque ſenes, qui ſe à diuo quoque Auguſto ſemel atque iterum accepiſſe congiarium narrabant. ex quo colligi poteſt, et Coruinum ab illis et Aſinium audiri potuiſſe. Nã Coruinus in medium vſque Auguſti principatum, Aſinius pene ad extremum durauit. Nec diuidatis ſæculum, et antiquos ac veteres vocetis oratores, quos eorundem hominum aures agnoſcere, ac velut coniungere, et copulare potuerunt. Hæc ideo prædixi, vt ſi qua ex horum oratorum fama gloriaq.. laus temporibus acquiritur, eandem docerẽ in medio ſitam, et propiorem nobis quàm Ser. Galbæ, Caio Carboni, quoſque alios antiquos merito vocaremus. Sunt enim horridi, et impoliti, et rudes, et informes, et quos vtinam imitatus non eſſet Caluus veſter, aut Cœlius, aut ipſe Cicero. Agere enim fortius iam et audentius volo, ſi illud ante prædixero, mutari cum temporibus formas et genera dicendi. Sicut Catoni ſeni comparatus C. Gracchus, plenior et vberior: ſic Graccho politior et ornatior Craſſus: ſic vtroque diſtinctior et vrbanior et altior Cicero: Cicerone mitior Coruinus et dulcior, et in verbis magis elaboratus. Nec quæro quis diſertiſſimus. Hoc interim probaſſe contentus ſum, non eſſe vnum eloquentiæ vultum, ſed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures ſpecies deprehendi: nec ſtatim deterius eſſe, quod diuerſum eſt: vitio autem malignitatis humanæ vetera ſemper in laude, præſentia in faſtidio eſſe. Num dubitamus inuentos, qui pro Catone Appium Cæcũ magis mirarentur? Satis conſtat nec Ciceroni quidem ob-

dem obtrectatores defuiſſe, quibus inflatus et tumens,nec ſatis preſſus,ſupra modum exſultans et ſuperfluens et parũ antiquus videretur.Legiſti vtique et Calui, et Bruti,ad Ciceronẽ miſſas epiſtolas, ex quibus facile eſt deprehendere, Caluum quidem Ciceroni viſum exſanguem, et attritũ, Brutum autem otioſum atque diſiunctum.Rurſumq. Ciceronem a Caluo quidem male audiuiſſe tamquam ſolutum et eneruem:a Bruto autem,vt ipſius verbis vtar, tamquam fractum atque elumbem. Si me interroges, omnes mihi videntur verum dixiſſe. ſed mox ad ſingulos veniam, nec mihi cum vniuerſis negotium eſt. Nã quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis conſtituere ſolent,quem vſque ad Caſſium Seuerum faciunt, quem primum affirmant flexiſſe ab illa vetere,atque dicendi via directa, non infirmitate ingenij, nec inſcitia litterarum tranſtuliſſe ſe ad id dicendi genus contendo, ſed iudicio et intellectu. Vidit namque, vt paulo ante dicebam,cum conditione temporum ac diuerſitate aurium formam quoque ac ſpeciem orationis eſſe mutandam. Facile perferebat prior iſte populus,vt imperitus et rudis,imperitiſſimarũ orationum ſpatia:atque id ipſum laudi dabatur,ſi dicendo quis diem eximeret.Ita vero longa principiorum præparatio, et narrationis alte repetita ſeries, et multarum diuiſionum oſtentatio, et mille argumentorum gradus, et quidquid aliud aridiſſimis Hermagoræ et Apollodori libris præcipitur, in honore erat: et ſi quis odoratus philoſophiam, atque ex ea locum aliquem orationi ſuæ inſereret, in cælum laudibus ferebatur. Nec mirum: erant enim hæc noua et incognita: et ipſorum quoque oratorum pauciſſimi præcepta rhetorum. aut philoſophorũ placita cognouerant. At hercule,peruulgatis iam omnibus, cum vix in cortina quiſquam aſſiſtat,qui elementis ſtudiorum et ſi non inſtructus, at certe imbutus ſit,nouis et exquiſitis eloquentiæ itineribus opus eſt,per quæ orator faſtidium aurium effugiat, vtique apud eos iudices,qui vi aut poteſtate non iure et legibus cognoſcunt, et nec accipiunt tempora ſed conſtituunt, nec exſpectandum habent oratorem,dum illi libeat de ipſo negotio dicere,ſed ſæpe vltro admonent, atque alio tranſgredientem reuocant et feſtinare ſe teſtantur. Quis nunc ferat oratorẽ de infirmitate valetudinis ſuæ præfantẽ?qualia ſunt fere principia Coruini.Quis quinque in Verrem libros expectauerit?Quis de exceptione et formula perpetietur illa immenſa volumina, quæ pro M. Tullio, aut A. Cæcina legimus? præcurrit hoc tempore iudex dicentẽ, et niſi aut curſu argumentorum,aut colore ſententiarum,aut nitore et cultu deſcriptionum inuitatus et corruptus eſt, auerſatur dicentẽ. Vulgus quoque aſſiſtentiũ et affluens et vagus auditor aſſueuit iam exigere lætitiam et pulchritudinem orationis,nec magis perfert in iudicijs triſtem et impexam antiquitatem, quàm ſi quis in ſcena Roſcij, aut Turpionis Ambiuij exprimere geſtus vellit. Iam vero iuuenes et in ipſa ſtudiorum incude poſiti,qui profectus ſui cauſſa oratores ſectantur, non ſolum audire, ſed etiam referre domum aliquid illuſtre et dignum memoria volunt. Traduntq. inuicem,ac ſæpe in colonias ac prouincias ſuas ſcribunt, ſiue in ſuis aliquis arguta et breui ſententia effulſit, ſiue locus exquiſito et poëtico cultu enituit. Exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Attij aut Pacuuij veterno inquinatus, ſed ex Horatij, et Virgilij, et Lucani ſacrario prolatus. Horum igitur auribus et iudicijs obtemperans noſtrorum oratorũ ætas pulchrior et ornatior extitit. Neque ideo minus efficaces ſunt orationes noſtræ,quia ad aures iudicantium cum voluptate perueniunt. Quid enim ſi infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi cæmento, et informibus tegulis exſtruuntur,ſed marmore nitent et auro radiantur? Equidem fatebor vobis ſimpliciter, me in quibuſdam antiquorum vix riſum, in quibuſdam autem vix ſomnum tenere, nec vnum de populo. Canuti aut Aride Furnio et Toranio, quiq. alios in eodẽ valetudinario hæc oſſa et hanc maciem probant.Ipſe mihi Caluus cum vnum et viginti, vt puto, libros reliquerit, vix in vna aut altera oratiuncula ſatisfacit. nec diſſentire ceteros ab hoc meo iudicio video. quotus enim quiſque Calui in Aſſitium aut in Druſum legit? at hercule in hominum ſtudioſorum manibus verſantur accuſationes quæ in Vatinium conſcribuntur, ac præcipue ſecunda ex his oratio. eſt enim verbis ornata, et ſententijs auribus iudicum accommodata: vt ſcias ipſum quoque Caluum intellexiſſe quid melius eſſet, nec voluntatem quin ſublimius et cultius diceret, ſed ingenium ac vires defuiſſe. Quid ex Cœlianis orationibus? nempe hæ placent ſiue in vniuerſa parte factum in quibus nitorem & altitudinem horum temporum agnoſcimus. Sordes autem verborum, et hians compoſitio et inconditi ſenſus redolent antiquitatem. nec quemquam adeo antiquarium puto, vt Cœliũ ex ea parte laudet, qua antiquus eſt. Concedamus ſane C. Cæſari vt propter magnitudinẽ

 cogitatio-

cogitationum et occupationes rerum minus eloquentia effecerit, quàm diuinum eius ingenium poſtulabat, tam hercule quàm Brutum philoſophiæ ſuæ relinquamus. Nam in orationibus minorem eſſe fama ſua etiam admiratores eius fatentur, niſi forte quiſquam aut Cæſaris pro Decio Samnite, aut Bruti pro Deiotaro Rege, ceteroſq. eiuſdem lentitudinis ac teporis libros legit, niſi qui et carmina eorundem miratur. fecerunt enim et carmina, et in Bibliothecas retulerunt, non melius quàm Cicero, at felicius, quia illos feciſſe pauciores ſciunt. Aſinius quoque quamquam propioribus temporibus natus ſit, videtur mihi inter Menenios et Appios ſtuduiſſe. Pacuuium certe, et Attium non ſolum tragœdijs, ſed etiam orationibus ſuis expreſſit. adeo durus et ſiccus eſt. Oratio autē ſicut corpus hominis ea demum pulchra eſt, in qua non eminent venæ, nec oſſa numerantur, ſed temperatus ac bonus ſanguis implet membra et exſurgit toris, ipſos quoque neruos rubore tegit et decore commendat. Nolo Coruinum inſequi, quia non per ipſum ſtetit quo minus lætitiam nitoremq. noſtrorum temporum exprimeret. Viderimus inquam iudicio eius vis aut animi aut ingenij ſufficeret. Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum æqualibus ſuis fuit, quæ mihi vobiſcum eſt. Illi enim antiquos mirabantur, ipſe ſuorum temporum eloquentiam anteponebat. nec vlla re magis eiuſdem ætatis oratores præcurrit quàm iudicio. Primus enim excoluit orationem, primus et verbis dilectum adhibuit, et compoſitioni artem: locoſq. lætiores attentauit, et quaſdā ſententias inuenit: vtique in his orationibus, quas ſenior iam et iuxta finem vitæ compoſuit, id eſt, poſtquam magis profecerat, vſuq. et experimentis didicerat, quod optimum dicendi genus eſt. Nam priores eius orationes non carent vitijs antiquitatis: lentus eſt in principijs, longus in narrationibus, otioſus circa exceſſus: tarde commouetur, raro incaleſcit: pauci ſenſus opt. et cum quodam lumine terminatur: nihil excerpere, nihil referre poſſis: et velut in rudi ædificio, firmus ſane paries et duraturus, ſed non ſatis expolitus et ſplendens. Ego autem oratorem ſicut locupletem ac laudatum patrem familiæ non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat, ſed etiam quod viſum et oculos delectet: non ea ſolum inſtrui ſupellectile, quæ neceſſarijs vſibus ſufficiat, ſed ſit in apparatu eius, et aurū, et gemmæ, vt ſumere in manus, vt aſpicere ſæpius liceat: quædam vero procul arceantur vt iam obliterata et olentia: nullum ſit verbum velut rubiginē infectum, nulli ſenſus tarda et inerti ſtructura in morem Annalium componantur: fugiat fœdam et inſulſam ſcurrilitatem, variet compoſitionem, nec omnes clauſulas vno et eodē modo terminet. Nolo irridere rotam fortunæ, et ius Verrinum, et illud tertio quoque ſenſu in omnibus pro ſententia poſitum, eſſe videatur. Nam et hoc inuitus retuli et plura omiſi, quæ tamen ſola mirantur atque exprimunt hi, qui ſe antiquos oratores vocabant. neminē nominabo, genus hominū ſignaſſe contētus, ſed vobis vtique verſantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, et Lucretium pro Virgilio legunt: quibus eloquentia tui Aufidij Baſſi, aut Seruilij Noniani ex comparatione Siſenæ aut Varronis ſordet, qui rhetorum noſtrorum commentarios faſtidiunt, oderunt, Calui mirantur: quos more priſco apud iudicem fabulantes non auditores ſequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur, adeo mæſti et inculti illam ipſam, quam iactant ſanitatem, infirmitate et ieiunio conſequuntur. Porro ne in corpore quidem valetudinem medici probant, quæ animi anxietate contingat. parum eſt ægrum non eſſe, fortem et lætum et alacrem volo. prope abeſt ab infirmitate, in quo ſola ſanitas laudatur. Vos vero diſertiſſimi, vt poteſtis, vt facitis, illuſtrate ſæculum noſtrum pulcherrimo genere dicendi. Nā et te Meſſalla video lætiſſima quæque antiquorum imitantem. Et vos Materne ac Secunde ita grauitati ſummum nitorem et cultum verborū miſcetis, ea electio inuentionis, is ordo rerum, et quotiens cauſſa poſcit, vbertas, ea quotiens permittitur, breuitas, is compoſitionis decor, ſententiarū planitas: ſic exprimitis affectus, ſic libertatem temperatis; vt etiam ſi noſtra iudicia malignitas et inuidia tardauerit, verum de vobis dicturi ſint poſteri noſtri. Quæ cum Aper dixiſſet: Agnoſcitis ne, inquit Maternus, vim et ardorem Apri noſtri? quo torrente, quo impetu ſæculum noſtrum defendit? quàm copioſe ac varie vexauit antiquos? quanto non ſolum ingenio ac ſpiritu, ſed etiam eruditione et arte ab ipſis mutuatus eſt, per quæ mox ipſos inceſſeret? Tuum tamen Meſſalla promiſſum immutaſſe non debes; neque enim defenſores antiquorum exigimus, nec quemquam noſtrorum, quamquam modo laudati ſumus, his, quos inſectatus eſt Aper, comparamus. ac ne ipſe quidem ita ſentit, ſed more veteri et alijs veſtris philoſophis ſæpe celebrato ſumpſit ſibi contradicendi partes. Exprime nobis non laudationem antiquorum, ſatis

enim illos fama ſua laudat, ſed cauſſas, cur in tantum ab eloquentia eorum receſſerimus: cū præſertim centum et x x. annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit. Tum Meſſalla: Sequar a te præſcriptam formam Materne: neque enim diu contradicendum eſt Apro, qui primum, vt opinor, nominis controuerſiam mouit, tamquam parum proprie antiqui vocarentur, quos ſatis conſtat ante centum annos fuiſſe. Mihi autē de vocabulo pugna non eſt, ſiue illos antiquos, ſiue maiores, ſiue quo alio mauult nomine appellet, dummodo in confeſſo ſit eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuiſſe. Ne illi quidem parti ſermonis eius repugno, ſi comminus fatetur plures formas dicendi etiā ijſdem ſæculis, nedum diuerſis extitiſſe. Sed quo modo inter Atticos oratores primæ Demoſtheni tribuuntur, proximum autem locum Æſchines et Hyperides et Lyſias et Lycurgus obtinent: omnium autem conſenſu hæc oratorum ætas maxime probatur: ſic apud nos Cicero quidem ceterós eorundem temporum diſertos anteceſſit. Caluus autem et Aſinius et Cæſar et Cœlius et Brutus ſic iure et prioribus et ſequētibus anteponuntur. nec refert quòd inter ſe ſpecie differant, cum genere conſentiant. at ſtrictior Caluus, numeroſior Aſinius, ſplendidior Cæſar, amarior Cœlius, grauior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero: omnes tamen eandem ſanitatem eloquentiæ ferunt: vt ſi omnium pariter libros in manum ſumpſeris, quamuis in diuerſis ingenijs, eſſe quandam iudicij ac voluminis ſimilitudinem et cogitationem. Nam quòd inuicem ſe obtrectauerunt, et ſuperſunt aliqua epiſtolis eorum inſerta, ex quibus mutua malignitas detegitur, non eſt oratorum vitium, ſed hominum. Nam et Caluum et Aſinum et ipſum Ciceronem credo ſolitos et inuidere, et liuere, et ceteris humanæ infirmitatis vitijs affici. ſolum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec inuidia, ſed ſimpliciter et ingenue iudicium animi ſui detexiſſe: an inuideret Ciceroni, qui mihi videtur ne Cæſari quidem inuidiſſe? Quod ad Ser. Galbam et C. Lælium attinet, et ſi quos alios antiquorum agitare non deſtitit, non exigit defenſorem, cū fatear quædam eloquentiæ eorum, vt naſcenti adhuc nec ſatis adultæ defuiſſe. Ceterum ſi, omiſſo optimo illo, et perfectiſſimo genere eloquentiæ, eligenda ſit forma dicendi, malim hercule C. Gracchi impetum, aut L. Craſſi maturitatem, quàm calamiſtros Mæcenatis, aut tinnitus Gallionis: adeo melius oratorem, vel hirta toga induere, quàm fucatis et meretricis veſtibus inſignire. Neque enim oratorius iſte, immo hercule ne virilis quidem cultus eſt, quo plerique temporum noſtrorum actores ita vtuntur, vt laſciuia verborum et leuitate ſententiarum, et licentia compoſitionis, hiſtrionales modos exprimant. quodq. vix auditu fas eſſe debeat, laudis et gloriæ et ingenij loco plerique iactāt, cantari ſaltariq. commentarios ſuos. Vnde oritur illa fœda et præpoſtera, ſed tamen frequens quibuſdam exclamatio, vt oratores noſtri tenere dicere, hiſtriones diſerte ſaltare dicantur. Equidem non negauerim Caſſiū Seuerum, quē ſolum Aper noſter nominare auſus eſt, ſi his comparetur, qui poſtea fuerunt, poſſe oratorem vocari, quamquam in magna parte librorum ſuorum plus vis habeat quàm ſanguinis. Primus enim, contempto ordine rerum, omiſſa modeſtia, ac pudore verborum, ipſis etiam, quibus vtitur, armis incompoſitus, et ſtudio feriēdi plerumque deiectus, non pugnat, ſed rixatur. Ceterum, vt dixi, ſequentibus comparatus, et varietate eruditionis, et lepore vrbanitatis, et ipſarum virium robore, multum ceteros ſuperat. Quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere ſuſtinuit. Ego autem expectabam, vt incuſato Aſinio, et Cœlio et Caluo, aliud nouum agmen produceret, pluriſq. vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Cæſari, ſingulis demum ſingulos opponeremus. Nunc detractaſſe nominatim antiquos oratores contentus, neminem ſequentium laudare auſus eſt, niſi in publicum et in commune. veritus credo ne multos offenderet, ſi paucos excerpſiſſet. quotus enim quiſque ſcholaſticorum non hac ſua perſuaſione fruitur, vt ſe ante Ciceronem numeret, ſed plane poſt Gabinianum? At ego non verebor nominare ſingulos, quo facilius propoſitis exemplis appareat quibus gradibus fracta ſit et deminuta eloquentia: Appropera, inquit Maternus, et potius exſolue promiſſum: neque enim hoc colligi deſideramus, diſertiores eſſe antiquos, quod apud me equidem inconfeſſo eſt, ſed cauſſas exquirimus, quas te ſolitum tractare, paulo ante, plane mitiore eloquentia et temporum noſtrorum, miratus, antequam te Aper offenderet maiores tuos laceſſendo: Non ſum, inquit, offenſus Aprina diſputatione, nec vos offendi decebit, ſi quid forte aures veſtras perſtringet, cum ſciatis hanc eſſe eiuſmodi ſermonum legem, iudicium animi citra damnum affectus proferre: Perge, inquit Maternus, de antiquis loquaris. vtere antiqua libertate, qua

vel magis

vel magis degenerauerimus quàm ab eloquentia. Et Meſſalla: Non reconditas Materne cauſſas requiris, nec aut tibiipſi, aut huic Secundo, vel huic Apro ignotas, et iam mihi partes aſſignatis proferendi in medium quæ omnes ſentimus. Quis enim ignorat et eloquentiam et ceteras artes deſciuiſſe ab iſta vetere gloria, non inopia hominum ſed deſidia iuuentutis, et negligentia parentum, et inſcientia præcipientium, et obliuione moris antiqui? quæ mala primum in vrbe nata, mox per Italiam fuſa, iam in prouincias manant: quamquã noſtra nobis notiora ſunt. Ego de vrbe et his proprijs ac vernaculis vitijs loquar, quæ natos ſtatim excipiunt, et per ſingulos ætatis gradus cumulantur, ſi prius de ſeueritate ac diſciplina maiorum circa educandos formandoſq. liberos pauca prædixero. Iam primũ ſuus cuique filius ex caſta patẽte natus, non in cella emptæ nutricis, ſed gremio ac ſinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat, tueri domum, et inſeruire liberis. Eligebatur autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis ſpectatiſq. moribus, omnis cuiuſpiam familiæ ſuboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhoneſtum factu videretur. Ac non ſtudia modo curasq., ſed remiſſiones etiã luſuſq. puerorum, ſanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, ſic Aureliam Cæſaris, ſic Atriam Auguſti matrem præfuiſſe educationibus, ac produxiſſe principes liberos accepimus. quæ diſciplina ac ſeueritas eo pertinebat, vt ſincera et integra et nullis prauitatibus detorta vniuſcuiuſque natura, tot oſtatim pectore arriperet artes honeſtas: et ſiue ad rẽ militarem, ſiue ad iuris ſcientiam, ſiue ad eloquentiæ ſtudium inclinaſſet, id ſolum ageret, id vniuerſum hauriret. At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adiungitur vnus aut alter ex omnibus ſeruis plerumque viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatus. horum fabulis et erroribus teneri ſtatim et rudes animi imbuuntur. Nec quiſquam in tota domo penſi habet, quid coram infante domino, aut dicat, aut faciat: quando etiam ipſi parentes nec probitati neque modeſtiæ paruulos aſſuefaciunt, ſed laſciuiæ et libertati. per quæ paulatim impudentia irrepit et ſui alieniq. contemptus. Iam vero propria et peculiaria huius vrbis vitia pene in vtero matris concipi mihi videntur, hiſtrionalis fauor et gladiatorum equorumq. ſtudia. quibus occupatus et obſeſſus animus quantulum loci bonis artibus relinquit? quorum quemque inueneris qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios adoleſcentulorum ſermones excipimus, ſi quando auditoria intrauimus? Nec præceptores quidem vllas crebriores cum auditoribus ſuis fabulas habent? colligunt enim diſcipulos non ſeueritate diſciplinæ, nec ingenij experimento, ſed ambitione ſalutantium, et illecebris adulationis. Tranſeo prima diſcentium elementa, in quibus et ipſis parum elaboratur. nec in auctoribus cognoſcendis, nec in euoluenda antiquitate, nec in notitiam vel rerum vel hominum, vel temporum ſatis operæ inſumitur. ſed expetuntur quos rhetoras vocant, quorum profeſſio quando primum in hanc vrbem introducta ſit, quamq. nullam apud maiores noſtros auctoritatem habuit, ſtatim de curijs. Referã neceſſe eſt animum ad eam diſciplinã, qua vſos eſſe eos oratores accepimus, quorũ infinitus labor et quotidiana meditatio, et in omni genere ſtudiorum exercitationes ipſorum etiam continentur libris. Notus eſt vobis vtique Ciceronis liber, qui Brutus inſcribitur, in cuius extrema parte, nam prior commemorationem veterum oratorum habet, ſua initia, ſuos gradus, ſuæ eloquentiæ velut quandam educationem refert. ſe apud Q. Mucium ius ciuile didiciſſe, apud Philonem Academicum, apud Diodorum Stoicum omnis philoſophiæ partes penitus hauſiſſe: neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in vrbe contigerat, Achaiam quoqne et Aſiam peragraſſe, vt omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque hercule in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriæ, non muſicæ, non grammaticæ, non denique vllius ingenuę artis ſcientiam ei defuiſſe. Ille dialecticæ ſubtilitatem, ille moralis partis vtilitatem, ille rerum motus cauſſaſq. cognouit. ita enim eſt, optimi viri, ita, ex multa eruditione, ex pluribus artibus, et omnium rerum ſcientia, exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia. neque oratoris vis et facultas, ſicut ceterarum rerum, anguſtis et breuibus terminis clnditur: ſed is eſt orator, qui de omni quæſtione pulchre et ornate et ad perſuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad vtilitatem temporum, cum voluptate audientium poſſit. Hæc ſibi illi veteres perſuadebant. ad hæc efficienda intelligebant opus eſſe, non vt rhetorum ſcholis declamarent, nec vt fictis nec vllo modo ad veritatem accedentibus controuerſijs linguam modo et vocem exercerent; ſed vt his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honeſto ac turpi, de iuſto et iniuſto diſputatur.

diſputatur. Hæc enim eſt oratori ſubiecta ad dicendum materia. Nam in iudicijs fere de æquitate, in deliberationibus de honeſtate dicimus, ita vt plerumque hæc ipſa inuicem miſceãtur. de quibus copioſe et varie et ornate nemo dicete poteſt, niſi qui cognouit naturam humanam, et vim virtutum, prauitatemq. vitiorum, et intellectum eorum, quæ nec in virtutibus neque in vitijs numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, vt facilius iram iudicijs vel inſtiget vel leniat, qui ſcit, quid ira: promptius ad miſerationem impellat, qui ſcit quid ſit miſericordia, et quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibuſq. verſatus orator, ſiue apud infeſtos ſiue apud cupidos, ſiue apud inuidentes, ſiue apud triſtes, ſiue apud timentes dicẽdum habuerit, tenebit habenas animorum: et prout cuiuſque natura poſtulabit, adhibebit manum et temperabit orationem, parato omni inſtrumento, et ad omnem vſum repoſito. Sunt apud quos aſtrictum, et collectum, et ſingula ſtatim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur. apud hos dediſſe operam dialecticæ proficiet. Alios fuſa, et æqualis, et ex communibus ducta ſenſibus oratio, magis delectat. ad hos permouendos mutuabimur aliquid a Peripateticis: hi aptos et in omnem diſputationem paratos iam locos dabunt, Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon iucunditatem: ne Epicuri quidem et Metrodori honeſtas quaſdã exclamationes aſſumere, hiſq. prout res poſcit, vti, alienum erit oratori. neque enim ſapientem informamus, neque Stoicorum ciuitatem; ſed eum, qui non quaſdam artes audire, ſed omnes liberaliter debet. Ideoq. et iuris ciuilis ſcientiam veteres oratores comprehendebant, et grammatica, muſica, et geometria imbuebantur. Incidunt enim cauſſæ plurimæ quidem ac pene omnes, quibus iuris notitia deſideratur: pleræque autem in quibus hæ quoque ſcientiæ requiruntur. Nec quiſquã reſpondeat: ſufficit vt ad tempus ſimplex quiddam et vniforme doceamur. Primum enim aliter vtimur proprijs, aliter commodatis: longeq. intereſſe manifeſtum eſt, poſſideat quis quæ profert, an mutuetur. Deinde ipſa multarum artium ſcientia etiam aliud agentes nos ornat, atque vbi minime credas, eminet et excellit. Idq. non doctus modo et prudens auditor, ſed etiam populus intelligit: ac ſtatim ita laude proſequitur, vt legitime ſtuduiſſe, vt per omnes eloquentiæ numeros iſſe? vt denique oratorem etiam fateatur, quẽ non poſſe aliter exſiſtere, nec extitiſſe vmquam confirmo, niſi eum, qui tamquam in aciem omnibus armis inſtructus, ſic in forum omnibus artibus armatus exierit. quod adeo negligitur ab horum temporũ diſertis, vt in actionibus eorum fæx quoque quotidiani ſermonis fœda ac pudenda vitia deprehendantur, vt ignorent leges, non teneant S. C. ius ciuitatis vltro derideant: ſapientię vero ſtudium et præcepta prudentium penitus reformident: in pauciſſimos ſenſus et anguſtas ſententias detrudant eloquentiã, velut expulſam regno ſuo: vt quæ olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumciſa et amputata ſine apparatu, ſine honore, pene dixerim ſine ingenuitate, quaſi vna ex ſordiſſimis artificijs diſcatur. Ergo hanc primam et præcipuam cauſſam arbitror, cur tantum ab eloquentia antiquorum oratorum receſſerimus. Si teſtes deſiderantur, quos potiores nominabo quàm apud Græcos Demoſthenem? quem ſtudioſiſſimum Platonis auditorem fuiſſe memoriæ proditum eſt. Et Cicero his vt opinor verbis, quidquid in eloquentia effecerit, id ſe non rhetorum, ſed Academiæ ſpatijs conſecutum. Sunt aliæ cauſſæ magnæ et graues, quas a vobis aperiri æquum eſt: quoniam quidem ego iam meum munus expleui, et quod mihi in conſuetudine eſt, ſatis multos offendi: qui ſi forte hoc audirent, certum habeo dicturos, me, dum iuris et philoſophię ſciẽtiam tamquam oratori neceſſariam laudo, ineptijs meis plauſiſſe. Et Maternus: Mihi quidem, inquit, ſuſceptum a te munus adeo peregiſſe nondum videris, vt inchoaſſe tantum, et velut veſtigia ac liniamenta quædam oſtendiſſe videaris. Nam quibus inſtrui veteres oratores ſoliti ſint, dixiſti, differentiamq. noſtræ deſidiæ et inſcientiæ aduerſus acerrima et fecundiſſima eorum ſtudia demonſtraſti. Cetera expecto, vt quemadmodum ex te didici quid aut illi ſcirent, aut nos neſciamus, ita hoc quoque cognoſcam, quibus exercitationibus iuuenes iam et forũ ingreſſi confirmare et alere ingenia ſua ſoliti ſint: neque enim arte et ſcientia, ſed longe magis facultate eloquentiam contineri, nec tu puto abnues, et hi ſignificare vultu videntur. Deinde cum Aper et Secundus idem annuiſſent, Meſſalla quaſi rurſus incipiens: Quoniam initia et ſemina veteris eloquentiæ ſatis demonſtraſſe videor, docendo quibus artibus antiqui oratores inſtitui erudiriq. ſoliti ſint; perſequar nunc exercitationem eorum: quamquam ipſis artibus ineſt exercitatio, nec quiſquam percipere tot reconditas aut tam varias res poteſt, niſi vt ſcientiæ meditatio, meditationi

tationi

tationi facultas, facultati vis eloquentiæ accedat. per quæ colligitur eandem eſſe rationem, et percipiendi quæ proferas, et proferendi quæ perceperis. ſed ſi cui obſcuriora hæc videntur, isq. ſcientiam ab exercitatione ſeparat, id certe concedet, inſtructum et plenum his artibus animum longe paratiorem ad eas exercitationes venturum, quæ propriæ circa oratoriam videntur.

Ergo apud maiores noſtros iuuenis ille, qui foro et eloquentiæ parabatur, imbutus iam domeſtica diſciplina, refertus honeſtis ſtudijs, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in ciuitate tenebat. hunc ſectari, hunc proſequi, huius omnibus dictionibus intereſſe, ſiue in iudicijs, ſiue in concionibus aſſueſcebat, ita vt altercationes quoque excipere et iurgijs intereſſe, vtq. ſic dixerim, pugnare in prælio diſceret. magnus ex hoc vſus, multum conſtantiæ, plurimum iudicij iuuenibus ſtatim contigebat, in media luce ſtudentibus atque inter ipſa diſcrimina, vbi nemo impune ſtulte aliquid, aut contrarie dicit, quo minus et iudex reſpuat, et aduerſarius exprobret, ipſi denique aduocati aſpernētur. Igitur vera ſtatim et incorrupta eloquentia imbuebantur: et quamquam vnum ſequerentur, tamen omnes eiuſdem ætatis patronos in plurimis et cauſſis et iudicijs cognoſcebant: habebantq. ipſius populi diuerſiſſimarum aurium copiam, ex qua facile deprehendebatur quid in quoque vel probaretur, vel diſpliceret. Ita nec præceptor deerat optimus quidem et electiſſimus, qui faciem eloquentiæ non imaginem præſtaret: nec aduerſarij et æmuli ferro, non rudibus dimicantes: ſed auditorium ſemper plenum ſemper nouum ex inuidis et fauentibus, vt nec bene dicta diſſimularentur. Scitis enim magnam illam et duraturam eloquentiæ famam non minus in diuerſis ſubſellijs parari quàm ſuis: quin immo conſtantius ſurgere ibi, fidelius corroborari. Atque hercule ſub eiuſmodi præceptionibus iuuenis ille, de quo loquimur, oratorum diſcipulus, fori auditor, ſectator iudiciorum, eruditus et aſſuefactus alienis experimentis, cui quotidie audienti notæ leges, non noui iudicum vultus, frequens in oculis, conſuetudo concionum, ſæpe cognitæ populi aures, ſiue accuſationem ſuſceperat, ſiue defenſionem, ſolus ſtatim et vnus cuicumque cauſſæ par erat. Nono decimo ætatis anno L. Craſſus C. Carbonem, vno et vigeſimo Cæſar Dolabellam, altero et xx. Aſinius Pollio C. Catonem, non multo ætate antecedens Caluus Vatinium, ijs orationibus inſecuti ſunt, quas hodieq. cum admiratione legimus. At nunc adoleſcentuli noſtri deducuntur in ſcenas ſcholaſticorum, qui rhetores vocantur: quos paulo ante Ciceronis tempora exſtitiſſe, nec placuiſſe maioribus noſtris, ex eo manifeſtum eſt, quòd Marco Craſſo et Domitio cenſoribus cludere, vt ait Cicero, ludum impudentiæ iuſſi ſunt. Sed, vt dicere inſtitueram, deducimur in ſcholas, quibus non facile dixerim vtrum ne locus ipſe, an condiſcipuli, an genus ſtudiorum plus mali ingenijs afferant. Nam in loco nihil reuerentiæ, ſed in quem nemo niſi imperitus æque intrat. In condiſcipulis nihil profectus: cum pueri inter pueros, et adoleſcentuli inter adoleſcentulos pari ſecuritate dicant et audiantur. Ipſæ vero exercitationes magna ex parte contrariæ. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetores tractantur, ſuaſoriæ, et controuerſiæ. Ex ijs ſuaſoriæ quidem etſi tamquam plane leuiores et minus prudentiæ exigentes pueris delegantur: controuerſiæ robuſtioribus aſſignantur, quales per fidem, et quàm incredibiliter compoſitæ. Sequitur autem vt materiæ abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur. Sic fit vt tyrannicidarum præmia, aut vitiatarum electiones, aut peſtilentiæ remedia, aut inceſta matrum, aut quidquid in ſchola quotidie agitur, in foro vel raro vel numquam, ingentibus verbis perſequantur: cum ad veros iudices ventum eſt, tem cogitare, nihil humile, nihil abiectum eloqui poterat. Magna eloquentia, ſicut flamma materia alitur, et motibus excitatur, et vrendo clareſcit. Eadem ratio in noſtra quoque ciuitate antiquorum eloquentiam prouexit. Nam et ſi horum quoque temporum oratores ea conſecuti ſunt, quæ compoſita et quieta et beata Repub. tribui fas erat, tamen iſta perturbatione ac licentia plura ſibi aſſequi videbantur: cum mixtis omnibus et moderatore vno carentibus, tantum quiſque orator ſaperet, quantum erranti populo perſuaderi poterat. Hinc leges aſſiduæ, populare nomen: hinc conciones magiſtratuum pene pernoctantium in roſtris: hinc accuſationes potentium reorum, et aſſignatæ etiam domibus inimicitiæ: hinc procerum factiones et aſſidua ſenatus aduerſus plebem certamina: quæ ſingula et ſi diſtrahebant Rempublicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam, et magnis cumulare præmijs videbantur. Quia quanto quiſque plus dicendo poterat, tanto facilius honores aſſequebatur: tanto magis in

ipſis

ipſis honoribus collegas ſuos anteibat, tanto plus apud principes gratiæ, plus auctoritatis apud patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem probabat: hi clienrelis etiam exterarum nationum redundabant: hos ituri in prouincias magiſtratus reuerebantur: hos reuerſi colebant: Hos et præturæ et conſulatus vocare vltro videbantur: hi ne priuati quidem ſine poteſtate erant, cum et populum et ſenatum conſilio et auctoritate regerēt. Quin immo ſibi ipſi perſuaſerant, neminem ſine eloquentia aut aſſequi poſſe in ciuitate, aut tueri conſpicuum et eminentem locum: nec mirum, cum etiam inuiti ad populum producerentur: cum parum eſſet in ſenatu breuiter cenſere, niſi qui ingenio et eloquentia ſententiam ſuam tueretur, cum in aliquam inuidiam aut crimen vocati, ſua voce reſpondendum haberent: cum teſtimonia quoque in publicis non abſentes nec per tabellam dare, ſed coram et præſentes dicere cogerentur. Ita ad ſumma eloquentiæ præmia, magna etiam neceſſitas accedebat, et commoda. Diſertum haberi pulchrum et glorioſum, ſed contra, mutum et elinguem videri, deforme habebatur. Ergo non minus rubore quàm præmijs ſtimulabantur, ne clientulorum loco potiuſquam patronorum numerarentur, ne traditæ a maioribus neceſſitudines ad alios tranſirent: ne tamquā inertes et non ſuffecturi honoribus aut non impetrarent, aut impetratos male tuerentur. Neſcio an venerint in manus veſtras hæc vetera, quæ et antiquorum bibliothecis adhuc manent, et nunc maxime a Muciano contrahuntur: ac iam vndecim, vt opinor, actorum libris, et tribus epiſtolarum compoſita, et edita ſunt. Ex his intelligi poteſt Gn. Pompeium et Marcum Craſſum non viribus modo et armis, ſed ingenio quoque et oratione valuiſſe: Lentulos, et Metellos, et Lucullos, et Curiones, et ceteram procerum manum, multum in his ſtudijs operæ curæq. poſuiſſe: nec quemquam illis temporibus magnam potentiam ſine eloquentia conſecutum. His accedebat ſplendor rerum, et magnitudo cauſſarum, quæ et ipſa plurimum eloquentiæ præſtant. Nā multū intereſt vtrumne de furto, aut formula, et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis ſocijs, et ciuibus trucidatis. quæ mala ſicut non accidere melius eſt, ijſq. optimus ciuitatis ſtatus habendus eſt, quo nihil tale patimur: ita cum acciderent, ingentem eloquentiæ materiam ſubminiſtrabanr. Creſcit enim cum amplitudine rerum vis ingenij, nec quiſquā claram et illuſtrem orationem efficere poteſt, niſi qui cauſſam parem inuenit. Non opinor Demoſthenem orationes illuſtrant, quas aduerſus tutores ſuos compoſuit: nec Ciceronem, magnum oratorem P. Quintius defenſus, aut Licinius Archias faciunt: Catilina, et Milo et Verres, et Antonius, hanc illi famam circundederunt: non quia tanti fuit R.P. malos ferre ciues, vt vberem ad dicendum materiam oratores haberent: ſed, vt ſubinde admoneo, quæſtionis meminerimus, ſciamuſq. nos de ea re loqui, quæ facilius turbidis et inquietis temporibus exſtitit. Quis ignorat vtilius ac melius eſſe frui pace, quàm bello vexari? Plures tamen bonos præliatores bella quàm pax ferunt. Similis eloquentiæ condicio. Nam quo ſæpius ſteterit tamquam in acie, quoque plures et intulerit ictus et exceperit: quo maior aduerſarius, eo acrior, qui pugnas ſibi aſperas deſumpſerit, tāto altior et excelſior et illis nobilitatus criminibus, in ore hominum agit, quorum ea natura eſt, vt ſecura nolint. Tranſeo ad formam et conſuetudinem veterum iudiciorum: quæ et ſi nunc aptior eſt, ita erit eloquentia, tanto illud forum magis exercebat, in quo nemo intra pauciſſimas horas perorare cogebatur, et liberæ comperendinationes erant, et modū dicendi ſibi quiſque ſumebat: et numerus neque dierū neque patronorū finiebatur. Pimus tertio conſulatu Cn. Pompeius aſtrinxit im poſuitq. veluti frenos eloquentiæ, ita tamē vt omnia in foro, omnia in legibus, omnia apud prætores gererentur: apud quos quanto maiora negotia olim exerceri ſolita ſunt, quod maius argumentum eſt, quàm quod cauſſæ centumuirales, quæ nunc primum obtinent locum, adeo ſplendore aliorum iudiciorum obruebantur, vt neque Ciceronis, neque Cæſaris, neque Bruti, neque Celij, neque Calui: non deniq. vllius magni oratoris liber apud centumuiros dictus legatur, exceptis orationibus Aſinij, quæ pro heredibus Vrbiniæ inſcribuntur, ab ipſo tamen Pollione medijs diui Augusti temporibus habitę, poſtquam longa temporū quies, et continuum populi otium, et aſſidua ſenatus tranquillitas, et maximi principis diſciplina, ipſam quoque eloquentiam ſicut omnia alia Paruum pacauerat? et ridiculum fortaſſe videtur, quod dicturus ſumic, dam tamen, vel ideo vt rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attuliſſe pœnulas iſtas, quibus aſtricti et velut incluſi cum iudicibus fabulamur? quantum virium detraxiſſe orationi auditoria et tabularia credimus, in quibus iam fere plurimæ cauſſæ explicantur? Nam quo modo nobiles equos curius et ſpatia probant, ſic eſt aliquis

quis oratorum campus, per quem niſi liberi et ſoluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipſam quin immo curam et diligentem ſtyli anxietatem contrariam expetimur: quia ſæpe interrogat iudex quando incipias; et ex interrogatione eius incipiendum eſt. frequenter probationibus et teſtibus, ſilentium patronus indicit. vnus inter hæc dicenti ac alter aſſiſtit, et res velut in ſolitudine agitur. Oratori autem clamore plauſuq. opus eſt, et velut quodam theatro. qualia quotidie antiquis oratoribus contingebant: cum tot pariter ac tam nobiles forum coartatent: cum clientelæ quoque, et tribus, et municipiorum legationes, ac partes Italiæ periclitantibus aſſiſterēt, cū in pleriſque iudicijs crederet Populus Ro. ſua intereſſe quid iudicaretur. Satis conſtat C. Cornelium, et M. Scaurum, et T. Milonem, et L. Beſtiam, et P. Vatinium concurſu totius ciuitatis et accuſatos et defenſos: vt frigidiſſimos quoque oratores ipſa certantis populi ſtudia excitare et incendere potuerint. Itaque hercule eiuſmodi libri exſtant, vt ipſi quoque, qui egerunt, non alijs magis orationibus cenſeantur. Iam vero conciones aſſiduæ, et datum ius quoque potentiſſimum quemque vexandi, atque ipſa inimicitiarum gloria, cum ſe plurimi diſertorum, ne a P. quidem Scipione, aut Sulla, aut Gn. Pompeio abſtinuerint, et ad inceſſendos principes viros, vt eſt natura inuidiæ, populi quoque hiſtriones auribus vterentur, quantum ardorem ingenijs, quas oratoribus faces admouebant? Non de otioſa et quieta te loquimur, et quæ probitate et modeſtia gaudeat: ſed eſt magna iſta et notabilis eloquentia alumna licentiæ, quam ſtulti libertatem vocabant, comes ſeditionum, effrenati populi incitamentum, ſine obſequio, ſiue ſeruitute, contumax, temeraria, arrogans, quæ in bene conſtitutis ciuitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedæmonium, quem Cretenſem accepimus? quarum ciuitatum ſeueriſſima diſciplina, et ſeueriſſimæ leges traduntur. Nec Macedonum quidem ac Perſarum, ac vllius gentis, quæ certo imperio contenta fuerit, eloquentiam nouimus. Rhodij quidam, Athenienſes plurimi oratores exſtiterunt: apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, vt ſic dixerim, omnes poterant. Noſtra quoque ciuitas donec errauit, donec ſe partibus, et diſſenſionibus et diſcordijs confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in Senatu concordia, nulla in iudicijs moderatio, nulla ſuperiorum reuerentia, nullus magiſtratuum modus, tulit ſine dubio valentiorem eloquentiam, ſicuti indomitus ager habet quaſdam herbas lætiores. Sed nec tanti Reipublicæ Gracchorum eloquentia fuit, vt pateretur et leges: nec bonæ formam eloquentiæ Cicero tali exitu penſauit. Sic quoque quod ſupereſt antiquis oratoribus, forum non emendare, nec vſquam ad votum compoſitæ ciuitatis, argumentum eſt quidem, quod nemo nos aduocat, niſi aut nocens, aut miſer. quod municipium in ciuitatem noſtram venit, niſi quod aut vicinus populus, aut domeſtica diſcordia agitat? quam prouinciam tuemur, niſi ſpoliatam vexatamq.? Atqui melius fuiſſet non queri quàm iudicari. Quòd ſi inueniretur aliqua ciuitas, in qua nemo peccaret, ſuperuacuus eſſet inter innocentes orator, ſicut inter ſanos medicus. Quo modo tamen minimum vſus minimumq. profectus ars medētis habet in his gentibus, quæ firmiſſima valetudine ac ſaluberrimis corporibus vtuntur: ſic minor oratorū obſcuriorq. gloria eſt inter bonos mores, et in obſequiū regentis paratos. Quid enim opus eſt longis in ſenatu ſententijs, cum optimi cito conſentiant? Quid multis apud populum concionibus, cum de republica non imperiti et multi deliberent, ſed ſapientiſſimus et vnus? Quid voluntarijs accuſationibus, cum tam raro et tam parce peccetur? Quid inuidioſis et excedentibus modum defenſionibus, cum clementia cognoſcentis obuiam periclitantibus eat? Credite optimi et in quantum opus eſt diſertiſſimi viri, ſi aut vos prioribus ſæculis, aut iſti, quos miramur his nati eſſent, ac deus aliquis vitas veſtras, veſtra tempora repente mutaſſet, nec vobis ſumma illa laus et gloria in eloquentia, neque illis modus et temperamentum defuiſſet. Nunc quoniam nemo eodem tempore aſſequi poteſt magnam famam et magnam quietem, bonis ſæculi ſui quiſque, citra obtrectationem alterius, vtatur. Finierat Maternus. Tum Meſſalla: Erant quibus contradicerē, erant de quibus plura dici vellē, niſi iam dies eſſet exactus: Fiet, inquit Maternus, poſtea arbitratu tuo, et ſi qua tibi obſcura in hoc meo ſermone viſa ſunt, de his rurſus conferemus. Ac ſimul aſſurgens et Aprum complexus: Ego, inquit, te poetis: Meſſalla antiquarijs, criminabimur. At ego vos rhetoribus et ſcholaſticis, inquit. Cum arriſiſſent, diſceſſimus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX
IN P. CORNELII TACITI OPERA, ET COMMENTARIOS,

COMPLECTENS EA PRAECIPVE, quæ ad Politiam & mores ſpectant.

In quo littera T textum, C vero Commentarium notat.

A

ABBAS quidam Claraualleſis oblatum a Pio V. Cardinalatū recuſat. pag: 18. t.
Accuſationem cuiuſquam acerbiorem auſlicus ne teneat, ut ille conſtet de voluntate Principis. 571. c.
Accuſationes falſæ & delationes Rompub. per multos annos imperante Tiberio exederunt. 83. t.
Accuſationum acerbiſſimarū omnia plena ſub Tiberio. 285. t.
Accuſator ſub Tiberio quanto quis diſtrictior, tanto ſanctior habitus. 199. t.
Accuſatoris cuiuſdam ad Neronem crudelis & nefaria vox. 601. t.
Accuſatores magnis diuitijs et honoribus a Nerone aucti. 429. t.
Accuſatores & delatores ſenatus curia proturbat. 600. t.
Accuſatorum & calumniatorum maior indies, atque infeſtior ſub Tiberio vis. 288. t.
Achaiam deprecantem onera leuat ſenatus. 66. t.
Adgandeſtrius Armenij necem pactus, ſi venenum ſenatus mitteret, reijcitur. 125. t.
Adoleſcentes quidam, præter ætatem graues, viriles gradus & honores meruerunt. 135. t.
Adoptio ſimulata, ex ſenatuſconſulto irrita redditur. 378. t.
Adrana flumen 51. t.
Adulatio in principatu omni vetus malum. 85. c.
Adulatio ſeruilis & abſurda Dolabellæ ſenatoris in Tiberium. 154. t.
Adulatio pauci remedium. 283. t.
Adulatio, præſertim meditata, vilis & fœda reputanda. 283. c.
Adulatio ſub Nerone in immenſum creſcit. 379. t.
Adulatio peſſimum veri affectus venenum. 435. t.
Eadem fideliſſima principatuum comes. 443. c.
Adulatione gliſcente ingenia decora a ſcribendis hiſtorijs deterrentur. 2. t.
Adulatione omnia infecta & fœdata ſub Tiberio. 85. 163. t.
Adulationem ſenatorum fœdam & ſeruilem, acerbo dicterio Tiberius perſtringit. 167. t.
Adulatori exitium pro præmio redditum. 233. t.
Adulatorij dedecoris exemplar L. Vitellius. 246. t.
Adulterij pœna. 604. 140. t.
Aduocatis certa merces conſtituta, quam egreſſi repetundarum accuſarentur. 260. t.
Aduocatorum perfidia venalis. 259. t.
Contra eorum fraudes lex antiqua renouatur. ibid.
Ædilium poteſtas imminuta. 322. t.
Ægyptij figuris animalium conceptus mentis primi exprimere docuerunt. 262. t.
Ægyptios & Iudaicos ritus colentes Italia pelluntur. 024. t.
Ælij Seiani origo, mores, gratia apud Tiberium ſumma, ambitio, perfidia, dominationis ſupremæ affectatio, ſuperbia, calumnia, & oppreſſio innocentium, doli & fraudes, homicidia & alia ſcelera. 26. 167. 173. 177. t.
Poſtremo caſus & interitus. 280. 201. 215. t.
Eius preceps a ſummo gradu caſus documentum dat omnibus aulicis reuerenter utendi fortuna. 228. c.
Æqualitas rebus modicis facile ſeruatur. 495. c.
Æquinoctij ſydere tumeſcit Oceanus. 61. t.
Ærarium, quod per effuſionem exhauritur, ſæpe per ſcelera ſuppletur. 91. c.
Æs alienum ſubditorum ne permittat Princeps nimium creſcere. 150 c.
Ætas omnis multa poſteris imitanda fert, nec omnia apud priores meliora. 162. t.
Ætas unius hominis. 680. t.
Ætatis primæua mortalium innocentia. 448. t.
Afer Orator proſperiore eloquentia quàm fama. 210. t.
Affectus odij & metus corrumpunt fidem hiſtoriæ. 1. t.
Affectus animorum diu celari nequeunt. 6. c.
Affectus iudicis ſunt temperandi. 473. c.
Affectibus carere debent conſultantes & deliberantes. 118. c.
Affectuum, quibus homines permouentur, quatuor præcipua genera. 24. c.
Agricola vita. 665. t.
Agrippæ poſthumi mors. 9. t.
Agrippæ liberi fere omnes violenta morte perierunt. 217. t.
Agrippina augetur cognomento Auguſtæ. 288. t.
Oppido Vbiorum, quod hodie eſt Colonia, nomen ſuum indit. 289. t.
Eius artibus Claudius inductus ſaeuiſſimà quæque patrat. 391. t.
Eum veneno tollendum curat. 304. t.
Cædibus nobilium per eam intentis obuiam eunt Burrhus & Seneca. 307. t.
Eius ſuperbia, & ferocia. ibid.
Neronis iuſſu interficitur. 343. t.
Agrippina, Germanici uxoris miſerabilis fuga. 36. t.
Eius in bello viriles animus. 60. t.
Ferocia & tumidi ſpiritus. 183. 210. t.
Agrippinam Germanici filiam Gn. Domitio uxorem tradit Tiberius. 224. t.
Agrippinam neptem inceſtis nuptijs ſibi Claudius copulat. 280. t.
Ea urbis cuncta ad nutum ſuum reuocat. 281. t.
Albis fluuius. 78. t.
Alexander Farneſius S. R. E. Cardinalis. 573. c.
Alexandri Farneſij Plac. & Parm. Ducis bellica virtus. 6 c.
Eius inſignis patientia, & militaris diſciplina. 484. c.
Eius prudentia, & hoſtilium machinationum euerſio. 593. c.
Militum animos comitate & liberalitate deuincit. 597. c.
Alfonſi II. Eſtenſis, Ferrariæ Ducis, laudabile ſtudium conciliandi diſſidentium ſubditorum ſuorum animos. 183. c.
Alfonſi Perezij Guſmani, Ducis Hiſpani ſumma erga regem ſuum fides. 682. c.
Aliſo, caſtellum. 75. t.
Amarum in ore qui tenet, dulce ſpuere nequit. 185. c.
Ambitio maximorum ſcelerum mater. 9. 14. t.
Ambitio ad omnia ſcelera & dedecora impellit. 252. c.
Ambitio in republica grauiſſima peſtis. 034. c.
Amicis bonis nullum Princeps firmius præſidium. 572. c.
Amiſia flumen. 55. t.
Amor populi firmiſſima radix omnium dominationum. 139. c.
Amoris vis ac rabies ad omnia ſcelera impellit. 262. c.
Amphitheatrum collapſum apud Fidenam quinquaginta hominum millia partim læſit, partim obtriuit. 217. t.
Amphitheatrum Placentinum pulcherrimum conflagrat. 487. t.
Andecaui rebellantes compeſcuntur. 158. t.
Andreæ Gritti laus. 265. c.
Angelus Papius a Sixto V. delectus qui adoleſcentiam pronepotis ſui Cardinalis de Montealto regat. 284. c.
Anglia turpis & miſerabilis ſub Elizabetha regina hæretica ſeruitus. 3. 14. c.
Angriuarij deficientes ab obedientia & fide Romanorum poſtea in deditionem veniunt. 78. 61. t.
Annæi Lucani laus. 412. t.
Annæum Mellam ad mortem adigit Nero, opibus eius inhians. ibid.

Annæus Seneca Neronis præceptor. 307.a.
Annæo Senecæ veniam exilij, & inſuper præturam impetrat Agrippina. 281.a.
Pueritiam domitij regit. ibid.
Coniuratione in Neronem falsò accuſatur. 391.a.
Eum iniuſtè accuſat Suilius. 329.a.
A Nerone mori iubetur. 399.a.
Eius mors deſcribitur. 400 & ſeq.
Annalibus quid potiſſimum propoſitum. 160.a.
Annalibus ſuis cur interdum leuioris momenti res perſequatur Tacitus. 195.a.
Annalibus res illuſtres comprehenduntur, cætera minoris momenti, diurnis vrbis actibus. 324.a.
Anni principium. 312.a.
Annonæ ſtudere in primis debet Princeps. 13.125.c.
Annonæ grauitas ſeditionis cauſam præbet. 238.a.
Annus magnus. 680.a.
Auſibarij, Romanos agros inuadentes, pelluntur. 337.a.
Antiochus rex opem fert Romanis. 326.a.
Antonius Saxa animi virtute, non corporis viribus imperatoria munia obiuit. 590.c.
Aprilis menſis cognomento Neronis notandus decernitur. 403.a.
Aquila præuolans latũ exercitui Rom. augurium præbet. 79.463.a.
Arcana ſua cui committat, diligẽter Princeps conſiderãdum. 8.c.
Arcana dominationis vulgo nequaquam ſunt efferenda. 19.c.
Ariobarzanes Medus à Senatu rex Armeniis datur. 78.a.
Armeniam armis Tiridates infeſtat. 326.a.
Armeniacum bellum Corbuloni demandatur. 380.a.
Arminius Germaniæ turbator. 49.a.
Cheruſcos & conterminas gentes in Romanos concitat. 54. 56 & ſeq.
Regnum affectans dolo propinquorum occiditur. 126.a.
Germaniæ alioquin liberator, & antiquis Imperatoribus ſeu Græcis ſeu Romanis conferendus. ibid.
Armorum ciuilium luctuoſiſſima facies. 431.a.
Arrogantia & auaritia præcipua ſunt validiorum vitia. 438.c.
Ars occulta ſolet eſſe validior. 406.c.
Arſacidæ. 74.a.
Artabanus Parthorum regno, victo Vonone potitur. ibid.
Is ſenectutem Tiberij deſpiciens rebellat. 243.& ſeq.
Artauaſdes Armeniæ rex. 73.a.
Artaxata, caput Armeniæ, incenditur. 339.a.
Aruntius non ferens Tyrannidem & ſcelera Tiberij, venas ſibi reſoluit. 254.a.
Aſia duodecim celebres vrbes terræmotu collapſæ. 102 a.
Aſiæ vrbes templum Tiberio, matri eius, atque Senatui in beneficij memoriam ſtatuunt. 185.a.
Aſinius Gallus inedia mori coactus. 242.a.
Aſphaltites. vide Lacus.
Aſſentatio nimia. à Principe, quantumuis ambitioſo, cohibita. 468.a.
Aſtrologia iudiciaria meritò à Sixto V. damnata. 482.c.
Aſylorum licentiam apud Græcos ciuitates ſcelerum impunitas & populi ſeditio conſequitur. 164.a.
Eorum modus à Senatu ſtatuitur. 165.a.
Auaritia imperantium ſæpe cauſam rebellionis præbet. 222.c.
ex Auaritia Romanorum ducum prouincia ad rebellionem mouetur. 353.a.
Audacia loco præſidij eſt, deſertis ab alio auxilio. 83.c.
Audacia militi ſæpe præſidij loco eſt. 561.c.
Auguſtales ludi. 20.49 a.
Auguſtalium ſodalium ſacerdotium inſtituitur. 48.a.
Auguſti ars & ingenium in firmando nouo imperio. 3.a.
Nomine Principis omnia ſub imperium ſuum accipit. ibid.
Sibi viuo diuinos honores tribui paſſus eſt. quod in eo reprehenſum. 13.199.a.
Eius validæ in Rempub. fortunæ, domi vero improſperæ. 640.a.
Mortuo, templum & cælestes honores ei ſenatus decernit. 16.a.
Auguſtodunum, caput Æduorum, Sacrouir rebellis contra Romanos occupat. 153.a.
Auiditas prædæ victoriam ſæpe remoratur. 58.c.
Aula omnium ferè Principum diuiduntur ſtudiis in diuerſos. 98. c.
Aulicus gratioſos apud Principem, quãuis ignobiles, colat. 236.c.
Aulicus ſolers, ſecundum varietatem hominum, ſermonem & tractandi modum variat. 548.c.
Aulicus neminem accuſet, dubia Principis voluntate. 578.c.
Aulicus ſupra Principem ſcandere nimia libertate ne tentet. 874.c.
Aulicus vt æmulum potentem deprimat. 599.a.
Aulicus ne ſe vulgi ſtudijs temere permittat. 601.c.
Aulici aſtuti, ſed inſolentis exemplum in Seiano proponitur, vnde Aulicis omnibus ſummæ fortunæ temperanter vtendi documentum dat eius caſus. 228.c.
Aulici ingenium deſcribitur. 519.c.
Aulici & milites in ſimultatibus gerendis diuerſa ratio. 549.c.
Aulico vulgi nimium applaudentis voces fugiendæ. 577.c.
Aulico captandum tempus opportunum proferendi cogitata ſua apud Principem. 610.c.
Aulici aſtuti Orientem ſolem ſpectant, Occidentem deſerunt, vt Macro. 251.a.
Aulici in monumentis Cor. Taciti duo imprimis verſuti, & varietate fortunæ inſignes. 173.270.a.
Aulico nil æque ad honores commodius, atque humile & promptum obſequium. 4.c.
Aulicorum cuſpida plerumque eſt amicitia. 232.c.
Aulicorum cupiditates inexplebiles. 598.a.
Aulus Vitellius inferiorem Germaniã adminiſtrat. 430.419.a.
Eius ingenium & mores. ibid.
Aurantij principis, Belgicorum tumultuum autoris meritus exitus. 49.c.
Eius in Regem Philippum, dominum ſuum perfidia. 388.c.
Aurum & opes præcipua ſunt bellorum cauſſa. 406.630.c.
Auri atque argenti apud Germanos contemptus. 652.a.

B

*B*ADVHENNA *lucus in Friſia.* 223.a.
Balſami deſcriptio, & miranda natura. 641.c.
Barbari licet à Romanis reges, metus & moris cauſa peterent, habere tamen nollent. 483.a.
Barbari cur toties ſedes mutarint, & in alienas regiones ſe infuderint. 629.c.
Barbaris inſueta ſunt machinamenta & actus oppugnationum. 496.a.
Baſſus, ſomnio deluſus, Neronem in vanam ſpem ingentis theſauri inducit. 406 a.
Baſtarnæ, gens Thraciæ vicina. 113.a.
Batauı fortes, & multorum bellorum victores. 491.a.
Romanos inſula ſua expellunt, & cædunt. 534.a.
A Romanis vincuntur. 594.a.
Eorum inſula. 74 a.
Belgarum noſtris temporibus in regem ſuum perfidia. 481.c.
Bellagardij liberum factum erga Gallorum regem. 243.c.
Bellum abolendæ infamiæ cauſa ſuſcipere interdum licet. 5.c.
Bellum ciuile nulla ex cauſa incendere licet. 13.c.
Bellum in hoſtium finibus fouere, ne ciues otio corrumpantur, Principi interdum vtile. 290.c.
Bellum pelago non abſurde aſſimilatur. 319 c.
Bellum ſeruile. 345 a.
Bellum magis tutum, quàm ſuſpecta pax. 603.c.
Bellum ab ignauis plerumque ſumptum, ſtrenuiſſimi cuiuſque periculo geritur. 625.c.
Belli artes tempore pacis, quantum licet, exercendæ. 283 641.c.
Bella externa mouere, quò domi tranquillitas conſeruetur, conſultum. 3.c.
Bella ſunt quatuor generum. 49.c.
Bella ſæpe impetu valida, per tædia & moras euanuere. 493.c.
Bella ciuilia Romanorũ quando & ex qua occaſione nata. 405.a.
Bellorum præcipua cauſſa ſunt opes, & aurum. 406.630.c.
Beneficio quam iniuria difficilius vicem rependas. 509 a.
Beneficia accepta eo vſque læta ſunt, dum exolui poſſe videntur. 187.a.
Bonis, quæ pura & immixta ſunt, in hac vita non fruimur, quod ea malis ſemper permiſceantur. 295 c.
Boudicea fœmina Britannica bellica virtus. 354.& ſeq.
Brigantes pop. Britanniæ. 401.a.
Brinno Batauorum dux. 582.a.
Britannia turbatur. 290.a.
Britanni grauem cladem Romanis inferunt. 352.& ſeq.
Illis mos fœminarum ductu bellare. 354.a.
Grauem cladem à Suetonio accipiunt. 355.a.
Britanni animos tollunt, auditis bellis ciuilibus Romanorum. 544.a.
Britannis nulla galearum, nec loricarum tegmina. 294.a.
Britannicus ſpecie fortunæ multis male habuit. 356.a.
Ei venenum porrigitur, quo & extinguitur. 315.a.
Bructeri, Germaniæ populi. 85.a.
Burrhus Neronis morum Rector. 297.a.
Moritur, nõ ſine ſuſpicione veneni, Neronis iuſſu dati. 390.a.

Byzantij

Byzantij magnitudinem onerum deprecantur, & impetrant. 302.ſ.

C

CADMVS Phœnix Græcarũ literarum inuentor 262.ſ.
Cædis commiſſæ præmia raro apud interfectorem manent. 215.c.
Capta inconſulti impetus initio valida videntur, ſed ſpatio languescunt. 153.c.
Cæſaris imago rea perfugium. 148.ſ.
Caij Cæſaris dictum celebre. 300.ſ.
Cæſaris Borgiæ crudele facinus. 316.c.
Caij Caligulæ nomen, vnde ortum. 37.ſ.
Eius immanis animus ſubdola modeſtia tegitur. 241.ſ.
Vnde facete quidem, Nec ſeruum eo meliorem, nec dominum deteriorem aliquando repertum dixit. ibid.
Simulandi artem à Tiberio hauſit. 252.ſ.
Eius prauum ingenium & naturam Tiberius ei exprobrat, & exitum prodicit. 253.ſ.
Caius Luterius ſua vaniloquentia perit. 155.ſ.
Caius Plinius, Germanicorum bellorum ſcriptor, a Tacito citatur. 61.ſ.
Caij Salluſtij hiſtoria a Tacito laudata. 143.ſ.
Calumniæ & delationes. vide Accuſatio.
Calumniæ ſæpe in auctores caput recidunt. 100.c.
Calumnijs & tirannide oppreſſi multi illuſtres viri Romani ſeipſos interimunt. 229.240.ſ.
Calumniatores gratiam apud Principem ſolum, odium vero apud omnes alios acquirunt. 84.ſ.
Calumniatores inualeſcunt ſub Tiberio. 83.64.194.ſ.
Camalodunum, colonia Rom. in Britannia. 313 ſ.
Candidatos reuocat ab ambitu Tib. Imp ſuam eis curam pollicitus. 69.ſ.
Cangi, Britanniæ populi. 291 ſ.
Capitolium conflagrat. 500.ſ.
Id à quibus conditum & amplificatum, quotieſque incendio conſumptum. ibid.
Reſtauratur. 609.ſ.
Caractacus, Britannorum dux fortiſſimus, & apud exteras nationes celebris. 292.ſ.
Caroli. V. Imp infatigabilis in bello labor & diligentia. 46.c.
Eiuſdem moderatio lætitiæ in victoria omnium maxima. 136 c.
Eius ad Philippum filium prudens de moderanda exercitus magnitudine conſilium. 120.c.
Caroli. 8. Gallorum regis legatio ad confœderatos Italiæ. 187.c.
Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, adoleſcens præter ætatem grauis. 6.c.
Caſſij Chereæ, militis, ſtrenuum facinus. 36.ſ.
Catti ſuperiorem Germaniam latrocinijs infeſtant. 269.ſ.
Catti numerus princeps Cattorum. 203.ſ.
Cecrops primus Athenienſium Rex. 202.ſ.
Celeritas in bello præcipua virtus. 11.c.
Celeritas magni eſt in bello momenti, ut et cunctatio interdũ. 030 ſ.
Celtis mos fuit fœminas negotijs publicis adhibere. 633.c.
Centeſimum rerum venalium deprecatur populus Rom. 66.ſ.
Centumuirales cauſæ. 681.ſ.
Ceſelius Baſſus. vide Baſſus.
Chalcedonij cur cæci dicti. 300.ſ.
Chaldæi. 639.ſ.
Chauci rebellantes Corbulo comprimit. 264.ſ.
Cheruſci, Germaniæ populi. 263.ſ.
CHRISTVS autor nominis Chriſtianorum imperante Tiberio per Pontium Pilatum morte affectus. 487.ſ.
Chriſtiani inſontes pro reis ſubdantur, & immaniſſime ſub Nerone trucidantur. ibid.
Eos Tacitus calumnijs onerat. ibid.
Cicero. 662.ſ.
Ciceroniani ſeculi eminentior eloquentia. 663 ſ.
Circus igne conflagrat. 281.ſ.
Ciuilibus bellis plus poſſunt milites quàm duces. 492.ſ.
Cl. Ciuilis, Batauorum princeps, res in Germania nouat. 561.ſ.
Batauos, Germanos & Gallos ad rebellandum Romanis incitat. 560.564.ſ.
Eius ſolertia & geſta memoranda. 576.& ſeq.
Eius barbara crudelitas. 681.ſ.
Ciuis in bello ſeruati præmium. 238.ſ.
Ciuium diſſidentiam utrã partem fouere debeat Princeps. 3.c.
Ciuium Rom. numerus ſub Claudio Imperatore. 202.3.
Ciuitatis nomine quid notetur. 2.c.
Ciuitati cuius parti ſecundum ipſius conditionem ſatisfacere Princeps debet. 3.c.
Ciuitatum diſcrimen quoad principia: quotiſq. earum debeat eſſe ſitus. 2.c.
Claſſem mille nauium inſtruit Germanicus. 74.ſ.
Claſſicus, Tutor & Ciuilis caſtra legionũ Rom. perrũpunt. 632.ſ.
Claudia familia ſuperbia notata. 6.ſ.
Claudius Cæſar inhabilis ad imperiũ à Tiberio putatur. 252.ſ.
Creditorum ſæuitia ab eo coercita. 262.ſ.
In inceſtas nuptias ardeſcit. 262.303.ſ.
Tres nouas litteras adinuenit. 202.ſ.
Illi non iudicium, non odium erat, niſi inditum & iuſſum 272 279.ſ.
Artibus Agrippinæ ſæuiſſima quæque exequi adigitur. 300. ſ.
Moritur dolo Agrippinæ coniugis, venenum ei propinantis. 304.ſ.
Claudius Druſus. vide Druſus.
Claudij Landi ſcelerata & audax in Oct. Farn. Plac. & Par. Ducem conſpiratio. 070.c.
Clementia Principi ornamentum magnum, ſæpe etiam præſidium. 036 c.
Clementia & Amicitia aræ ponuntur. 223.ſ.
Clementis VII, acutum reſponſum ad Cardinalem Columnam. 371.c.
Clementis, ſerui, audax facinus. 92.3.
Cocceius Nerua vir optimus vitam ſibi finit ne mala Reſpub. ſub Tiberio videat. 243.ſ.
Coloniæ Agrippinenſis nomen, vnde. 269.ſ.
Cometa imperante Nerone conſpecta regis mutationem portendere putatur. 349.ſ.
Concordiam & potentiam eodem loci eſſe arduum eſt. 677.ſ.
Concordia vis magna, diſcordiaq. exitiale malum. 250.620.c.
Conditionis ſuæ decorum cuique ſeruandum. 370.c.
Conſalui Ducis prudens factum. 46.c.
Conſcientia ſua maximum eſt vnicuique theatrum. 229.c.
Conſilio quiſque Senator ſuo, non autem alieno uti, in conſultationibus de Repub. debet. 12.c.
Conſilia bona per ſpatium & moram, ſcelera vero impetu valeant. 447.c.
Conſilia fortia laudanda, ſed ſalutaria ſequenda ſunt. 426 c.
Conſilijs, quàm opibus, magis iuuamur. 95.c.
F. Conſtantij de Sernano merita ad Cardinalatum promotio Sixto. V. glorioſa fuit. 833.c.
Conſtantia in milite virtus maxime peculiaris. 150.ſ.
Conſulatus Tribunitiæ poteſtati ſubijcitur. 162 ſ.
Conuiuium Neronis in ſtagno Agrippæ. 384.c.
Corbulo inſignis dux Romanus. 329.330.ſ.
Chaucos rebellantes comprimit. 264 ſ.
Corn. Tacitus in hiſtoria fidem profitetur. 3.ſ.
Is Saluſtij imitator. 43 c.
Cur interdum minutiora proſequatur. 193.ſ.
Idem Chriſtianos calumnijs onerat. 301.ſ.
Eius deploratio ſacrum temporum maxime ſub Nerone. 413.ſ.
Eius de hiſtorijs iam ſuperiorum temporum, quàm ſuæ ætatis iudicium. 425.ſ.
Eius in tradenda Iudæorum origine lapſus, ut & in ritibus & ceremonijs eorum interpretandis. 640. c.
Coſmus Medices Hetr. Dux, cum decoro perſonam alienam ſuſcipere ſolitus. 034.c.
Eius ſumma animi moderatio exilium voluntarium bello præponentis. 03.c.
Eius diligentia in rationibus publicis ſubducendis. 10.c.
Eiuſdem prudens factum. 18. ſ.
Item prudens conſilium ſubducendi ſe reipub. gubernaculo, quo filium eo tractando exerceret. 144.c.
Cotys Thraciæ regem, frater, conſortis in regno impatiens, trucidat. 113.ſ.
Cremona capitur, diripitur, & incenditur. 339.341.c.
Criminari facillimum eſt. 478.c.
Crucis forma litteris Ægyptiorũ hieroglyphicis expreſſa. 633.ſ.
Cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior. 297. 393.ſ.
Curtij Ruſi genus. 263.ſ.

D

DACI nouos motus excitant. 345.ſ.
Damnati publicatis bonis ſepultura prohibentur. 244.ſ.
Decemuiralis poteſtas, quæ. 2.c.
Decus publicum in conſultationibus debet in primis eſſe curæ. 291.ſ.
Decus publicum vulgo vile, & paucis curæ. 478.c.

Delationes etiam infimas exercent primi Senatorum ſub Tiberio. 211.8.
Delatores & accuſatores ſub Tiberio plurimi. 83.& ſeq. 8.
Delatores publico exitio repertum hominum genus à Tiberio Imp. fouentur. 104.8.
Delatorum interpretationibus omnis domus Romæ ſubuertitur, 144.8.
Delatorum quoddam genus probandum. 194.c.
Deo ſecuritatem noſtram curæ non eſſe, grauiſſimo errore putat Tacitus. 427.c.
Dextræ hoſpitij inſigne. 400.8.
Dicta dictis vlciſcenda, non factis. 107.c.
Dictaturæ origo. 2.c.
Diſcordia malorum extremum. 608.8.
Diſcordia peſtis. 626.c.
Diſcordias ciuium bonus Princeps tollere, non fouere debet. 50.c.
Diſcretio virtutum prima. 147.8.
Diſſimulatio Tiberio ſumma virtus. 222.8.
Dinitiæ Sex. Mario necis occaſio. 241.8.
Sic & Statilio Tauro. 301.8.
Dominandi cupiditati nil ſanctum aut inuiolabile. 146.c.207.8.
Dominandi cupido cunctis affectibus flagrantior. 303.8.
Dominatio inter mortales vt primum cæperit. 141.8.
Domini titulus in Principe odioſus. 618.c.
Domitianus ſolertia liberti ſeruatus. 561.8.
A militibus Cæſar conſalutatur. 167.169.8.
Eius indomitæ libidines. 624.8.
Item profunda ſimulatio. 636.8.
Domitio multa præſagiunt imperium. 201.8.
Eum adoptat Claudius. 288.8.
In nomen Neronis aſſumitur. ibid.
Donorum ac munerum vis maxima: à quibus proinde omni ſtudio abſtinendum eis qui iudicijs præſunt. 619.c.
Druidæ in Mona inſula, & ſuperſtitio earum ſæua. 342.8.
Cl. Druſus Imperatoris nomine inſignitus 4.c.
Mittitur in Pannoniam ad ſeditionem componendam. 26.c.
Item in Illyricum, & Germaniam. 99.102.8.
Eius ingenium diſplicet Tiberio. 122.8.
Veneno tollitur. 180.8.
Dux otio militib. nimio indulto cauſā eis ſeditionis præbet. 20.8.
Ardorem militum in pugnam ſequatur. 44.c.
Dux prouidus milites ad pugnam hortans apta tempora diſſeras, & religione eos tangat. 78.c.
Ita milites in pace exerceat, ac ſi hoſtis ingrueret. 283.8.
Dux belli ſeueritatem potius in delinquentes milites, quàm miſericordiam exerceat. 326.c.
Cum modeſtia dignitatem incorruptam tueatur. 307.c.
Facundia præſtet, & arte mulcendi fremebundos milites. 332.c.
Dux quid agat, territis ſubito periculo militibus. 334.c.
Nulla re alia æque confidat, atque militum erga ſe amore, 182.c.
Ducis induſtriam milites libenter ſubſequuntur. 367.c.
Ducis intemperantia cladem ſibi & exercitui ſæpe affert. 653.c.
Duci conſtantiam eximit militum tumultuantium vecordia, ſi plures ſunt. 81.c.
Duces nonnulli, conſilijs ſubitis, euentu clari cogniti ſunt. 653.c.
Duces quidam inſignes, arte interdum abſtinent à damno inferendo agris vel bonis aduerſi ducis. 638.c.

E

EDVCATIO praua. 684.8.
Edui Senatorum ius primi omnium Gallorum in vrbe adepti ſunt. 267.8.
Eliſabetha Angliæ Regina hæretica crudelis & impia dominatio. 7.c.
Eloquentia artium omnium domina 625.8.
Eloquentiæ optima magiſtra eſt neceſſitas, 64.c.
Epilogus machinationum Cl. Ceuliſ. 578.c.
Item Narciſſi. 670.c.
Item Seiani. 878.c.
Epiſtola Tiberij ad Senatum, ſententiarum plena. 318.8.
Eponinæ inſignis in virum fides. 621.c.
Epulæ Neronis luxu famaq. celeberrimæ. 384.8.
Exemplum immanitatis ac ſæuitiæ atrox filij accuſantis patrem. 190.8.
Exemplum omne magnum, aliquid habet ex iniquo, quod contra ſingulos, vtilitate publica compenſatur. 328.8.
Exempla mala quàm bona facilius imitari ſolemus. 63.c.
Exercitus robur omne vno in loco non tenendum. 88.c.
Exercitus damna celeriter Dux reſarciat. 63.c.
Exercitum qui Dux in otio aut leuibus munijs langueſcere ſinit, ſeditionis illi cauſam præbet. 90.c.
Exhortatio ducum ad milites conſlicturos. 611.8.

F

FABIVS Maximus. 88.
Fabius Valens. 453.8.
Facetijs acerbis erga potentes vti, periculo non vacat. 226.c.
Facinus magnum aggreſſuro conſilium celare, omniaq. prius habere parata conuenit. 8.c.
Facinus arduum aggreſſuro tria potiſſimum neceſſaria. 273.c.
Facinora quoque magna multorum iudicijs ſunt obnoxia. 13.8.
Factionis ducem ſe præbere, periculoſum, ſæpe & perniciosum eſt. 614.c.
Fœcunditati templum Nero conſtruit ob natam ſibi filiam. 379.8.
Fama rerum in longinquo geſtarum fere ſemper vero maior. 152.c.
Fama ſemper atrocior ergo dominantium exitus. 182.8.
Fama plurimum valet in nouis conſilijs. 398.c.
Fama in maius vera falſaq. edit. 606.8.
Famæ ac nominis magnitudo ſub Tyranno periculoſa. 161.c.
Familijs nobilibus, ad paupertatem innoxiam redactis, pecunia publica ſubuenitur, egregio exemplo. 105.c.
Famis ingens neceſſitas. 611.8.
Fameſes vt Senatui mouerit Tiberius. 208.c.
Fato an forte, cuncta voluantur, diſputat Tacitus. 242.8.
Fati neceſſitas voluntati noſtræ non dominatur. 437.c.
Federici Arragonij Neapol. regis conſtans factum. 81.c.
Felicitate corrumpimur, miſerijs exercemur. 424.8.
Felix, Iudææ Præſes, cuncta ſcelera impune admittit. 300.8.
Femina nouo exemplo ſignis Romanis præſidet. 293 8.
Feminæ liguris maternus amor, morte fortior. 485.8.
Feminæ imperium pati, miſerum. 7.c.
Ob pias lacrymas, ſub Tiberio, damnata. 637.8.
Feminæ cuncta vrbis Romæ parent. 681.8.
Feminarum honores in repub. moderandi. 19.30.c.
Earum libido Senatus decreto coercita. 124.8.
Earum vitia. 140.c.
Feminarum Rom. illuſtrium immenſus luxus. 150.c.
Earum quæ ſeruis coniungerentur pœna. 290.8.
Feminas nobiles impudicitia notatas in exilium mittere Romanis conſuetum. 124.c.
Eas naturæ ordo parere, non imperare vult. 613.c.
Ferdinandus Catholicus Hiſpaniæ Rex, tenax, quàm prodigus eſſe maluit. 91.c.
Eius prudens dictum. 511.c.
Ferdinandus Arragonius II. Neapol. Rex pacis & reipub. cauſa ſponte regno cedit. 558.c.
Illius in fide ſeruanda religio. 38.c.
Eius maieſtate vultus, & graui oratione militum ferocia compreſſa. 37.8.
Eius inuicta rebus aduerſis animi magnitudo. 528.c.
Ferrati milites Gallorum, quibus armis ſuperati. 154.8.
Feſtinatio ad honores nimia, non raro aulicis obeſt. 137.c.
Feſtis celebrādis intenti facile hoſtiū inſidijs patent. 44.c.632.8.
Fidelitas ſerui in dominum. 606.c.
Fides apud Iudæos obſtinata. 640 8.
Fidem ne prodat, vel mors ſubeunda. 83.c.
Filius impius patrem reum agit. 192.8.
Filius patrem in prælio inſcius occidit. 538.8.
Flauii Sabini mors. 508.8.
Flauianorum militum proſpera ad vrbem pugna. 503.8.
Florus, vide Iulius Florus.
Fœderis ratio apud Barbaros. 297.8.
Fœdum Senatus ſub Tiberio ſeruitium. 224 8.
Fœnebre malum, occultis artibus graſſans, opprimi penitus nequinit. 240.c.
Fœnebre malum Romæ vetus & multarum ſeditionum cauſa. ibid.
Aduerſus id remedia. ibid.
Fœneratores accuſati, & lex contra eos lata. 239.8.
Forma & conſuetudo veterum iudiciorum. 687.8.
Fortis animus nulli aduerſitati cedit. 636.c.
Fortuna inane nomen eſt, quam melius Prouidentiam dicemus. 479.607.c.
Fortuna in bello proſpera nimiam interdum confidentiam parit. 652.c.
Fortuna melioribus affuit. 621.8.
Fortunæ aduerſæ patienter toleratæ exemplum. 639.8.

Io. Fran-

Io. Franciſcus Cardinalis Comendonus Legatus in Germania. 588. 0.
Frãciſci Galliarũ Regis in captiuitate magnitudo animi. 011. t.
Eius victoria contra Heluetios. 557. t.
Franciſci Mariæ Vrbini Ducis laus. 583. t.
P. Franciſci Toleti in concionando præſtantia. 509. t.
Fraus vi in bello miſcenda. 596. t.
Friſij tranſrhenanus populus. 422. 204. t.
Friſiorum legati nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe clamant. 856. t.

G

GALBAM deguſtaturum imperium prædicit Tiberius. 241. t.
Eius ætas inualida & auaritia faſtidio atque odio multis erat. 429 432. t.
Succeſſorem ſibi ſtatim initio imperij Piſonẽ eligit. 433 t.
Eius ad Piſonem grauis & ſententiarum plena oratio. ibid.
Eius erga milites parcitas eorum animos alienauit, ipſiq. exitio fuit. 438. t.
Eũ Othoniani milites ſcelerate & impie interficiũt. 452 t.
Fama melior, quàm fortuna fuit. 457. t.
Galilæi & Samaritæ diſcordes mutuis latrocinijs & depredationibus ſe lacerant. 500. t.
Gallia comata. 266. t.
Galliæ comatæ primores ius adipiſcendi honores in vrbe impetrant. ibid.
Galliarum ciuitates, ob magnitudinem æris alieni, defectionem parant. 150. t.
Gallias ingrediendi quæ cauſa Romanis, & quæ Germanis occaſio eas inuadendi. 629. t.
Galli, dites & imbelles. 264. t.
Rebellant. 662. t.
Garamantum Rex. 190. t.
Garamantum Legati, Romæ rarò viſi, ad ſatiſfaciendum populo Romano mittuntur. 192. t.
Gemelli rariſſime magnis pœnatibus naſcuntur. 125. t.
Gemoniæ. 229. t. & 566. t.
Generis obſcuritas virtuti officere non debet. 4. t.
Genera & formæ dicendi cum temporibus mutantur. 680. t.
Germania turbatur. 545. t.
Germaniæ ſitus, mores, & populi. 658. & ſeq. vſque ad finem libelli.
Germani Tribunos Romanos. Centurionesq. ipſas ad aras mactant. 36. t.
Germani læta bello gens. 383. t.
Germani in bello non ducum iuſſa aut imperia, ſed plerumque libidinem ſuam ſequuntur. 831. t.
Germanis quæ cauſa fuerit toties Gallias inuadendi. 629. t.
Germanorum militum pauci lorica aut galea tecti. 78. t.
Eorum mores, atque ingenia. genus armorum & belli ratio deſcribitur. ibid.
Germanorum mos bellicus. 488. t.
Germanicæ legiones mortuo Auguſto tumultuantur. 30. t.
Germanicus a Tiberio adoptatur. 5. t.
Eius apud populum gratia, & rerum geſtarum gloria Tiberium male habet. 66. 46. t.
Delatum ſibi a legionibus ſummum imperium conſtanter recuſat. 33. t.
Eius ad milites oratio. 37. t.
Germanos prælio vincit. 40. t.
Ei triumphus decernitur. 49. t.
Armenia & prouinciæ quæ mari diuiduntur, illi commiſſa. 83. 97. t.
Moritur non ſine ſuſpicione veneni, cuius Tiberius conſcius putatur. 107. 122. t.
Gladiatores, ſeu ſeruos in belli ſubſidium ducere deforme habitum. 484. t.
Gloria non quærenda ex dedecoris comparatione. 11. t.
Gloriæ cupido etiam ſapientibus nouiſſima exuitur. 371. t.
Gn. Pompeius legum auctor, idemq. ſubuerſor. 142. t.
Idem Romanorum primus Iudæos domuit. 643. t.
Græcia quare hac noſtra tempeſtate animos non erigat, nec rebellet. 248. t.
Græci prompti ad noua & mira. 230. t.
Gratia ſimulata in tempus vindictæ opportunum. 24. t.
Gratia pluris eſt in Principum aulis, quàm merita. 70. t.
Gratiæ oneri, vltio in quæſtu haberi ſolet. 569. t.
Gregorij XIII. conſtantia & magnitudo animi. 437. t.
Gulielmus Blanens a Sixto V. ob elegans carmine laudata eius opera honorificè remuneratur. 655. t.
Gulæ vitium Principatus amiſſionem attulit. 252. t.
Gyarus inſula, exilij olim locus. 609. t.
Gymnaſium Nero conſtruit. 918. t.
Id poſtea fulminis ictu conflagrat, effigieſq. Neronis ad informe æs liquefacta. 879. t.

H

HÆMVS Thraciæ mons. 210. t.
Hereditates ſine teſtamento. 608. t.
Haterius Agrippa ob libidines & iniuſtas ciuium criminationes inuiſus. 234. t.
Heluetij, gens armis clara. 466. t.
Vitellij imperium abnuentes a Cæcinna cæduntur. ibid.
Eorũ in Ludouicum Sfortiã Inſubriæ Ducẽ perfidia. 247. t.
Ab vtraque bellantium parte ſtipendia capiunt. ibid.
Heluidij Priſci vita, ſtudia & fortuna. 570. t.
Henrici IIII. Galliarum regis prudẽs in bello cunctatio. 036. t.
Henrici Octaui Angliæ regis mutatio morum in peius. 219. t.
Henrici Gazmanni, Comitis de Oliuares regij apud Pontificem Oratoris laus. 231. t.
Henrici Gazmanni Methymnæ Aſindiæ Ducis laus. 320. t.
Hercules Ægyptius antiquiſſimus. 210. t.
Herculem ſibi vendicant Ægyptij. ibid.
Herculis ſylua. 70. t.
Eius columna. 602. t.
Herculis Sacerdotum veridica ſomnia. 204. t.
Hercynia ſylua. 661. t.
Hermunduri populi Germaniæ. 290. t.
Hermũduri & Catti ſalinarũ poſſeſſione prælio diſceptãt. 938. t.
Herodes Rex Iudæa. 644. t.
Hieronymi Ruſticucij Cardinalis prudentia & moderatio animi laudata. 270. t.
Hieroſolyma vrbis primordia. 638. t.
Deſcriptio. 640. t.
Eam Titus Cæſar oppugnat. 643. t.
Eius excidium quæ prodigia præceſſerint. 647. t.
Hieroſolymitani Templi opulentia immenſa. 643. t.
Hiſtoriæ lex. 2. t.
Hiſtoriæ fidem affectus corrumpunt. 3. t.
Hiſtoriæ fides ſæpe in rebus maximis vacillat. 137. t.
Hiſtoria rerum Rom. vſque ad Auguſti tempora incorrupta, poſtea varijs de cauſis inquinata. 425. t.
Hiſtriones immunes verberum fere decreuit Auguſtus. 67. t.
Hiſtriones Italia pelluntur. 184. t.
Honor obſequio potiſſimum in aulis principum paratur. 16. t.
Honoris ſpreti egregiũ in Abbate quodam Claraualleñſi exemplum. ibid.
Honores præcipui, qui Principi defuncto tribuuntur. 02. t.
Honores ſibi a populo delatos princeps nouus moderetur. 19. t.
Honorum immoderata appetitio nimiaq. feſtinatio multos pesſundedit. 207. t.
Hoſtem veneno tolli Tiberio diſplicet. 125 t.
Humanarum rerum inconſtantia, & varietatis fortunæ illuſtre in Vitellio Imp. exemplum. 358. t.
Item in Seiano. 229. t.
Hybernia inſula. 291. t.
Hyberi Armeniam irrumpunt, & contra Parthos pugnant. 247. & ſeq. t.
Hyrcani in ſocietatem Romanorum adſciri petunt. 350. t.

I

IAZYGES Sarmatiæ populi. 290. t.
Iceni Brytanniæ populi. ibid.
Ignis vi clades acerbiſſima Vrbi illata, Neronis, vt creditur, iuſſu. 385. t.
Ilienſium patrocinium ob antiquam Troiæ memoriam Nero ſuſcipit. 362. t.
Illyricus exercitus. 446. t.
Imagines Cæſarum perfugio eſſe ſceleratiſſimo cuique cœperunt. 148. t.
Imperator nulla re magis quam comitate & affabilitate militum animos ſibi deuincit. 637. t.
Imperator commiſſurus prælium, locum poſt ſe quo confugiat, relinquere debet. 645. t.
Imperatoris induſtriam milites libentèr ſubſequuntur. 657. t.
Imperatores ſimul plures ſub Tiberio nominati. 122. t.
Imperium recens partum, ſubſidijs propinquorum & præſtãtium virorum eſt firmandum. 4. t.
Imperium Rom. vt ad vnius principatum redactum ſit. 14. t.

Imperium Rem duo manipulares ſuſceperunt transferendum, & quidem tranſtulerunt. 442. b.
Imperium affectantibus nihil medium inter ſummum, & præcipitia. 111. b.
Imperij vis ita modis omnibus retinenda, vt religio Chriſtiana ſalua ſit. 89. c.
Imperij legitimi nullum maius firmamentum amicis bonis. 122. c.
Imperij Romani obedientia a Prouincijs reiecta, bella omnium inter ſe gentium exardeſcant neceſſe eſt. 630. b.
Imperium noua ſanguinis effuſione quando ſtabilire liceat. 8. c.
Imperia rectoribus prouinciarum breuia, quàm diuturna dare, magis expedit. 69. c.
Impietas filij nec cauſa tis patrem. 192. c.
Impotentia proprium mulierum vitium. 7. b.
Impudicitiæ fœminarum illuſtrium ſatis pœna fuiſſe in ipſo flagitio olim putatum. 424. c.
Incendium montis Cælij. 217. b.
Iniuria numquam vacat periculo. 41. c.
Inertia pro ſapientia ſub Nerone. 606. b.
Ingeniorum magna eſt varietas, ſuum vero cuique diligenter cognoſcendum. 216. c.
Inguiomerus deſciſcit a Romanis. 6. b.
Inimicitiæ priuatæ publici boni cauſa diſſimulatæ. 230. c.
Iniuria quàm beneficio facilius eſt vicem rependere. 109. c.
Innocentia vitæ niſi cum vigore iungatur, parũ prodeſt. 360. c.
Inobedientia in bello res periculoſa. 320. c.
Inſidiæ Seiani aduerſus Germanici ſtirpem. 214. b.
Interamnatum legatio petentium ne Nar flumen diducatur in riuos. 68. b.
Inuidiæ virus. 525. c.
Inuidiam gloria vincere nititur magnanimus quiſque. 74. c.
Inuidorum infauſtus ſolet eſſe exitus. 353. c.
Ioannes Bargiora dux Iudæorum. 646. b.
Ioannes Medices futuram bellicam virtutem præclaro facinore præmonſtrauit. 31. c.
Iordanes fluuius. 641. b.
Ira vehemens licet verba omittat, vindictæ tamen occaſionem non prætermittit. 89. c.
Ira Principibus omni ſtudio vitanda. 169. 194. c.
Iram ſemper pœnitentia comitatur. 61. c.
Iſichi Aſiæ populi. 336. b.
Iſis. 611. 637. b.
Italia omnis inter Veſpaſianum ac Vitellium, Apeninis iugis diuiditur. 344. b.
Itali Italos captiuos accipere vnanimi conſenſu generoſiſſime renuunt. 541. b.
Italus Cheruſcorum rex. 263. b.
Ituræi & Iudæa prouincia Syriæ adduntur. 282. b.
Iudææ deſcriptio. 641. b.
Iudæi tumultuantes cæduntur. 300. b.
Iudæorum origo. 638. b.
  Eorum ritus & ceremonias Tacitus perperam interpretatur, vt & Plutarchus. 639. & ſeq. b.
  Eorum horrenda & omnibus ante ſæculis inaudita calamitates. 647. b. c.
  Eorum obſtinatio et pernicacia. 640. b. c.
Iudaica et Ægyptia ſacra Vrbe pelluntur. 124. b.
Iudaicum bellum. 637. b.
Iudæorum veterum forma & conſuetudo. 687. b.
Iuhonum ciuitas, villæ, & arua, igne inextinguibili, quem terra euomerat conflagrant. 338. b.
Iulia Auguſta Tiberij mater moritur. 205. b.
Iulia Auguſti filia, vxor Tiberij in exilio moritur. 47. b.
Iulia Auguſti neptis in exilio vitam finit. 222. b.
Iulij Agreſtis notabilis conſtantia. 580. c.
Iulij Agricolæ vita. 601. & ſeq. vſque ad fin. libelli.
Iulius Florus Dux rebellantium Treuirorum. 150. b.
  Apud Treuiros rebellionem cœptat. ibid.
Iulius Manſuetus a filio occiſus. 538. b.
Iulius Sabinus. 631. b.
Iulius Sacrouir rebellantium Heduorum Dux. 150. b.
Iulius Silanus, vir ſummus dolo & ſcelere Agrippinæ opprimitur. 306. b.
Iulius menſis Germanici vocabulo mutatur. 412. b.
Iunia C. Caſſij vxor. 173. b.
Iunius Blæſus Legatus legionum Pannonicarum. 20. b.
  Proconſul Africæ. 147. & ſeq. b.
  Lugdunenſis Galliæ Rector. 462. 194. b.
  Eius mors. 142. b.
Iuris principium et multitudo legũ tanta vnde manarit. 142. b.
Iuris ciuilis ſcientia. 685. b.
Iura apud antiquos trium generum. 591. c.
Iura noua excogitant Tyranni, cum ad oppreſſionem innocentum vetera eis non ſuffragantur. 85. b.
Iuſiurandum fraudulenta interpretatione violentum. 497. c.
Iuuenales ludi a Nerone inſtituti. 246. b.
Iuuentutis ergo ſenis irreuerentiam grauibus decretis notarunt antiqui Romani. 143. b.

L

LACVS Aſphaltites. 642. b.
Lapillorum pretioſorum luxus immenſus apud illuſtres fœminas Romanas. 159. b.
Laurentij Medices prudens ſimulatio. 636. c.
Legati Rom. a Valentino et Tutore occiſi. 627. b.
Legatorum ius ſacroſanctum violat furor militaris. 81. c.
Legatorum ius vt adoleuerit. 604. b.
Legationes ſorte ne, an potius electione mandare præſtet. 571. c.
Lex Papia. 142. b.
Lex ſumptuaria ſpernitur, luxuſq. in immenſum auctus. 137. b.
Leges non ſemper imperant, ſed monent interdũ, & docent. 12. c.
Leges contra laſciuiam. 67. b.
Leges per vim latæ. 642. b.
Leges bonæ ex malis moribus ortæ. 378. c.
Legum Romanarum, qui fuerint auctores, vtq. in tam immenſam multitudinem creuerint. 141. b.
Legum fons & origo, quæque omnium prima ſacratiſſimæq. fuerint. ibid.
Legionis Pannonicæ ſeditio inceſſio. 20. b.
Legiones Romano imperante Tiberio quot fuerint, quaſque prouincias tuerentur. 178. b.
Legiones Germaniæ inferioris Nerone mortuo tumultuantur, & Imperatorem flagitant. 431. b.
Leo X. Pont. Max. 90. c.
Lepida aqua & igni arcetur. 139. b.
Libanus mons. 641. b.
Liberè dicta profuere. 245. b.
Libere populo præſciẽdus ſuperbos et odioſos titulos vitet. 218. c.
Liberi Principis numero multi, firmius imperio ſtabilimentum præſtant, quàm legiones aut claſſes. 628. c.
Libertatem Romanam & conſulatum L. Brutus primus reſtituit. 2. b.
Libertatem loquendi extrema ſenectus ſæpe largitur. 309. c.
Libertatis mortuæ imaginem & veſtigia retinere ſtudet ſenatus ſub Tiberio, ſed fruſtra. 61. 86. & ſeq. b.
Libertatis in loquendo modum Principes quamuis modeſti a ſubditis requirant. 574. c.
Libido illuſtrium fœminarum coercetur. 084. b.
Libidinibus corrupto animo nihil honeſtum ineſſe poteſt. 276. b.
Libri contra Deum vel Principem confecti, publico decreto cremari debent. 198. c.
Licentia ſeruorum & libertorum in dominos ſuos ſub Tiberio. 148. b.
Licentia militum & patientia. 593. b.
Ligij Germaniæ populi. 690. b.
Linus Thebanus. 202. b.
Litteræ Tiberij ad Senatum. 158. b.
Litterarum forma a quibus reperta. 202. b.
Liuia Druſi vxor, ſoror Germanici. 176. b.
Liuia Auguſto fœdum adulterium. 177. b.
  Eius varia ſcelera 232. b.
Loco qui maiori non deceſſiſſet, grauibus decretis antiquitus notabatur. 148. b.
Lollia magicæ curioſitatis accuſatur. 287. b.
Londinium Britanniæ Emporium celebre. 353. b.
Longobardi Sueuiæ populi deſciſcunt a rege atque Romanis ad Cheruſcos. 190. b.
Longobardi, Germaniæ populi. 264. b.
Loquẽdi libertas olim apud Græcos magna, eaq. impunita. 197. b.
Lucani laus. 414. b.
Lucius Vitellius exemplar adulatorij dedecoris. 246. b.
Ludi Auguſtales inſtituuntur. 20. b.
Ludi Ceſtici apud Patauium. 417. b.
Ludi Iuuenales a Nerone inſtituti. 346. b.
Ludi ſæculares celebrantur. 201. b.
Ludibria rerum mortalium. 137. b.
Ludicrum Troiæ pueri Romani exercent. 261. b.
Lugdunum. 453. 636. b.
Lugdunenſium & Vienenſium vetuſta diſcordia. 464. c.
Lugendi modus ſtatuitur. 129. b.

Luna

Luna languis ſcens clara calo. 28. c.
Luſtrum ſub Claudio Imperatore. 264. c.
Luſtrale certamen celebratur. 408. c.
Luxuria ſpeciem liberalitatis imponit. 444. c.
Luxus reſecandi cura Principi ſit inter primas. 85. c.
Luxus Romanorum intra modum cohibitus. 86. c.
Luxus ſub ſpecie magnificentia defenditur. ibid.
Luxus in immenſum auctus reſecandi conſilium fruſtra ſuſcipitur. 157. c.
Luxus tam creſcit domi, cum inturbida ſunt rebus externis tempora. ibid.
Luxus Romanorum in quibus rebus conſtiterit. 159. c.
Luxus vt olim exoleuerit. 161. c.
Luxus in exercitu licentiam parit. 596. c.
Lycurgus Spartanorum legislator. 141. c.

M

MACEDONIAM onera deprecantem proconſulari imperio leuandam Senatus decreuit. 66. c.
Additur Mœſia prouincia. 68. c.
Machometes Viſirus in exequendis negotijs prudens temperamentum. 138. c.
Macronis validum ad exitia odium. 244. c.
Eius potentia creſcit in multorum perniciem. 252. & ſeq. c.
Magi & mathematici Italia pulſi. 85. c.
Magiſtratum adepti quidam ſeipſis meliores facti ſunt, & hominum opinionem ſuperarunt. 246. c.
Magiſtratus an magis expediat diuturnos dare, an breues. 88. & ſeq. c.
Magiſtratibus in prouincias ituris an permittendum vt vxores ſecum ducant. 145. c.
Magnanimus agre alterius mandata paret. 30. c.
Maieſtas ſola ſape Principem tuetur. 37. c.
Maieſtatis quaſtio nimis frequens & acerba ſub Tiberio. 179. 188. c.
Maieſtatis poſtulantur aceruatim viri primarij ſub Tiberio, tremente Senatu. 237. c.
Maius menſis Claudia vocabulo mutatur. 451. c.
Mala bonis et bona malis permixta in omni vita parte inueniuntur. 185. c.
Maledicta ſi ſpernas, exoleſcũt, ſi iraſcere, agnita videtur. c 97. c.
Malouendus Marſorum Dux in deditionem accipitur. 85. c.
Mancipij audax facinus. 92. c.
Mancipium barbarum bellum mouere audet. 541. c.
Maraboduus Sueuorum Rex. 600. c.
Marcomanni Germania populi. 602. c.
Margareta Auſtriaca Plac. & Parma Duciſſa magnitudo animi. 60. c.
Maricus quidam e plebe Boiorum prouocat arma Rom. nomine aſſertoris Galliarum. 505. c.
Marſos incautos Germanicus adoritur, & cadit. 45. c.
Eos tumultuantes Cacinna compeſcit. 51. c.
Maſippa Maurorum Dux. 105. c.
Maſſilia olim litterarum ſtudio clara. 446. c.
Mathematici & magi Italia pulſi. 85. c. 146. c.
Matrimonia Germanorum ſacra. 659. c.
Mattium Chattorum metropolim Germanicus incendit. 58. c.
Mauri contra Romanos conſpirant. 603. c.
Maximilianus Sfortia Nicolaum Scotum Comitem, Placentinum crudeliter interficit. 97. c.
Medici frequenter in magnorum ſcelerum ſocietatem & miniſterium aſciti. 177. c.
Medici in aulis Principum ſape miniſtri ſcelerum. 304. c.
Mella Lucani pater. 414. c.
Mellam diuitẽ mori addixit Nero vt opibus eius potiretur. ibid.
Memnonis Saxea effigies radijs ſolaribus percuſſa vocem reddere ſolita. 112. c.
Mens infortunio perculſa in ſuperſtitionem prona ruit. 28. c.
Mens humana ſape imminens malum praſentiſcit. 48. c.
Menſarum luxus vt Roma exoleuerit. 161. c.
Merita poſthabentur gratia in principum aulis, cũ tamen bona ex illis procedere conueniat. 70. c.
Meſſalina Claudij Imp. vxor nouo & furori proxime amore exardeſcit. 262. c.
In C. Silij amorem exardeſcit. ibid.
Cui, viuente adhuc Claudio, coniugio copulatur. 269. c.
Claudio vertitur in faſtidium. 268. c.
Iuſſa eius multa mortes patrata. 269. c.
Eius adulteria multis pernicioſa. 275. & ſeq. c.
Ferro confoditur. 277. c.
Metus exercitum etiam eloquentiam debilitat. 268. c.
Michaelis Cardinalis Alexandrini honorificentiſſima ad tres potentiſſimos reges legatio. 26. c.
Miles qualis eligendus. 30. c.
Miles paci vt plurimum inimicus. 41. c.
Militis ſimul & Aulici ingenium deſcribitur. 519. c.
Milites ſeditioſi prima ſemper odia ſauitiamq. in ſuos Centuriones exerunt. 51. c.
Milites ſeditioſos vt punierit legatus Romanus. 39. c.
Milites ita in pace exercendi, ac ſi hoſtis ingrueret. 285. c.
Milites longa pace ſegnes agre munia militia ſubeunt. 325. c.
Milites ſpes prada accendit ad pugnam. 595. c.
Milites rebelles & transfuga, ſi reſipiſcant, vt tractandi. 528. c.
Milites crapula & comporationes reddunt hoſtium inſidijs opportunos. 632. c.
Militibus ante omnia gratũ ſe reddere ſtudeat Imperator. 5. c.
Militibus otium ſeditionis ſolet eſſe cauſa. 20. c.
Militum quanta auctoritas temporibus Romanorum Imperatorum, & hodie Turcicorum. 5. c.
Militum in Ducem rebellio. 25. 27. c.
Militum ſeditioſorum vſitata querela. 21. 27. c.
Militum triplex genus, & cui eorum maxime fidendum. 247. c.
Militia onera & incommoda. 20. 26. c.
Militari ararũ centeſimã rerũ venaliũ Tiberius deſtinat. 68. c.
Militaris ſeueritatis in fugientes e pralio milites exemplum notandum. 138. c.
Miniſtri Principum quibus virtutibus pollere debeant. 94. c.
Miniſtri Principum citra potius quam vltra mandata eorum ſubſiſtant. 638. c.
Miniſtrorum publicorum qua debeant eſſe partes. 94. c.
Minos Cretenſibus leges dedit. 141. c.
Miraculum in morte Othonis. 505. c.
Miſeria minus nobis nocent, quàm felicitas. 434. c.
Miſericordia apud Iudaos in promptu inter ipſos. 640. c.
Mithridates regnum Armenia occupat. 260. c.
Monarchicus Imperij Rom. ſtatus cur prouincijs Conſulari magis placuerit. 4. c.
Moris & inſtituti veteris retinens Princeps ciuibus bonam de ſe ſpem dat. 603. c.
Mortalium animi molles in calamitate. 220. c.
Mortem ſibi magni viri conſciuere, ne in hoſtium poteſtatem venirent, exemplo non probando. 36. c.
Mortem ſibi plurimi imperante Tiberio cur conſciuerint. 244. 249. c.
Moyſes Dux celeſtis. 639. c.
Mucianus turbulenta vrbe omnia ad ſe trahit. 570. 599. c.
Eius contra Vitellium expeditio. 517. c.
Muliebris ſexus ſauus, & poteſtatis auidus. 140. c.
Muliebres illecebra prudentium interdum mentes a recta diuertunt. 179. c.
Mulierum propria eſt impotentia. 7. c.
Multitudinis ſeditioſa cõſenſus, quo remedio extinguatur. 604. c.
Munera excacant prudentes, & ſubuertũt verba iuſtorũ. 620. c.
Munerum ac donorum vis maxima. 619. c.
Munia ſolita non intermittenda Regi, Duci, vel cuiuſcumque prafecto. 20. c.
Muſulani, Africa populi tumultuantur. 101. c.
Mutationes crebra vſui non ſunt. 207. c.

N

NABATÆORVM Rex Germanico & vxori coronas aureas mittit. 608. c.
Narciſſi aulici aſtutia & audacia. 272. & ſeq. c.
Naſica deleri Carthaginem vetuit, ne amula ciuitate ſublata, Romani in ſe arma verterent. 200. c.
Naturam ſape corrigit diſciplina. 5. c.
Naualis pralij ſpeciem Claudius Imp. exhibet. 308. c.
Neceſſitas eloquentia optima magiſtra. 24. c.
Neceſſitas eſt, qua coniungit populum Principi. 25. c.
Nequitia pœna maxima ea eſt, quòd ſibi ac ſuis diſplicet. 52. c.
Nero ad Quaſturam commendatur. 245. c.
Et & Pontificatus additur. ibid.
Iuliam Druſi filiam ducit vxorem. ibid.
Et toga virilis & alij honores maturantur. 294. c.
Opera Agrippina Imperator, mortuo Claudio, ſalutatur. 305. c.
Multa ſigna clementia, modeſtia, & aquitatis initio imperij oſtendit. 309. 312. c.
Veſte ſerui lupanaria & diuerticula vrbis perertat. 321. c.
Senecæ falſum crimen intendit. 329. c.

Am ore

Amore Poppeæ flagrat, qua incitante matrem interficit. 339. t.
Eo imperante vrbis regiones quattuordecim de cœlo tactæ ſunt. & prodigia varia apparuerunt. 341. 349. t.
Matre interfecta ſe in omne libidinis genus effundit. 346 t.
Facinorū ſuorū recordatione nunquā metu caret. 384 t.
Eius epulo luxu famaq. celeberrima. ibid.
Viro cui Pythagoro nomen in modum ſolemnium coniugiorum nubit. 381. t.
Sub eo Romæ maior pars igne conflagrauit, eius. vt putatur, iuſſu. ibid.
Eius ſæuitia in Chriſtianos. 387. t.
Eius cætera omnia ſcelera crudelitati cedebant. 415. t.
Nerua vir primarius vitam ſibi finit, ne mala reipub. ſub Tiberio videat. 243. t.
Neutralem ſe gerere, & fortunam partium ſpectare. quo in caſu neceat. 164. c.
Nicolaum Comitem Scotum Placentinum Maximilianus Sfortia crudeliter interficit. 97. c.
Norimberga leges & politiam a Venetis ſibi dari petunt. 72. c.
Numa Romanum populum Religioni addixit. 141. t.
Numidæ cum Tacfarinate duce fugati & cæſi. 201. 229. t.
Numerus legionum. & quas illa prouincias tuebantur ſub Tiberio. 175. t.
Numerus obſeſſorum apud Hieroſolyma. 649. t.

O

OBSEQVIVM Aulicos ad honores maxime commendat. 1. c.
Obſidium Hieroſolymorum per Titum. 643. t.
Obſtinatio Iudæorum. 649. t.
Octauia Domitio deſpondetur. 282. t.
Ab eodem vt ſterilis reijcitur. 365. t.
Octauij Farneſij Plac. & Parmæ Ducis laus. 49. c.
Eius prudens iniuriarum diſſimulatio. 95. c.
Illius lenitas & clementia in ſuos coniuratos. 131. c.
Prudens inuidiæ declinatio. 109. c.
Odia priuata publicis vtilitatibus remittenda. 310. c.
Odiorum cauſæ tanto ſolent eſſe acriores quāto iniquiores. 43. c.
Odruſe, Thraciæ populi, arma contra Romanos mouentes facilē victoriam præbent. 149. t.
Officium aliqui cūc expeditius capeſſunt, cū contēnuntur. 627. c.
Officia Regum, Ducum, ac Sacerdotum Germanorum. 652. t.
Opes ſuæ Statilio Tauro exitio fuere. 201. t.
Ita & multis alijs ſub Tiberio, Claudio, & Nerone. 241. t.
Optimatū & plebis quare grauiſſima ſoleant eſſe diſſidia. 142. c.
Oratio C. Caſſij in ſenatu de ſupplicio ſeruorum. 322. t.
Oratio Ciuilis ad Cerialem. 654. t.
Oratio Cerialis ad Treuiros ac Lingones. 628. t.
Oratio Galbæ Imp. ad Piſonem prudentiæ plena. 433. t.
Oratio Germanici ad ſeditioſos milites. 17. t.
Eiuſdem oratio moribundi ad amicos. 216. t.
Oratio M. Lepidi. 256. t.
Oratio Piſonis ad cohortem Palatinam. 444. t.
Oratio Tiberij ad Senatum. 299. t.
Oratio Vologeſis in concilio ſuorum. 370. t.
Orator qualis eſſe debeat. 682. t.
Oratoris vis & facultas. 664. t.
Ordines a militibus in hoſtibus inſequendis deſeri Dux ne permittat. 328. t.
Ordouica Britanniæ populi. 301. t.
Oriens longa concordia quietus rapientibus imperium Othone ac Vitellio bellum ciuile parat. 481. t.
Orientis regna & prouinciæ commouentur ſub initium imperij Tiberij. 71. t.
Otho ſpem imperij concipit. 433. 439. t.
Otho victus manus ſibi infert. 500. t.
Eum milites eligunt imperatorem. 447. t.
Eius ad eos oratio. 449. t.
Et Vitellius imperium eripere molitur. 450. 462. t.
Ille duo ſceleſti armis eos Romanos raptum eunt. 482. t.
Othomannici imperij potentia vnde in tantam magnitudinem creuerit. 326. c.
Otio quomodo vtendum. 8. c.

P

PACE ſuſpecta tutius eſt bellum. 605. t.
Pacis quædam opera vel victoriis anteponenda. 47. c.
Pacis tempore, belli artes, quantū licet, in vſum deducēda. 281. c.
Paris duo decora. 272. t.
Pacis tempore belli munimenta paranda. 643. c.
Pagyda flumen in Africa. 138. t.
Palamedes Argiuus. 252. t.
Parentum quædam vitia tanquam hæreditaria in filios tranſfunduntur. 18. c.
Parthi tumultuantur, regemq. a Senatu oblatū reſpuunt. 71. t.
Parthis diſcordantibus regnū eorum a diuerſis inuaditur. 260. t.
Parthorum cum Romanis bellum renouatur. 325. t.
Patientia ſeruilis. 413. c.
Patientia nobilitatis Romanæ degener ſæuienti & adulanti Tiberio. 167. t.
Patris patriæ nomen recuſat Tiberius. 62. t.
Patrem impius filius reum agit. 192. t.
Patrem in prælio filius inſcius occidit. 538. t.
Paulus III. Papa cibo ſumendo doctorum virorum colloquia miſcebat. 213. c.
Idem multos aliōquin ſibi ignotos ob virtutis famam ad Cardinalatum euexit. 287. c.
Eius prudentia in bellorum ſeminibus tollendis. 112. c.
Illius apud Niceam prudens factum. 327. c.
Item perſpicax in dignoſcendis hominum ingenijs iudicium. 160. c.
Eius prouidentia in parandis ſibi & poſteritati fidis amicis. 372. c.
Paulus Vrſinus Cæſaris Borgiæ fraude ſublatus. 96. c.
Paulina, vxoris Senecæ, inſignis animi magnitudo, & in maritum mori iuſſum pietas. 400. t.
Pauor internus vrbis ſub Tiberio externa negligi facit. 223. t.
Pauoris remedium adulationem quærunt. ibid.
Paupertas præcipuum malorum. 356. t.
Pecunia bellorum neruus. 517. t.
Pecunia cur belli ciuilis nerui dicta. ibid.
Eandem omnium rerum agendarum neruos eſſe dicebat Cleomenes. ibid.
Pertinacia cuiuſdam ruſtici Hiſpani conſcios ſceleris prodere recuſantis. 206. t.
Peſtis ſæua Romæ ſub Nerone. 412. t.
Philippus Hiſpaniæ Rex imitatus facto Ferdinandi Caſtiliæ regis auctoritatem ſibi maiorem comparauit. 434. c.
Eius facilitas & comitas in audiendo. 72. c.
Eiuſdem prudentiam in demandandis magiſtratibus & gubernaculis. 149. c.
Item diligens cura prouinciarum ſibi ſubditarum. 323. c.
Phœnix in Ægypto conſpecta. 244. t.
Eius ortus & ætatis tempus. ibid.
Phrahates Parthorum Rex. 71. t.
Piſonis ſuperbia. 206. t.
Eum Galba Imp. adoptat. & ſucceſſorem deligit 433. t.
Pius Papa V. infeſtiſſimū perduellium ducem, proditione & perfidia ſibi tradi noluit. 53. t.
Idem gratus & beneficiorum memor prædicatur. 165. t.
Eius æquiſſima, moderatiſſimaq. pecuniarum conquiſitio pro bello aduerſus Turcam. 518. c.
Plancina vxor Cn. Piſonis ſua manu concidit. 243. t.
Placentia oppugnatur a Cæcinna. 487. t.
Plautius Siluanus, Apronianam coniugem in præceps iecit. 189 t.
Plebis & optimatū cur grauiſſima plerūque ſint diſſidia. 142. c.
Plebi nec iudicium, nec conſtantia adeſſe ſolet. 440. t.
C. Plinius Germanicorum bellorum ſcriptor. 61. t.
Pœna nec maior ſit quam culpa. 39. c.
Poeta ſolitudine opus habens. 678. t.
Polani leges & politiam a Venetis petunt. 71. c.
Pomœrij vrbis condendi initium. 288. t.
Pompeij theatrum igne fortuito hauſtum. 270. t.
Pomptinæ paludes. 386. t.
Pontificum ſummus, hominum etiam ſummus. 663. t.
Pontius Pilatus. 387. t.
Pontus barbari mancipij audacia turbatur. 545. t.
Poppæa Neronem incitat ad necem Agrippinæ matris. 339. c.
Ab eo percuſſa moritur grauida. 408. c.
Populus, bellua multorum capitum. 50. c.
Populi breues & infauſti amores eſſe conſueuerunt. 95. t.
Populus Romanus liberis regum tutores dant. 814. t.
Populus Romanus non fraude, nec occultis artibus, ſed armatus & palam vincere conſueuit. 825. t.
Poſteritas ſine inuidia ſuum cuique decus rependit. 697. t.
Potentia & gratia apud Principes cur raro diuturna. 344. t.
Potentia cautis potius, quàm acribus conſilijs, in aulis Principum acquiritur. 269. c.
Potentia nimia, nunquam fida. 522. c.

Potentia tum maxime formidanda, cum per malas artes exercetur. 603.c.
Potentia fama non ſua vi nixa, inſtabilis & fluxa. 317.c.
Potentiam nimiam alicuius ſubditi vt euertat Princeps. 605.c.
Potentium res incerta. 293.f.
Præcipuum munus annalium. 506.f.
Præda auiditas victoriam ſæpe remoratur. 58.c.
Prædæ inter milites æquabiliter partiendæ exemplum. 528.c.
Præfectura ſuagentibus moderationi ſæpe veniat in mentem, ne putent omne id licere quod libet. 592.c.
Præfectus vrbis quando, & qua occaſione creatus. 530.c.
Præmij & pœnæ minus æqua diſtributio ſtatum euertunt. 524.c.
Præmia & pœnæ quare inuenta. 541.c.
Præmia delatorum non minus inuiſa quàm ſcelera. 426.c.
Princeps quæ odioſa ſunt, ſuo nomine fieri ne permittat, nec facta olim approbet. 9.10.c.
Ita vitam inſtituat, ac ſi eam omnes intuerentur. 15.c.
Tabulas opum publicarum ipſe componat ac penes ſe retineat. 66.c.
Princeps nouus & metuit, & inuidet. 17.c.
Princeps rarus eſt qui non ſit ſuſpicax. 19.c.
Is bene imperabit, qui ante obedire conſueuit. 23.c.
Ita timeri ſtudeat, vt ne odio ſit. 29.c.
Princeps nouus populi & patriæ moribus ſe attemperet, nec ab anteceſſorum inſtitutis deflectat. 72.c.
Luxus ciuium coercendo ſat intus ſit. 85.c.
Eius potentiam tria præcipuè confirmant. 88.c.
Tenax potius quàm prodigus eſſe ſtudeat. 91.c.
Multa de ſe minus honorificè dicta diſſimulet. 104.c.
Excellentem aliquem alium imitandum ſibi proponat, eumque ſi fieri poteſt, domeſticum. 109.434.c.
Eum ciuis offenderit mandata eius, vbi ambigua ſunt, exequendo, quã autoritate eius rem integrã ſeruãdo. 158.c.
Princeps licet legibus ſolutus, ſecundum tamen eas viuere debet. 541.c.
In doloroſum lectus ſit, Reip. vero iniurias ne cõdonet. 176.c.
Militia ſe deditum oſtendat, ne contemptus pateat. 178.c.
Et à dijs hominibuſq. quid potiſſimum petendum. 204.c.
Princeps qui cuncta legum & magiſtratuum munia ad ſe trahit, prædandi materiam ſuis miniſtris præbet. 259.c.
Ita exiſtimationem ſuam maximè tuebitur ſi ex ſuo iudicio, non autem alieno pendere videatur. 279.331.c.
Princeps qui flagitijs incertam addit, breui interibit. 426.c.
Aduerſus aſſentantes mentem velut arcum, intentam gerat. 435.c.
Ad hoc quodnam ſit optimum remedium. ibid.
Princeps qui fida ab infidis conſilijs diſcernere nequibit, nunquam longo potietur imperio. 551.c.
Qui non ex merito præmia, pœnaſq. diuidit, miſeram ſubditorum conditionem efficit. 601.c.
Princeps nouus exercitum ſuum filio, aut alij fidiſſimo, non ignoto aut alieno regendum committat. 645.c.
Principi noui tituli ſuperbi vitandi. 5.c.
Et cum ĕ diſſidẽtiũ pars validior, ſẽper in initio tutãda. ibid.
Principi futuræ ætas conſiſtens, & experientia neceſſaria. 6.c.
Principi nouo ſumma & caput rerum omnibus modis conſeruandum. 41.c.
Principi an & quatenus ſimulãdum, atque diſſimulandũ. 42.c.
Ipſe bella, quoad fieri poteſt, adminiſtret, nec ea ducibus committat. 40.c.
Principi nec omnia quæ periculum afferre videntur, ſperanda, nec tamen omnia timenda. 94.c.
Miniſtros fidei & induſtrios ſibi paret. ibid.
Et contra validum æmulum, quale conſilium ineundum. 222.c.
Illi fugienda omni ſtudio vehementior ira. 509.c.
Principi ſumma cura ſit idoneorum magiſtrorum ad liberos ſuos rectè inſtituendos. 282.c.
Principi magnam laudem conciliat Vrbium & Ciuitatum ædificatio, quibus nomen ex ſuo vocabulo imponat. 289.c.
Prĩcipi nõ e a declinãda, quorũ rectis flagrabat inuidia. 309.c.
Principi nouo prima ſit Religionis et verũ diuinarũ cura. 570.c.
Principi firmiſſimum inſtrumentum eſt liberorũ numerus. 608.c.
Principis & Reipub. fortuna ſunt coniuncta. 41.c.
Principis ſuſpicacis arcana velle penetrare, periculo non vacat. 88.c.
Eius ſtatũ præſtãtia ipſius valde ſtabilit & confirmat. 106.c.
Principis oratio meditata debet eſſe temperamenti. 152.c.
Principis cuiuſdam præclarum dictum ab auctore horum Commentariorum exceptum. 249.c.
Principis honorificũ eſt ſolũ natale ornare & amplificare. 289.c.
Principes ſe gerant vt tutores ciuium, non vt domini. 19.c.
Neminem patiantur ſubditorum nimijs honoribus augeri. 19. 522.c.
Decreta & Conſtitutiones anteceſſorum tueantur, niſi contrarium ſuadeat euidens ratio. 20.72.603.c.
Principes inſtar deorum. 640.c.
Principes illis Præfecturas committant, qui negotiis pares ſint, non ſuperiores. 249.c.
Principes malos, vt imbres ſterilitate ceteraq. naturæ mala, quæ continua non ſunt, & interuentu meliorum compenſantur, tolerare decet. 629.c.
Principum inclinatio in hos, offenſio in illos, vnde potiſſimum procedat. 600.c.
Principum auaritia tributa nimia exigentium, ſubditis ſæpe rebellandi cauſſam præbet. 222.c.
Eorũ libidines multorũ in Republica cauſa malorũ. 225.c.
Principatum vnius præferunt Prouinciæ imperio Senatus & populi 4.c.
Principatum magnopere euertit arcanorum diuulgatio. 60.c.
Principatum quæ res maxime firmet. 283.c.
Principatuum omniũ duo ſunt venena. Contẽptus & Odiũ. 42.c.
Procuratorum ſuorum res iudicatas parem vim imperatorijs ſtatutis habituras Claudius decreuit. 502.c.
Prodigalitas mala. 96.c.
Prodigalitas magis vitanda Principi, quàm tenacitas. ibid.
Prodigia multa viſa Romæ Impp. Tiberio, Claudio & Nerone. 293.345.474.c.
Prodigia quæ præceſſerunt excidium Hieroſolymis. 647.c.
Proditores deteſtamur, licet proditio placeat: nec tamen ea omnibus placuit. 52.c.
Proſperitas acrioribus ſtimulis animum explorant, quam aduerſa. 434.c.
Prouidentia tribuenda, quæ vulgus fortunæ aſcribit. 479.c.
Prouincia & regna Orientis mouentur ineunte principatum Tiberio. 78.c.
Proximorũ & ſanguine iunctorũ odia ſolẽt eſſe acerrima. 627.c.
Ptolomæus mathematicus Othoni ſpem facit imperij. 441.c.
Publicanorum immodeſtia, & cupidines temperantur. 333.c.
Publicum decus paucis curæ eſt. 291.c.
Pudor & metus dedecoris ſæpe militum animos acriori ſtimulo ad officium incitat. 529.c.

Q

QVADI populi in Germania. 112.c.
Quæſtura officium, olim virtutis præmium, ſub Claudio venale factum 200.c.
Quies redditur prouincijs cum flagitia puniuntur. 300.c.
Quinquennale ludicrum Romæ. 348.c.
Quintilij Vari clades. 50.c.

R

RATIO negotia ducat, non fortuna. 601.c.
Rebellionis incitamenta varia. 312.c.
Rebus cunctis ineſt quidam orbis, quo vertuntur, & in diuerſum mutantur. 162.c.
Regendi munus arduum. 16.c.
Regibus ſuſpectiores ſunt boni, quàm mali. 69.c.
Regibus non ſolum infima, ſed etiam æqua intolerabilia. 97.c.
Regimen vnius cur ceteris Reſpub formis anteponendum. 67.c.
Reginaldi Poli Cardinalis animi magnitudo & cõſtantia. 309.c.
Regiones vrbis quatuordecim de cœlo tacta ſub Nerone. 341.c.
Regnum omne impatiens conſortis. 215.c.
Regnum inter mortales qua ratione primum cœperit. 641.c.
Repetundarum inſonſati multi. 524.c.
Reſpub. Rom corruptiſſima plurima leges emerſerunt. 542.c.
Res Romana vi externa, & ſociali perfidia valde affligitur. 545.c.
Eius afflictiſſima conditio ſub Othone & Vitellio. 526.c.
Reipub. robur militare vno in loco non omne tenendum. 57.c.
Reſpub. ſtatus ſub Tiberio. 178.c.
Reſpub. Rom. ſola imago ſub Nerone remanſit. 522.c.
Reſpub. pernicioſa eſſe ſolet magnatum diſcordia, quando per eam Principis minuitur auctoritas. 522.c.
Reſpublica virtute firmius ſtant, quàm pecunijs. 509.c.
Rerum publicarũ varia genera, eaque inter ſe cõparatio. 593.c.
Rerum mortalium ludibria cunctis in negotijs mira cernuntur. 237.c.
Rerum humanarum inconſtantia & imbecillitatis inſigne in Vitellio Imp. exemplum. 536.c.
Rhadamiſtus regnum per ſcelus adeptum, perdit. 297.& ſeq.c.
Rhenus fluuius. 74.c.
Rheni inſolita ſiccitate vix nauium patiens. 590.c.

Rhoxolani.

Rhoxolani, Sarmatarum populi, in Mœſiam irrumpunt. 474.b.
ROMA vt paulatim in legum & ordinis omnis perturbationem prolapſa ſit. 142.b.
Romæ vſque ad Auguſti tempora quale fuerit regimen. 1.c.
Romæ clades omnium ſuperiorum maxima ſub Nerone, maiori tamen parte igne conſumpta 380 b.
Romæ ſtatus miſerrimus Tacito viſus, ſub Tiberio, Caio, Claudio &c. cuius conſideratio in prauam eum de prouidentia opinionem impulit. 436.b.
Romæ ſtatus domi foriſq. qualis mortuo Nerone, & Galba imperium captante. 437.b.
Romæ diuerſa imperitandi ratio, atque in alijs regnis. 486.b.
Romæ luctuoſa & deformis facies Veſpaſianis militibus eam inuadentibus. 563.568.b.
Romana ciuitate viri olim donati, nec niſi in magna virtutis premium. 210.b.
Romana res virtute, quàm pecunia melius ſtetit. 309.b.
Romanæ reipub. partes quæ in ſtatu fuerint, prolabente in deteriùs Tiberij principatu. 078.b.
Romana copiæ, claſſes, legiones & potentia in armis, cum ſociorum regum auxilijs, quanta fuerint imperante Tiberio. ibid.
Romani ſtatus mutatio ſub Auguſto. 10.b.
Romani ſtatus perturbatio ſub Tiberio. 173.b.
Romani imperij fortunã totius orbis mutatio ſequi ſolita. 546.b.
Romani imperij obedientia reiecta, omnium inter ſe gentium bella exardeſcant neceſſe erat. 630.b.
Romanum Imperium duo abiecti homunciones transferendum ſuſcepiunt, & quidem transferunt. 442.b.
Romanarum legum origo, vſque ad tantam multitudinem creuerint. 142.b.
Romanis rebus ſub Tiberio deſperatis ad Parthos voluntarius exulit Rub. Fabatus. 230.b.
Romanis Ducibus quæ cauſa fuerit Gallias ingrediendi. 620.b.
Ruſ. Heluis ob ſeruatum in bello ciuem premia. 638.b.
Ruſo ſpectrum oblatum Proconſulare imperium illi promittit, quod & obtinuit. 263.b.

S

SACERDOTII honor, vt firmamentum potentia à Iudæorum regibus aſſumptum. 643.a.
Sacerdotũ ſummus, hominũ etiã ſummus merito habẽdus. 163.c.
Sacerdotum dignitas Senatus decreto conſultum. 281.b.
Sacerdotes in bello lictorum vice. 017.b.
Sacra Iudæa & Ægyptia vrbe pelluntur. 124.b.
Sacrorum ſolemnibus diebus etiam verbis profanis abſtinere mos Paganis fuit. 221.b.
Sacrouir. vide Iulius Sacrouir.
Sæcula & ætates indies fieri deteriores experientia docet. 548.c.
Sæculares ludi. 261 b.
Sanguinis effuſione quibus in caſibus ſtabilire noua imperia liceat. 8.c.
Sarmatæ Iazyges. 290.b.
Sarmatarum virtus omnis extra ipſos. 471.b.
Scelera valeſcunt impetu, bona conſilia mora 447.c.
Scelera cum in immenſum creuerint, non ſimplici calamitate punit DEVS, ſed pœnas accumulat. 476.c.
Scipionis Africani magnifica & præclara vox. 7.c.
Seceſſus viris magnis cur quæſiti. ibid.
Secunda res ſuperbiam pariunt. 604.c.
Seditio quo ordinẽ et cõſtãtiã ſeruat, meritò eſt formidãda. 32.c.
Seditio ex paruo initio orta, vrbs prope exitio fuit. 476.b.
Seditione militare gliſcente, optimi cuiuſque vita periclitatur. 24.b.
Seditionis militaris compeſcendæ ratio commoda. 623.b.
Seditioſi milites in centuriones omnium primos ſæuiunt. 31.b.
Seditioſorum ingenium graphicè depingitur. 46.33 c.
Seianus. vide Ælius.
Sempronius Gracchus peruicax adulter occiditur. 48.b.
Senatores Tiberius ob proiectam & degenerem adulationem natos ad ſeruitutem dixit. 067.b.
Senatus Populiq. Rom. imperium cur vnius principatus poſtpoſuerint Prouinciæ. 4. b.
Senatus autoritatem & libertatem ſuam retinere ſub Tiberio fruſtra nititur. 83.& ſeq.b.
Senatus imaginem aliquam prioris auctoritatis adhuc ſub Nerone retinuit. 309.354.b.
Senatus in delatores ſeueritas. 620.b.
Senatorio ordine ob anguſtias rei familiaris aliqui moti. 299.b.
Seneca. vide Annæus.
Senibus honorẽ deferre, & loco cedere antiqui moris fuit. 643.b.
Septimius Centurio à legionibus tumultuantibus flagitatus, ad exitium neceſſario deditur. 31.b.
Sepultura ne hoſti quidem neganda. 34.c.
Serapidis Ægyptiorum dei origo. 634.b.
Sergius Galba. vide Galba.
Seruus dominum ſuum, vrbis præfectum, interficit. 317.b.
Serui audax facinus. 92.b.
Serui in dominum egregia fidelitas. 606.b.
Seruilis belli ſemina mature oppreſſa. 192.b.
Seruitute Tiberij certatim colla ſubdunt exemplo pudendo patres, equites totuſq. pop. Rom. 10.b.
Seruius Tullius Sanctor legum. 041.b.
Seueritas duces in fugientes è prœlio milites ſæpe vecordes ad pugnam actus. 638.b.
Seueritas fundamentum & baſis eſt præcipua omnium dominationum & regiminum. 038.c.
Sibullanomen liber quidam proferens inter reliquos eius libros reponendus offertur, ſed à Tiberio reijcitur. 238.b.
Eius libri vndequaque quæruntur. ibid.
Signa & Aquila militibus delinquẽtibus pro Aſylo fuerũt. 35.b.
Sillanus à ſpe ampliſſimorum honorum depulſus, ſibi mortem præ impatientia conſciuit. 280.b.
Simulare ſtultitiam in loco, prudentia eſt. 116.c.
Simultates priuatæ publico bono aduerſantur. 355.c.
SIXTI PP. V. diligens annonæ cura. 3.c.
Item in Vrbem collata paruo tempore multa & magna beneficia. 04.c.
Eum Greg. Papa. xiij. ſucceſſorem ſibi futurum animo præſenſit. 08.c.
Per varia munia & officia gradatim ad Pontificatus apicem aſcendit. 22.c.
Eius in bonos munificentia, & in improbos ſeueritas. 41.c.
Item munificentia in vrbe decoranda & publica ſalute conſeruanda. 65.c.
Comitas & in audiendo facilitas. 72.c.
Parſimonia & frugalitas. 93.160.c.
Pietas in amplificandis & exornandis Templis. 103.c.
Ab eo multo ſalutares leges contra adulteria & ſimilia flagitia latæ. 124.c.
Eius par & æqua in omnes ſine perſonarum acceptione iuſtitiæ adminiſtratio. 170.234.483.c.
Illius prudens & graue dictum. 135.237.c.
Is vetus inſtitutum ſtationales eccleſias cum Cardinalium cœtu adeundi renouauit. 238.c.
Prædones, graſſatores, & latrones ſola nominis ſui auctoritate fugit, eorumq. duces captos morte afficit. ibid.
Iuſtitiæ obſeruantiſſimus. 248.c.
Literatis viris impenſe fauet. 255.c.
Inueteratorum in Republica vitiorum prudens corrigendi ratio. 030.c.
Item in conferendis honoribus prudens cunctatio. 263.c.
Cardinalatus dignitatem nemini, qui reſperſus aliqua grauiori infamia fuerit, conferendam decreuit. 268.c.
Solicitudo & cura rerum omnium. 083.c.
Solitudinem amat, in qua præclaras & ſalutares cogitationes ſuſcipere cognoſcitur. 204.c.
Eius magnificum Aquæductuum opus. 282.c.
Eius Aula doctorum virorum frequentia inſignis. 346.c.
Aerariũ publicum breuiſſimo tẽpore mirificè auxit. 312.c.
Solon Athenienſium legiſlator. 141.b.
Signa futura rerũ noſtrarũ exitus ſæpe nobis præmõſtrãtur. 78.c.
Soranus ob virtutẽ & cõſtãtiã à Nerone morti addicitur. 423.b.
Statilius Taurus fraude & ſcelere Agrippinæ, hortis eius inhians, euertitur. 301.b.
Succeſſor in imperio ſeu principatu certe aliquis deſignãdus. 4.c.
Sueui auxilium petunt à Tiberio aduerſus Cheruſcos. 100.b.
Sugambri Britanniæ populi. 493 b.
Suilius continuus & ſæuus in accuſando audacia ſua æmulos multos habuit. 219.b.
Superbia & arrogantia primo odioſos, dein viles & contemptos reddit. 633.c.
Superſtitiõe facile implicãtur animi infortunio perculſi. 48.32.b.
Syri Orientem Solem ſalutant. 337.b.

T

TABVLARVM publicarum cura à Quæſtoribus ad Præfectos transfertur. 243.b.
Tacfarinas Numida bellum in Africa mouet. 105.b.
Occiditur. 192.b.
Tacitus, vide Cornelius Tacitus.
Templa Auguſto, Tiberio, matriq. eius adhuc viuis extructa & dicata. 15. 298.b.

Templa-

Templorum apud Gentiles conſecrandi ratio. 609. t.
Tonſtores ad rebellionem ſollicitat Boiocalus. 537. t.
Terræmotu nocturno duodecim Aſiæ vrbes collapſæ. 102. t.
Teuca Illyriorum regina nefarium ſcelus admiſſum in Legatum Romanum. 35. c.
Teutoburgenſis ſaltus, in quo Varus, cum legionibus à Germanis fuit interfectus. 55. t.
Theatralis licentia ſub Tiberio auctu. 67. t.
Theatrum Pompeij igne fortuito hauſtum. 17. t.
Thracum gentes aliquot a duce Romano domitæ. 207. t.
Thraſea Senator ob conſtantiam, & virtutem à Nerone occiditur. 424. t.
Thraſulli aſtrologi ſcientiam vt tentarit Tiberius. 241. t.
Tiberis inundatio. 66. t.
Eius coërcenda ratio initur. ibid. & ſeq.
Tiberius Nero Imperatoris titulo augetur. 4. t.
Conſors imperij ab Auguſto aſcitur. ibid.
Illo mortuo ſolus rerum potitus. 8. t.
Eius ingenium & mores. 6. 10. 40. 69. 80. 255. t.
Germanici gloria & ſucceſſu angitur. 40. t.
Nomen Patris patriæ, titulum Domini, & diuinas nuncupationes ſibi tribui vetat. 82. 125. t.
Accuſatores & calumniatores, multorum innocentium & illuſtrium virorum exitio fouet. 63. 64. 132. t.
Germanici mortem moleſtè tuliſſe creditur. 122. t.
Eius dicterium in ſeruilem Senatorũ adulationem. 107. t.
Item indomita libido. 218. 232. t.
Nullã ex virtutibus ſuis vt diſſimulationẽ diligebat. 222. t.
Horrenda cruciatus eius ob ſcelerum conſcientiam. 234. t.
Litterarum eius ad ſenatum inſigne exordium. ibid.
In optimos quoſque & innocentiſſimos ciues ſæuit. 249. t.
Eius mors. 255. t.
Tigeni, Britanniæ populi libertatem reſumere iniurijs Veteranorum commoti coeptant. 533. t.
Tigrani Armeniam Nero regendam dat. 331. t.
Tiridatem Armeniæ finibus pellit Corbulo. 351. t.
Titia lex. 259. t.
Titus Liuius, Pompeianus ab Auguſto dictus, quòd immodicè Pompeium laudauerit. 199. t.
Titi Veſpaſiani ingenium, corporis habitus, & quæ de eo expectatio. 479. t.
Tito cum Veſpaſiano patre conſulatus decernitur. 570. t.
Eius pietas. 608. t.
Perdomandæ Iudææ dux eligitur. 637. t.
F. Toleti in concionando præſtantia. 509. c.
Treueri cum Tutore duce vincuntur. 628. t.
Tres duces & triplex ſeditio in Hieroſolyma. 640. t.
Tribunitia poteſtas, cum conſulatus contumelia, enehitur. 602. & ſeq.
Tribunitia poteſtas coercita. 322. t.
Tribunorum nimia licentia. 143. t.
Tributa cur à ſubditis exigantur. 629. t.
Trinobantes rebellant. 532. t.
Tubantes Germanico ſe opponunt. 43. t.
Tumultus militaris miſeranda facies. 93. & ſeq.
Turbas & diſcordias exercitare peſſimo cuique facile, pacem quies bonis artib. indigent. 509. t.
Turcarum Imperatores & eliguntur, & abrogantur militum ſuffragijs. 9. c.
Turcarum imperium qua ratione in tantam magnitudinem creuerit. 474. c.
Tutores dabat Senatus regibus nondum adultis. 134. t.
Tyrannus, & Rex quid differant. 1. 11. c.
Tyrannus ex optimis miniſtris periculum ſibi, à peſſimis dedecus publicum metuit. 69. t.
Tyranni mores carpere perículoſiſſimum. 64. t.
Tyrãno q̃ ſubditus nõ ſtudet eſſe gratus, periculo ſe exponit. 18. c.
Tyranno, virtus ſubditi odio eſt, & ſæpe poſſeſſorem trahit in perniciem. 420. c.
Tyrãni ſæuiſſimo, cur longã vitã mulierculã precata ſit. 602. c.
Tyrannis ſuſpecti ſemper ſunt, qui diuitijs, & plebis gratia pollent. 18. c.
Tyrannis boni, quàm mali ſuſpectiores ſunt. 69. c.
Tyrannis, niſi fulta bonorum virorum amicitia & præſidio, conſiſtere diu non poteſt. 573. c.
Tyranni occiſi liberos è medio tollere conſultum, ne ſemina belli maneant. 633. c.
Tyrannorum in mentibus ſi recludantur, diri ictus & laniatus cerni poſſent. 134. t.
Tyrannorũ amicitia cultoribus carã ſemper ſunt noxia. 574. c.
Tyridates. 240. 325. & ſeq.

V

VANILOQVENTIA autori perniciẽ affert. 155. c.
Vannius Sueuorum rex, regno pellitur, cui Claudius ſedem & agros in Pannonia largitur. 290. t.
Varus vi Arminij, ſed ictu & dextra ſua occumbit. 50. 56. t.
Vbij populi. 62. t.
Velleda virgo fatidica, Germanis Dea habita. 616. t.
Vellei Paterculi parum ſinceræ fidei in hiſtoria. 256. c.
Veneficij ſigna. 113. t.
Veneno hoſtem tolli Tiberius non probat. 125. t.
Venetæ Reſpub. ſplendor tantus, & duratio vnde. 200. c.
Veneti & Inſubres ius adipiſcẽdi honorũ in vrbe habebãt. 200. t.
Veneti ſoli, ex omnibus Italiæ ſtatibus, libertatem ſuam multis ſæculis ſartam tectam conſeruarunt. 541. c.
Venetorum prudens inſtitutum, milites, otij tempore, bellicis munijs exercentium. 283. c.
Venetorum Reſpub. prudenter electorum ſortitionem vnam committunt. 572. c.
Venutius in Britannia rebellat. 294. t.
Verulamium, Brytanniæ municipium. 533. t.
Veſpaſiano periculum calumnia ſub Nerone imminet. 408. t.
Veſpaſiani virtutes auaritiæ labes offuſcat. 481. t.
Ei claritatem & imperium multa portendunt. 515. t.
Cogitantem de occupando imperio, haſitantemq. Mucianus confirmat. 512. 514. t.
Auguſti nomen coactus accipit. 521. t.
Eius duces fundunt Vitellianos propè Cremonam. 538. t.
Romam vi capiunt. 500. t.
Ei cuncta Principib. ſolita Senatus decernit. 569. t.
Eius fortunam numinum fauor comprobat, dum ei cæcum & brachio læſum ſanandi vim conferunt. 633. t.
Veſtalibus virginibus teſtamentorum cuſtodia commiſſa. 12. t.
Veſtilia, nobilis femina, licẽtiã ſtupri apud Ædiles vulgat. 124. t.
Vetera ſemper in laude, præſentia in faſtidio ſunt. 680. t.
Veterani viceſimo militiæ anno vacationẽ adipiſci ſoliti. 68. t.
Vguccionis Fagioli Lucenſium Tyranni ignauia. 132. c.
Via mortis promptiſſima exſoluere venas. 414. t.
Victi ab aliquo rege ſeu ſtatu nõ ſũt p alienigenis habẽdi. 207. c.
Victoriæ dulcedo tanta eſt vt damna quæcunque accepta parui æſtimari faciat. 60. c.
Viennenſium & Lugdunenſium perpetua diſcordia. 464. t.
Vindicta lege naturæ & ciuili licita: Euangelica verò lege prohibita. 571. c.
Vindicta priuata publica vtilitas & iuſtitia ſæpe prætexitur. 606. t.
Vinolentia & ſomnolentia non minus quàm inſidiæ viris militaribus vitanda. 45. c.
Viris magnis ſucceſſus cur quæſiti. 7. c.
Virtus multis fortibus & claris viris extitit infælix. 467. c.
Virtus proprium eſt hominis bonum. 585. c.
Virtute expugnabilia cuncta. 292. c.
Virtute nituntur Reſpub. magis quàm pecunia. 509. c.
Virtute duce, & comite fortuna, maxima quæq; ſperãda. 533. c.
Virtutes & vitia hæreditaria interdum ſunt, & à parentibus transfuſa. 6. c.
Viſurgis amnis. 61. 73. t.
Vita antiquorum innocentia. 141. t.
Vitæ ſpes plerumque magnos animos infringit. 654. c.
A. Vitellius iuſſu Galbæ inferiorẽ Germaniã adminiſtrat. 430. 439. t.
Eum Fabius Valens legatus Imperatorem primus ſalutat, quem legiones ſequuntur. 408. t.
Torpidus intemperans, & temulentus notatur. 403. t.
Vitellius & Otho ſceleſtis armis res Romanas rapiũt. 481. t.
Vitellij & Othonis comparatio. 492. t.
Eorum acre prælium. 497. t.
Vitellius, victo Othone & nunciato Orientis in ſe ſtudio, ſocordiæ totum ſe dat. 516. t.
Eius ignauia, luxus, profuſio, vecordia. 524. 541. 556. t.
Exitus infœliciſſimus. 558. 567. t.
L. Vitellius Parthico bello, rebuſque Orientis præficitur. 240. t.
Idem exemplar adulatorij dedecoris. ibid.
Vitia exprobandi artificioſa ratio. 60. t.
Vitia adulta & prænalida tolerare præſtat in repub. quam ijs eradicandis fruſtra deſudare. 158. c.
Viuendi nimia cupiditate aliqui conſeneſcunt in otio, multum imminuta ſua gloria. 216. c.
Vltio in quæſtu, gratia oneri haberi ſolet. 569. c.
Vnio fortis eſt, diuiſio fragilis. 14. c.

Vocula

Voculæ conſtantia & ſeueritate milites ſeditioſi compeſcuntur, atque ad officium redeunt. 592. e.

Vologeſes Parthorum Rex Armeniam inuadit. 298. e.

A Romano Duce repellitur, & obſides dare cogitur. 310. e.

Eius oratio in concilio ſuorum. 370. e.

Voluptas oratorum eloquentiæ. 676. e.

Vonones Phrahatis filio Auguſto obſes datus, Parthorum Rex creatur: ſed ab iis reſpuitur. 72. e.

Vrbis regiones quatuordecim ſub Nerone de cœlo tactæ. 345. e.

Vrbem quamcumque non tam mœnia, quam ciuium virtus munitum reddit. 618. e.

Vrbes Aſiæ xij. terræ motu collapſæ. 102. e.

Vſipetes populi. 45. e.

Vulgus nil habet moderati. 29. e.

Vulgi ſtudia Princeps ſimilitudine habitus conciliat. 37. c.

Vulgus mutatur ſubito, & tam ſolet pronum eſſe in miſericordiam, quàm immodicum in ſæuitiam. 406. c.

Vulgus nouarum rerum ſemper cupidum. 472. e.

Vulgus in omni affectu immodicum. 491. e.

Vulgus tribus præcipue de cauſis res nouas molientibus aggregatur. 311. e.

Vultus maieſtas ſæpe a cæde tuetur. 9. e.

Vxorem à Principe repudiatam priuatè ducere non ſine periculo eſt. 18. e.

Vxores maritis ſæpe exitij cauſa. 5. e.

Eis quæ arcana non committenda. 8. e.

Vxores ſecum ducere an expediat Magiſtratibus in longinquas regiones profecturis. 146. e.

Vxoriæ fidei inſigne exemplum. 621. e.

X

XENIA *& dona excæcant oculos iudicum.* 610. e.

Z

ZENON *Polemonis Regis Pontici filius.* 807. e.

FINIS.

A. PANDIMIGLIO
RESTAURO - CODICI
PERGAMENE - STAMPE
V.le Podere Pesa, 154